Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
D
28
NAPOLI

Digitized by Google

XL
D
78

Digitized by Google

# NICOLAI ABRAMI
## E SOCIETATE IESV
# COMMENTARIVS IN PVB. VIRGILII MARONIS OPERA OMNIA.

*Editio nouiſsima mendis expurgatior.*

*ROTHOMAGI,*
Apud RICHARDVM LALLEMANT,
propè Collegium.

M. DC. LXV.

# ERARDO MAIMBVRGO

VIRO CLARISSIMO
COLLEGII SANNICOLAITANI
SOCIETATIS IESV
FVNDATORI,
ET COLLEGII NANCEIANI
eiuſdem Societatis Confundatori
meritiſſimo.

*QVO enim te nomine melius appellem, Mi Erarde? quo titulo potius inſigniam, quam quo tua laus non fucata & adumbrata, ſed vera & ſuis expreſſa coloribus elucet? Glorientur alij titulis & imaginibus, iactent maiorum virtutem, ſplendorem & antiquitatem familiæ, ditiones, toparchias, cætera non virtutis, ſed vel fortunæ, vel generis inſignia. Ea, ſi quæ præſtantiora ſunt, tibi deeſſent, in te laudarem, vel po-*

*tiùs ne laudanda quidem arbitrarer. Quid eſt enim titulus ſine merito,* aut dignitas in indigno, ni-

Sal- ſi ornamentum in luto? *Quid eſt aliud aut for-*

uia- *tunæ bona, aut maiorum laudare virtutem, quàm*

nus. *propriis laudibus, quem laudas, deſtitutum agnoſcere? Nemo equum à phaleris, aſinum à clitellis, taurum à iugo, luſciniam à cauea laudauerit; & nos à rebus externis, & hominis & Chriſtiani laudem accerſendam eſſe ducemus? Non quid habeas prædico; fortunæ ſunt iſta ludibria: Sed quid propter Deum in pios vſus impenderis. Dedit tibi Deus coniugem, matronam lectiſsimam, omnibus fortunæ, naturæ, gratiæ dotibus ornatam, & verè* adiutorium ſimile tibi. *Illa te, tu illam, alter alterum mutuæ virtutis exemplo ſic ad pietatem excitaſtis, vt vna fuerit inter vos de virtute, pietate, religione, prolixa in ordines Religioſos liberalitate contentio. Liberos conceſsit: vos domeſticis inſtitutis, educatione, pietatis incitamento, precibus & lacrymis ad Deum fuſis filium Soc.* IESV, *filias B. M. Congregationi dicatas Deo reddidiſtis. Ampliſsimas fortunas indulſit: vos in Deum bonorum omnium auctorem liberaliſsimè refudiſtis: vel potiùs res rationéſque veſtras extra omnem fortunæ aleam in tuto collocaſtis.* Theſaurizaſtis vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. *Hec habes mihi cre-*

*de, quod dediſti: cætera non ſolum celeriter è manibus, ſed etiam ex oculis auolabunt. Mirabitur poſteritas ſeculo noſtro, iam* refrigeſcente charitate multorum, *inuentum eſſe par coniugatorum, qui non ſolum Virgines ſuas cum ingenti dote Chriſto deſponderint, ſed etiam nullum optatiorem in vita votorum ſuorum fructum perceperint, quàm vt vnicum filium Religioni mancipatum viderent, omnéſque Chriſto fortunas ſuas addicerent. Spectarunt Angeli, Reſpexit Ieſus, quomodo* turba iactaret æs in gazophylacium, *& ſanè* multi diuites iactabant multa. *Multi, inquam, multa publicæ pietatis monumenta fundarunt: ſed vel fructus ab Eccleſia perceptos, vel ſaltem* ex abundanti miſerunt in munera Dei. *Tu inſtar Euangelicæ viduæ* de penuria tua: ( *Quamuis enim amplæ ſunt facultates tuæ, penuriam mihi dicere licebit, ſi cum Regum, Principum multorumque fundatorum diuitiis conferantur.* ) *Tu inquam:* de penuria tua omnia quæ habuiſti, miſiſti totum victum tuum, *& duo Societatis noſtræ Collegia, alterum reditibus non mediocriter auxiſti, alterum quantum quantum eſt, à fundamentis excitaſti. Quàm inſignem in duo Collegia munificentiam, ſi duo minuta vocare non poſſim, à me ſaltem accipies minuta duo. Quidni enim duo minuta duos hoſce commentariolos, & meras minutias in Bucolica, & Georgica Maronis à meis*

Marc 12. Lucæ. 27.

*manibus elapſas appellem? Ille ſua Bucolica Pollionis, Georgica Mecœnatis, Æneidem Auguſti conſilio & hortatione ſuſcepit. Noſti quàm magni Principis, & verè auguſti nomine Commentarium Æneidos in vſum noſtræ iuuentutis emiſerim; In te vno &*

Pollio amat noſtram, quàmuis ſit ruſtica, Muſam.

*& Mecœnas inuentus*

Decus & famæ meritò pars maxima noſtræ.

*Cuius auſpiciis duplex hoc minutum in vtilitatis publicæ gazophilacium mittatur. Vale. Mußiponti 23. Maij. DC. XXXV.*

Tibi addictiſſimus
NICOLAVS ABRAM
Societatis IESV.

# PVBLII
# VIR. MARONIS
# VITA, A FOCA
## GRAMMATICO VRBIS
Romæ, verſibus edita.

### *PRÆFATIO.*

*O Vetuſtatis memoranda cuſtos*
*Regios actus ſimul, & fugaces*
*Temporum curſus docilis referre,*
*Aurea Clio,*
*Tu nihil magnum ſinis interire,*
*Nil mori clarum pateris; reſeruans*
*Poſteris priſci monimenta ſecli*
*Condita libris.*
*Sola fucatis variare dictis*
*Pagina neſcis: ſed aperta quicquid*
*Veritas prodit, recinis per æuum*
*Simplice lingua.*
*Tu ſeneſcentes titulos laborum*
*Flore durantis reparas iuuentæ,*

*Militat Virtus tibi, te notante*
*Crimina pallent.*
*Tu fori turbas ſtrepituſque litis*
*Effugis dulci moderata cantu.*
*Nec retardari pateris loquelas*
*Compede metri.*
*Hic faue dictis, retegenda vita eſt*
*Vatis Hetruſci, modo qui perenne*
*Romulæ voci decus adrogauit*
*Carmine ſacro.*

*MÆonij ſpecimē vatis veneranda Maronem*
*Mātua Romuleæ generauit flumina linguæ,*
*Quis fœcunda tuos teloraret Græcia faſtus?*
*Quis tantum eloquij potuiſſet ferre tumorem,*
*Æmula Virgilium tellus niſi Tuſca dediſſet?*
*Huic genitor figulus Maro nomine, cultor agelli,*
*Vt referunt alij, tenui mercede locatus.*
*Sed plures figulum. Quis non miracula rerum*
*Hæc ſtupeat? Diues partus de paupere vena,*
*Eni[illegible]: figuli ſoboles noua carmina finxit.*
*Mater Polla fuit Magij non infima proles.*
*Quem ſocerum probitas fecit iam clara Maroni.*
*Hæc cum maturo premeretur pondere ventris,*
*Vt ſolet in ſomnis animus ventura repingens*
*Anxius, & vigili præſumere gaudia cura,*
*Phœbæi nemoris ramum fudiſſe putauit.*
*O ſopor indicium veri! nihil certius vnquam*

Cornea porta tulit: facta eſt interprete lauro
Certa parens, onerîſque ſui cognouerat artem
Conſule Pompeio vitalibus editus auris,
Et Craſſo, tetigit terram: quo tempore Chelas
Iam mitis phaëthon poſt Virginis ora receptus.
Infantem vagiſſe negant: nam fronte ſerena
Conſpexit mundum cui commoda tanta ferebat.
Ipſe puerperijs adriſit Lætior orbis:
Terra miniſtrauit flores, & munere verno
Herbida ſuppoſuit puero fulmenta vireſcens.
Præterea ſi vera fides (ſed vera probatur).
Læta cohors apium ſubito per rura, iacentis
Labra fauis texit, dulces fulſura loquelas,
Hoc quondam in ſacro tantùm mirata Platone
Indicium linguæ memorat famoſa vetuſtas.
Sed natura parens properans extollere Romam,
Et Latio dedit hoc, ne quid concederet vni.
Inſuper his, Genitor, nati dum fata requirit,
Populeam ſterili virgam mandauit arenæ
Tempore quæ nutrita breui, dum creſcit in omne
Altior emicuit cunctis: quas auxerat ætas:
Hæc propter placuit puerum committere Muſis,
Et monſtrare viam victuræ in ſecula famæ:
Tum Balliſta rudem lingua titubante receptum
Inſtituit primum: quem nox armabat, in vmbris
Graſſari ſolitum. Crimen doctrina tegebat.
Mox patefacta viri preßa eſt audacia ſaxis.
Incidit titulum iuuenis, quo pignora vatis

*Edidit, auſpiciis ſuffecit pœna Magiſtri.*
Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta ſepultus.
Nocte die tutum carpe viator iter.
*Nos tamen hoc breuius, ſi fas ſimulare Maronem.*
Balliſtam ſua pœna tegit, via tuta per auras.
Hic Balliſta iacet : certo pede perge viator ?
Carcere montoſo clauſus Balliſta tenetur.
Securi fraudis pergite nocte viri.
Quid trepidas tandem greſſu pauitante viator?
Nocturnum furem ſaxeus imber habet.
Balliſtæ vitam rapuit lapis. ipſe ſepulchrum
Intulit, vmbra nocens pendula ſaxa tremit.
Crimina latronis digniſſima pœna coercet.
Duritiam mentis damnat vbique lapis.
*Hinc culicis tenui præluſit funera verſu.*
Parue culex, pecorum cuſtos, tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddis,
*Tum tibi Sironem, Maro, contulit ipſa magiſtrum*
*Roma potens; proceréſque ſuos tibi iunxit amicos.*
*Pollio, Mecœnas, Varius, Cornelius ardent.*
*Et ſibi quiſque rapit per te victurus in æuum.*
*Muſa refer, quæ cauſa fuit componere libros*
*Sumpſerat Auguſtus rerum moderamina princepsʼ?*
*Iam necis vltor erat patriæ; iam cæde priorum*
*Perfuſos acies legitur viſura Philippos.*
*Caſsius hic Magni vindex, & Brutus in armis*
*Intereunt, victor nondum contentus opimis*
*Emeritas belli ſpoliis ditaſſe cohortes.*
*Proſcripſit miſeræ florentia rura Cremonæ.*
*Totáque militibus pretium conceſſa laborum*

Præda fuit. violenta manus bacchata per agros
Non flatus, non tela Iouis, non ſpumeus amnis,
Non imbres rapidi, quantum manus impia vaſtat.
Mantua tu coniuncta loco, ſociata periclis,
Non tamen ob meritum miſeram vicinia fecit.
Iam Maro pulſus erat, ſed viribus obuius ibat
Fretus amicorum clypeo: cum pæne nefando
Enſe perit: quid dextra furis? quid viſcera Romæ
Sacrilego mucrone petis? tua bella tacebit
Poſteritas, ipsúmque ducem, niſi Mantua dicat.
Non tulit hanc rabiem doctiſsima turba potentum:
Itur ad auctorem rerum, quid Martius horror
Egerit, oſtendunt: quid tunc miſeranda tuliſſet.
Cæſaris hic placido nutu repetuntur agelli.
His auctus meritis cum digna rependere vellet
Inuenit carmen, quo munera vincere poſſet:
Prædia dat Cæſar, quorum breuis vſus habendi:
Obtulit hic laudes, quas ſecula nulla ſileſcant,
Paſtores cecinit primos, hoc carmine Conſul
Pollio laudatur ter ſe reuocantibus annis
Compoſito: poſt hæc ruris præcepta colendi
Quatuor expoſuit libris, & commoda terræ
Edocuit geminis, anno minus, omnia luſtris.
Inde cothurnato Teucrorum prælia verſu
Et Rutulûm tonuit, biſſena volumina ſacrum
Formauit donata Duci, trieteride quarta.
Sed loca, quæ vulgi memorauit tradita fama,

*Æquoris, & terræ, ſtatuit percurrere Vates;*
*Certius vt libris oculo dictante notaret.*
*Pergitur: ut Calabros tetigit, liuore nocenti*
*Parcarum, vehemens luxauit corpora morbus*
*Hic vbi languores, & fata minantia ſenſit.*

Cætera deſiderantur in Manuſcrip;

*Philippus Nicaldus Prouincialis Prouinciæ Campaniæ Societatis IESV.*

CVm Commentarios Patris NICOLAI ABRAM Societatis noſtræ, in *P. Virgilij Maronis opera* aliquot eiuſdem Societatis Patres, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, Facultatem damus vt Typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Muſſiponti ſeptimo Ianuarij. Anni M. DC. XXXV.

PHILIPPVS NICALDVS.

# PVB. VIRGILII MARONIS VITA PER MAVRVM SERVIVM honoratum Grammaticum.

VIRGILII vita hæc eſt. Ortus fuit patre Virgilio, matre vero Maia, fuit ciuis Mantuanus, quæ ciuitas eſt Venetiæ: diuerſis in locis literis operam dedit; nam & Cremonæ & Mediolani & Neapoli ſtuduit. Adeo autem verecundiſſimus fuit, vt ex moribus cognomen acciperet. nam dictus eſt Parthenias, omni vita probatus: vno tantum morbo laborabat; nam impatiens libidinis fuit. Primum à Virgilio hoc diſtichon factum eſt in Balliſtam latronem.

*Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta ſepultus,*
*Nocte die tutum carpe viator iter.*

Scripſit etiam octo libros hos, Cirinam, Æthnam, Culicem, Priapeiam, Catalecton, Epigrammata, Copam, Diras, Poſtea ortis ciuilibus bellis inter Antonium & Auguſtum, Auguſtus victor Cremonenſium agros, qui pro Antonio ſenſerant, dedit militibus ſuis, qui cum non ſufficerent, his addidit agros Mantuanos, ſublatos non propter ciuium culpam, ſed propter vicinitatem Cremonenſium,

vnde ille in Bucolicis.

*Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.*

Amiſſis ergo agris Romam venit, & vſus patrocinio Pollionis & Mecœnatis, ſolus agrum, quem amiſerat, meruit; Tunc ei propoſuit Pollio vt carmen bucolicum ſcriberet, quod eum conſtat triennio ſcripſiſſe & emendaſſe. Item propoſuit Mecœnas Georgica, quæ ſcripſit emendauitque ſeptem annis. Poſtea ab Auguſto Æneidem propoſitam ſcripſit annis xj. Sed nec emendauit, nec edidit, vnde eam moriens præcepit incendi. Auguſtus vero, ne tantum opus periret, Tuccam & Varum hac lege iuſſit emendare, vt ſuperflua demetent, nihil adderent tamen, vnde & ſeminos eius inueuimus verſiculos vt *Hic curſus fuit.* & aliquos detractos, vt in principio. Nam ab armis non incœpit, ſed ſic.

*Ille ego qui quondam, &c.* Et in ſecundo conſtat hos 22. verſus eſſe ſublatos à verſu 567.

*Iamque adeo ſuper vnus eram, &c.* vſque ad 588

*Talia iactabam & furiata mente ferebar.*

Periit autem Tarenti, in Apuliæ ciuitate, nam dum Metapontum cupit videre, valetudinem ex ſolis ardore contraxit. Sepultus eſt autem Neapoli, in cuius tumulo ab ipſo compoſitum eſt tale diſtichon.

*Mantua me genuit, calabri rapuêre, tenet nunc*
*Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.*

## ARGVMENTA ECLOGARVM, ET ÆNEIDOS.

### MONOSTICA.

Tityrus in prima patriòs conſeruat agellos.
Altera veſanum narrat Corydonis amorem.
Tertia committit Damœtam atque Menalcam.
Quarta genethliacon Cumæo carmine cantat.
Quinta flet extinctum, tollitq; ad ſidera Daphin.
Sexta refert carmen Sileni, exordia rerum,
Sptima Amœbeum (Corydon cum Thyrſide) carmen.
Octaua eſt Damonis amor ſacrúmque magiæ.
Nona propè extinctum deflet, laudátque Menalcam.
Vltima ſollicitum Galli ſolatur amorem.

Æneas Primo Libyes appellitur oris.
Funera Dardaniæ narrat, fletuſque Secundus.
Tertius errores canit, amiſſumque parentem.
Vritur in Quarto Dido, flammaſque fatetur.
Quintus habet ludos: & claſſem corripit ignis.
Quæruntur Sexto manes, & Tartara Ditis.
Septimus Æneam reddit fatalibus aruis.
Præparat Octauo bellum, quod mittat in hoſtes.
Nonus habet pugnas: nec adeſt Dux ipſe tumultu.
Occidit Æneæ Decimo Mezentius irâ.
Vndecimo victa eſt non æquo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus diuinis occidit armis.

# PVBLII VIRGILII MARONIS BVCOLICA.

## *ECLOGA PRIMA.*

## TITYRVS.

*ARGVMENTVM.*

Cremonenſes ſecuti fuerant Brutum & Caſſium. Victor Octauianus Cæſar, qui poſt Auguſti nomen accepit, Cremonenſem agrum veteranis militibus aſſignauit. Habebat Virgilij pater quædam iugera in agro Mantuano Cremonenſi vicina; quibus amiſſis Virgilius adoleſcens Romam venit, & carminibus Mecœnati commendatus, & per Mecœnatem Octauiano, agellum recuperauit. Hîc igitur ſub Tityri perſona ſibi de recuperato ruſculo gratulatur. Tityrus eſt Virgilius: Molibœus, quilibet Mantuanus, aut Cremonenſis ex auita poſſeſſione deiectus: Amaryllis, Roma: Galatea, Mantua.

MELIBOEVS.

TITYRE a, *tu patulæ recubans ſub tegmine fagi* b,

*a* Tityrus linguâ Africâ hircum ſignificat, vt notant interpretes, aut etiam Satyrum, teſte Euſtathio, vnde ex eodem & Athenæo Καλαμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται. Fiſtula è calamis compacta *Tityrinus* nominatur. Vnde & Poëta quaſi vir gregis & primarius paſtor, Tityri nomen accepit.

*b* Per tegmen vmbram intelligit, potiùs ramos circum

*Tityri felicitas cũ aliorũ Mantuanorũ miſerijs comparata. Deus huius felicitatis cauſa.*

*Syluestrem tenui muſam meditaris* a *auena* : b

*Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua,*

*Nos patriam fugimus : tu Tityre lentus* c *in vmbra,*

*Formoſam reſonare doces Amaryllida* d *ſyluas.*

Ti. *O Melibœe, deus* e *nobis hæc otia fecit.*

*Namque erit ille mihi ſemper deus, illius aram*

*Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet* f *agnus.*

*Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum*

*Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.*

Me. *Non equidem inuideo* g, *miror magis vndique totis*

quaque diffuſos. Euſtachius lib. 5. φυτὸς ἡ δρῦς λέγεσθαι παρὰ τοῦ φαγεῖν. *Fagus dicitur quercus ab edendo.* Vnde & eſculus quòd primi mortaliũ, non frumento, ſed glande veſcerentur,

*a* Cantum exerces, μελετᾷς, ſic armorum exercitatio vocatur *meditatio* campeſtris.

*b* Fiſtulâ è calamis compactâ.

*c* Deſes, otioſus, reſupinus 12. Æneid. v. 237.

*Qui nunc lenti conſedimus aruis.*

*d* Tam frequenter cantas amicam tuam Amaryllidem (Romam intelligit) vt ipſæ arbores & ſyluæ tuis cantibus iam reſpondeant, & te magiſtro idem Amaryllidis nomen reſonare didicerint.

*e* Octauianus Cæſar hanc mihi quietem indulſit, agris, quos amiſeram mihi & patri meo reſtitutis. Octauianus, inquam, Cæſar, quem deum, & auctorem felicitatis meæ poſſum nominare. Nam *Deus eſt mortalis qui poteſt iuuare mortalem*, inquit Plinius l. 2. cap. 7.

*f* Sanguine ſuo profundet, & veluti quibuſdam initiationibus aram Cæſaris conſecrabit agnus tener è meis ouilibus eductus, i. Cæſari frequenter agnum immolabo.

*g* Non inuideo tibi, ô Tityre, ſed potiùs admiror. Tanta eſt enim rerum omnium perturbatio, tam multi è poſſeſſionibus paternis pelluntur, vt mirum ſit hanc tibi vni præ cæteris quietem contigiſſe, téque vnum poſitum eſſe extra damna communia.

*Vſque adeo turbatur agris. en* a *ipſe capellas.* *Meliboei calamitas.*
*Protinus æger ago, hanc etiam vix* b, *Tityre, duco:*
*Hîc inter denſas corylos modò namque gemellos.*
*Spem gregis, ah! ſilice in nuda* c *connixa reliquit.*
*Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læua* d *fuiſſet,* *Calamitatis preſagia.*
*De cælo tactas memini prædicere quercus.*
*Sæpe ſiniſtra cauâ prædixit ab ilice cornix.*
*Sed tamen, iſte deus qui ſit, da* e, *Tityre, nobis.*
Ti. *Vrbem* f, *quam dicunt Romam, Melibœe, putaui*
*Stultus* g *ego huic noſtræ ſimilẽ, quò ſæpe ſolemus*

a Ego ipſe ex agris meis expulſus animo æger & afflictus, capellas meas in alia paſcua duco *protinus*, id eſt, ante me, ſiue proſſum. Cicero 1. de diuinat. *Præcepiſſeque vt pergeret protinus quid retrò atque à tergo fieret, ne laboraret.*

b Reliquas quidem ago & ante me pello, ſed hanc quam vides, vix poſt me traho: ita enim partu debilitata eſt vt vix ſequatur. Modò enim itineris labore fatigata abortiuit, & gemellos magna cum difficultate ſimul enixa eſt: in quibus ſi ad maturum partum perueniſſent, repoſita erat ſpes gregis reparandi, hos, inquam, gemellos effudit, & cùm ali non poſſent, reliquit *inter denſas corylos, entre les coudriers.*

c Seruius. *Solent herbas ſubſternere parientibus.* Deplorat igitur Melibœus ſe capellæ parienti non potuiſſe herbã ſubmittere.

d Quercus afflatæ fulmine ſæpe nobis prædixerãt hoc malũ, ſed nos per mentis imprudentiam intelligere non potuimus.

e Dic, ô Tityre, quis ſit iſte deus, qui tam fuit erga te liberalis, vt tuas boues errare, & te ipſum otiari permitteret.

f Rogatus fuerat Tityrus quis ille deus eſſet, à quo tantam felicitatem acceperat: ſed ſimplicitate quadam ruſtica Romæ deſcriptionem interſerit, vt per longas ambages ad interrogata deſcendat.

g Adeo fatuus eram & ruſticus, vt putarem Romam eſſe ſimilem Mantuæ agellis noſtris vicinæ. Ad quam vrbem Mantuanam nos paſtores frequentes ſolemus agnos à lacte depulſos deducere, & ibi venales exponere.

*Digreſſio de Romę dignitate.*

*Eō proficiſcitur Tityrus amore libertatis.*

*Paſtores ouium teneros depellere fœtus.*
*Sic* a *canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos,*
*Noram, ſic paruis componere magna ſolebam.*
*Verùm hæc* b *tantū alias inter caput extulit vrbes,*
*Quantum lenta ſolent inter viburna* c *cupreſſi.*
Me. *Et quæ tanta fuit Romā tibi cauſſa videndi?*
Ti. *Libertas: quæ ſera* d, *tamen reſpexit inertem,*
*Candidior* e *poſtquàm tondenti barba cadebat:*
*Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit,*
*Poſtquā nos* f *Amaryllis habet, Galatea reliquit.*

a Romam Mantuæ, magnam vrbem paruæ comparans, perinde faciebam atque ſi canibus magnis paruos catulos grandibus iam quibus, & matribus agnellos componerem & inter ſe compararem. b Roma.

c Viburnum genus eſt arbuſculi lentum & flexibile, à viendo ſiue vinciendo dictum. Gallicè *viorne.*

d Licet Poëta anno ætatis ſeptimo & viceſimo Bucolica conſcripſerit, fingit tamen ſe & ſenem eſſe & ſeruum qui vix ad libertatem in ſenectute peruenerit, more ſeruorum, quorum plerique libertatem non obtinebant ante ſenectutem, poſtquam diu multúmque ſpectati fuerant, & dominis probati: iam ad rem. Libertatis, inquit Tityrus, amore compulſus ſum, vt relicta Mantuâ Romam peterem. Libertatis, inquam, quæ quamuis ſera, nihilo tamen ſecius me de cœlo benignis & fauentibus oculis reſpexit, cum iam iners eſſem præ ſenectute, & veterno langueſcentem. Reſpicere dij dicuntur eos quibus fauent. vt 2. Æneid. verſ. 690.

*Adſpice nos, hoc tantùm.*

e Poſtquam, cum tondebar, agnoui me eſſe ſenem, barba cana in ſinum meum decidente.

f Iam monuimus nomine Amaryllidis Romam, Galateæ nomine Mantuam denotari. Senſus igitur eſt. Libertas me reſpexit longo poſt tempore, ſiue poſt diuturnam ſeruitutem, poſtquàm videlicet relicto Galateæ, quam prius amabam, contubernio, Amaryllidis amori me penitus addixi. Etenim, vt verum fatear, quamdiu me Galatea ſibi deuinctum & obnoxium tenuit, neque ſperabam fore vt vnquam

*Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,* *Quam Mãtuæ non potuerat obtinere*
*Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi* a.
*Quàmuis multa meis exiret victima ſeptis,*
*Pinguis, & ingratæ* b *premeretur caſeus vrbi:*
*Non vnquam grauis ære domum mihi dextra redibat.*
Me. *Mirabar* d, *quid mæſta deos Amarylli vocares,*
*Cui pendere ſuâ* e *patereris in arbore* f *poma:*
*Tityrus hinc aberat. ipſæ, te Tytire, pinus,*
*Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.*

in libertatem vindicarer, neque cura mei peculij ſatis feliciter mihi ſuccedebat. Quamuis enim multas oues, quæ ad victimam venderentur, ex ouilium meorum ſeptis educerem, plurimóſque caſeos ad vrbem deferendos quotidie conficerem, non multas tamen pecunias domum ex vrbe referebam.

*a* Peculium eſt priuata pecunia quam ſerui propria induſtria ſibi comparant, eáque libertatem ſuam à dominis redimebant.

*b* Mantuam Tityrus vocat ingratam, quia nihil ex ea fructus aut vtilitatis colligebat: neque vrbs referebat mercedem eius laboribus.

*c* Coagularetur, lac in caſeum cogeretur.

*d* Mirabar, ô Amarylli, ſiue Roma, cur adeo triſtis Deos obteſtareris & ad eos tuas querelas effunderes: mirabar cui ſeruares poma adhuc ex arboribus ſuis pendentia: ſed tandem deſino mirari, cùm intelligam mœrorem hunc pro Tityro abſente eſſe ſuſceptum: & ſanè ipſæ pinus, fontes, arbuſta tantum non edita voce vocabant: vt mirum non ſit ſi te venientem tam benignè Amaryllis exceperit, præſentemque tanta felicitate cumularit.

*e* Ex iiſdem arboribus à quibus nati ſunt fructus.

*f* De more amatorum qui ludibundi ſe mutuò pomis impetebant, vide ecl. 3. verſu. 64. *Malo me Galatea petit.*

*Ti. Quid facerē* a*? neq; ſeruitio me exire licebat:*
*Nec tam præſentes alibi cognoſcere diuos.*
*Hic* b *illum vidi iuuenem Melibœe, quotannis*
*Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.*
*Hic mihi reſponſum* c *primus dedit ille petenti.*
*Paſcite, vt antè* d *boues pueri, ſubmittite* e *tauros.*
*Me. Fortunate* f *ſenex, ergo tua rura manebunt,*
*Et tibi magna ſatis: quamuis lapis omnia nudus,*

*Romę vidit Cęſarem Octauianum ſuę felicitatis auctorem. Melibæus Tityro gratulatur.*

*a* Videtur ſe excuſare Tityrus, cur licet diu multúmque expetitus non potuerit citius Romam, ſiue, quod idem eſt ad Amaryllidem venire. Quid facerem? inquit. Non poteram à Galatea me citiùs expedire, & ſeruitutem exuere, qua tenebar, vt Romam accederem. Id autem, non voluntati meæ, ſed neceſſitati tribuendum eſt. Sciebam enim mihi petendam eſſe Romam, quia non poteram alibi tam præſentes deos cognoſcere. Alij ſuperiùs legendum putant.

*Deos Galatea vocares.*

Hoc ſenſu, vt elegantibus Cerdani verbis vtar. Mœſta pro me erat Mantua, quòd hinc abeſſem, querebatur ad deos, vocabant me pinus, fontes, arbuſta: ſed quid facerem; Neque enim aliter exire poterā è ſeruitute, neque cognoſcere diuos tam propitios alibi quam Romæ: itaque neceſſariò deſerenda mihi fuit Mantua, petenda Roma.

*b* Romæ vidi Cæſarem Octauianum, qui anno ætatis XIX. Brutum & Caſſium vicit agróſque Cremonenſium militibus diſtribuit, cui per ſingulos annos duodecim diebus, puta ſingulorum menſium vel calendis vel idibus ſacrifico.

*c* Quaſi quoddam oraculum.

*d* Vt paſcebatis ante bella ciuilia.

*e* Vel iugo ſubmittite, vel ſubmittite in fœturam, & propagationem armenti, vel ſimpliciter mittite in paſcua.

*f* O te fortunatum præ ceteris paſtoribus, Tityro, cuius agri non diuidentur, qui tibi ad vitam ſuſtentandam ſufficiunt, quamuis ea pars agri non ſit frumentaria ſed plena lapidibus nudis, id eſt nulla gleba coopertis: & ne paſtioni quidem ſatis ſit idonea, quia limo, & iunco obducitur. *Quę autem eius generis erant*, inquit Turnebus lib. 1. aduerſ. cap. 26. *annumerabantur, nec militi aſſignabantur.*

*Limoſóque palus obducat paſcua iunco:*
*Non inſueta graues [a] tentabunt pabula fœtas,*
*Nec mala vicini pecoris contagia lædent.* Ab vtili
*Fortunate ſenex, hîc [b] inter flumina nota,*
*Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.*
*Hinc tibi [c], quæ ſemper vicino ab limite ſepes*
*Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,* Ab iucundo.
*Sæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro,*
*Hinc [d] alta ſub rupe canet frondator ad auras.*
*Nec tamen interea [e], raucæ tua cura, palumbes,*

*a* Non cogeris boues tuas fœtas & grauidas ad inſueta pabula deducere, quæ pabula propter inſolentiam tentarent armenta variis morbis, & fortaſſe ſi aliò ducerentur, ad alicuius armenti morbidi viciniam commigrarent, è cuius contagio morbum contraherent, ait fœtas graues ad ſignificandum grauidas ſiue prægnantes, quia fœtæ dicuntur etiam quæ fœtum iam ediderunt.

*b* In agro Mantuano, propter ripas Mincij fluminis, iuxta fontes Nymphis conſecratos, in vmbra recubabis, frigúſque captabis, quod tum ex antrorum cauitate, tum ex arborum opacitate generatur.

*c* Ex altera parte ſepes vicino ab limite conſtituta, quæ videlicet in medio extenditur, & agrum vicinum à tuo diſterminat, quæque ſemper eſt depaſta florem ſalicti ab apibus, id eſt, vbi apiculæ depaſcunt flores ſalicum, quibus ſalicibus ea ſepes contexitur, hæc, inquam, ſeps ſiue ſepes vicina frequenter leui apicularum volitantium & floribus inſidentium ſuſurro tibi ſomnum inire ſuadebit. *hiblæas* appellat à monte Siciliæ apiculis abundante.

*d* Ex alia parte frondator, id eſt, arborum & vitium putator, cum meridie ad captandas auras in profundam cauernam ſeceſſerit, canet, téque ſuo cantu oblectabit.

*e* Neque tamen interea dum apicularum bombo, & frondatoris cantu perfrueris, ceſſabunt palumbes (id eſt columbæ ſylueſtres, *les pigeons ramiers*) quibus vnicè delectaris, ſuo minarritu, aut turtures ſuo gemitu te oblectare. Propriè ſiquidem turtures gemere, palumbes minarrire dicuntur.

*Nec gemere aëria* a *ceſſabit turtur ab vlmo.*
Ti. *Antè* b *leues ergo paſcentur in æthere cerui,*
*Et freta deſtituent nudos in littore piſces,*
*Antè, pererratis amborum finibus exul,*
*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,*
*Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.*
Me. *At nos* c *hinc alij ſitientes ibimus Afros.*
*Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,*
*Et penitus toto diuiſos orbe Britannos.*

*Tityri erga Cæſarem gratitudo.*

Quamuis etiam gemitus palumbi à Plinio tribuatur. Sed audiendus hoc loco Turnebus. Fingitur, inquit, huius eclogæ argumentum æſtiuo tempore, vnde ad captandum frigus æſtúmque deſerendum, Tityrus ſub patulæ fagi tegmine recubat. idem tempus hic indicatur palumbium gemitu. Plinius lib. 18. cap. 28. *Palumbium vtique exaudi gemitus: tranſiſſe ſolſtitium caueto putes, niſi cùm incubantem videris palumbem.* Raucæ, Vel canoræ, vt 7. æneidos v. 705. Vel quæ aſſiduitate cantûs contrahunt raucedinem.

*a* Tam alta vt mediam pene contingat aëris regionem.

*b* Cum igitur Octauianus Cæſar tantis me beneficiis affecerit, numquam ero ingratus, & prius in ſicco littore piſces habitabunt, prius Araris (vernaculè *la Saonne*) fluet in Parthia, & Tigris in Germania, quàm ego Cæſaris obliuiſcar.

*c* At nos alij miſeri paſtores, dum tu, Tityre, tua felicitate perfrueris, ex agro Mantúano patriiſque finibus depulſi, per totum terrarum orbem diſpergimur, & alij quidem ibunt in Africam ſiti deſertam, nulliſque fluuiis aut fontium ſcaturiginibus humectatam; alij in Scythiam præ frigore inhabitabilem, alij mediterranei maris inſulas petere cogentur, verbi cauſa Cretam quam Oaxes fluuius præterfluit, alij relegabuntur in inſulas Oceani, quæ à reliquo terrarum orbe diuiduntur. Qualis eſt Britannia.

En vnquam a patrios longo pòſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot, mea regna videns mirabor, ariſtas?
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? b, en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros c, en queis conſeuimus d agros?
Inſere e nunc Melibœe pyros f, pone ordine vites.

*Melibœus ſuam cæterorumque calamitatem deplorat*

*a* Vnquámne, vt ecl.8. *En erit vnquam*
*Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?*

Vnquámne longo pòſt tempore, ſiue poſt diuturnam abſentiam, mirabor. i. admirabundus reuiſam patrios fines à quibus nunc extrudor, & culmen. i. tectum tugurij mei pauperis congeſtum è vili ceſpite, ſiue glebis viridibus extructum, vbi prius adeo feliciter viuebam vt regnare viderer, neque Regum palatia huic tuguriolo anteferrem. *Poſt aliquot* autem *ariſtas* eſt metalepſis ſiue tranſſumptio. i. poſt aliquot annos, quia ariſtæ æſtate, æſtas anno continentur. Explicatio Germani, quam Cerdanus tanti facit; videtur eſſe contortula.

*b* Turnebus lib.18. ca. 12. ſegetes à noualibus ita diſtinguit. Segetes terræ ſatæ ſunt: nouales terræ quæ ceſſant vt nouentur poſteà & arentur.

*c* En quantas calamitates inuexerunt bella ciuilia. Miſeros ciues appellat, quaſi innocentes. Vide Philipp.2.§.82.nota.

*d* Viderique vult bellum ciuile non tam ciuium culpæ, quàm fatis eſſe tribuendum.

*e* En quibus militibus, quàm impiis, quàm ſceleratis agros conſeuimus, vt illi noſtris laboribus fruerentur.

*f* Apoſtrophe eſt & ironia, qua ſe ipſum compellat & irridet, vel potius indignatur ſe hactenus fruſtra laborem colendis hortis & vitibus impendiſſe. i. nunc, ô Melibœe, quoniam hactenus tibi tàm proſperè agricultura ſucceſſit, vt milites agros tuis laboribus excultos occuparint, inſere pyros, planta vineas. Quaſi dicat, non ero impoſterum tam amens, vt fruſtra laborem, quandoquidem non mihi, ſed impiis militibus hactenus laboraui.

*g* De ordine quo vites conſeruntur, fusè 2. Georg. à verſu 276. ad 287.

*Ite meæ, quondam* a *felix pecus, ite capellæ,*
*Non ego vos poſt hac viridi proiectus in antro,*
*Dumoſa pendêre procul de rupe videbo:*
*Carmina nulla canam: non me paſcente capellæ,*
*Florentem cythiſum* b, *& ſalices carpetis amaras.*
Ti. *Hic tamen* c *hac mecum poteris requieſcere nocte,*
*Fronde ſuper viridi: ſunt nobis mitia* d *poma*
*Caſtaneæ molles* e, *& preſſi* f *copia lactis,*
*Et iam* g *ſumma procul villarum culmina fumant,*
*Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.*

*Hunc Tityrus inuitat.*

*a* Cum ipſe felix eram, & auitis meis prædiolis quietè perfruebar quæ ſequuntur perſpicua ſunt, & ad miſerationem dulciſſimè comparata.

*b* Frutex eſt qui ſic à Plinio deſcribitur lib. 13. cap. 24. *Cana a ſpectu, breuiterque ſi quis exprimere velit ſimilitudinem anguſtioris trifolij frutex.* Monet autem ſalices amaras eſſe hominibus, non capellis.

*c* Etiam ſi feſtines & è patriæ finibus exturberis, poteris tamen hac nocte mecum requieſcere, viréſque labore itineris exhauſtas recreare.

*d* Matura.

*e* Maturæ.

*f* Vel vberum compreſſione emulcti, vel in caſeum coagulati.

*g* Noctem appetit, cuius aduentum ruſtica ſimplicitate non aliunde colligit Tityrus, quàm ex fumo qui è vicinarum villarum caminis erumpebat, quod indicio erat iam cœnam præparari, & ex vmbrarum magnitudine, quæ maiores quàm prius è montibus ſe porrigebant.

# PVB. VIRGILII MARONIS.

## ECLOGA III.

### ARGVMENTVM.

Poſt breuem præfationem Corydon cum Alexi expoſtulat à v. 6. ad 18. Secundo ſeipſum à diuitijs, à muſica, à corporis dignitate commendat ad v. 27. Tertio Alexim inuitat; & varia munera pollicetur. Quartò ad ſe redit Corydon & ſe ipſum reprehendit.

### ALEXIS.

*Formoſum paſtor Corydon ardebat* a *Alexim,*
*Delicias domini, nec, quid ſperaret, habebat.*
*Tantùm* b *inter denſas, vmbroſa cacumina, fagos*

a Ardenter amabat, efflictim deperibat: non habebat tamen quid ſperaret, neque videbat rationem eius quem amabat, potiundi. Alexis enim iam ab alio præoccupatus erat, & erat in delicijs domino ſuo, qui non ſinebat vt ille ſe cuiquam alteri applicaret; hunc Alexis dominum, alij Mecœnatem fuiſſe dicunt, alij Pollionem. *Præfatio poëtæ.*

b Corydon omni potiundi ſpe deiectus, hoc vnum duntaxat habebat ſolatium vt in ſyluas aſſiduè veniret, ibique inter denſas fagos, quæ cacuminum opacitate locum inumbrabãt, de ſui amoris infelicitate quereretur apud ſyluas montéſque deſertos. Sed has querelas iactabat inani ſtudio, non enim erant ad ſedandum amorem profuturæ. Et inconditæ. i. verſis inſulſis & incompoſitis conceptæ.

*Aſsiduè veniebat. ibi hæc incondita ſolus*
*Montibus, & ſyluis ſtudio iactabat inani.*
*O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,*
*Nil noſtri miſerere: mori me denique coges.*
*Nunc etiam pecudes* a *, umbras & frigora captāt,*
*Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos.*
*Theſtylis* b *& rapido feſsis meſſoribus æſtu*
*Allia ſerpillumque herbas contundit olentes.*
*At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,*
*Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis:*
*Nonne fuit ſatius triſtes* c *Amaryllidis iras,*
*Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcam?*
*Quamuis ille niger, quamuis tu candidus eſſes.*
*O formoſe puer* d*, nimiùm ne crede colori.*

*A tempore quo ſequitur ſeqxim A meridianis feruoribus.*

*A ſuperbia Alexis.*

*a* Tam obſtinatè te ſequor, & circumeo tuis inſiſtens veſtigijs, vt ne meridiano quidem æſtu deterrear. Sed hoc ipſo tempore, quo meridiani ſolis feruor incanduit, quo pecudes ipſæ captant vmbras: nec ſolùm pecudes vmbræ ſuccedunt, ſed lacerti quoque in ſpinetis deliteſcunt: ego ieiunus & impranſus tui quærendi cauſſa circumuagor. Ego inquam, ieiunus cibíque immemor te vnum quæro, dum prandium, allijs, ſerpillóque aliiſque herbis graueolentibus in vnum contuſis, paratur meſſoribus, qui æſtu nimio defatigati iam in tuguria redierunt. Neque quemquam habeo laboris & æſtus arbitrum præter cicadas: quæ ne ipſæ quidem æſtum hunc tolerant, ſed meridianum feruorem arbuſtorum opacitate defendunt, ibique cantillant ad raucedinem.

*b* Nomẽ mulieris ruſticanæ quæ prandiũ parabat meſſoribus.

*c* Nonne melius erat Amaryllidem dominam ferre, quamuis iracunda eſſet, ſuperba, faſtidioſa? nonne meliùs fuit Menalcæ ſeruire, eiúſque gratiam obſequijs aucupari, quamuis ille niger eſſet, quam te longè contumaciorem & faſtuoſiorem tolerare?

*d* O Alexi, noli nimiùm ſuperbus & faſtidioſus eſſe coloris tui fiduciâ, quaſi reperturus ſis ſemper aliquos qui tibi blan-

*Alba a ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*
*Deſpectus tibi ſum, nec, qui ſim, quæris Alexi,*
*Quam diues pecoris niuei, quàm lactis abundans.*
*Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.*
*Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit.*
*Canto, quæ ſolitus, ſi quandò armenta b vocabat,*
*Amphion Dircæus c in Actæo Aracyntho.*
*Nec ſum adeò informis: nuper me in littore vidi,*
*Cùm placidũ ventis ſtaret mare: non ego Daphnin*
*Iudice te metuam; ſi nunquàm fallit imago.*
*O tantùm libeat mecum tibi ſordida rura,*

*Gloriatur de ſuis opibus.*
*De muſica & cantu.*
*De formæ dignitate.*

diantur, tibi ſeruiant & obſequatur, etiamſi crudelis in eos fueris & ſuperbus. Nam quemadmodum alba liguſtra cadunt in terram, negliguntur, & conculcantur, quia nihil vtilitatis habent, vaccinia verò, quamuis nigra, ſtudioſè colliguntur, quia tingendis veſtibus inſeruiunt, ita tu quamuis formoſus & candidus, propter ſuperbiam tuam contemneris, & negligeris, Menalcas quamuis niger, ſi morigerum ſe & obſequentem præbuerit, magnifiet, & multos amatores inueniet.

a Liguſtrum, vt ait Brodæus lib. 4. Miſcell. 18. Arbor eſt parua foliis oleæ ſimilibus, floribus candidis: racematim Maio menſe emergentibus, ſemine primùm virente, deinde temporis proceſſu nigro Et hoc ſemen nonnulli putant dici vaccinium *du freſillon*. Ipſe tamen loco citato vaccinia putat eſſe mora agreſtia quæ tingendis ſeruorum veſtibus olim legebantur. Turnebus de Hyacintho intelligit: Gloſſæ Vaccinium, ἀνθὸς, ὑάκινθος. Seruius violam purpuream interpretatur.

2. Propertius lib. 4. fabula Tarpeiæ. *Quò dulcis ab æſtu*
*Fiſtula potueras ire iubebat oues.*

c Caſſiadorus. 2. var. *Amphion Dircæus canendo chordis Thebanos muros dicitur condidiſſe*. Dicitur Dircæus à Dirce fonte Bœotiæ, vnde & Horatius de Pindaro Thebano *Multa Dircæum leuat aura cycnum.* Aracynthus mons ejuſdem Bœotiæ dictus Actæus, quia magna Bœotiæ pars littoralis fuit ἀκτὴ *littus*, acta. Vide Turnebum lib. 30. cap. 4.

*Corydonis pollicitatio-nis, Alexum inuitantis. A ſpe diſcendæ muſica.*

*Atque humiles habitare caſas, & a figere ceruos,*
*Hædorúmque gregem viridi compellere b hibiſco.*
*Mecum vnà in ſyluis imitabere Pana canendo.*
*Pan primus c calamos cerâ coniungere plures*
*Inſtituit: Pan curat oues, ouiúmque magiſtros,*
*Nec te pœniteat calamo d triuiſſe labellum.*

*a* Vel figere furcas quæ cerui nominantur. Tibullus lib 4. ad Meſſalam, *Aduerſos hoſti defigere ceruos.* Vel potius venari, & ceruos iaculis transfigere.

*b* Vel virgulâ ex hibiſci ramulis factâ compellere, vel gregem ad paſcendam hibiſcum compellere. hibiſcus genus maluarum ſylueſtrium.

*c* Luculenta fiſtulæ deſcriptio habetur apud Ouidium 4. Metamorph. apud Achillem ſtatium lib 8. de amoribus Leucippes & Clitophontis, apud Longum in Pœmenicis: ſatis erit huic loco Tibullus lib. 2. eleg. 5.

*Pendebátque vagi paſtoris in arbore votum,*
*Garrula ſylueſtri fiſtula ſacra Deo,*
*Fiſtula cui ſemper decreſcit arundinis ordo,*
*Nam calamus cera iungitur vſque minor.*

Turnebus lib. 30. cap. 14. Septem compacta internodijs erat antiquorum fiſtula. arundinis ordinē ſemper decreſcente.

*d* Terere dixit, quòd labrum ſeptem percurrens cicuta terebatur, vt de Pane ipſo ſcribit lib. 4. Lucretius.

*Vnco ſæpe labro calamos percurrit hiantes.*

& lib. 4. *Et ſuprà calamos vnco percurrere labro.*

Achilles Tatius loco proximè citato fiſtulam Panis à tibia Mineruæ diſtinguit; quod ἐκεῖ οἱ δάκτυλοι κυβερνῶσι τὰ ὑλήματα ἐνταῦθα δὲ τοῦ τεχνίτου τὸ στόμα μιμεῖται τοὺς δακτύλους κἀκεῖ μὲν κλείσας ὁ αὐλητὴς τὰς ἄλλας ὀπὰς, μίαν ἀνοίγει μόνην, δι' ἧς τὸ πνεῦμα καταρρεῖ· ἐνταῦθα δὲ τοὺς μὲν ἄλλους ἐλευθέρους ἀφῆκε καλάμους, μόνῳ δὲ τὸ χεῖλος ἐπιτίθησιν, ὃν ἂν ἐθέλῃ μὴ σιωπᾶν. μεταπηδᾷ δ' ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον, ὅπου ποτ' ἂν ᾖ τοῦ κρούματος ἁρμονία καλοῦσα· οὕτως αὐτῷ περὶ τοὺς αὐλοὺς χορεύει τὸ στόμα. Ibi in Mineruæ tibia *digiti cantū gubernant; hîc, in fiſtula Panis, artificis os digitis imitatur, & ibi quidē tibicen cæteris foraminibus occluſis, vnū duntaxat aperit, per quod ſtatus emanat: hic autem reliquos calamos non attingit, illi ſoli labrum imponit quem*

*Hæc eadem vt ſciret, quid non faciebat Amyntas?*
*Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta* a *cicutis* *Fiſtulā pollicetur.*
*Fiſtula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:*
*Et dixit moriens, te nunc habet iſta ſecundum.*
*Dixit Damœtas: inuidit ſtultus* b *Amyntas:*
*Præterea duo nec tuta* c *valle reperti*
*Capreoli* d *ſparſis etiam nunc pellibus albo,* *Item duos capreolos.*
*Bina die ſiccant ouis vbera, quos tibi ſeruo:*
*Iam pridem à me illos abducere Theſtylis* e *orat,*
*Et faciet* f, *quoniam ſordent* g *tibi munera noſtra.*

*vult non tacere. Ex vno verò in alium tranſilit, prout ratio concentus exegerit ita os circa cicutas quaſi choreas agit.* Hic Nõnulli enallagen agnoſcunt, nec te pigebit, ſi ad me veneris, calamum triuiſſe labello.

*a* Fiſtulas internodiis cicutæ, auenæ aut arundinis compingebant. Ouid. 8. Met. *Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit auenis.* Martialis lib. 14. *Quid me compactam ceris & arundine vides.* Eleganter autem fiſtulam ſuam commendat venditátque non tamen promittit vt Alexis deſiderium proritet

*b* Stultus quòd inuiderit quaſi verò fuerit ipſe dignus habere hanc fiſtulam. Et ſi enim vt canere diſceret omnia faciebat, omnibus obſequiis me demerebatur, nolui tamen eum vnquam docere, ac proinde nunquam hac fiſtulâ dignus euaſit, quæ niſi à peritis artificibus, tractari non debet. Te autem docebo, Alexi, faciámque dignum hac fiſtula.

*c* Donum à reperiendi difficultate commendat. vt 7. Æneid. 239. *Reliquias Troia ex ardente receptas.*

*d* Capreoli ſunt ſylueſtrium caprarum fœtus, quos adeò teneros eſſe dicit vt etiamnum pelles habeant albo ſparſas, id eſt maculis quibuſdam candidis diſtinctas, Seruius, *acceſſu temporis mutant colorem, & eorum maculæ gratiæ eſſe minoris incipiunt.*

*e* Orat vt à me impetret.

*f* Noluit dicere, *& faciam*, inquit Seruius, id eſt dabo illi duos illos capreolos, ne, quem amabat, offenderet, ſi ſe velle dare alteri munus diceret, quod illi parauerat.

*g* Contemnuntur à te quaſi ſordida & parca minúſq; culta.

*Huc ades ô formoſe puer: tibi lilia plenis*
*Ecce ferunt nymphæ calathis* a, *tibi candida Nais*
*Pallentes violas* b, *& ſumma papauera carpens,*
Flores. *Narciſſum* c *& florem iungit bene olentis anethi.*
*Tum caſia, atque aliis intexens ſuauibus herbis,*
*Mollia luteola* d *pingit vaccinia caltha.*
*Ipſe ego* e *cana legam tenera lanugine mala,*
*Caſtaneáſque nuces, mea quas Amaryllis amabat.*
*Addã cerea pruna: & honos erit huic quoq;* f *pomo,*
Fructus. *Et vos ô lauri carpam, & te* g *proxima myrte:*
*Sic poſitæ quoniam ſuaues miſcetis odores.*

*a* Quaſillis, caniſtris, *à pleins paniers.* Nais autem nympha fuit cæteris formoſior, quæ Alexidi coronam mira florum varietate contexeret.

*b* Notat Pomponius Sabinus tria eſſe genera violarum, purpuream, candidam, pallidam, poſtremam hanc elegit Corydon quaſi amantium tinctam colore.
Horatius. *Et tinctus violæ pallor amantium.*

*c* Seruius. *Papauer, Narciſſus, Anethus pulcherrimi pueri fuerunt qui in flores ſui nominis verſi ſunt: quos ei offerendo quaſi admonet ne ipſe etiam tale aliquid vnquam ex amore patiatur.* Viri docti caſiam pro lauandula, caltham accipiunt pro eo flore lutei ſiue crocei coloris quem *ſoucy* vel *ſoulcy* quaſi ſoliſequium Gallicè vocamus: de vaccinio ſuprà.

*d* Lutum priore producta eſt croceus color. *couleur de ſafran.*
Ecloga 4. *Croceo mutabit vulnera luto.*

*e* Nymphis flores & coronas offerentibus, ego fructus offeram mala cydonia, ſiue cotonea quæ molli teneraque lanugine caneſcunt, caſtaneas nuces, quibus oblatis Amaryllis mea gaudebat, cùm eius gratiam inire cupiebam. Addam pruna ceræ, luteique coloris. Ouidius.
*Nouas imitantia ceras.*
Auctor Priap. *Magiſque cerâ luteum nouâ prunum.*

*f* Perinde atque aliis.

*g* Vel vicina lauro, vel ad odorem proxima.

*Ruſticus*

*Ruſticus es Corydon, nec munera curat Alexis,*
*Nec ſi muneribus certes, concedat Iolas* 1.
*Eheu! quid volui* 2 *miſero mihi? floribus auſtrum* *Varij amantum affectus.*
*Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.*
*Quē fugis ah demēs! habitarunt dij quoque ſyluas,*
*Dardaniúſque Paris. Pallas, quas condidit arces* 3,
*Ipſa colat: nobis placeant ante omnia ſyluæ.*
*Torua leæna* 4 *lupum ſequitur, lupus ipſe capellam;* *Trahit ſua quemq; voluptas.*

1 Suprà dixit Alexim fuiſſe delicias domini: hic igitur Iolæ nomine alij Cæſarem Auguſtum, alij Mecœnatem, alij Aſiniū Pollionem intelligunt, qui magna in Alexim munera congerebat, vt eum haberet ſua liberalitate deuinctum. Poteſt etiam amator quiſpiam ditior intelligi propter iſta quæ ſequuntur.

2. Heu me miſerum? quid cogitaui, cùm Iolam nominaui, & munerum feci mentionem? Meipſum perdidi, & res, rationeſque meas conturbaui. *I'ay tout gaſté.* Fecique perinde ac ſi floribus auſtrum, & liquidis fontibus apros immitterem, Vt enim auſtri afflatu flores marceſcunt.

*Pubentéſque roſæ primos moriuntur ad auſtros.*

& fontes liquidi aprorum, qui immiſſi fuerint, volutatione turbantur, ita facta Iolæ munerúmque mentione mea negotia turbaui. Nam Alexis Iolam longè ditiorem mihi præponet.

3. A Catullo diua dicitur —*retinens in ſummis collibus arces.*
2. Æneidos. —*ſæuaque petunt Tritonidis arcem.*
lib. 11. verſ. 476. —*Ad templum ſummáſque ad Palladis arces.*
Καὶ εἰσὶν αἱ πόλεις δῶρα Ἀθηνᾶς. *Et vrbes dona ſunt Mineruæ.* inquit Ariſtides oratione 2.

4. Commodè noſter Cerdanus Corydon, inquit, à fero cioribus ad mitiora ſemper tendit, vt ſiſtat in amore ſuo, qui blādiſſimus. Ferox eſt leæna atque adeo torua, non ita ferox lupus, iam capella laſciuiens. Deinde ſtructio ipſa verſuum hoc idem indicat. Primus enim verſus ferocior eſt leænæ & lupi repræſentata ſæuitie: alter iam mollior laſciuientis capellæ & florentis cithyſi mentione. Tertius totus diffluit in amores.

*Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella.*
*Te Corydon, ô Alexi, trahit ſua quemq; voluptas,*
*Aſpice, aratra* a *iugo referunt ſuſpenſa iuuenci,*
*Et ſol creſcentes decedens duplicat vmbras:*
*Me tamen vrit amor* b: *quis enim modus adſit amori?*
Sui caſtigatio.
*Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?*
*Semiputata* c *tibi frondoſa vitis in vlmo eſt.*
*Quin tu aliquid ſaltē potiùs, quorum indiget vſus* d
*Viminibus, mollique paras detexere iunco?*
*Inuenies alium ſi te hic faſtidit Alexis.*

a Seipſum colligit & ita compellit. Aſpice Corydon, iam ſol vergit ad occaſum, iam nox appetit, quod è duobus ſignis apparet. Nam & iuuenci, poſtquam diem arando exegerint, referunt domum aratra, non iam depreſſa in terram ad ſulcum imprimendum, ſed ſuſpenſa & modicùm eleuata vomere inuerſo, & vmbræ duplicantur, ſiue duplo maiores fiunt, quàm erant meridie.

b Initio dixerat ſe Alexis inſiſtentem veſtigiis meridiani ſolis feruore torreri; Nunc ab eodem ſole vim ſui amoris, oſtendit. Omnia præter amorem finiuntur, domum redeunt iuuenci, & aratra referunt diurno penſo abſoluto, ſol occidit, & ſuum calorem infringit, at amor meus non mitigatur.

c Ne morer in aliorum ſubtilitatem, commode Seruius: *Plus eſt quam ſi imputatam diceret, tolerabilius eſt enim non incipere aliquid, quàm incœpta deſerere.* Se igitur colligit Corydon & arguit dementiæ, quòd amoribus ita ſe dedat vt incœptam vitis putationem non abſoluat.

d Quæ vſus ruſticus requirit. Detexere autem eſt prætexere, texendo abſoluere:

e. Idem Seruius. alium Alexim, alium puerum formoſiſſimum qui te minimè ſpernat: & ſanè elegantior videtur lectio.

*Inuenies alium, ſi te hic faſtidit, Alexim:*
Maioris enim amoris indicium eſt, ſi quilibet amaſius Alexis nomine cenſeatur, ex imitatione Theocriti in Cyclope,

# PVB. VIRGILII MARONIS.

## ECLOGA III.

### ARGVMENTVM.

Certamen Menalcæ cum Damœta, Palæmone arbitro.

Me. D*Ic mihi Damœta, cuium* a *pecus? an Melibœi?*
Da. *Non, verùm Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.*
Me. *Infelix ô ſemper oues pecus* b, *ipſe Meæram* c
*Dum fouet, ac ne me ſibi præferat illa, veretur,*
*Hic alienus oues cuſtos bis mulget in hora,*
*Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.*

a Pro *cuius*, Terentius in Eunucho. *Virgo cuia eſt?* Plautus Curc. *Cuiam vocem audio?*

b O oues quæ ſemper fuiſtis pecus infelix.

c Ideo ſunt infelices oues, quia Ægon meus riualis, dum Neæram communem amicam fouet, obſeruat, & omnibus obſequiis demeretur, timetque ne illa me ſibi præferat, huic Damœtæ oues commiſit Qui cùm ſit alienus & mercenarius eas bis mulget ſingulis horis, & ita vberibus ouium penitus exhauſtis, & ſuccus ipſis ouibus, & agnis qui lacte materno nutriri debent, alimentum ſubducitur.

Da. *Parciùs iſta viris* a *tamen obijcienda memento,*
*Nouimus & qui te* b, *tranſuerſa tuentibus* c *hircis,*
*Et quo, ſed faciles nymphæ riſere* d, *ſacello.*
Me. *Tum credo* e, *cùm me arbuſtum videre Myconis,*
*Atque malâ vites incidere falce nouellas,*
Da. *Aut hîc* f *ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum*

Recriminitiones.

*a*. Etiamſi vera eſſent quæ obiicis, tamen meminiſſe deberes ea parciùs & moderatiùs obiicienda viris, qualis ego ſum verè vir & pudicus, cùm tu ſis mollis, effœminatus & impudicus.

*b*. Reticentia. Nouimus qui te corruperint, & ad flagitium pellexerint.

*c* Hircis veſtram turpitudinem indicantibus. Legitur etiam *Hirquis*, & Seruius ſic exponit. *Hirqui ſunt oculorum anguli ſecundum Suetonium Tranquillum de vitiis corporalibus, vt ſit ſenſus: Nouimus qui te corruperit hirquis tranſuerſa tuentibus, & eſt ὑπαλλαγὴ pro oculis in hirquos retortis.* Hinc iuuenalis ſat. opinor 7. —*oculoſque in fine trementes.*

*d*. Indulſerunt tibi, nec vindicarunt ſacellum veſtro flagitio violatum. quia ſunt faciles, mites & exorabiles: de ſacellis Nymharum cæterorumque Deorum rurationis, vide Milonianam parag. 87. nota 2.

*f*. Ironia, quam ita Commodè noſter Cerdanus exponit. *Credo tunc ego admittebam hoc crimen cùm incidebam arbuſtum Myconis, cùm vites nouellas mala & nocenti falce incidebam, ſibi enim ironicè imputat quod verè fecerit Damœtas.* Vel ſic: Credo, tunc faciles nymphæ riſerunt, cùm viderunt arbuſtum & vites nouellas incidere. Vide apud Cerdanum leges in eos qui vites alienas aut arbores inciderant. De verbo *credo* ironiis ſeruiente diximus variis locis in Ciceronem.

g Quia Menalcas Damœtæ obiectionem per recriminationem eluſerat, ita crimen reſumit Damœtas, aut in eo Nympharum ſacello præpoſtera libidine corruptus fuiſti: aut, ſi de ſacello Nympharum negas, illud flagitium

*Fregiſti, & calamos: quæ tu, peruerſe Menalca,*
*Et, Cùm vidiſti puero donata, dolebas:*
*Et, ſi non aliquà nocuiſſes, mortuus eſſes.*
Me. *Quid domini a facient, audēt cùm talia fures?*
*Non ego te vidi Damonis peſsime caprum*
*Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca* b?
*Et cùm clamarem, quò nunc ſe proripit* c *ille?*
*Tytire coge pecus: tu poſt carecta* d *latebas.*
Da. *An mihi, cantando victus, nō redderet ille* e,
*Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum?*
*Si neſcis, meus ille caper fuit, & mihi Damon*
*Ipſe fatebatur, ſed reddere poſſe negabat.*
Me. *Cantando tu illū* f? *aut vnquā tibi fiſtula cerâ*
*Iuncta fuit? non tu in triuiis, indocte, ſolebas*

*Tranſitio ad certamen muſicū.*

admiſiſti hic, id eſt, in hoc loco, quem intenta manu tibi oſtendo, iuxta veteres fagos, cùm arcum Daphnidis & ſagittas è calamis & arundinibus factas fregiſti. Sic enim moribus & natura peruerſus es, vt cùm vidiſti hunc arcum, has ſagittas Daphnidi puero donatas, dolore & inuidia tabeſceres eaque diſruptus inuidia mortuus eſſes, niſi aliqua, via aliqua ratione Daphnidi nocuiſſes.

a. Quid faciet Ægon tuus dominus, meus riualis, cùm tu ſeruus, fur & trium litterarum homo, audeas in me talia probra euomere.

b. Lyciſcæ, vt Seruius è Plinio notat, ſunt canes nati è lupis & canibus, cùm inter ſe fortè miſcentur.

c. Quo raptim abit fur ille Damœtas cum capro furtim ablato. Tiryre, qui in paſcendo grege, mihi es adiutor, coge pecus, totúmque gregem in vnum locum congrega, ne iſte fur aliquam ouem auertat.

d. Loca iuncis & caricibus conſita.

e. Damon à me cantu ſuperatus.

f. Supple, *Viciſti*? Quid ais, bone vir? Damonem cantu ſuperaſti? de fiſtula vide eclogam ſuperiorem.

Prouocatio. *Stridenti miſerum ſtipula diſperdere* a *carmen?*

Da. *Vis ergo, inter nos, quid poſſit vterq; viciſſim*
*Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuſes,*
*Bis venit ad mulctram* b*, binos alit vbere fœtus)*
Pignora certaminis. *Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.*

Me. *De grege non auſim quidquã deponere tecũ,*
*Eſt mihi namque domi pater, eſt iniuſta nouerca.*
*Biſq; die numerant ambo pecus, alter & hædos.*
*Verum id, quod multò tute ipſe fatebere maius,*
Pocula Cælata. *(Inſanire libet* c *quoniam tibi) pocula ponam*
*Fagina,* d *cælatum* e *diuini opus Alcimedontis:*
*Lenta quibus* f *torno facili ſuperaddita vitis,*

a Singularum vocum pondus examina, ait Damœtam indoctum eſſe cantorem, è triuio, triuialia dicuntur, quæ vilia ſunt, abiecta & velut expoſita pedibus calcantium, vnde Cicero pro Muræna ait, *arripere maledictum è triuio:* Iuuenalis ſat. 7.

*Qui nihil expoſitum ſoleat deducere, qui non*
*Communi feriat carmen triuiale moneta.*

Non ait cantare, ſed *carmen diſperdere*, i. carminis ſuauitatem & elegantiam inſulſo cantu corrumpere, ideoque miſerum carmen, quia miſerè diſperditur, addit *ſtipula* pro fiſtula, calamo, cicuta, & ea ſtridenti, quòd ferri candentis in aquam iniecti ſtridorem imitetur.

b Bis mulgetur quotidie. mulctra vel muctrale vas eſt quòd excipiendo lacti ſupponitur.

c Quoniam adeo inſanis vt non dubites certare cũ doctiore.

d Ex arbore fago confecta. Tibullus lib. 1. el. 10.

*Faginum adſtabat cùm ſcyphus ante dapes.*

e Quæ vaſa Alcimedon artifex egregius & pene diuinus cælauit & ſculpſit, cælare in cauitatem ſculpere κοῖλον cauum. ſic alibi Virgilius *Cratera impreſſum ſignis* appellat, quia nimirum cæteris, materiæ partibus impreſſis & excauatis ſigna tantùm & figuræ eminebant; quæ toreumata vocabant. Sed de his vide Briſonianam, parag. 67. nota. 3.

f In quibus poculis lenta & flexuoſa vitis ſuperaddita

*Diffuſas hedera veſtit pallente corymbos,*
*In medio a duo ſigna, Conon; & , quis fuit alter?*
*Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem,*
*Tempora quæ meſſor, quæ curuus arator haberet;*
*Nec dum illis labra admoui, ſed condita ſeruo.*
Da. *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit:*
*Et molli circum eſt anſas amplexus acantho* b,
*Orpheáque in medio poſuit, ſyluáſque ſequentes* c.
*Necdum illis labra admoui, ſed condita ſeruo.*

torno facili, id eſt, ſuperaddita tornaturæ poculorum, quæ facilis fuit & obſequens artifici, hæc, inquam, vitis veſtit & circumplicat corymbos ex hedera pallente circumquaque diffuſos. Significat, vt Turnebi verbis vtar lib. 15. aduerſ. cap. 2. cælatum poculum hederæ corymbis, & vitis pampinis inter ſe mutuo nexu implicatis: ſic apud Trebellium diſci ſunt corymbiati; & lances pampinatæ, & pateræ hederatæ. Secundum hanc expoſitionem tornus ponitur pro materia in poculum tornata, quæ facilis dicitur quaſi facilè obſequens & obediens artifici. Seruius corymbos dicit eſſe vuas hederarum & Plinius lib. 16 cap. 35. candidam hederam deſcribit *racemis in orbem circumactis qui vocantur corymbi.*

*a* In medio horum poculorum ſunt duo ſigna ſiue paruæ effigies eminenti cælatura expreſſæ, quarum altera eſt Cononis, oblitus ſum nomen alterius qui in eo poculo expreſſus eſt. Sed eſt ille qui totum terrarum orbem radio ſiue regula Mathematicorum deſcripſit gentibus, atque diuiſit ſecundum varias nationes. De virgula & deſcriptione geometrica vide ad 6. Æneid. verſu 850. Cononem hunc fuiſſe putat Victorius amicum Archimedis, de quo Archimedes ipſe epiſtola ad Doſitheum. Ille alter Seruio videtur fuiſſe aut Aratus, aut Ptolemæus, aut Eudoxus. Victorius probabiliùs putat fuiſſe ipſum Archimedem.

*b* Genus eſt floris de quo 1. Æneidos.

*Et circumtextum croceo velamen acantho.*

*c* Orpheum cithara canentem ſyluæ ipſæ cantu delinitæ ſequebantur, vt eſt in fabulis. Non *ſecutas* dixit, vt notat Seruius, ſed *ſequentes*, vt peritiam artificis laudet.

*Si ad vitulã aſpectes, nihil eſt quod pocula laudes.*
Me. *Nunquam hodie effugies* [b]: *veniam, quocunque vocaris.*
*Arbiter certaminis.* *Audiat hæc tantùm vel qui venit, ecce, Palæmon,*
*Efficiam, poſthac ne quemquam voce laceſſas:*
Da. *Quin age, ſi quid habes: in me mora non erit vlla,*
*Nec quemquam fugio, tantùm vicine Palæmon*
*Senſibus hæc imis (res eſt non parua) reponas.*
Pa. *Dicite: quãdo quidẽ in molli cõſedimus herba,*
*Et nunc omnis ager* [c], *nunc omnis parturit arbos.*
*Nunc frondent ſyluæ, nunc formoſiſſimus annus.*
*Deorum fauor erga vtrumque.* *Incipe Damœta, tu deinde ſequere Menalca,*
*Alternis dicetis: amant alterna* [d] *Camœnæ.*
Da. *Ab Ioue principium Muſæ: Iouis omnia plena,*
*Ille colit terras, illi mea carmina curæ,*
Me. *Et me Phœbus amat: Phœbo ſua* [e] *ſemper apud me*

1. Pulchra ſunt quidem hæc pocula per ſe ſpectata, & laude digna: laudari tamen non debent, ſi comparentur cum ea vitula quam paratus eram deponere.
2. Non eſt quod tergiuerſeris, ô Damœta, & ad declinandum certamen vitulam poculis anteponas: nunquam hodie effugies: te ſequar, quocumque me vocaueris. Tantummodo ſit aliquis arbiter noſtri certaminis: & vt videas me paratum eſſe cuiuſuis ſtare ſententiæ, audiat vel iſte Palæmon qui fortuitò venit.
3. Nunc vernum tempus eſt, omnis ager parturit & in herbam turgeſcit, gemmant vites, omnis arbor in florem protuberat, ſyluæ nouis frondibus veſtiuntur.
4. Carminum viciſſitudo grata eſt Muſis.
5. Apollo Daphnen puellam, Hyacinthum puerum adamauit. illa in laurum, hic in florem ſibi cognominem mutatus eſt. vnde Apollinis munera laurus & hyacinthus.

*Munera ſunt, lauri, & ſuaue rubens hyacinthus.*

Da. *Malo me* [a] *Galatea petit laſciua puella,*

*Et fugit ad ſalices* [b], *& ſe cupit ante videri.*

Me. *At mihi ſeſe offert* [c] *vltro meus ignis, Amyntas,* — *Amores vtrinſque.*

*Notior vt iam ſit canibus non Delia noſtris.*

Da. *Parta meæ Veneri* [d] *ſunt munera: nāq; notaui*

*Ipſe locum, aëriæ quò congeſſere* [e] *palumbes.*

Me. *Quod potui, puero ſylueſtri ex arbore lecta*

*Aurea mala decem miſi, cras altera mittam,*

Da. *O quoties* [f], *& quæ nobis Galatea locuta eſt*

*Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures.*

1. Galatea in me poma iacit. Interpres Ariſtophanis. μηλοβολεῖν ἔλεγον τὸ ἐκ ἀφροδίσιας δελεάζειν, *Malis petere dicebant ad Venerem pellicere.* Vide plura apud Cerdanum.

2. Fingens ſe velle latere, cum tamen antè videri cupiat per laſciuiam.

3. Occurrit mihi non rogatus Amyntas, qui me tanquam ignis accendit in amorem ſui: cuius amore ardeo. Et adeò frequenter ad me venit, vt iam Diana venationis Dea, cui Delus inſula dicata eſt, nō ſit notior canibus noſtris, quàm amyntas.

4. Parata iam ſunt munera Galateæ, quam meam Venerem iure appellarim. Sic Lucretius lib. 4. exunte. *Nec veneres noſtras hoc fallit.* ———

5. Nidificauerunt: nidum extruxerunt congeſtis nidamentis, videlicet feſtucis, muſco, ſtoreis. Quintus Serenus.

*Aut lapis ex nido vaga quem congeſſit hirundo.*

9. O me beatum qui frequenter fruor alloquio meæ Galateæ, cuius in labris tot veneres ſedent vt eius ſermones digni ſint qui in cœlum deferantur, vt Deos ipſos oblectent, quare rogo vos, ô venti, vt partem aliquam ſermonum Galateæ ad aures Deorum referatis: huc refert Turnebus illud 10. Metamorph.

*Detulit aura preces ad me non inuida blandas.*

Quia nimirum venti inter Deos & homines putabantur eſſe internuntij & interpretes.

Me. *Quid prodeſt* a *, quòd me ipſe animo non ſpernis Amynta,*
*Si, dum tu ſectaris apros, ego retia ſeruo?*
Da. *Phyllida* b *mitte mihi, meus eſt natalis, Iola:*
*Cùm faciam vitula* c *pro frugibus, ipſe venito* d.
Me. *Phyllida amo ante alias: nam me diſcedere fleuit,*
*Et, longùm* e *formoſe vale, vale, inquit, Iola.*
Da. *Triſte* f *lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,*
*Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.*

*a* Iactas frequenter tecum loqui Galateam: at Amyntas ita mecum eſt aſſiduus, vt quaſi de violata amicitia querar, eiuſque amorem nihil mihi prodeſſe dicam, ſi vel latum vnguem à latere meo diſceſſerit ad ſectandum apros, dum ego ſeruo retia quæ cum illo tetenderam.
*b* Damœtas à Galatea ad aliam amicam delabitur, Phyllidem nomine, Iolæ paſtoris ancillam, vt videtur, quam ad ſe natali ſuo mitti deſiderat. De die natali vide fusè Sextianam parag. 131. Phyllidem inuitat ad natalem ſuum quia natali deo Genio ſacrificabant, amoribus & deliciis vacabant.
*c* Cum ſacrificabis vitulam Cereri. Diuites vitulam pro frugibus, tenuiores agnam immolabant, vt ſcribit Tibullus, lib. 2. elegia 1. Dicebatur autem hoc ſacrificium ambaruale, quia arua cum hoſtia circuibant. Porro ῥέζειν, ἔρδειν, *facere, operari* idem eſt frequenter quod ſacrificare.
*d* Non Phyllidem, ſed ipſum Iolam inuitat ad ſacrificium ambaruale, quia tum ſeruanda caſtitas erat. Tibullus loco citato. —— *Diſcedat ab aris,*
*Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus.*
*Caſta placent ſuperis, &c.*
*e* Phyllis grauiter ferens meum diſceſſum, méque ſequi volens Iolam dominum ſuum ſemel atque iterum ſalutauit, ei que vale dixit.
*f* Lupus eſt res triſtis ſtabulis & ouilibus quibus inſidiatur.

Me. *Dulce ſatis* a *humor, depulſis* b *arbutus hædis,*
*Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas.*
Da. *Pollio amat noſtrã, quamuis ſit ruſtica, muſã:*
*Pierides vitulam lectori paſcite veſtro.*
Me. *Pollio & ipſe facit noua* c *carmina. paſcite taurum,*
*Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.*
Da. *Qui te Pollio* d *amat, veniat, quo te quoque gaudet:*
*Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum* e.
Me. *Qui Bauiũ* f *nõ odit amet tua carmina Maui:*
*Atque idem* g *iungat vulpes, & mulgeat hircos.*
Da. *Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga.*
*Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.*
Me. *Parcite oues nimium procedere: non bene ripæ*
*Creditur: ipſe aries etiam nunc vellere ſiccat* h.
Da. *Tityre, paſcentes à flumine reiice capellas,*

*Amor Pollionis erga vtrũque*

*a* Segetibus.
*b* Ablactatis, à matrum vbere depulſis.
*Depulſos à lacte domo quæ clauderet agnos.*
*c* Noua, quæ ſua nouitate delectent.
*d* Opto vt quiſquis te amat, ô Pollio, eò felicitas & dignitatis perueniat quò te quoque gaudet perueniſſe. videlicet ad conſulatum & triumphum.
*e* Amomum eſſe roſam Ieroſolymitanam, ſeu Beatæ Mariæ Scaliger arbitratur.
*f* Seruius. Qui Bauium non odit, pro pœna ei contingat vt diligat Mæuium peiorem poëtam. nam Mæuius & Bauius peſſimi fuerunt poetæ inimici tam Horatio, quàm Virgilio.
*g* ὁ οὗτος ζεύγνυτας ἀλώπεκας iungere vulpes, & temoni ſiue iugo ſubmittere, item τράγον ἀμέλγειν mulgere hircum adagia ſunt in eos qui ridiculè & abſurdè laborant.
*h* Qui paulo antè in fluuium delapſus eſt, dum ripæ crederet longiúſque procederet.

*Ipſe, vbi tempus erit, omnes in fonte lauabo.*

*Cura gregis in vtroque.*

Me. *Cogite oues pueri: ſi lac præceperit* a *æſtus*
*Vt nuper fruſtra preſſabimus vbera palmis.*
Da. *Eheu! quam pingui macer eſt mihi taurus in aruo* b:
*Idem amor* c *exitiũ eſt pecori, pecoriſq; magiſtro.*
Me. *His certè* d *neque amor cauſa eſt: vix oſſibus hærent*
*Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat* e *agnos.*

a. Si nimius calor præoccupauerit lac & vbera conſtrinxerit, fruſtra oues mulgebimus: quia nihil lactis exprimetur.

b. Quidam legunt *eruo*, eruum genus eſt leguminis, alij *aruo* parum refert.

c. Amor & mihi, aut etiam Ægoni domino pecoris iſtius, maciem parit, & pecus ipſum præ amore fit macilentum.

d. Non poſſum id dicere de meis agnis: ſunt enim adhuc teneriores, quam vt amoris ſtimulis concitentur; nihilominùs tamen ſunt adeo macilenti vt exhauſto ſanguine, arefacta carne, pelle contracta, toto corpore exeſo & extenuato vix oſſibus hæreant, ideſt vix oſſa retineant quibus hæreant atque conſiſtant.

e. Faſcinare dicuntur qui oculorum coniectu malignam & noxiam qualitatem immittunt. De quo Heliodorus lib. 3. Æthiop. *Hic aër nobis circumfuſus per oculos, nares, halitus, alioſque meatus ad profũda penetrans & ex qualitatibus exterioribus eò ſecum inferẽs, qualis influxerit, talem etiam his qui exceperint habitum ingerit,* ὥςε ὅποταν εὐ φθόνῳ τὶς ἴδοι τὰ καλὰ, τὸ περιέχον τεδυσμενοῦς ποιότητ© ἀνέπλησε καὶ τὸ παρ' ἑαυτοῦ πνεῦμα πικρίας ἀνάμεστον εἰς τὸν πλησίον διερρίπισεν *Itaque vbi aliquis liuore percitus res pulchras intuetur, circumſtantem aerem qualitate malefica replet, ac proprium ſpiritum acerbitatis plenum in proximum quemque euentilat.* Pergit τὸ δὲ, ἅτε λεπτομερὲς ἄχρις ἐπ' ὀστᾶ καὶ μυελοὺς αὐτοὺς εἰσδύεται καὶ νόσ© ἐγένετο πολλοῖς ὁ φθόν© οἰκεῖον ὄνομα βασκανίας ἐπιδεξάμεν©. *Spiritus autem, vt pote ſubtilis, vſque ad oſſa medullâſque peruadit, & morbum multis parit inuidia; qui proprio nomine faſcinatio nuncupatur.* Addit Poëta *teneros* quod tenerioribus corporibus no-

Da. *Dic, quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo* a *)*
*Tres pateat cœli ſpatium* b *non amplius vlnas.*
Me. *Dic, quibus in terris inſcripti nomina regum* *Ænigmata.*
*Naſcantur flores* c, *& Phyllida* d *ſolus habeto.*

xiæ qualitates faciliùs imprimantur. Alexander Aphrodiſæus probl. 2. *διὰ τίτινες βασκαίνουσι, καὶ μάλιςα τὰ δας : cui nonnulli faſcinant, & maximè pueros?* Vide Plutarchum l. 5. conuiualium quæſtionum, problemate 7. Porro, vt aduertit Seruius Poëta *per tranſitum pulchrum ſe habere pecus ſignificat, quod vtique meruit faſcinari.*

*a* Magnus vates Apollo deus vaticinationis.

*b* Alij aliter interpretantur. Mundus fuit foſſa in comitio, quæ quotãnis per tres dies patebat. Quare, vt ait Petrus Ciaconius, cùm mũdus & cœlum idem ſint, placuit Poëtæ mũdi, i. foſſæ illius verbum diſſimulare voce cœli, iam pro tribus diebus tres vlnas dixit, accipiens mẽſuram vſualem pro menſura temporis qui ſunt dies, verùm hæc expoſitio & contortula eſt & à ſimplicitate paſtoris aliena, vt & illa de puteo qui eſt in Siene, aut illa de clypeo Achillis vbi cœli effigies erat expreſſa. Seruius ait Cœlium quemdam fuiſſe Mãtuanum, qui patrimonium diſſipauit, & è paternis prædiis ſibi trium duntaxat vlnarum ſpatium reſeruauit ad ſepulturam. Addit tamen *ſimpliciter intelligendus eſt cuiuſlibet loci puteus* (idem dicere poterat de camino) *in quem cùmquis deſcenderit, tantum cœli conſpicit ſpatium, quantum putei latitudo permiſerit. Aſconius Pedianus dicit ſe Virgilium dicentem audiſſe in hoc loco ſe Grammaticis crucem fixiſſe, &c.*

*c* Cerda noſter interpretatur hoc ænigma de nummo quodam argenteo, in cuius altera parte erat effigies Auguſti cum hac inſcriptione. *Auguſtus Cæſar.* In altera flos expreſſus cum hoc elegio *Lucius Aquilius Florus III. Virg.* Magis arridet vulgaris expoſitio, vt intelligatur hyacinthus de quo Plinius lib. 21. ca. 11. *Hyacinthum comitatur fabula duplex luctum præferens eius quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi: ita diſcurrentibus venis vt Græcarum litterarum* AI *figura legatur inſcripta.* Aiacem ſuo more Regem appellat quòd eſſet filius Regis Telamonis, ſic Ariadne & Lauinia Reginæ nuncupantur.

*d* Communem amicam.

Sententia arbitri.

Pa. *Non noſtrum inter vos tantas componere lites*
*Et vitula* a *tu dignus, & hic, & quiſquis* b *amores*
*Aut metuet dulces, aut experietur amaros.*
*Claudite iam riuos* c *pueri, ſat prata biberunt.*

*a* Pares eſtis inter vos & vterque præmio digniſſimus, & quidem ampliore quàm ſint ea pocula quæ oppigneraſtis. Quare vterque dignus eſt vitula, quam Damœtas poculis ante ponendam eſſe dixit.

*Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt quòd pocula laudes.*

*b* Neque vos ſoli digni eſtis eo præmio, ſed etiam quiſquis veſtri ſimilis erit, & tam eleganter exprimet amoris dulcedinem & amittendi metum, quàm Menalcas expreſſit his verſibus *Dulce ſatis humor*, &c. *Quid prodeſt quod meipſe amo*, &c. & amaritiem eiuſdem amoris de qua Damœtas, *Triſte lupus ſtabulis*, &c.

*c* Allegoria, qua paſtorum carmina riuis & fluminibus, aures auditorum pratis aquas auidè bibentibus comparantur. Cantare deſinite, ſatis audiuimus.

# PVB. VIRGILII MARONIS

## ECLOGA IV.

### ARGVMENTVM.

Salonino Aſinii Pollionis filio genethliacum canit, ad eumque transfert quæ Sybilla Cumana de Chriſto naſciturо prædixerat.

*Sicelides Muſæ* a, *paulo maiora canamus:*
*Non omnes* b *arbuſta iuuant, humiléſque myrica:* *Inuocatio Muſarum.*
*Si canimus ſyluas* c, *ſylua ſint Conſule digna.*

a Theocritus eclogarum ſcriptor, quem Vigilius ſibi propoſuerat imitandum, Siculus patriâ fuit, vrbe Syracuſanus. Siculas igitur Muſas inuocat, ideſt Muſas Theocriti Siculi.
b Non omnes humili dicendi genere delectantur, allegoria eſt, myrica frutex humilis, *de la bruyere.*
c Etiam ſi cano carmen bucolicum, danda tamen eſt opera vt illud ſit paulò ſublimius ordinariis eclogis, & dignum Conſule Pollione. ſic 1. Æneidos *egreſſus ſyluis* pro eclogis abſolutis. Crinitus, Rhodiginus, Alexander, Scaliger, Cerdanus, alij alluſum putant ad ſyluas, quæ nonnunquam à Senatu mandabantur Conſulibus, tanquam ingloriæ & minimi negotij, quaſi dicat, quantùm Senatus deprimit Conſularem dignitatem, ei ſyluas aliquando mandans loco prouinciarum, tantum meis verſibus, nouáq; materiæ dignitate extollam ipſe ſyluas ad faſtigium conſulatus. Sed viderint eruditi. Turnebus certè vir cæteróqui modeſtus, eos nugari exiſtimat

*Vltima Cumæi a venit iam carminis ætas.*
*Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.*
*Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.*
Propoſitio. *Iam noua progenies b cælo demittitur alto.*
*Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum*
*Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,*
Innocatio Lucinæ. *Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo:*
*Teque adeo d decus hoc æui, te Conſule inibit.*

1. Iam ſedatis ab Auguſto bellis ciuilibus, templo Iani clauſo, & pace vbiuis terrarum conſtituta, venit ſeculum aureum ſicut carminibus Sibyllæ Cumææ prædictum eſt: Iam magnus ordo, longa ſeries ſeculorum redit & de integro renouatur, quaſi nunc incipiat, & auream referat ætatem. Iam etiam redit virgo iuſtitia ſiue Aſtræa quæ ſe hominum conſuetudini ſubduxerat: redit denique ætas illa aurea, & feliciſſima, quæ fuit regnante Saturno. Porro magnus ordo ſeculorum redire dicitur, cùm magnus annus quem aliqui Platonicum appellant, fuerit euolutus, qui, vt ait Cicero 2. de nat. Deorum, *tum efficitur, cùm ſolis & lunæ & quinque errantium ad eandem inter ſe comparationem, confectis omnibus ſpatiis, eſt facta conuerſio.* de quo vide notas noſtras in 2. Philipp. parag. 40.

2. De Stoicorum ſententia dictum ait Turnebus, lib. 16. aduerſ. cap. 13. qui ἀποκατάστασ. poſt deflagrationem, cadere de cœlo ſemina dicunt, quibus hominum inſtauretur genus qua de reſcribit Cicero. 1. de legibus. & 1. de nat. Deorum. *Semina Deorum decidiſſe de cælo putamus in terras, &c.*

3. Diana quam alij Iunonem Lucinam appellant pueris in Lucem venientibus matribuſque parientibus præpoſita: tu inquam, Diana, faue naſcenti puero Salonino, quo primùm naſcente finietur ætas ferrea, & aurea toto mundo orietur. Iam Apollo tuus frater regnat, & ipſo euentu confirmata ſunt eius oracula. Quidam hoc loco inquit Seruius, Octauiam ſororem Auguſti ſignificari affirmant, ipſúmque Auguſtum cui ſimulacrum factum eſt cum Apollinis coniunctis inſignibus. Vide Suetonium in eius vita cap. 70.

4. Te Conſule, ô Pollio, hæc ætas aurea, quæ eſt decus æui & quaſi flos omnium ætatum inchoabitur, à tuo conſu-

*pollio,*

*Pollio, & incipient magni procedere menſes.* *Secula felicitas, quam adferet.*
*Te duce a ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,*
*Irrita perpetuâ ſoluent formidine terras:*
*Ille deûm vitam accipiet, diuiſque videbit* 15.
*Permixtos heroas, & ipſe videbitur illis,* *Salonini futura pueritia.*
*Pacatúmque reget patriis b virtutibus orbem,*
*At tibi prima, puer, nullo munuſcula cultu*
*Errantes c hederas paſſim cum baccare tellus*

latu ducet exordium. Turnebus lib. 16. aduerſ. cap. 13. Incipit autem, inquit, principium magni anni, quem cecinit Sibylla, procedere & decurrere conſulatu Pollionis, quo naſcitur ille puer, & procedent magni menſes non Iulius & Auguſtus vt ſtultè multi blaterant, ſed menſes magni anni. Nam vt magnus ipſe annus dicitur, ſic eius magni menſes: Itaque quemadmodum annus vertẽs duodecim plùs minùs tricenum dierum menſes habet: ſic & magnus annus duodecim dimetata & deſcripta habet menſium ſpatia, quæ aliquot ſæcula complectuntur. hæc ille.

a Te duce, ô Pollio, omnes bellorum ciuilium reliquiæ, quæ genus humanum longo & diuturno timore preſſerunt, hoc ipſo tui conſulatus anno, penitus auferentur. Salonnius autem filius tuus initio aurei ſæculi natus accipiet deorum vitam, & ita viuet vt olim dij vixerunt in terris.
b Ipſius Pollionis, qui orbem terrarum placabit omnibus bellorum ciuilium reliquiis è medio ſublatis.
c Multiplici lapſu & erratico ſerpentes, Catullus.
*Vt tenax hedera hac & hac. Arborem implicet errans.*
Hedera, inquit Seruius, indicat futurum poëtam, vt
*Paſtores hedera creſcentem ornate poëtam.*
Baccar verò herba eſt, quæ faſcinũ depellit, vt *Baccare frontem*
*Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*
per quod pulchrum iudicat puerum, & inuidiæ obnoxium. hedera *du lierre.* bacca herba quæ vulgo dicitur, *gand de noſtre Dame.* colocaſia, Faba Ægyptiaca. acanthus *Patte d'Ourſe.*

*Mixtáque ridenti* a *colocaſia* b *fundet acantho,*
*Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ*
*Vbera, nec magnos metuent armenta leones.*
*Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores.*
*Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni*
*Occidet: c Aſſyrium vulgo naſcetur amomum,*
Adoleſcentia. *At ſimul* d *heroum laudes, & facta parentis*
*Iam legere, & quæ ſit, poteris cognoſcere, virtus,*
*Molli paulatim flaueſcet campus ariſta,*
*Incultiſque rubens pendebit ſentibus vua,*
*Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.*
*Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,*

*a* Florenti. Claudianus 1. in Ruff.
*Ridebunt virides gemmis naſcentibus algæ.*
vel vt ait Seruius, ridens vocatur, *quod hians & patens naſcitur.*

*b* Dixi eſſe fabam Ægyptiam, quæ, vt notat idem Seruius, Romæ poſt deuictam ab Auguſto Ægyptum innotuit.

*c* Amomum aliis eſt herba, quam vocant Hieroſolymitanam, aliis piper hortenſe. *Vulgò* autem exponit Seruius, paſſim, omnibus locis.

*d* Ipſo quidem ætatis tuæ exordio flores pulcherrimi & odoratiſſimi paſſim naſcentur, nondum tamen terra in fructus ſua ſponte protuberabit, ſed ſimul atque poteris ſtudiis liberalibus vacare, & iam heroum laudes legere in poëtis, facta reſque præclarè geſtas à patre tuo Pollione legere in hiſtoricis & cognoſcere quæ ſit natura virtutis in Philiſophis, pedetentim, & quaſi per gradus quoſdam aurei ſeculi felicitas creſcet & ariſtæ ſponte prouenient in campis, vuæ pendulæ naſcentur in ſentibus & ſpinis incultis, & mel è quercubus ſudantibus colligetur.

*e* Etiam ſi te adoleſcente tanta ſit futura ſeculi felicitas vt omnia ad vitam neceſſaria ſponte proueniant, ſuberunt tamen, id eſt, erunt, ſed latenter, quædam non dicam ſcelera, ſed priſcæ fraudis, quæ in ferrea vigebat ætate, veſtigia, & ea pauca, quæ homines impellant ad nauigandum, ad vr-

*Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris*
*Oppida, quæ iubeant telluri infindere ſulcos* a.
*Alter erit* b *tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo*
*Delectos heroas: erunt etiam altera bella,*
*Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.* Ætas virilis.
*Hinc* c *vbi iam firmata virum te fecerit ætas,*
*Cedet & ipſe maris vector, nec nautica pinus*
*Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.*
*Non raſtros patietur humus, non vinea falcem.*
*Robuſtus quoque iam tauris iuga ſoluet arator,*

bes mœnibus ſepiendas, ad agros colendos. Thetis dea maris pro ipſo mari ponitur. vnde *tentare Thetin ratibus* eſt in mari nauigare.

*a* Depreſſo in terram aratri vomere ſulcos aperire. ſignificat autem homines nondum penitus eraſis prauæ cupiditatis elementis, adhuc inhiaturos eſſe maioribus diuitiis, & eam ob rem nauigaturos ad merces è regionibus exteris petendas, bella geſturos ad prædandum, agriculturæ vacaturos ad augendam rem familiarem

*b* Argo prima omnium nauis fuiſſe dicitur, Mineruæ artificio fabricata, qua Argonautæ delecti totius Græciæ principes ad reportandum vellus aureum in Colchidem nauigarunt. Hinc vt notat Seruius, *per Typhim quemcunque gubernatorem accipimus: per Argo quamcunque nauem: per Troiam, quamcunque ciuitatem: per Achillem, quemcumque virum fortem.*

*c* Aurei ſæculi felicitatem nouis veluti gradibus exaggerat. Te quidem adoleſcente ſuberunt pauca fraudis antiquæ veſtigia, quæ homines ad bellum, ad nauigationem, ad agriculturam impellent, ſed *vbi hinc.* i. cùm ex adoleſcentia ad virilem ætatem peruenies, non erit amplius opus nauigatione ad merces vltro citróque transferendas, quia *omnis feret omnia tellus*, &c.

*Nec varios a diſcet mentiri lana colores:*
*Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti*
*Murice, iam croceo mutabit vellera luto:*
*Sponte ſua ſandix* b *paſcentes veſtiet agnos.*
*Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis* c
*Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.*
*Aggredere ô* d *magnos (aderit iam tempus) honores,*
*Cara deûm ſoboles, magnum Iouis incrementum.*
*Aſpice* e *conuexo nutantem pondere mundum,*

*a* Nec lana, per quodam veluti adulterium naturæ, variis coloribus imbuetur: ſed hanc colorum varietatem ſuppeditabit ipſa natura, & ipſi arietes in paſcuis modò purpura, modò luteo colore naturaliter tingentur. Murex ſiue oſtrum eſt purpura, quia is colore ſanguine piſciculi conchâ obtecti exprimitur. Lutum autem herbam eſſe, quam glaſtum appellant aliqui volunt: liquet è Virgilio hunc colorem eſſe croceum, qualis calthæ color, aut naſcentis auroræ, vnde lib. 7. *Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.*

*b* Hoc verſum Plinius lib. 35. cap. 6 ſandicem herbam intelligit & vt verum fateamur (inquit Turnebus lib. 15. Aduerſ. cap. 20) eſt concinnior ſententia agnos inter paſcendum eius herbæ quã comedant, fuco colorari laudat Heſychium. σάνδιξ δένδρον θαμνῶδες, ὃ τὸ ἄνθος χροίαν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ. Sandix eſt arbuſtum fruticoſum, cuius flos cocco ſimilis.

*c* Parcæ dicunt fata nere, & fuſo deuoluere. vide notas in 1. Æneidos verſu 25. & Catullum in nuptiis, vbi & hic verſus intercalaris.

*Currite ducentes ſub tegmina, currite fuſi.*

*d* O Salonine aggredere & ini magnos magiſtratus, quos tibi populus Rom. & Auguſtus mandabunt. *Iouis incrementum.* eſt θρέμμα Διός nutrimentum Iouis, alumnus Iouis.

*e* Aſpice mundem mole ſua ſubſidentem, & vergentem nutantémque in alium ſtatum. Conuexum mundi pondus appellat, quòd mundus ſuo pondere ſua mole in alium ſtatum conuehatur. Seruius. *Nutat preſentibus malis, ſicut poſ-*

*Terraſque, tractuſque maris, cœlúmque profundum.*
*Aſpice, venturo lætentur vt omnia ſeclo.*
*O mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ.*
*Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta:*
*Non me carminibus a vincet nec Thracius Orpheus*
*Nec Linus: huic mater quamuis, atque huic pater adſit.*
*Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.*
*Pan etiam Arcadia b mecum ſi iudice certet,*
*Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice victum.*
*Incipe, parue puer, riſu cognoſcere matrem:*
*Matri longa c decem tulerunt faſtidia menſes.*
*Incipe, parue puer: cui non riſere d parentes,*
*Nec deus menſa, dea nec dignata cubili eſt.*

*Cuius laudes celebrabit Poëta.*

*lętari illum dixit bonis futuris, & benè quaſi renaſcentem deſcribit. Sanè Iouem meritò puerorum dicunt incrementa curare, quia cùm pueri togam virilem ſumpſerint, ad Capitolium eunt.*

a. Idem. *Non ſibi arrogat: ſed hoc dicit. Tanta eſt materia tuę laudis vt etiam humile ingeniũ in ea re ſupra omnes poſſit excellere.*

b Pan Deus fuit Arcadiæ: magna igitur erit ea victoria, quam Pan non negabit, vel Arcadia ipſa iudicante.

c Decem menſes quibus in maternis præcordiis conceptus tenebris matri tuæ longa faſtidia pepererunt. Quare debes hoc illi viciſſim vt ei ſuauiter arrideas eámque riſu tuo delectes.

d Arride tuis parentibus, vt illi tibi viciſſim arrideant. Nam cui parentes non arriſerint, is numquam vlla felicitate perfruetur, vt conſtat exemplo Vulcani, qui nec ad Mineruæ, cuius nuptias expetebat, cubile, nec ad Iouis menſam admiſſus eſt, huius autem infelicitatis omen fuit, quòd Vulcano naſcenti Iuno mater filij deformitatem auerſatà non arriſerat; hæc è Seruij mente, quia tamen Iliados α. Vulcanus ad Iouis menſam admittitur, aliter interpretandum puto. Cui parentes non riſere, is cið morietur, nec illi

proderit lectus Iunoni ſtratus in atrio, aut menſa Herculi. Siquidem, vt ait idem Seruius *Nobilibus pueris editis in atrio domus Iunoni lectus, Herculi menſa ponebatur.* Alij legunt Quintiliani auctoritate ſuffulti. *Qui non riſere parentes*, & *qui* in primo, *parentes* in quarto caſu ſumendum putant, pro, *pueri qui non riſerunt ad parentes*, deinde enallagen numerorũ agnoſcunt *hunc* pro *hos* Sed viderint eruditi. Erythræus & Bembus legunt *Qui* pro *cui* more antiquo. Verior fortaſſe, ſimplicior certè fuerit ſententia. Nunquam erit fortunatus cui parentes non arriſerint, neque aut à Deo, aut ab vlla dea diligetur.

# PVB. VIRGILII MARONIS.

## ECLOGA V.

### ARGVMENTVM.

Luctus de morte Daphnidis, & eiuſdem apotheoſis, alij Iulium Cæſarem, Quintilium Varum alij, alij Flaccum Maronem Virgilij fratrem intelligunt.

*Cur non a Mopſe (boni quoniam conuenimus ambo,*
*Tu calamos inflare* b *leues, ego dicere verſus)*

a O Mopſe, cur non hoc in loco inter vlmos mixtas corylis (*corylus vn coudrier*) conſideremus?
b Canere fiſtulâ è ſeptem calamis ſiue arundinibus compactâ.

*Hic corylis mixtas inter conſedimus vlmos?*
Mo. *Tu maior tibi me eſt æquum parêre Menalca,*
*Siue ſub incertas* a *Zephyris motantibus vmbras,* *Inuitatio ad ſeſſionē.*
*Siue antro potiùs ſuccedimus, aſpice vt antrum* b
*Syluestris raris ſparſit labruſca racemis.*
Me. *Montibus in noſtris ſolus tibi certat Amyntas.* *ad Cantilenam.*
Mo. *Quid, ſi idem certet Phœbũ ſuperare canẽdo?*
Me. *Incipe Mopſe prior, ſi quos aut Phyllidis* c *ignes,*
*Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.*
*Incipe: paſcentes ſeruabit Tityrus hædos.*
Mo. *Imo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi* d
*Carmina deſcripſi, & modulans alterna* e *notaui,*

*a* Inſtabiles, errantes, & quaſi fluctuantes, prout vlmorum & corylorum folia Zephyris ſpirantibus variè commouentur.
*b* Reſpice vt labruſca ἀγριάμπελος vitis ſylueſtris, antrum non confertim quidem, ſed ſparſim & quaſi per interualla. ornauit racemis agreſtibus.
*c* Hic Phyllidem Thraciæ Reginam, quæ Demophoontem adamauit, volunt intelligi. Alconem Cretenſem ſagittarium, qui ſerpentem filio ſuo circumplicatum ſine filij noxa jaculo confecit; Codrum Athenienſium Regem, qui cùm in fatis eſſet penes eos fore victoriam quorum rex fuiſſet interemptus, & hoſtes data opera à Codro manus abſtinerent, humili habitu cum hoſtibus iurgari cœpit, & ab iis occiſus eſt, fortaſſe ſimpliciùs accipienda res eſt, & per Phyllidis ignes intelligit amores mulierculæ ruſticanæ, de qua ecloga 3. & alibi, per Alconem, aliquem Mopſi amicum, per Codrum poëtam inuidum & maleuolum, de quo ecl. 7. *Inuidia rumpantur vt ilia Codro.*
*d* De more in foliis enim & corticibus veteres ſcribebant.
*e* Sic alterna modulatione cantans vt voci aſſæ fiſtula, & viciſſim fiſtulæ vox aſſa ſuccederet. Experiar, inquit, & coram te probabo, vtrùm hæc carmina bona ſint, necne.

*Experiar, tu deinde iubeto certet Amyntas.*
Me. *Lenta ſalix quantùm pallenti cedit oliuæ,*
*Puniceis humilis quantum ſaliunca* b *roſetis:*
*Indicio noſtro tantùm tibi cedit Amyntas.*
*Sed tu deſine plura, puer: ſucceßimus antro.*
Mo. *Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnim*
*Flebant: vos coryli teſtes & flumina nymphis:*
*Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati*
*Atque deos, atque aſtra vocat crudelia mater.*
*Non vlli paſtos illis egere diebus* (nem
*Frigida, Daphni, boues ad flumina, nulla neq; am-*
*Libauit* c *quadrupes, nec graminis, attigit herbam.*
*Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuiſſe* d *leones*
*Interitum, montéſque feri, ſyluæque loquuntur.*
*Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres* e

*Luctus ob mortem Daphnidis. Nympharum Paſtorum. Armentorum. Ferarũ.*

a Flexilis.

b. Plinius lib. 21. cap. 7. *Saliunca folioſa quidem eſt, ſed breuis, & quę necti non poſſit. Radici numeroſæ cohæret, herba veriùs quàm flos.*

c Aquam ex amne vel tantillùm deguſtauit.

d Perſpicua quidem eſt ſententia. Sed aduerte miram doloris exprimendi rationem. Fit rerum omnium mutatio. Flent Nymphæ, coryli teſtes, & flumina. Quadrupedes luctu tabeſcunt, nec aquam libant, aut gramen attingunt. ipſi leones ingemiſcunt, & eos ingemuiſſe loquuntur montes à feris habitari, & ſyluæ, & oratio per apoſtrophen ad mortuum conuertitur. Pœnos autem vocat Africanos. vt 12. Æneidos verſ. 4.

e Tigres Bacchi currum trahere dicuntur: 6. Æneid.

*Liber agens celſo Niſę de vertice tigres.*

Horatius. *Hac te merentem Bacche Pater, tuæ Vexere tigres.* 3. carminum ode 3. Hoc autem, vt notat Seruius, *apertè ad Cęſarem pertinet, quem conſtat primum ſacra Liberi Patris tranſtuliſſe Romam.*

*Inſtituit: Daphnis thiaſos* a *inducere Baccho,*
*Et foliis lentas intexere mollibus haſtas* b,
*Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vuæ,*
*Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis:*
*Tu decus omne tuis: poſt quam te fata tulerunt,*
*Ipſa Pales* c *agros, atque ipſe reliquit Apollo.*
*Grandia ſæpe quibus mandauimus hordea* d *ſulcis,*
*Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ.*
*Pro molli viola, pro purpureo narciſſo.*
*Carduus & ſpinis ſurgit paliurus* e *acutis.*

*Daphnidis merita.*

*Squalor & ſterilitas agrorũ ob mortem Daphnidis.*

*a* Seruius *Sunt thiaſi cœtus virginum atque puerorum bacchantium.* idem interpretatur. *Saltationes, choreas.* Suidas θίασος ἱερὸς χορὸς, *Sacer chorus.* Athenæus lib. 7. Καλεῖται δ' ὁ τῷ Διονύσῳ παρεπόμενος ὄχλος, θίασος. *Turba comitans Liberum thiaſus nuncupatur.* Catullus Liberum Patrem deſcribit.

*Cum thiaſo Satyrorum & Niſigenis Silenis.*

*b* Thryſos intelligit: erant autem haſtæ pampinis & hederaceis frondibus inuolutæ: gaſtamen, Bacchi Horatius.

*Euæ parce Liber. Parce graui metuendo thyrſo.*

item comitum Bacchi, Catullus de nuptiis Pelei & Thetidos.

*Horum pars tectâ quatiebant cuſpide thyrſos.*

& omnino Mænadum bacchantium 7. Æneidos.

*Pampineáſque gerunt incinctę pellibus haſtas.*

Lentas appellat quaſi flexibiles.

*c* Paſtorum Dea. item Apollo, quia boues Admeti pauit. de vtroque initio 3 Georg.

*Te quoque magna Pales, & te memorande canemus*
*Paſtor ab Amphryſo.*

*d* Ordo verborum eſt, ſæpe lolium infelix & ſteriles auenæ dominantur ſulcis quibus hordea grandia mandauimus, ſiue commiſimus: *grandia* dicit quia maxima quæque grana ſeliguntur ad ſemen, quia difficilius degenerant in lolium aut auenam, quàm minora vide 1. Georg. verſu. 197. Lolium *de Cynraye.*

*e* Seruius interpretatur herbam aſperrimam & ſpinoſam vel vt quidam volunt, ſpinam albam.

*Spargite humũ foliis* [a] *inducite fontibus* [b] *vmbras*
*Paſtores: mandat fieri ſibi talia Daphnis.*
Epitaphium Daphnidis. *Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen,*
*Daphnis ego, in ſyluis, hinc vſque ad ſidera notus,*
*Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.*
Me. *Tale tuum carmen nobis diuine poëta,*
*Quale ſopor* [c] *feſſis in gramine: quale per æſtum*
*Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo,*
*Nec calamis ſolùm æquiparas, ſed voce magiſtrũ* [d]
*Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo,*
*Nos tamen hæc quocunq; modo tibi noſtra viciſſim*
*Dicemus, Daphnimq; tuum tollemus ad aſtra:*
*Daphnin ad aſtra feremus; amauit nos quoque Daphnis.*
Mo. *An quidquam nobis tali ſit munere maius?*
*Et puer ipſe fuit cantari dignus, & iſta*
*Iampridem Stimicon laudauit carmina nobis,*

*a* De more Curtius lib 4. *Totum iter floribus coronáque conſtrauerat.* vide Sextianam parag. 131. nota 10. Præſertim in rebus ſacris. Lucret. 2.

*Ære atque argento ſternunt iter omne viarum.*
*Largifica ſtipe ditantes, pinguiumque roſarum*
*Floribus, vmbrantes matrem: comitúmque cateruas.*

*b* Seruius. *Facite nemora circa fontes, & hoc ideo quia herœum animæ habitans in fontibus, vel in nemoribus.* 6. Æneid.

*Lucis habitamus opacis,*
*Riparúmque toros, & prata recentia riuis Incolimus,* —

*c* Qualis res eſt ſopor.

*d* Seruius nomine magiſtri Theocritum intelligit *alter autem ab illo* videtur eſſe non ſecundus poſt illum, ſed ſimilis illi, cùm ab illo profectus fueris, & cantare didiceris.

Me. *Candidus* a *inſuetum* b *miratur limē Olympi,*
*Sub pedibúſq; videt nubes & ſidera Daphnis.*
*Ergo alacris ſyluas, & cætera rura voluptas,* Daphnidis apotheoſis.
*Panáque paſtoréſque tenet, Dryadáſque puellas.*
*Nec lupus inſidias pecori, nec retia ceruis*
*Vlla dolum meditātur,* c *amat bonus otia Daphnis.*
*Ipſi lætitiâ voces ad ſidera iactant*
*Intonſi montes: ipſæ iam carmina rupes,*
*Ipſa ſonant arbuſta, deus deus ille Menalca,*
*Sis bonus ô felixque tuis: en quatuor aras* d
*Ecce duas tibi Daphni: duóque altaria Phœbo.* aræ.
*Pocula bina nouo ſpumantia lacte quotannis.*
*Cratéráſque duos ſtatuam tibi pinguis oliui,*
*Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho,*
*Ante focum ſi frigus erit: ſi meſſis in vmbra,* libationes.
*Vina nouum fundam calathis* e *Aruiſia nectar.*

*a Candidus.* ĩ. *Deus*, Seruio interprete *vnde etiam contra nigros mortuos dicimus*: Plato 12 de legibus χρώματα δ' λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη, καὶ ἄλλοθι, καὶ ἐν ὑφῇ. *Color albus præcipuè decorus Deo eſt, tum in cæteris, tum maximè in textili* Vt vertit Cicero 2. de legibus 44.

*b* Cui priùs non erat aſſuetus Daphnis, ſed recens in cœtum Deorum allectus eſt.

*c* Poëticè retibus tribuit, quod erat ipſis venatoribus tribuendum per enallagen non enim retia dolos & inſidias ceruis moliuntur, ſed venatores ipſi retia tendentes.

*d* Notant interpretes ex Varrone Dijs ſuperis altaria, terreſtribus aras, inferis focos dicari. Sed hoc loco Poëta ararum nomine etiam altaria comprehendit, cum Daphnidi & Apollini quatuor aras aſſignat.

*e* Fundam calathis, ideſt, calicibus vina Aruiſia ab Aruiſo Chij inſulæ promontorio ſic dicta, quæ ſunt nouum nectar, ideſt nectar miræ & inuſitatæ ſuauitatis. Porro calathos

*Cantus & ſaltiones.*

*Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius* a *Ægon,*
*Saltantes Satyros* b *imitabitur Alpheſibœus.*
*Hæc tibi ſemper erunt, & cùm ſolemnia* c *vota*
*Reddemus nymphis, & cùm luſtrabimus agros* d.
*Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,*
*Dúmque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.*

*Sacrificia & vota.*

*Semper honos, noménque tuum laudeſq; manebunt.*
*Vt Baccho, Cererique tibi ſic vota quotannis*
*Agricolæ facient. damnabis* e *tu quoque votis.*
Mo. *Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona,*
*Nam neque me tantùm venientis ſibilus auſtri,*
*Nec percuſſa iuuant fluctu tam littora, nec quæ*
*Saxoſas inter decurrunt flumina valles,*
Me. *Hac te nos fragili donabimus ante cicuta* f.

pro calicibus ſumi liquet è martiale in apophoretis 107. lemmate calathi.

*Nos Satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria tigris &c.*

a Cretenſis à Lycto Cretæ ciuitate vt 3. Æneidos 401.
*Lictius idomeneus.*

b Pollux lib. 4 cap. 14. ὀρχημάτων ἐμμέλεια, τραγικὴ Κόρδακις, κωμικὴ, Σύκιννις, σατυρικὴ. *Species ſaltationum, emmelia, tragica: cordax, comica: ſicinis, ſatyrica.* Sed vide Piſonianam parag. 18. nota 4.

c Anniuerſaria, ſingulis annis certo tempore recurrentia, ſtata ſacrificia.

d Cùm hoſtiam circum agros ducemus. Tibull. lib 2. el. 1.
*---Fruges luſtramus & agros, Ritus vtà priſcò traditus extat aue.*
De hoc ambaruali ſacrificio, vide 1. Georg. 345.

*Terque nouas circum felix eat hoſtia fruges.*

e Voti reos facies vides Æneidos 237. Seruius in hunc locum. *Cum Deus præſtare aliqua hominibus cœperit, obnoxios tibi eos facies ad vota ſoluenda, quę antequam ſaluantur obligatos, & quaſi damnatos homines tenent.* Liuius tum alibi tum libro. 16. *Bis eiuſdem voti damnata rep. in regionem venit.*

f *Fiſtula diſparibus ſeptem compacta cicutis.* vt ſupra dixit.

*Hæc nos, Formoſum Corydon ardebat Alexin:* Dona
*Hæc eadem docuit, Cuium pecus? an Melibœi?* mutua.
MO. *At tu ſume pedum* a *(quod, me cum ſæpe rogaret,*
*Non tulit Antigenes: & erat tum dignus amari)*
*Formoſum paribus nodis, atque ære Menalca:*

a Eſt virga paſtoralis incurua: formoſum ait quia & ære ſuppactum, & nodis pari interuallo diſtantibus diſcriminatum.

# PVB. VIRGILII MARONIS.

## *ECLOGA VI.*

### ARGVMENTVM.

Silenus à Chromi, Mnaſilo, & Ægle Naiade comprehenſus canit primam rerum originem ex Epicuri ſententia, deinde varias fabulas coaceruat.

P*Rima Syracuſio* a *dignata eſt ludere verſu,*
*Noſtra, nec erubuit ſiluas habitare Thalia.*

a Ego primus Romanorum dignatus ſum ſtylum meum ſubmittere ad ſcribendas eclogas imitatione Theocriti poëtæ Syracuſani, qui bucolico verſu excelluit. Thalia nomen Muſæ.

*Cum canerem reges & prælia Cynthius aurem*
*Vellit & admonuit: paſtorem Tityre pingues,*
*Paſcere oportet oues, deductum* [b] *dicere carmen,*
*Nunc ego (nāque ſuper tibi erūt qui dicere laudes*
*Vare tuas cupiant, & triſtia condere bella)*
*Agreſtem tenui meditabor* [c] *arundine muſam.*
*Non iniuſſa cano: ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis*
*Captus amore leget, te noſtræ Vare myricæ* [d]
*Te nemus omne canet; nec Phœbo gratior vlla eſt,*
*Quàm ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen,*
*Pergite Pierides* [e] *Chromis & Manaſylus in antro*
*Silenum pueri ſomno videre iacentem,*
*Inflatum heſterno* [f] *venas, vt ſemper, Iaccho.*

*Præfatio ad Quintiliū Varum.*

*a* Apollo, qui à Cyntho Deli monte Cynthij cognomen accepit, me admonuit, & vt iſta monitio non elaberetur è memoria aurem mihi vellit. Auris enim, vt notat Seruius, *memoriæ conſecrata eſt, vt frons Genio, digiti Mineruæ, genua Miſericordiæ.* Plin. lib 11. cap. 37. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes atteſtamur.* Veteres enim, cum in ius quempiam vocarant, præſentes apprehensâ auriculâ monebant, vti meminiſſent eum in ius vocatum, & cum opus eſſet, id teſtarentur, de quo more, vide Milonianam parag. 67. Nota 7.

*b* Tenue, vt interpretantur Macrob. lib 6. Saturn. cap. 4 Seruius, & alii tranſlatio à lana, quæ quò magis nendo deducitur, eò magis filum tenuatur & graciléſcit Horat. 2. Epiſt.

*— tenui deducta poëmata filo.*

*c* Exercebo, vt ecloga 1. Verſu. 1.

*d* Verſus tenues, humiles & abiecti. vt ecloga 4. verſu. 2.

*e* Elegans tranſitio quaſi dicat. Satis & plus quam ſatis morati ſumus in prœmio: agite iam Muſæ, redite in viam.

*f* Venas habentem inflatas & turgidas ex ebrietate pridiana. Iacchus vnum ex Bacchi nominibus.

*(Serta procul, tantùm* a *capiti delapſa, iacebant,*
*Et grauis attrita pendebat cantharus* b *anſa.)*
*Aggreſsi (nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambo*
*Luſerat) iniiciunt ipſis ex vincula ſertis.*
*Addit ſe ſociam, timidiſque ſuperuenit Ægle*
*Ægle Naiadum pulcherrima: iámque videnti,* c
*Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.*
*Ille dolum ridens, Quò* d *vincula nectitis inquit.*
*Soluite me pueri: ſatis eſt potuiſſe* e *videri.*

*Silenus capitur à paſtoribus.*

*a* Cerdanus noſter exponit, quaſi dicat. Nota eſt ebrietatis habere coronam in capite:hęc tantum deerat in Sileno. Nam ſerta iacebant procul delapſa è capite. Aduertitque hoc loco argutiam.Ponit Virgilius notam,inquit,quę deerat ad communem ebrietatem, vt exaggeret ipſam ebrietatem, perinde ac ſi dicat; haberet omnes notas ebrietatis,ſi eſſet corona in capite: ſed hanc eſſe lapſam maior erat ebrietas. Alij cum Turnebo interpretantur, ſerta iacebant,non quidem proculcata, non detrita aut rupta: ſed tantum è capite delapſa.Alij particulam *procul*,exponunt prope,iuxta, præ oculis .Nam ideo intulit, ex planatore Seruio, tantùm capiti delapſa, vt oſtenderet non longius prouolutam coronam, vt eſt *procul ſtearamis Dependet galea*.10.Æneid. ſenſus eſt igitur ſerta iacebant prope Silenum, delapſa tantum è capite, nec longius prouoluta. *capiti* hoc loco pro *capite*.

*b* Cantharus proprium Liberi Patris poculum fuit vt notat Macrobius 5. Saturnal. c. 21, grauem vocat proper magnitudinem : attritam anſam tribuit, quía aſſiduitate bibendi anſam Silenus attriuerat.

*c* Vigilanti, iam aperienti oculos. Quæ huc de vinculis Sileni, de rubeo Deorum colore,de facie triumphantium miniata ab interpretibus congeruntur, prætermitto, quod magis erudita quàm neceſſaria videantur.

*d* Quorſum ? quem ad finem?

*e* Soluite me pueri : ſufficit ad impetrandum quod vultis, quod potuerim à vobis deprèhendi,& videri.Vel ſoluite me: ſufficit enim quod talis vobis viſus ſim vt ligari potuerim.

Canit Silenus.

*Carmina, quæ vultis, cognoſcite: carmina vobis,*
*Huic aliud mercedis erit, ſimul incipit ipſe.*
*Tum vero in numerum* a *Faunóſq; feráſq; videres*
*Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.*
*Nec tantùm Phœbo gaudet parnaſſia rupes:*
*Nec tantùm Rhodope miratur, & Iſmarus* b *Orphea.*

Primam mundi originem.

*Námque canebat, vti magnum per inane* c *coacta,*
*Semina, terrarúmq; animæq;* d *mariſq; fuiſſent.*
*Et liquidi* e *ſimul ignis: vt his exordia* f *primis*

*a* In numerum ludere eſt ſaltare ad modum rhythmi & cantilenæ, ſiue ſaltationem & corporis motum ita temperare, vt ſaltatio Faunorum & ferarum cantui Sileni reſpondeat. Eruditè Cerdanus aduertit numerum ſaltationi, modum cantioni propriè conuenire, quod & multis probat exemplis.

*b* Mons Thraciæ cantibus Orphei celebratus.

*c* Deſcribit primam rerum originem ex Epicuri ſententia. Putabat Epicurus duo eſſe rerum naturalium principia plenum & inane: per inane, ſpatiũ intelligebat corporibus carens vſquequaque diffuſum, nulliſque limitibus terminatum per plenum autem, atomos, ſiue minuta quædam corpuſcula in illo inani volitantia, ex quorum fortuita concurſione res omnes naturales exiſterent. Canebat igitur Silenus quemadmodum atomi, quæ ſunt ſemina, ſiue principia ipſorum elementorum per inane illud immenſum & infinitum, coacta fuiſſent & cohæſiſſent inter ſe, & ex his fortuito concurſu cohærentibus natura rerum extitiſſet.

*d* Animæ vocatur aër, aut etiam ventus ἄνεμος Horatius l. 4 Carm. ode 12. *Impellunt animæ lintea Thraciæ.*
Virg. 8. Æneid. *Quantum ignes animæque valent.*
Lucret. l. 1. *Ex igni terra atque anima procreſſere, & imbri.*

*e* Defæcati, puri, clari, ſinceri: non turbidi, non admiſti, non inquinati.

*f* Canebat quemadmodum ex his primis, id eſt ex his atomis concreuerint & veluti coagulata fuerint quatuor elementa, quæ ſunt cæterarum rerum exordia, concreuerit.

*Omnia*

*Omnia, & ipſe tener mundi concreuerit orbis;*
*Tùm, durare ſolum* a *& diſcludere Nerea ponto,*
*Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas:*
*Iámque nouū* b *vt terræ ſtupeant, luceſcere ſolem:*
*Altius atque cadant ſummotis nubibus* c *imbres,*
*Incipiant ſylue* d *cùm primùm ſurgere, cúmque*
*Rara per ignotos errent animalia montes.*
*Hinc* e *lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna* f, (t) *varias fabulas.*

iam ex his ſeminibus ſiue principiis ipſe orbis mundi, id eſt, cœlum rotundum. Qui orbis in primâ illâ atomorum coalitione erat tener, atomis nondum firmè ſolidéque cohærentibus ſiue compactis.

a Canebat Silenus quo pacto *tùm*, id eſt poſtquam tener orbis mundi coaluit, *ſolum*.i. terra cœperit ſe indurare, & paulatim ſolidare & aquas maximas, quibus præeſt Nereus, ponto diſcludere, ideſt à ſuperficie ſuâ diſpellere, & in quaſdam cauitates congregare & concludere. Pontus hîc ſumitur, ſpecies pro genere, pro quouis mari ſiue mediterraneo, ſiue Oceano, vel potiùs pro quouis aquarum marinarum receptaculo.

b Canebat etiam quemadmodum ſol primùm emicuerit. non ſine admiratione & ſtupore hominum qui fuerant in terra producti.

c Idem canebat quemadmodum vaporibus aquarum altius è terra ſummotis ad mediam aëris regionem, nubes generentur, & ex illis nubibus imbres cadant.

d Cum intereà, videlicet in illa prima rerum molitione, ſyluæ tum primum ſurgere inciperent, & è terra paulatim protuberarent, & animalia, quæ tum temporis erant rara, nec adhuc per generationem multiplicata, per montes errarent. ſibi adhuc, vt pote recens productis ignotos.

e Expoſita rerum origine refert Silenus quemadmodum Deucalion & Pyrrha poſt diluuium lapidibus poſt terga iactis genus humanum repararint. Vide Ouid. 1. Metam.

*Inque breui ſpatio, ſuperorum numine, ſaxa*
*Miſſa viri manibus faciem traxere virorum:*
*Et de fœmineo reparata eſt fœmina iactu.*

f Auream ætatem de qua 8. Æneid. 1. Metamorph.

*Caucaſeáſq; a refert volucres, furtumq; Promethei;*
*His adiungit b, Hylam nautæ quo fonte relictum*
*Clamaſſent, vt littus, Hyla, Hyla, omne ſonaret;*
*Et fortunatam, ſi numquam armenta fuiſſent,*
*Paſiphaën c niuei ſolatur amore iuuenci.*
*Ah! virgo d infelix, quæ te dementia cepit:*

*Aurea prima ſata eſt ætas, quę vindice nullo,*
*Sponte ſua, ſine lege fidem rectumque colebat, &c.*

a Prometheus hominis effigiem è luto effinxerat: ignem è cœlo furatus eſt, vt eam animaret. Iupiter iratus Prometheum ad Caucaſi rupem iuſſit alligari: & aquilam vel vt alij volunt vulturem immiſit, qui Promethei cor aſſiduè laniaret, id refert Silenus.

b His fabulis adiungit, quemadmodum Hylas, amores & deliciæ Herculis, raptus fuerit à Nymphis, cùm aquam è fonte quodam hauriret: & Argonautæ eum diù quæſiuerint, & frequenter eum nomine ſuo clamarint. Solinus c 42. deſcriptione Bithyniæ in eâ inquit, *Pruſiadem vrbem prętermeat Hylas flumen, & alluit Hylas lacus, in quo reſediſſe credunt delicias Herculis Hylam puerum, nymphis rapinam: in cuius memoriam vſque adhuc ſolenni curſitatione lacum populus circuit, & Hylam voce clamat,* Valerius Flaccus 3. Argon.

*Rurſus Hylam & ruſus Hylam per longa reclamant*
*Auia, reſponſans ſyluæ & vaga certat imago.*

c Paſiphaë taurum admauit. fabulam attulimus in verſ. 14. ſexti Æneidos Hæc autem eſt huius loci ſententia, Silenus ſolatur Paſiphaen amore iuuenci, id eſt lamentatur illius miſeriam & amoris inſaniam, verbiſque ſignificat ſe compati, quòd miſeris ſolet eſſe ſolatio. Hæc autem miſerè & efflictim deperibat iuuencum quæ fortunata fuiſſet, ſi nulla vnquam armenta fuiſſent. Sublatis enim armentis non extitiſſet ille taurus, quem illa perdite adamauit.

d Virgo nonnunquam dicitur de corrupta & virum experta. Laudat Germanus Eurypidem in Ione.

Τεκοῦσά σ' εἰς τοῦ δ' ναὸς ἐξέθηκε παρθένος.

*Poſtquam te peperit in his templis te depoſuit virgo.*

Terēt. Hecyra actu 3. ſc. 3. de Bacchide quæ compreſſa fuerat.

*Ipſe eripuit, in digito quem habuit, virgini abiens annulum,*

*Prœtides a implerunt falſis mugitibus agros;* *Phaſiphaen amore tauri*
*At non tam turpes, pecudum tamen vlla ſecuta eſt*
*Concubitus; quamuis collo timuiſſet aratrum,*
*Et ſæpe in læui quæſiſſet cornua fronte.*
*Ah! virgo infelix, tu nunc in montibus erras;*
*Ille, latus b niueum molli fultus hiacyntho,*
*Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.*
*Aut aliquam in magno ſequitur grege. claudite Nymphæ.*

Laudat Seruius Caluum de Ione poſt partum in vaccam mutata. *Ah virgo infelix! herbis paſcêris amaris.*
Huc etiam referri poſſit illuc Ouidij extremo lib. Metam.

*—— Prolem ſanctâ de virgine natam*
*Ferre ſimul nomènque ſuum curáſque iubebit*

Vbi Tiberium Liuiæ filium intelligit. quamuis alij legunt *ſanctâ de coniuge.* Quod etiam apud Gallos reperitur. Ronſardus ode 6. lib. 4.

*Toy, Deeſſe Lucine* | *Requiſe par trois fois*
*De la Vierge en geſine* | *Tu eſcoutes la voix,*
*Et desſerres la porte* | *Au doux fruict qu'elle porte.*

Quidam apud Seruium interpretantur virginem; non quòd virum illo tempore non haberet, ſed quia talis ei pœna iam virgini deſtinata fuiſſet.

*a* Fuerunt Prœti Regis Argiuorum filiæ, quas, quòd ſe Iunoni prætuliſſent, in hunc furorem actas eſſe fabulantur, vt putantes ſe vaccas in ſaltus abirent & agros implerent mugitibus, ſed falſis, quia vaccæ reuera non erant, vt putabant, & cum timerent ne collum aratri iugo ſubmitteretur, ſæpe frontem tentarent & explorarent cornua quærentes, ſed frontem læuem, ideſt politam eſſe reperiebant, nullis cornibus ex ea extuberantibus.

*b* Ille iuuencus, quem amas, latus candidum molli hiacyntho ſuffulciens, in ilicis vmbra recubans, ruminat, ideſt reuocat & iterum mandit herbas pallentes, quæ videlicet calore ſtomachi iam aliquid propriæ viriditatis amiſerant.

*Dictæa* a, *Nymphæ nemorum iam claudite ſaltus,*
*Si quâ forte ferant oculis ſeſe obuia noſtris*
*Errabunda bouis veſtigian forſita illum*
*Aut herbâ captum viridi, aut armenta ſecutum*
*Perducant aliqua ſtabula ad Gortynia vaccæ.*
*Tum canit* b *Heſperidum miratam mala puellam:*
*Tum Phaëthontiadas, muſco circundat amaræ*
*Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos* d:

*Atalantam ſorores Phaëtontis.*

1. Videtur Silenus non in ſua perſona loqui, ſed Paſiphaë loquentem inducere, vt notant paſſim interpretes. Videntur tamen hæc verba poſſe Sileno conuenire, vt conſoletur Paſiphaën, eiuſque amori velificetur, & Nymphas Dictæas in monte Dicty habitantes inuitet ad operam Paſiphaë nauandam O Nymphæ quæ in Dicty monte Cretæ habitatis, Paſiphaën mecum adiuuate Claudite ſaltus nemorum indagine, vt taurus iſte vagus & erro teneatur. Paſiphaëque amanti ſiſtatur. Quamuis fortaſſe non eſt opus, vt ei laqueos tendamus: forſitan enim vel herbæ cupiditate, vel vaccarum amore pellicietur & ſuâ ſponte veniet ad ſtabula Gortynia. Gortynus vrbs Cretæ, *perducant* modus potentialis, id eſt fieri poteſt vt perducant.

b Atalanta cum procis curſu contendebat ea conditione vt victor eius coniugio frueretur, victus vitam amitteret. Hippomenes in arenam deſcenderat, videns ab Atalanta ſe ſuperari, mala aurea vel ex horto Heſperidum, vt ait Poëta, vel, vt mauult Ouidius, è Damaſeno Cypri agro decerpta proiecit in medium, illa malorum pulchritudinem mirata deflexit à curſu, ijſque colligendis, aliquantum temporis inſumpſit, & ita ſuperata eſt. Quam fabulam cecinit Silenus. vide 10. metamorph.

c Deinde canit quemadmodum Phaëtuſa & Lampetie Sorores Phaethontis in arbores mutatæ fuerint, amara muſcoſáque cortice circundatæ & in proceras alnos è terra excitatæ, quod tanta verborum energia deſcribit, vt rem geſtam ponat ſub oculos, nec tàm narrare, quam rẽ ipſam facere videatur.

d Alij dicunt eas in populos eſſe conuerſas vt 10. Æneidos.

*Tùm canit errantẽ Permeſſi* a *ad flumina Gallum,*
*Aonas in montes vt duxerit vna ſororum,*
*Vtque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis*
*Vt Linus hæc illi diuino carmine paſtor,* Gallus in Poëtarum numerũ receptũ
*Floribus, atque apio crines ornatus amaro,*
*Dixerit, hos tibi dant calamos (en accipe) Muſæ,*
*Aſcræo quos ante ſeni, quibus ille ſolebat,*
*Cantando rigidas deducere montibus ornos.*
*His tibi Grynei nemoris* b *dicatur origo:*
*Ne quis ſit lucus, quo ſe plus iactet Apollo.*
*Quid loquar, aut Scyllã Niſi* c *quã fama ſecuta eſt*

a Permeſſus eſt fluuius Beotiæ ſiue Aoniæ, montes Aoniæ ſunt Helicon & Parnaſſus muſis conſecrati. Cornelius Gallus poëta Elegiacus: vna ſororum eſt vna Muſarum. Phœbi chorus vel Muſæ vel Poëtæ aſſurgunt Gallo honoris cauſa, Linus Apollinis filius Apio coronatur, eſt enim apium herba coronaria. Horatius.

*Deſperare apio coronam.*

Aſcræus ſenex. Heſiodus ab Aſcra pago Bœotiæ. Hos, inquit Muſæ tibi dant calamos, quos ante dederunt Aſcræo ſeni. Quomodo autem Muſæ Heſiodo poëticam facultatem contulerint, Heſiodus ipſe narrat initio The. gloriæ. Seruius autem Danielis explicat ante ſeni, quaſi Heſiodus ante fuerit ſenex, & poſt à Muſis ad iuuentutem reuocatus.

*Cui etiam bis pueritiam de Senectute præſtitiſſe dicuntur.*

*b* De Grinæi nemoris origine multa congeſſit Seruius in hunc locum, & ita concludit. *Hoc autem Euphorionis continens carmina, quę Gallus tranſtulit in ſermonem Latinum.* Grynæus autem lacus fuit Apollini ſacer. vnde & 4. Æneidos.

*Gryneus Apollo.*

c Videtur fabulas confundere, vel ita legendum.

*Quid loquar aut Scyllam Niſi? aut quam fama ſecuta eſt,* &c. fuerunt: enim duæ Scyllæ, altera Niſi Megarenſium Regis filia quæ in auem: altera Phorci filia quæ Circes veneficiis in monſtrum marinum canibus ſuccinctum mutata eſt, & Naues Vlyſſis, quæ à Dulichio inſula Ithacæ vicina vocantur Dulichiæ, miſere lacerauit.

*Candida ſuccinctã a latrantibus inguina monſtris*
*Dulichias vexaſſe rates & gurgite in alto*
Syllam. *Ah! timidos nautas canibus laceraſſe marinis?*
*Aut vt mutatos* b *Terei narrauerit artus?*
*Quas illi Philomeda dapes, quæ dona pararit:*
*Quo curſu deſerta petiuerit, & quibus antè*
Philomelam. *Infelix ſua tecta ſuper volitauerit alis?*
*Omnia, quæ Phœbo quondam meditante beatus*
*Audiit Eurotas, iuſsitque ediſcere lauros,*

*a* Habentem inguina, id eſt crura, canibus ſuccincta latrantibus.

*b* Quid loquar vt Silenus narrauerit Terei metamorphoſim. Progne & Philomela ſorores fuerunt, Pandionis Athenienſium *Regis filiæ*. Tereus Thraciæ Rex Prognem duxit vxorem Philomelæ virum obtulit, & ei linguam abſcidit, ſorores in vltionem Itym filium patri dederunt epulandum.

—— *Ityoſque caput Philomela cruentum Miſit in ora patris* inquit Naſo 6. Metamorph Tereus viſo filij capite,

> *Nunc ſequitur nudo genitas Pandione ferro,*
> *Corpora Cecropidum pennis pendere putares.*
> *Pendebant pennis, quarum petit altera ſyluas,*
> *Altera tecta ſubit.*

Canit igitur Silenus quo curſu deſerta & ſyluas petierit Philomela in Luſciniam mutata, quibus alis infelix Progne in hirundinem verſa circumuolitauerit tecta ſua: antè, id eſt quorum domina erat priuſquam in auem verteretur. Tereus in Vpupam ſiue Epopem conuerſus eſt. De quo hi verſus: Quas illi Philomela, dapes parauerit, cùm Progne ſorore ſua Itym Terei & Prognes filium, interficiens & coquens, Quæ dona, dum videlicet poſt ferales illas epulas

> —— *Sparſis furiali cęde capillis,*
> *Proſiluit, Ityoſque caput Philomela cruentum*
> *Miſit in ora patris.*

Quid loquar quo curſu idem ille Tereus in vpupam mutatus deſerta petierit, & quibus alis circumuolitauerit infelix domum, quæ priùs ad ipſum pertinebat, antequam in vpupam verteretur.

*Ille canit* a *pulſæ referunt ad ſidera valles.*
*Cogere donec oues ſtabulis, numerúmque referre* b
*Iuſsit, & inuito* c *proceſsit veſper olympo.*

a Silenus canit funebrem illam Næniam & lamentationem quam cecinit Apollo in laudem Hiacynthi, quem imprudens diſci iactu occiderat. Quæ omnia Eurotas Laconiæ fluuius ipſam Lacedæmonem præterfluens, quondam audiuit, Phœbo meditante, & canente, beatus tanti numinis præſentia, & ſuauitate cantilenæ, nec contentus fuit hanc næniam audiuiſſe, ſed iuſſit vt lauri, quibus ipſius ripæ veſtiuntur, eandem addiſcerent, & frequenter repeterent. Hæc, inquam canit Silenus, & valles vocis repercuſſu pulſatæ echo efficiunt, & referunt ad ſidera Sileni cantionem.

b Numerum omnium recenſere, & videre an aliqua ouis illo die deerrauerit.

Commodè Seruius. *Ex eò quod dies inuitus abſceſſit, & ex eo quod nimio audiendi deſiderio veſper exortus eſt, cantilenę voluptas oſtenditur.* Inuitus igitur olympus, quia cantus ſuauitate permulſus volebat diem diutiùs retinere.

# PVB. VIRGILII MARONIS.

## ECLOGA VII.

### ARGVMENTVM.

Corydonis & Daphnidis contentio, ſiue carmen amœbum.

*Præfatur Melibæus.* Me. *Forte ſub argutâ* a *conſederat ilice Daphnis,*
*Compulerántque greges Corydon, & Thyrſis in vnum.*
*Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas:*
*Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,*
*Et cantare pares, & reſpondere parati.*
*Huc mihi* b *dum teneras defendo à frigore myrtos,*
*Vir gregis ipſe caper deerrauerat: atq; ego Daphnin*
*Aſpicio, ille vbi me contrà videt, ocyus, inquit,*
*Huc ades ô Melibœe (caper tibi ſaluus & hædi)*

a Stridula, canora, garrula 7. Æneidos.
*Arguto tenues percurrens pectine telas.*
Dictæ argutæ quod earum frondes auris ventilatæ ſtrepant, quaſi argutentur.
b In hunc locum, vbi Daphnis & alij duo paſtores conſederant mihi deerrauerat caper, dum ego aliis rebus occuparer, & myrtos teneras adhuc & nouellas tegerem, & contra frigus defenderem.

*Et ſi quid ceſſare potes* a, *requieſce ſub umbrâ.*
*Huc ipſi* b *potum venient per prata iuuenci,*
*Hic viridis tenera prætexit arundine ripas*
*Mincius: éque ſacra reſonant examina quercu,*
*Quid facerem* c*? neque ego Alcippen, nec Phylli-*
*da habebam.*
*Depulſos à lacte domi quæ clauderet agnos.*
*Et certamen erat* d, *Corydon cum Thyrſide, ma-*
*gnum,*
*Poſthabui tamen illorum mea ſeria ludo:*
*Alternis igitur contendere verſibus ambo*
*Cœpere: alternos Muſæ meminiſſe volabant.*
*Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrſis.*
Co. *Nymphæ, noſter amor, Libethrides* e, *aut*
*mihi carmen,*

*a* Si tibi potes ad modicum tempus otium imperare.

*b* Ne ſollicitus eſto de tuis iuuencis: ipſi ſua ſponte venient ad potandum, nec egent te ductore, norunt enim viam. Ipſa te loci amœnitas inuitat: hoc loco Mincius, qui fluuius Mantuam alluit, viridi arundine riparum marginem veſtit, inſtar purpuræ, qua magiſtratuum toga prætexitur, & examen apum reſonat è quercu, quæ arbor eſt Ioui conſecrata.

*c* Putat Seruius Phyllidem & Alcippen amicas fuiſſe cantantium, quaſi dicat. Quid facerem à Daphnide inuitatus Ex alterâ parte rerum mearum ſollicitudo me domum reuocabat, non enim mihi tantum erat otij, quantum vobis paſtoribus. Alter enim Phyllidem, alter Alcippen habebat, quæ etiã ipſis cantantibus & otio vacantibus domui prouiderent: mihi nulla erat famula eiuſmodi. vel ſimpliciter dici poteſt Phyllidem & Alcippen fuiſſe famulas Melibœi, quas ipſe tùm temporis foras dimiſerat

*d* Certamen erat Corydon, id eſt certabat, certamen habebat vt 5. Æneidos ——— *Nunc tertia palma Diores.*

*e* A Libethro fonte Bœotiæ, vbi antrum Nymphis dicatum,

*Quale meo Codro, concedite ( proxima Phœbi*
*Verſibus ille facit ) aut, ſi non* a *poſſumus omnes,*
*Corydon Muſas inuocat.* *Hîc arguta ſacra, pendebit fiſtula pinu.*
Th. *Paſtores hederâ* b *creſcentem ornate poëtam*
*Arcades, inuidiâ rumpantur vt ilia Codro.*
*Thyrſis paſtores.* *Aut, ſi vltrâ placitum* c *laudarit, baccare frontem*
*Cingite, ne vati noceat mala lingua* d *futuro.*
Co. *Setoſi* e *caput hoc apri tibi Delia paruus,*

in quo ſimulacra Muſarum & Nympharum conſecrata : vide Seruium, & Strabonem lib. 9. & 10. Pauſaniam in Bœoticis.
*a* Si neque ego neque quiſquam alius poteſt ad tantam carminis dignitatem aſpirare, volo fiſtulam meam argutam & canoram è pinu ſuſpendere, diiſque conſecrare. Sacram pinum appellat quaſi Cybelæ matri Deorum conſecratam. Solebant autem veteres artis quam deſerebant, inſtrumenta artis alicuius præſidi Deo conſecrare, ſic apud Horatium lib. 1. ep. 1 *Veianius armis*

*Herculis ad poſtem fixis* —— *ceſſat gladiari*

*b* Corona poëtarum —— *Quorum imagines lambunt*
*Hederæ ſequaces,* —— inquit Perſius prologo, & Horat ode 1.
*Me doctarum hederæ præmia frontium.*
Creſcentem ait, quia nondum ad perfectionem artis poëticæ peruenerat, ſed creſcebat & proficiebat, vnde & paulò poſt non vatem ſimpliciter, ſed vatem futurum appellat.
*c* Seruius exponit. *Vltrà quàm placeo & mereor, quicquid autem vltrà meritum laudatur, dicitur faſcinari.* Baccar planta quam vulgus appellat *le gand de Noſtre-Dame*, qua coronabantur contra faſcinum loco amuleti.
*d* Maligne laudans, & vltrá Placitum, præterque animi ſententiam.
*e* Commodè Cerdanus. *O Diana, Mycon paruus ( credibile hunc puerum fuiſſe Corydoni in deliciis) ſuſpendit in honorem tuum hoc caput apri, hæc cerui cornua: quòd te propitiâ feliciterve natus fuerit, ſi hoc proprium id eſt, perpetuum fuerit, faciet te Mycon ex marmore*, ſtabiſque tota non ſolum pectore aut vmbilico tenus, ex marmore terſo polito & læuigato, ſuras ſiue tibias habens vinctas cothurno. i. colceamento altiore punicei co-

*Et ramoſa Mycon viuacis cornua cerui.*
*Si proprium hoc fuerit læui de marmore tota*
*Puniceo ſtabis ſuras èuincta cothurno.*

Corydõ Dianę munera alia offeret, alia promittit.

Th. *Sinum* a *lactis, & hæc te liba Priape quotannis*
*Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.*
*Nunc te marmoreum pro tempore* b *fecimus, at tu*
*Si fœtura gregem ſuppleuerit* c *aureus eſto.*
Co. *Nerine* d *Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ* e,
*Candidior cycnis, hederâ formoſior albâ* f,
*Cùm primùm paſti repetent præſepia tauri,*
*Si qua tui Corydonis habet te cura venito.*

Amor Corydonis in Galateam.

Th. *Immò ego Sardois* g *videar tibi amarior herbis,*

loris induta ad mediam ſuram, qui habitus venatorius eſt 1. Æneidos. verſu 342.

a Genus eſt vaſis ventre tumido.

b Seruius. *Pro neceſſitate, pro captu rei noſtrę, pro viribus quę ſunt hoc tempore.*

c Si tanta mihi ſoboles ouium prouenerit, vt exhauſtus vel morbo, vel aliis caſibus ouium numerus ſuppleatur, & reſarciatur incommodum.

d Filia Nerei, vt apud Catullum *Thetis Neptunia* filia Neptuni.

e Hybla vrbs Siciliæ & mons thymo & apibus abundans.

f Seruius. *Nigra vel alba hedera non ex foliis, ſed ex ligno cognoſcitur.*

g Herba Sardonica in inſula Sardo naſcitur, ſimilis aplaſtro, quæ homines riſtu, inſtar ridentium deducto, necat. vnde & Sardonicus riſus in prouerbio. Ruſcus virgultum breue, acutis foliis & pungentibus. Alga naſcitur in mari. has autem ſibi diras imprecatur Thyrſis, niſi diem illum quo caret ſuâ Galateâ, putat anno longiorem, & vt citiùs do

*& Tyrſidis.*

*Horridior ruſco, proiecta vilior alga,*
*Si mihi non hæc lux toto iam longior anno eſt:*
*Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite iuuenci,*
Co. *Muſcoſi fontes* a *& ſomno mollior herba:*
*Et quæ vos rarâ viridis tegit arbutus vmbrâ:*
*Solſtitium pecori defendite. iam venit æſtas*
*Torrida, iam læto turgent* b *in palmite gemmæ.*
Th. *Hîc focus, & tædæ pingues* c*: hîc plurimus ignis.*
*Semper, & aſſidua poſtes fuligine nigri.*
*Hîc tantum Boreæ curamus frigora, quantùm*
*Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas,*
Co. *Stant* d *& iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ:*
*Strata iacent paſſim ſua quæq;* e *ſub arbore poma:*

*Corydon agrorum delicias exponit.*

*Thyrſis paſtoralium tectorum.*

mum redeat, & perfruatur eius præſentiâ, iuuencos ſuos increpat quaſi, tardiùs è paſtu redeuntes, quos non pudeat vltrà quam neceſſe ſit, comedere.

*a* O fontes muſco, id eſt lanugine viridiore cooperti, & tu ô herba molliſſima atque adeò ſomno ipſo iucundior, & arbutus qui vos, id eſt qui fontes & herbam ogon paucis & raris foliis inumbrat prohibete ſolſtitiales calores à pecore, & ardore mæſtiuum temperate.

*b* Signum æſtatis propinquantis, iam vites in gemmas protuberant, iam gemmæ vitium tument & turgent conantes extra corticem erumpere. Lætum palmitem vocat, quaſi fœcundum, quod vinitorem vbertatis ſpe exhilaret.

*c* Tæda eſt ſpecies pinus ignem facile concipiens propter pinguedinem

*d* Iuniperi & caſtaneæ ſtant in agris amœnâ quadam hirſutie ſpectabiles Seruius hirſutas interpretatur fructus ipſos adhuc in ſuis echinis locatos. Hermolaus hanc hirſutiem pilis, non echinato calici refert acceptam.

*e* Legendum videtu: *quaque* hoc ſenſu tanta eſt rerum omnium vbertas, vt non ſolum arbores fructibus onuſtæ ſint, ſed ſub vna quáque arbore poma ſui generis iaceant paſſimſtrata

*Omnia nunc rident: at ſi formoſus Alexis*
*Montibus his abeat, videas & flumina ſicca,*
Th. *Aret ager, vitio moriens ſitit* a *aëris herba:*
*Liber pampineas* b *inuidit collibus vmbras.*
*Phyllidis aduentu noſtræ nemus omne virebit;*
*Iuppiter* c *& læto deſcendet plurimus imbri.*
Co. *Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,*
*Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.*
*Phyllis amat corylos, illas dum Phyllis amabit,*
*Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.*
Th. *Fraxinus in ſiluis pulcherrima, pinus in hortis,*
*Populus in fluuiis, abies in montibus altis.*
*Sæpius at ſi me Lycida formoſe reuiſas,*
*Fraxinus in ſiluis cedet tibi, pinus in hortis:*
Me. *Hæc memini, & victum fruſtrâ contendere Thyrſim,*
*Ex illo Corydon, Coridon eſt tempore nobis.*

*Alexis ipſos cãpos amenat, imò Phyllis.*
*Corylus Phillidi grata cæteris arboribus antefertur.*
*Omnes arbores Lycidæ cedunt.*

*a* Siccitate & peſtilentia corrupti aëris affligitur.
*b* Bacchus vini repertor, noluit vt hoc anno pampinorum palmitúmque frondes colles veſtirent & inumbrarent. Ideſt exſiccatæ ſunt vires, & nimio æſtu folia amiſerunt.
*c* Aër plurimum imbrem dimittet in herbas. ſic apud Horatium *nubes* dicuntur *Iouem deducere*. Lætus imber terram exhilarans eique fœcunditatem impertiens.

# PVB. VIRGILII MARONIS
## *ECLOGA VIII.*

### ARGVMENTVM.

Damon Niſæ amore captus queritur Mopſum ſibi eſſe prælatum. Alpheſibœus veneficam inducit, quæ philtris quibuſdam vt carminibus Daphnidem in ſui amorem alliciat.

*Propoſitio.*

*PAſtorum muſam Damonis & Alpheſibœi,*
*Immemor herbarum quos eſt mirata iuuenca*
*Certanteis, quorum ſtupefactæ carmine lynces,*
*Et mutata ſuos* a *requierunt flumina curſus:*
*Damonis muſam dicemus, & Alpheſibœi.*

*a* Vel ſenſus: flumina mutata ſuos curſus; vt Damonem & Alpheſibœum ſequerentur, poſtquam ad illos peruenere, requieuerunt vt illos audirent, id eſt Fluuij mutatis alueis acceſſerunt, ibique repreſſerunt curſus retenta ſuauitate cantus. Vel *requieuerunt* ſignificat actionem, vt è Propertio. l. 2. el. 23. *Iupiter Alcmenæ geminas requieuerat arctos* & Caluo in Ione *Sol quoque perpetuos meminit requieſcere curſus*, probant interpretes.

*Tu mihi* a, *ſeu magni* b *ſuperas iam ſaxa Timaui,*
*Siue oram Illyrici legis æquoris: en erit vnquam* *Inuocatio.*
*Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?*
*En erit, vt liceat totum mihi ferre per orbem*
*Sola Sophoclæo tua carmina* c *digna cothurno?*

a Subaudiendum *Tu mihi faue*. Plerique hunc locum interpretantur de Auguſto quo tempore adoleſcens adhuc, vt è Tranquillo conſtat, Dalmaticam expeditionem ſuſcepit, malim de Aſinio Pollione interpretari.

*Cui laurus æternos honores,*
*Dalmatico peperit triumpho.*

vt ſcribit Horat. 2. Carm. od. 1. vtrique igitur conuenit quòd ierit in Dalmatiam quòd ſaxa Timaui, ideſt rupem è qua ſcaturit Timauus ſuperarit, quod oram Illyrici maris legerit, raſeritue, ideſt in Hadriatico mari prope littus nauigarit. Vtrique etiam conuenire poteſt ille verſus.

*Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.*

Scripſit enim Auguſtus tragœdiam Aiacem, quam cùm non abſolueret, in ſpongiam incubuiſſe dicebat, auctore Tranquillo. Scripſit etiam Pollio tragœdias non Latine ſolum, ſed etiam Græce. Horatius loco citato.

*Paulùm ſeueræ Muſa tragœdię,*
*Deſit theatris: mox vbi publicas*
*Res ordinaris, grande munus,*
*Cecropio repetes cothurno.*

Sed quod ſequitur vtrique perinde quadrare non poteſt.

—— *accipe iuſſis* *Carmina cœpta tuis.* ——

Si quidem vt auctor eſt Seruius in Poëtæ vita, *ei propoſuit Pollio vt carmen bucolicum ſcriberet*, Non iuſſis Auguſti, ſed Pollionis carmina cœpta ſunt, quæ nunc offeruntur

b Timauus propter magnitudinem ab incolis mare nominatur, vt ex Varrone notat Seruius in primum Æneidos.

c Vel carmina quæ de te ſcripſi, vt Cerdanus interpretatur vel, vt cæteri malunt interpretes, carmina quæ tu ſcribis, videlicet tragœdias. Præterquam quod enim eſt inuſitata locutio *carmina tua*, ideſt carmina de te ſcripta, non eſt tam inſolens Poëta vt ſuos verſus cæteris omnibus anteponat, eoſque ſolos Sophoclæo cothurno dignos eſſe contendat.

*A te principium, tibi deſinet, accipe iuſsis*
*Carmina cœpta tuis, atq; hunc ſine tempora circum*
*Inter victrices hederam* a *tibi ſerpere lauros,*
*Frigida vix cœlo noctis deceſſerat vmbra,*
*Cùm ros in tenera pecori gratiſsimmus herba eſt,*
*Incumbens tereti Damon ſic cœpit oliuæ.*
Da. *Naſcere, præque diem* b *veniens age Lucifer almum,*
*Coniugis indigno Niſæ deceptus amore*
*Dum queror, & diuos, quanquam nil teſtibus illis*
*Profeci* c *extrema moriens tamen alloquor hora.*
*Damonis querela de perfidia Niſę.*
*Incipe Mænalios* d *mecum mea tibia verſus,*
*Mænalus argutúmq; nemus, pinóſque loquentes*
*Semper habet, ſemper paſtorum ille audit amores*
*Panáque qui primus calamos* e *non paſſus inertes.*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*

Adde quod cothurnus eſt calceamentum tragicum formæ altioris, conuenit non verſibus heroicis & epicis, ſed tragœdiis.

*a* Hanc meam poëſim humilem & repentem, hederâ coronantur poëtæ, vt triumphantes lauro.

*b* Damon Niſæ amore captus dolenſque Moſpum ſibi prælatum noctem inſomnem produxerat: die igitur apparente, luciferum orat vt celeriter oriatur, & præueniens ſiue antecedens diem, cum agat, ideſt adducat.

*c* Alloquor Deos, etſi nihil mihi profuit, quod Niſa mihi promiſerat ſuum coniugium, Deoſque fidei datæ teſtes adhibuerat.

*d* Paſtorales: à Mænalo monte Arcadiæ.

*e* Ecloga 2.

*Pan Primus calamos cera coniungere plures*
*Inſtituit.*

Inertes erant calami priuſquam ex iis fiſtula fieret: eos inertes eſſe non eſt paſſus Pan, cùm ex iis fiſtulam compoſuit.

*Mopſo*

*Mopſo Niſa datur: quid non ſperemus amantes?* a
*Iungentur iam gryphes equis, æuóque ſequenti*
*Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.*
*Mopſe nouas incide faces* b, *tibi ducitur vxor.*
*Sparge marite nuces* c: *tibi deſerit Heſperus Oetam* d.

*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*
*O digno coniuncta viro, dum deſpicis omnes,*
*Dúmque tibi eſt odio mea fiſtula, dúmque capellæ,*
*Hirſutúmque ſupercilium promiſſaque barba,*

*Indignatur Mopſu ſibi præferri*

*Ironia.*

a Marito fœdiſſimo coniux pulcherrima. Quando quidem fieri potuit vt Niſa Mopſo iungeretur, nihil ampliùs erit incredibile, nec abſurdum erit gryphes equis, canibus damas copulari.

b Amara quadam indignatione Mopſum hortatur, vt celebret nuptias & primùm attingit faces nuptiales. Vxori ſiquidem, cum domum mariti ducebatur, præferebantur faces quinque. Senſus eſt igitur. ô Mopſe præpara faces ad ducéndum vxorem, eáſque in ſpicæ ſimilitudinem incide ideſt, accipe in longum minutis virgulis vt facilius ardorem concipiant 1. Georg. *Ferroque faces inſpicat acuto.* De ritu, vt cæteros omittam, Catullus Epithalamio.

*Virgo adeſt, viden' vt faces — Splendidas quatiant comas?*

c Et hoc de ritu nuptiarum. Spargebant enim mariti nuces pueris, vel per ſeipſos, vel per eos quos concubinos vocabant. Catullus ibidem.

*Nec diu taceat procax Feſcennina locutio: Neu nuces pueris neget*
*Deſertum domini audiens — Concubinus amorem.*
*Da nuces pueris iners Concubine: ſatis diu Luſiſti nucibus: lubet*
*Iam ſeruire Thalaſſio — Concubine nuc es da.*

d Catullus. *Iamdudum Oetæos oſtendit noctifer ignes.* Commode verò Cerdanus profert Liuium lib. 46. *Extremos ad orientem montes Oetam vocant*, atque hinc factum vt dies, nox, ſol, ſidera dicantur oriri ab Oeta: Virgilius in culice.

*Et piger aurato procedit veſper ab Oeta.*

*Narrat initium ſui amoris.*

*Nec curare deûm a credis mortalia quenquam,*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus,*
*Sæpibus in noſtris paruam te, roſcida b mala,*
*(Dux ego veſter eram) vidi cum matre legentem;*
*Alter ab vndecimo c tum me iam cœperat annus,*
*Iam fragiles poteram à terrâ contingere ramos.*
*Vt vidi d! vt perij! vt me malus abſtulit error!*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*

*Amorem execratur.*

*Nunc ſcio, quid ſit amor. duris in cotibus illum*
*Iſmarus e, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,*
*Nec noſtri generis f puerum, nec ſanguinis edunt,*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*

*Amoris crudelitas.*

*Sæuus amor docuit natorum ſanguine g matrem*
*Commaculare manus: crudelis tu quoque mater.*
*Crudelis mater magis, an puer improbus ille?*
*Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*

*a* Perinde deſpicis omnes, vt ſi nullum deum putares rebus humanis prouidere, & de ſuperbis ſumere vltionem.

*b* Matutino rore perfuſa poma.

*c* Decimum tertium ætatis annum inieram, *alter enim de duobus dicimus*, vt Seruius aduertit.

*d* Vt per exclamationem. O qualiter vidi! ô vt perij & amore contabui! ô vt error malus me abſtulit, tranſuerſum egit, à mente alienauit!

*e* Iſmarus & Rhodope Traciæ montes Garamantes populi in extrema Africa, alii legunt *Aut Timarus*. eſtque mons Epiri.

*f* Nihil humanitatis habentem.

*g* Amor docuit Medeam filios ſuos occidere cùm ab Iaſone ſperneretur, & repudiaretur ſuper inductâ Creuſa Ouid. 2. Triſt.

*Tingeret vt ferrum natorum ſanguine mater,*
*Concitus à læſo fecit amore dolor.*

Puer autem eſt amor qui pingitur forma puerili.

*Nunc & oues a vltro fugiat lupus: aurea duræ*
*Mala ferant quercus: narciſſo floreat alnus:*
*Pinguia corticibus ſudent electra* b *myricæ.*
*Certent & cycnis vlulæ, ſit Tityrus Orpheus,*
*Orpheus in ſyluis, inter delphinas Arion* c.
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*
*Omnia vel medium fiant mare* d, *viuite* e *ſyluæ.*
*Præceps aërij* f *ſpeculâ de montis in vndas* Damon mori decernit.
*Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.*
*Deſine Mænalios, iam deſine tibia verſus.*
*Hæc Damon. vos, quæ reſponderit Alpheſibœus,*
*Dicite Pierides: non omnia poſſumus omnes.*

a Quando quidem res tam incredibilis contigit vt Mopſo Niſa iungeretur, omnia contingant in poſterum à quibus natura maximè abhorret.

b Succinum intelligitur, quod arbores ad Erydanum exudare dicuntur.

c Arion Leſbius fuit Citharœdus, qui cùm à nautis ipſius pecuniæ inhiantibus ad necem peteretur, in mare deſiliit, & Delphini tergo exceptus ad littus delatus eſt.

d Putat Germanus alludi ad illum ſenarium,

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
*Moriente me vel ignis inuoluat ſolum.* quaſi dicat:

Humana nihil iam ad me pertinent, cùm ſim breui moriturus: cuncta miſceantur, omnia fiant mare.

e Valete ſyluæ: renuntio vobis.

f Præcipitabo me in mare. Putant interpretes alludi ad Leucadem petram, vnde ſe præcipites dabant, quibus amor malè ſucceſſerat, vt Sappho de qua Statius 5. Syluarum.

*Nec formidatâ temeraria Leucade Sappho.*

Montem appellat aërium tam altum & præcipitem vt in aëre vacuo pendere videatur.

AL. *Effer aquam* a, *molli cinge* b *hæc altaria vitta*,
*Verbenáſq;* c *adole* d *pingues & maſcula thura* e:

*a* Alpheſibœus, veneſica.n. inducit ſacris quibuſdam magicis & carminibus peruertentem ſenſus Daphnidis mariti ſui & loquentem cum Amaryllide horum ſacrorum adminiſtra. Et primò quidem non ait, *affer aquam* quod poterat omni aquæ conuenire, ſed *effer*, ideſt deprome, vt ſignificet aquas diu apud ſe ſeruatas, & magicas, non enim vulgarem aquam ſuis ſacris adhibebat, ſed vel *latices ſimulatos fontis auerni*, vt dicitur 4. Æneidos, vel petitas à Meroe aquas, vt ait Iuuenalis ſat. 6. vel alias eiuſmodi.

*b* De more templa enim & aras vittis mollibus, ideſt laneis, & vt Theocritus ait in ſua Pharmaceutria φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ *purpureo ouis* vellere tegebant, & coronabant, vnde 4. Æneidos verſu 459.

*c* Turnebus lib. 19. Aduerſ. cap. 27. nihil ait aliud ſignificari, quàm adole vel frutices, vel virgas & ramos pingues, vt flammam ignemque facile concipiant, quales ſunt pineæ, myrteæ, laureæ, oleaginæ virgæ: nam verbenæ nomen in ſacris ita accipiebatur, vt non tantùm herbam ſignificaret certam; ſed omnem & frondem & ramum. frequenter tamen verbenam vocabant herbam ex arce cum ſua terra euulſam. Vide Plinium lib. 22. cap. 2. Notat Cerdanus à Plinio lib. 15. cap. 29. Myrteam verbenam appellari.

*d* Adole. Vox eſt ſacrorum; vt 1. Æneidos *Flammis adolere penates*. Nonius Marcellus *Adolere verbum eſt proprium ſacra reddentiũ, quod ſignificat votis ac ſupplicationibus numen auctius facere, vt eſt in iiſdem, macte eſto*. Varro à Porphyrione laudatus *Mactare verbum eſt ſacrorum* κατ' εὐφημισμὸν *dictum quaſi magis augere, vt adolere*. Adolentur non ſolùm Dij, ſed etiam victimæ Accius Caſſius apud Diomedem Grammaticum, *Sic eſt contra Ægyptiis maximum ſacrificium, vbi integrum anſerem adoleuerint*. Vide Notas ad illa verba Vatinianæ parag. 14. *puerorum extis deos manes mactare*.

*e* Dioſcorides l. 1. c. 78. *Primatum tenet in eo genere maſculum, ſtagoniastipum appellatum ſuapte natura rotundũ*. Pli: *Quod ex eius rotunditate guttæ pependit, maſculum vocamus: cùm alias non fere maſ vocetur, vbi non ſit fœmina religione tributum ne ſexus alter vſurparetur*.

*Conjugis vt magicis ſanos a auertere a ſacris*
*Experiar ſenſus. nihil hîc* b *niſi carmina deſunt.* *Sacri magici apparatus.*
*Ducite ab vrbe domũ mea carmina, ducite Daph-*
*Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam: (nim.*
*Carminibus Circe* c *ſocios mutauit Vlyſſis.*
*Frigidus* d *in pratis cantando* e *rumpitur anguis.* *Vis incantationum.*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daph-*
*nim.*
*Terna tibi* f *hæc primùm triplici diuerſa colore*
*Licia circundo, térque hæc altaria circum*
*Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.* *Vis ternarii numeri.*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daph-*
*Necte tribus nodis ternos Amarylli colores: (nim.*
*Necte Amarylli modò, & Veneris, dic, vincula* *Vinculum Veneris*
*necto. (nim.*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daph-*

a Vt ſacris magicis Daphnidem meum coniugem dementare coner, & amore mei à ſanitate mentis abducere.
b Omnia iam ad magicum ſacrificium parata ſunt, *nihil hîc* deeſt, *niſi* quòd *carmina*, & incantationes *deſunt.*
c Vide 7. Æneidos verſu 18.
d Venatus, quia pleráque venena conſtant exceſſu frigoris.
e Dum incantatur vt *vtrique videndo fœmina.* dum videtur.
f Venefica duas Daphnidis imagines effixerat: alteram è cerâ, è limo alteram. Alloquitur igitur Daphnidem in effigie. Tibi, ô Daphni, primum, ideſt ipſo incantationis initio, tibi, inquam, vel potiùs tuæ imagini circundo & circumligo terna licia triplici diuerſa colore. 1. interprete Seruio *tria alba, tria roſea, & tria nigra, & bene vtitur liciis, quę ita ſtamen implicant, vt hæc adoleſcentis mentem implicare contendit.* Quæ nouem licia tribus deinde nodis ligat Amaryllis. Virgilius in Ceiri.

*Terque nouena ligat triplici diuerſa colore Fila,*

*Effigies magica, mola, laurus.*

*Limus vt hic* a *dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit*
*Vno eodémque igni: ſic noſtro Daphnis amore.*
*Sparge molam* b, *& fragileis* c *incende bitumine* d *lauros,*
*Daphnis me malus vrit* e*: ego hanc in Daphnide laurum.*
*Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.*

a Commodè Seruius *Fert illa duas imagines, alteram ex limo, quæ ex igne fit durior: alteram ex cerâ quæ igne ſoluitur, vt videlicet mens amatoris ita dureſceret ad illam quam tunc amabat, omneſque alias ſicut ad ignem & ad ſe ita molliretur & ſolueretur amore, vt cera ad ignem liqueſcit.*

b Ideſt far & ſalem, ſiue fruges ſalſas: de quo vide 2. Æneid. 132. & lib. 12. verſu 173. Turnebus dicit propriè eſſe hordeum torrefactum frictumue, κριθὴν πεφρυγμένην.

c Idem Turnebus fragiles dici putat à fragore, ſi quidem vt ait Lucretius,

*—Parnaſſia laurus*
*Terribili ſonitu flammâ crepitante crematur.*

Nam cùm quæ franguntur, repent, fit proinde vt & fragor interdum ſit ſonus, & fragilis ſonans. vnde & Lucretius.

*Et fragiles ſonitus cartharum commeditatur*

Huius autem crepitus rationem habebant, Tibullus lib. 2.

*Vt ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis,*
*Omine quo felix & ſacer annus eat.*

Vide Cerdanum multa exquiſita congerentem. Poſſint etiam dici fragiles vel ob ſiccitatem, vel ob gracilitatem, quò facile frangantur

d Bituminis natura vicina eſt ſulphuri. de quo plura Plinius lib. 15. c. 15. Ioſephus lib. 4. de excidio cap. 27 & alij. *Benè* autem aduertit Seruius, *quod conglutinet & ardet ad veneficium adſumitur, vt glutinetur & ardeat ad amorem maritus.*

e Amore ſui me inflammat Daphnis: ego viciſſim hanc laurum incendo ſupra ipſius effigiem.

*Talis amor* a *Daphnin, qualis cùm feſſa iuuencum* | Imprecatio.
*Per nemora, atque altos quærendo bucula lucos,*
*Propter aquæ riuum viridi procumbit in vluâ* | exuuiæ Daphnidis in limine defoſſæ.
*Perdita,* b *nec ſeræ meminit decedere nocti:*
*Talis amor teneat, nec ſit mihi cura mederi.*
*Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.*
*Has olim* c *exuuias mihi perfidus ille reliquit,*
*Pignora cara ſui: quæ nunc ego limine in ipſo*
*Terra tibi mando, debent hæc pignora Daphnim.*
*Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena*
*Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.* | Herbæ magicæ.
*His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſyluis*
*Mœrim, ſæpe animas imis excire* d *ſepulcris,*
*Atque ſatas* e *aliò vidi traducere meſſes.*

*a* Videns venefica non prodeſſe ſibi ſuas incantationes, neque Daphnim adhuc venire, ad diras conuertitur, eique imprecatur vt amore inſaniat: quod comparatione buculæ iuuencum perditè amantis illuſtrat.

*b* Miſerè & efflictim amans, amore tabefacta, nec meminit cedere & obtemperare ſeræ, id eſt multæ & profundæ nocti, iubenti vt ad ſtabulum reuertatur. *Decedere* eſt quaſi honorare, ſuperiorem agnoſcere, obedire.

*c* Aduertens ſibi priores incantationes non ſuccedere, ad validiorem magiam conuertitur, & primo quidem Daphnidis veſtes, quas amoris teſtandi cauſa reliquerat, defodit in terram ſub ipſo domus limine: quæ pignora Daphnim occulta quadam vi magica vel inuitum debebant adducere, deinde herbas venenoſas adhibet è Ponto collectas.

*d* Elicere, euocare, vide Vatinianam. parag. 14.

*e* Seruius. Magicis quibuſdam artibus hoc fiebat, vnde eſt in xij. tabulis.
*Neue herbam ſegetem pellexeris.* Tibull. lib. II. el. 8.
*Cantus vicinis fruges traducit ab agris.*

*Ducite ab vrbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.*
*Fer cineres Amarylli foras, riuóque fluenti,*
Cineres efferri iubentu. *Tranſq; caput iace, nec reſpexeris: his ego Daphnim*
*Aggrediar, nihil ille deos, nil carmina, curat.*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.*
*Aſpice* b *corripuit tremulis altaria flammis*
Omen ex igne. *Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe: bonum ſit.*
*Neſcio quid certè eſt* c *& Hylax* d *in limine latrat.*
*Credimus? an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?*
*Parcite ab vrbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.*

*a* Quandoquidem Daphnis incantationibus non cedit, validiſſimum magiæ genus adhibeo, iactatione cineris illum aggrediar & expugnare tentabo.

*b* Moras trahebat Amaryllis, nec vt iuſſa fuerat, cinerem foras efferebat: interim cinis ipſe concepit incendium, & tremulis criſpantibúſque flammis corripuit altaria, ex quo bene cœpit augurari. Aſpice, inquit ô hera dum ferre moror cinerem foras, & trans caput iacere, ſponte ſuâ, nullo excitante, ex ipſo cinere flamma emerſit, quod felix, fauſtum, fortunatumque opto euenire.

*c* Nonnius & alij poſt illum accipiunt vocem *quid* pro aliquid hac ſententiâ: Ego certè neſcio quid ſit, cum ſim horum ſacrorum imperita, ſed aliquid eſt magnum. Sed liquidior erit ſenſus, Ego certè neſcio quid ſit,

*d* Nomen canis ab ὑλάω latro.

# PVB. VIRGILII MARONIS

## ECLOGA IX.

### ARGVMENTVM.

Mœris Menalcæ, ideſt Virgilij villicus, queritur de inſolentia Arij centurionis qui Virgilium pene occiderat, deinde cum Lycidâ Mantuam proficiſcens itineris tædium variis ſubleuat cantilenis.

Ly. *QVò te Mœri pedes* a, *an, quò via ducit in vrbem?*
Moe. *O Lycida, viui peruenimus, aduena noſtri,*
*Quòd nunquam veriti ſumus, vt poſſeſſor* b *agelli*
*Diceret: hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.* — Queritur mœris.
*Nunc victi triſtes, quoniam ſors omnia verſat,*
*Hos illi* c *(quod nec bene vertat) mittimus hædos*

a O Mœri quò pergis? quò te pedes ducunt; an in vrbem Mantuam quò via ducit.

b Arius Centurio cui aſſignatus fuerat ager Virgilij poſſidendus. Quod autem ait, *viui peruenimus* videtur hanc vim habere, vt de vitæ tot calamitati bus obnoxiæ longitudine queratur, quaſi moriendum fuerit priùs quàm in has miſerias incidendum.

c Ario Centurioni qui Virgilii prædium occupauit deferimus hos hœdos, è quibus precor vt nihil commodi perci-

*Vix credit Lycidas.*

Ly. *Certè equidem audieram* a, *quâ ſe ſubducere* b *colles*
*Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo,*
*Vſque ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi,*
*Omnia carminibus veſtrum ſeruaſſe Menalcam.*

*Mœris auget querelas.*

Me. *Audieras & fama fuit: ſed carmina tantùm*
*Noſtra valent, Lycida, tela inter Martia, quantùm*
*Chaonias* c *dicunt aquilâ veniente columbas.*
*Quod niſi* d *me, quacunque nouas incidere lites*
*Ante ſiniſtra* e *caua monuiſſet ab ilice cornix;*
*Nec tuus hic Mœris, nec viueret ipſe Menalcas.*

*Lycidas exhorreſcit.*

Ly. *Heu cadit* f *in quenquam tantũ ſcelus? heu tua*

piat. Virgilius enim poſtquam pene occiſus eſt ab Ario Centurione, Romam proficiſci ſtatuit, vt à Cæſare aliquid impetraret, & mandauit procuratoribus ſuis vt interim agros ſuos tuerentur, & ad tempus obſequerentur Ario, cúmque muneribus & obſequio placarent. Quod nunc Mœris facit ſed inuitus & indignans

*a* Audieram veſtrum Menalcam, ideſt Virgilium carminibus ſuis conſeruaſſe totum illum agrum, qui ex vna parte iugo molliter decliui, ex alia Mincio fluuio, ex alia veteri & iam areſcente fago terminatur. Hi ſunt autem limites agri Virgiliani, vel potiùs Mantuani, qui fuerat aſſignatus veteranis, cùm Cremonenſis ager non ſufficeret.

*b* Qua parte colles incipiunt ſe quodammodo retrahere, recedere, & vallem facere latiorem.

*c* Epiroticas. Species pro genere, tum quia columbis abundat Epirus, tum quia columbæ ibi credebantur reddere oracula.

*d* Niſi augurio columbæ inſidentis ilici carioſæ, & inde garrientis præmonitus omnes iurgiorum & nouarum litium occaſiones amputaſſem: neque ego, neque Menalcas, id eſt Virgilius, viueremus, nos enim Arius intereniſſet.

*e* Ab læua parte apparens.

*f* Eſtne quiſquam adeo ſceleratus vt Virgilium necare con-

*nobis.*
*Penè ſimul tecum ſolatia rapta Menalca?*
*Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis*
*Spargeret? aut viridi fontes induceret* a *umbrâ;*
*Vel quæ ſublegi* b *tacitus tibi carmina nuper,*
*Cum te ad delicias ferres Amaryllida noſtras?*
*Tytire dum redeo (breuis eſt via) paſce capellas:*
*Et potum paſtas age Tytire* c *& inter agendum*
*Occurſare capro (cornu ferit ille) caueto.*
Mœ. *Immò hæc* d *: quæ Varo necdum perfecta canebat.*

*Laudat Menalcæ carmina.*

tendat: Heu quam parum abfuit quia tu nobis eriperere ô Virgili & ſimul tecum perirent illa tua carmina quæ animo iam deſignaſti, quæque nobis in hac temporum calamitate poterant eſſe ſolatio *Latenter* inquit Seruius, *tempora carpit Auguſti, quibus carmina non oblectamẽto fuerant, ſed ſolatio quod infelicium eſſe conſueuit.*

*a* Quis ad honorem Nympharum fontes ramis inumbraret, de more Eccl. 5. verſu 39.

*Spargite hum um foliis, inducite fontibus vmbras.*

*b* Particula *vel* initio orationis frequenter indignationem continet. vt 11. Æneidos verſu 405. oſtendimus. *Vel cum ſe pauidum*, &c. Poteſt igitur hæc elici ſententia Quam indignum eſt pene nobis cum ſuo auctore, perinde illa carmina, quæ tibi nuper, ô Menalca *ſublegi tacitus* ideſt clam intercepi, & ſuffuratus ſum te neſciente: Vel quia ſuperius dixerat. *Quis caneret Nymphas?* &c. Eadem verba. *Quis caneret*, iterum ſupplenda ſunt Vel quis, niſi tu, caneret eiuſmodi carmina cuiuſmodi tu cecinisti, tibique ſuffuratus ſum cùm te ad Amaryllidem communem amicam conferres? Romam intelligit, vt ecloga prima.

*c* Recitat Lycidas tria carmina, quæ fecerat Virgilius Romam proficiſcens.

*d* Immò verò ô Lycida, quanto ſunt iſta meliora, quæ Quintilio Varo canebat, quamuis nondum perfecta & abſoluta:

*Eadem laudat Mœris.*

*Vare* a *tuum nomen, ſuperet modo Mantua nobis,*
*Mantua væ miſere nimiùm vicina Cremonæ,*
*Cantantes ſublime ferent ad ſidera cycni.*
Ly. *Sic tua* b *Cyrnæas fugiant examina taxos:*

*Petit Lycidas audire verſus ab ipſo Mœri factos.*

*Sic cythiſo paſtæ diſtentent vbera vaccæ:*
*Incipe, ſi quid habes, & me fecere Poëtam,*
*Pierides: ſunt & mihi carmina: me quoq; dicunt*
*Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis,*
*Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna*
*Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer* c *olores*
Mœ. *Id quidem ago, & tacitus, Lycida, mecum ipſe voluto,*

*Annuit Mœris.*

*Si valeam meminiſſe: neque eſt ignobile carmen.*
*Huc ades* d *ô Galatea, quis eſt nã ludus in vndis?*

*a* O Vare, Cyrni. i poëtæ Mantuani, ſublimè ferent, id eſt, altè efferent ad ſidera nomen tuum, dummodò nobis conſeruetur ager Mantuanus, nec atribuatur veteranis. Victis Bruto & Caſſio, Triumũiri Cremonemſium agros, qui pro Bruto & Caſſio ſenſerant, dederunt militibus ſuis. Qui agri, cùm non ſufficerent, his addiderunt agros Mantuanos, ſublatos non propter ciuium culpam, ſed propter vicinitatem Cremonenſium. vnde.

*Mantua væ Miſeræ, &c.*

*b* Incipe canere, ſi quid habes nouæ cantilenæ: & vt tu meis precibus annueris, ita precor, vt Dij tuis ipſius votis obſecundent, & apum tuarum examina euitent taxos melli noxias, quæ arbores frequenter naſcuntur in Inſulâ Cyrnæ, quam alij Corſicam appellant. Ita etiam precor, vt vaccæ tuæ cythiſo paſtæ tantum lactis habeant vt earum vbera turgeſcant & lactis copia deſtendantur: taxus vernaculo *de l'If*, cythiſus genus fruticis incani, ad ſimilitudinem rhamni, cubitalibus ramis, foliis inſtar trifolij.

*c* Ego Cinnæ & Varo poëtis comparatus ſum inſtar anſeris ſtriduli inter cycnos canoros ſtrepentis: putat Seruius Virgilium alludere ad poëtam quendam inſulſum, nomine Anſerem, qui ſcripſit geſta Antonij.

*Hîc ver purpureum, varios hîc flumina circùm*
*Fundit humus flores, hic candida populus antro*
*Imminet & lentæ texunt umbracula vites.*
*Huc ades: inſani feriant ſine lictora fluctus.*
Ly. *Quid, quæ te purâ ſolum ſub nocte canentem*
*Audieram? numeros memini* a, *ſi verba tenerem.*
Mœ. *Daphni quid antiquos* b *ſignorum ſuſpicis ortus?*
*Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,*
*Aſtrum, quo ſegetes* c *gauderent frugibus, & quo*
*Duceret apricis in collibus vua colorem.*
*Inſere Daphni Pyros* d, *carpent tua poma nepotes:*

4 Quinque ſequentes verſus ſunt Polyphemi inuitantis ad ſe Galateam, vt mare relinquat, & ad ſe veniat in locum amœnum.

a Memini metra, ſiue rhythmum & cantum, ſed ipſa verba exciderunt, vel potiùs cùm obiter duntaxat audierim, non potui memoriæ mandare.

b Eſt enallage pro *antiquorum*, ô Daphni, quid admirabundus ſpectas & ex inferiore loco intueris antiqua ſigna, ſiue conſtellationes, quæ ab ipſo rerum initio in cœlo poſitæ ſunt orientes. Ecce nunc ſidus longè dignius ſpectaculo, ecce proceſſit & cum maieſtate pompaque exortum eſt aſtrum Iulij Cæſaris qui à Dione matre Veneris Dionæus vocatur, ad quã Cæſar genus ſuũ referebat. Aſtrum pro ſtella poſuit, quæ poſt mortem Cæſaris apparuit, de qua vide 8. Æneid v.680.

c Significat menſem Iulium, qui à Iulio Cæſare nomen accepit quo menſe & ſegetes matureſcunt, & vuæ ducunt colorẽ. id eſt incipiũt liueſcere, in collibus apricis & ſoli expoſitis.

d () Daphni, cole agros, inſere pyros, ſecurus huius nouæ ſtellæ fiduciâ, tantam enim hæc ſtella felicitatem humano generi pariet, vt ad nepotes peruentura ſit maiorum ſuorum hæreditas; ac proinde cum pyros inſeres terramque coles. vtilitas & fructus tui laboris in tuos paſtores redundabit, non transferetur ad alienos.

# PVB. VIRGILII MARONIS

## *ECLOGA VIII.*

### ARGVMENTVM.

Damon Niſæ amore captus queritur Mopſum ſibi eſſe prælatum. Alpheſibœus veneficam inducit, quæ philtris quibuſdam vt carminibus Daphnidem in ſui amorem alliciat.

*Propoſitio.*

*PActorum muſam Damonis & Alpheſibœi,*
*Immemor herbarum quos eſt mirata iuuenca*
*Certanteis, quorum ſtupefactæ carmine lynces,*
*Et mutata ſuos* a *requierunt flumina curſus:*
*Damonis muſam dicemus, & Alpheſibœi.*

*a* Vel ſenſus: flumina mutata ſuos curſus, vt Damonem & Alpheſibœum ſequerentur, poſtquam ad illos peruenere, requieuerunt vt illos audirent, id eſt Fluuij mutatis alueis acceſſerunt, ibique repreſſerunt curſus retenta ſuauitate cantus. Vel *requieuerunt* ſignificat actionem, vt è Propertio. l. 2. el. 23. *Iupiter Alcmenæ geminas requieuerat arctos* & Caluo in Ione *Sol quoque perpetuos meminit requieſcere curſus*, probant interpretes.

*Tu mihi* a, *ſeu magni* b *ſuperas iam ſaxa Timaui,* *Innoca-tio.*
*Siue oram Illyrici legis æquoris: en erit vnquam*
*Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?*
*En erit, vt liceat totum mihi ferre per orbem*
*Sola Sophocleo tua carmina* c *digna cothurno?*

a Subaudiendum *Tu mihi fane*. Plerique hunc locum interpretantur de Auguſto quo tempore adoleſcens adhuc, vt è Tranquillo conſtat, Dalmaticam expeditionem ſuſcepit, malim de Aſinio Pollione interpretari.

*Cui laurus æternos honores,*
*Dalmatico peperit triumpho.*

vt ſcribit Horat. 2. Carm. od. 1. vtrique igitur conuenit quòd ierit in Dalmatiam quòd ſaxa Timaui, ideſt rupem è qua ſcaturit Timauus ſuperarit, quod oram Illyrici maris legerit, raſeritue, ideſt in, Hadriatico mari prope littus nauigarit. Vtrique etiam conuenire poteſt ille verſus.

*Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.*

Scripſit enim Auguſtus tragœdiam Aiacem, quam cùm non abſolueret, in ſpongiam incubuiſſe dicebat, auctore Tranquillo. Scripſit etiam Pollio tragœdias non Latine ſolum, ſed etiam Græce. Horatius loco citato.

*Paulùm ſeueræ Muſa tragœdiæ,*
*Deſit theatris: mox vbi publicas*
*Res ordinaris, grande munus,*
*Cecropio repetes cothurno.*

Sed quod ſequitur vtrique perinde quadrare non poteſt.

——— *accipe iuſſis* *Carmina cœpta tuis.* ———

Si quidem vt auctor eſt Seruius in Poëtæ vita, *ei propoſuit Pollio vt carmen bucolicum ſcriberet*, Non iuſſis Auguſti, ſed Pollionis carmina cœpta ſunt, quæ nunc offeruntur

*b* Timauus propter magnitu dinem ab incolis mare nominatur, vt ex Varrone notat Seruius in primum Æneidos.

c Vel carmina quæ de te ſcripſi, vt Cerdanus interpretatur vel, vt cæteri malunt interpretes, carmina quæ tu ſcribis, videlicet tragœdias. Præterquam quod enim eſt inuſitata locutio *carmina tua*, ideſt carmina de te ſcripta, non eſt tam inſolens Poëta vt ſuos verſus cæteris omnibus anteponat, eoſque ſolos Sophoclæo cothurno dignos eſſe contendat.

*A te principium, tibi deſinet, accipe iuſſis*
*Carmina cœpta tuis, atq; hunc ſine tempora circum*
*Inter victrices hederam* a *tibi ſerpere lauros,*
*Frigida vix cœlo noctis deceſſerat vmbra,*
*Cùm ros in tenera pecori gratiſſimmus herba eſt,*
*Incumbens tereti Damon ſic cœpit oliuæ.*
Da. *Naſcere, præque diem* b *veniens age Lucifer almum,*
*Coniugis indigno Niſæ deceptus amore*
*Dum queror, & diuos, quanquam nil teſtibus illis*
*Profeci* c *extrema moriens tamen alloquor hora.*
*Damonis querela de perfidia Niſę.*
*Incipe Mænalios* d *mecum mea tibia verſus,*
*Mænalus argutúmq; nemus, pinóſque loquentes*
*Semper habet, ſemper paſtorum ille audit amores*
*Panáque qui primus calamos* e *non paſſus inertes.*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*

Adde quod cothurnus eſt calceamentum tragicum formæ altioris, conuenit non verſibus heroicis & epicis, ſed tragœdiis.

*a* Hanc meam poëſim humilem & repentem, hederâ coronantur poëtæ, vt triumphantes lauro.

*b* Damon Niſæ amore captus dolenſque Moſpum ſibi prælatum noctem inſomnem produxerat: die igitur apparente, luciferum orat vt celeriter oriatur, & præueniens ſiue antecedens diem, cum agat, ideſt adducat.

*c* Alloquor Deos, etſi nihil mihi profuit, quod Niſa mihi promiſerat ſuum coniugium, Deoſque fidei datæ teſtes adhibuerat.

*d* Paſtorales: à Mænalo monte Arcadiæ.

*e*. Ecloga 2.

*Pan Primus calamos cera coniungere plures*
*Inſtituit.*

Inertes erant calami priuſquam ex iis fiſtula fieret: eos inertes eſſe non eſt paſſus Pan, cùm ex iis fiſtulam compoſuit.

*Mopſo*

*Mopſo Niſa a datur: quid non ſperemus amantes?*
*Iungentur iam gryphes equis, æuóque ſequenti* Indignatur Mopſo ſibi præferri
*Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.*
*Mopſe nouas incide faces* b, *tibi ducitur vxor.*
*Sparge marite nuces* c: *tibi deſerit Heſperus Oetam* d.

*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*
*O digno coniuncta viro, dum deſpicis omnes,* Ironia.
*Dúmque tibi eſt odio mea fiſtula, dúmque capellæ,*
*Hirſutúmque ſupercilium promiſſaque barba,*

a Marito fœdiſſimo coniux pulcherrima. Quando quidem fieri potuit vt Niſa Mopſo iungeretur, nihil ampliùs erit incredibile, nec abſurdum erit gryphes equis, canibus damas copulari.

b Amara quadam indignatione Mopſum hortatur, vt celebret nuptias & primùm attingit faces nuptiales. Vxori ſiquidem, cum domum mariti ducebatur, præferebantur faces quinque. Senſus eſt igitur. ô Mopſe præpara faces ad ducéndum vxorem, eáſque in ſpicæ ſimilitudinem incide ideſt; accipe in longum minutis virgulis vt facilius ardorem concipiant 1. Georg. *Ferróque faces inſpicat acuto.*
De ritu, vt cæteros omittam, Catullus Epithalamio.
*Virgo adeſt, viden' vt faces Splendidas quatiant comas?*

c Et hoc de ritu nuptiarum. Spargebant enim mariti nuces pueris, vel per ſeipſos, vel per eos quos concubinos vocabant. Catullus ibidem.
*Nec diu taceat procax Feſcennina locutio: Neu nuces pueris neget*
*Deſertum domini audiens Concubinus amorem.*
*Da nuces pueris iners Concubine: ſatis diu Luſiſti nucibus: lubet*
*Iam ſeruire Thalaſſio Concubine nuc es da.*

d Catullus. *Iam dudum Oetæos oſtendit noctifer ignes.*
Commode verò Cerdanus profert Liuium lib. 46. *Extremos ad orientem montes Oetam vocant*, atque hinc factum vt dies, nox, ſol, ſidera dicantur oriri ab Oeta: Virgilius in culice,
*Et piger aurato procedit veſper ab Oeta.*

Narrat initium ſui amoris.

*Nec curare deûm a credis mortalia quenquam,*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*
*Sepibus in noſtris paruam te, roſcida b mala,*
*(Dux ego veſter eram) vidi cum matre legentem;*
*Alter ab vndecimo c tum me iam cœperat annus,*
*Iam fragiles poteram à terrâ contingere ramos.*
*Vt Vidi d! vt perij! vt me malus abſtulit error!*

Amorem execratur.

*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*
*Nunc ſcio, quid ſit amor. duris in cotibus illum*
*Iſmarus e, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,*
*Nec noſtri generis f puerum, nec ſanguinis edunt,*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*

Amoris crudelitas.

*Sæuus amor docuit natorum ſanguine g matrem*
*Commaculare manus: crudelis tu quoque mater.*
*Crudelis mater magis, an puer improbus ille?*
*Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*

*a* Perinde deſpicis omnes, vt ſi nullum deum putares rebus humanis prouidere, & de ſuperbis ſumere vltionem.

*b* Matutino rore perfuſa poma.

*c* Decimum tertium ætatis annum inieram, *alter enim de duobus dicimus*, vt Seruius aduertit.

*d* Vt per exclamationem. O qualiter vidi! ô vt perii & amore contabui! ô vt error malus me abſtulit, tranſuerſum egit, à mente alienauit!

*e* Iſmarus & Rhodope Traciæ montes Garamantes populi in extrema Africa, alii legunt *Aut Timarus*. eſtque mons Epiri.

*f* Nihil humanitatis habentem.

*g* Amor docuit Medeam filios ſuos occidere cùm ab Iaſone ſperneretur, & repudiaretur ſuper inductâ Creuſa Ouid. 2. Triſt. *Tingeret vt ferrum natorum ſanguine mater,*
*Concitus à læſo fecit amore dolor.*

Puer autem eſt amor qui pingitur forma puerili.

*Nunc & oues a vltro fugiat lupus : aurea duræ*
*Mala ferant quercus : narciſſo floreat alnus:*
*Pinguia corticibus ſudent electra b myricæ.*
*Certent & cycnis vlulæ, ſit Tytirus Orpheus,*
*Orpheus in ſyluis, inter delphinas Arion c.*
*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.*
*Omnia vel medium fiant mare d, viuite e ſyluæ.* Damon moride- cernit.
*Præceps aërij f ſpeculâ de montis in vndas*
*Deferar : extremum hoc munus morientis habeto.*
*Deſine Mænalios, iam deſine tibia verſus.*
*Hæc Damon. vos, quæ reſponderit Alpheſibœus,*
*Dicite Pierides : non omnia poſſumus omnes.*

*a* Quando quidem res tam incredibilis contigit vt Mopſo Niſa iungeretur, omnia contingant in poſterum à quibus natura maximè abhorret.
*b* Succinum intelligitur, quod arbores ad Erydanum exudare dicuntur.
*c* Arion Leſbius fuit Citharœdus, qui cùm à nautis ipſius pecuniæ inhiantibus ad necem peteretur, in mare deſiliit, & Delphini tergo exceptus ad littus delatus eſt.
*d* Putat Germanus alludi ad illum ſenarium;

Εμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
*Moriente me vel ignitinuoluat ſolum.* quaſi dicat: Humana nihil iam ad me pertinent, cùm ſim breui moriturus : cuncta miſceantur, omnia fiant mare.
*e* Valete ſyluæ : renuntio vobis.
*f* Præcipitabo me in mare. Putant interpretes alludi ad Leucadem petram, vnde ſe præcipites dabant, quibus amor malè ſucceſſerat, vt Sappho de qua Statius 5. Syluarum.

*Nec formidatâ temeraria Leucade Sappho.*

Montem appellat aërium tam altum & præcipitem vt in aëre vacuo pendere videatur.

AL. *Effer aquam* a, *molli cinge* b *hæc altaria vitta,*
*Verbenáſq;* c *adole* d *pingues & maſcula thura* e

*a* Alpheſibœus veneficã inducit ſacris quibuſdam magicis & carminibus peruertentem ſenſus Daphnidis mariti ſui & loquentem cum Amaryllide horum ſacrorum adminiſtra. Et primò quidem non ait, *affer aquam* quod poterat omni aquæ conuenire, ſed *effer*, ideſt deprome, vt ſignificet aquas diu apud ſe ſeruatas, & magicas, non enim vulgarem aquam ſuis ſacris adhibebat, ſed vel *latices ſimulatos fontis auerni*, vt dicitur 4. Æneidos, vel petitas à Meroe aquas, vt ait Iuuenalis ſat. 6. vel alias eiuſmodi.

*b* De more templa enim & aras vittis mollibus, ideſt laneis, & vt Theocritus ait in ſua Pharmaceutria φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ *purpureo oui* vellere tegebant, & coronabant, vnde 4. Æneidos verſu 459.

*c* Turnebus lib. 19. Aduerſ. cap. 27. nihil ait aliud ſignificari, quàm adole vel frutices, vel virgas & ramos pingues, vt flammam ignemque facile concipiant, quales ſunt pineæ, myrteæ, laureæ, oleaginæ virgæ: nam verbenæ nomen in ſacris ita accipiebatur, vt non tantùm herbam ſignificaret certam: ſed omnem & frondem & ramum. frequenter tamen verbenam vocabant herbam ex arce cum ſua terra euulſam: Vide Plinium lib. 22. cap. 2. Notat Cerdanus à Plinio lib. 15. cap. 29, Myrteam verbenam appellari.

*d* Adole. Vox eſt ſacrorum; vt 1. Æneidos *Flammis adolere penates*. Nonius Marcellus *Adolere verbum eſt proprium ſacra reddentiũ, quod ſignificat votis ac ſupplicationibus numen auctius facere, vt eſt in iiſdem, macte eſto*. Varro à Porphyrione laudatus *Mactare verbum eſt ſacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum quaſi magis augere, vt adolere*. Adolentur non ſolùm Dij, ſed etiam victimæ Accius Caſſius apud Diomedem Grammaticum, *Sic eſt contra Ægyptiis maximum ſacrificium, vbi integrum anſerem adoleuerunt*. Vide Notas ad illa verba Vatinianæ parag. 14. *puerorum extis deos manes mactare.*

*e* Dioſcorides l. 1. c. 78. *Primatum tenet in eo genere maſculum, ſtagonias appellatum ſuapte natura rotundũ*. Plin. *Quod ex eius rotunditate guttæ pependit, maſculum vocamus: cùm alias non fere maſma vocetur, vbi non ſit fœmina religione tributum ne ſexus alter vſurparetur.*

*Conjugis vt magicis ſanos auertere a ſacris*
*Experiar ſenſus. nihil hîc* b *niſi carmina deſunt.* *Sacri-magici apparatus.*
*Ducite ab vrbe domũ mea carmina, ducite Daph-(nim.*
*Carmina vel cœlo poſſunt de ducere lunam:*
*Carminibus Circe* c *ſocios mutauit Vlyßis.*
*Frigidus* d *in pratis cantando* e *rumpitur anguis.* *Vis incantationum.*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daph-nim.*
*Terna tibi* f *hæc primùm triplici diuerſa colore*
*Licia circundo, térque hæc altaria circum*
*Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.* *Vis ternarii numeri.*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daph-(nim.*
*Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:*
*Necte Amarylli modò, & Veneris, dic, vincula necto.* *Vinculum Veneris*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daph-(nim.*

*a* Vt ſacris magicis Daphnidem meum coniugem dementare coner, & amore mei à ſanitate mentis abducere.
*b* Omnia iam ad magicum ſacrificium parata ſunt, *nihil hîc* deeſt, *niſi* quòd *carmina*, & incantationes *deſunt*.
c Vide 7. Æneidos verſu 18.
d Venatus, quia pleráque venena conſtant exceſſu frigoris.
e Dum incantatur vt *vtrique videndo fœmina.* dum videtur.
*f* Venefica duas Daphnidis imagines effinxerat: alteram è cerâ, è limo alteram. Alloquitur igitur Daphnidem in effigie. Tibi, ô Daphni, primum, ideſt ipſo incantationis initio, tibi, inquam, vel potiùs tuæ imagini circundo & circumligo terna licia triplici diuerſa colore. 1. interprete Seruio *tria alba, tria roſea, & tria nigra, & bene vtitur liciis, quę ita ſtamen implicant, vt hæc adoleſcentis mentem implicare contendit.* Quæ nouem licia tribus deinde nodis ligat Amaryllis. Virgilius in Ceiri.

*Terque nouena ligat triplici diuerſa colore Fila.*

*Talis amor* a *Daphnin, qualis cùm feſſa iuuencum* *Imprecatio. exuuiæ Daphnidis in limine defoſſæ.*
*Per nemora, atque altos quærendo bucula lucos,*
*Propter aquæ riuum viridi procumbit in vluâ*
*Perdita,* b *nec ſeræ meminit decedere nocti:*
*Talis amor teneat, nec ſit mihi cura mederi.*
*Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.*
*Has olim* c *exuuias mihi perfidus ille reliquit,*
*Pignora cara ſui: quæ nunc ego limine in ipſo*
*Terra tibi mando, debent hæc pignora Daphnim.*
*Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena*
*Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.* *Herbæ magicæ.*
*His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſyluis*
*Mœrim, ſæpe animas imis excire* d *ſepulcris,*
*Atque ſatas* e *aliò vidi traducere meſſes.*

*a* Videns venefica non prodeſſe ſibi ſuas incantationes, neque Daphnim adhuc venire, ad diras conuertitur, eique imprecatur vt amore inſaniat: quod comparatione buculæ iuuencum perditè amantis illuſtrat.

*b* Miſerè & efflictim amans, amore tabefacta, nec meminit cedere & obtemperare ſeræ, id eſt multæ & profundæ nocti, iubenti vt ad ſtabulum reuertatur. *Decedere* eſt quaſi honorare, ſuperiorem agnoſcere, obedire.

*c* Aduertens ſibi priores incantationes non ſuccedere, ad validiorem magiam conuertitur, & primo quidem Daphnidis veſtes, quas amoris teſtandi cauſa reliquerat, defodit in terram ſub ipſo domus limine: quæ pignora Daphnim occulta quadam vi magica vel inuitum debebant adducere, deinde herbas venenoſas adhibet è Ponto collectas.

*d* Elicere, euocare, vide Vatinianam. parag. 14.

*e* Seruius. Magicis quibuſdam artibus hoc fiebat, vnde eſt in xij. tabulis.

*Neue herbam ſegetem pellexeris.* Tibull. lib. II. el. 8.

*Cantus vicinis fruges traducit ab agris.*

*Ducite ab vrbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim,*
*Fer cineres Amarylli foras, riuóque fluenti,*
Cineres efferri iubentur. *Tranſq; caput iace, nec reſpexeris: his ego, Daphnim*
*Aggrediar, nihil ille deos, nil carmina, curat.*
*Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.*
*Aſpice* b *corripuit tremulis altaria flammis*
Omen ex igne. *Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe: bonum ſit.*
*Neſcio quid certè eſt* c *& Hylax* d *in limine latrat.*
*Credimus? an qui amant, ipſe ſibi ſomnia fingunt?*
*Parcite ab vrbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.*

*a* Quandoquidem Daphnis incantationibus non cedit, validiſſimum magiæ genus adhibeo, jactatione cineris illum aggrediar & expugnare tentabo.

*b* Moras trahebat Amaryllis, nec vt iuſſa fuerat, cinerem foras efferebat: interim cinis ipſe concepit incendium, & tremulis criſpantibúſque flammis corripuit alteria, ex quo bene cœpit augurari. Aſpice, inquit ô hera dum ferre moror cinerem foras, & trans caput iacere, ſponte ſuâ, nullo excitante, ex ipſo cinere flamma emerſit, quod felix, fauſtum, fortunatumque opto euenire.

*c* Nonnius & alii poſt illum accipiunt vocem *quid* pro aliquid hac ſententiâ: Ego certè neſcio quid ſit, cum ſim horum ſacrorum imperita, ſed aliquid eſt magnum. Sed liquidior erit ſenſus, Ego certè neſcio quid ſit,

*d* Nomen canis ab ὑλάω latro.

# PVB. VIRGILII MARONIS

## ECLOGA IX.

### ARGVMENTVM.

Mœris Menalcæ, ideſt Virgilij villicus, queritur de inſolentia Arij centurionis qui Virgilium pene occiderat, deinde cum Lycidâ Mantuam proficiſcens itineris tædium variis ſubleuat cantilenis.

Ly. *Quò te Mœri pedes a, an, quò via ducit in vrbem?*

Mœ. *O Lycida, viui peruenimus, aduena noſtri,*
*Quòd nunquam veriti ſumus, vt poſſeſſor* b *agelli*
*Diceret: hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.* Queritur mœris.
*Nunc victi triſtes, quoniam ſors omnia verſat,*
*Hos illi* c *(quod nec bene vertat) mittimus hædos*

a O Mœri quò pergis? quò te pedes ducunt; an in vrbem Mantuam quò via ducit.

b Arius Centurio cui aſſignatus fuerat ager Virgilij poſſidendus. Quod autem ait, *viui peruenimus* videtur hanc vim habere, vt de vitæ tot calamitati bus obnoxiæ longitudine queratur, quaſi moriendum fuerit priùs quàm in has miſerias incidendum.

c Ario Centurioni qui Virgilii prædium occupauit deferimus hos hœdos, è quibus precor vt nihil commodi perci-

*Vix credit Lycidas.*

Ly. *Certè equidem audieram* a*, quà ſe ſubducere* b *colles*
*Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo,*
*Vſque ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi,*
*Omnia carminibus veſtrum ſeruaſſe Menalcam.*

*Mœris auget querelas*

Me. *Audieras & fama fuit: ſed carmina tantùm*
*Noſtra valent, Lycida, tela inter Martia, quantùm*
*Chaonias* c *dicunt aquilâ veniente columbas.*
*Quod niſi* d *me, quacunque nouas incidere lites*
*Ante ſiniſtra* e *caua monuiſſet ab ilice cornix;*
*Nec tuus hic Mœris, nec viueret ipſe Menalcas.*

*Lycidas exhorreſcit.*

Ly. *Heu cadit* f *in quenquam tantũ ſcelus? heu tua*

piat. Virgilius enim poſtquam pene occiſus eſt ab Ario Centurione, Romam proficiſci ſtatuit, vt à Cæſare aliquid impetraret, & mandauit procuratoribus ſuis vt interim agros ſuos tuerentur, & ad tempus obſequerentur Ario, eúmque muneribus & obſequio placarent. Quod nunc Mœris facit ſed inuitus & indignans

*a* Audieram veſtrum Menalcam, ideſt Virgilium carminibus ſuis conſeruaſſe totum illum agrum, qui ex vna parte iugo molliter decliui, ex alia Mincio fluuio, ex alia veteri & iam areſcente fago terminatur. Hi ſunt autem limites agri Virgiliani, vel potiùs Mantuani, qui fuerat aſſignatus veteranis, cùm Cremonenſis ager non ſufficeret.

*b* Qua parte colles incipiunt ſe quodammodo retrahere, recedere, & vallem facere latiorem.

*c* Epiroticas. Species pro genere, tum quia columbis abundat Epirus, tum quia columbæ ibi credebantur reddere oracula.

*d* Niſi augurio columbæ inſidentis ilici carioſæ, & inde garrientis præmonitus omnes iurgiorum & nouarum litium occaſiones amputaſſem: neque ego, neque Menalcas, id eſt Virgilius, viueremus, nos enim Arius interemiſſet.

*e* Ab læua parte appa rens.

*f* Eſtne quiſquam adeo ſceleratus vt Virgilium necare con-

*nobis.*
*Pene ſimul tecum ſolatia rapta Menalca?*
*Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis*
*Spargeret? aut viridi fontes induceret* a *vmbrâ;*
*Vel quæ ſublegi* b *tacitus tibi carmina nuper,*
*Cum te ad delicias ferres Amaryllida noſtras?* Laudat Menalcæ carmina.
*Tytire dum redeo (breuis eſt via) paſce capellas:*
*Et potum paſtas age Tytire* c *& inter agendum*
*Occurſare capro (cornu ferit ille) caueto.*
Mœ. *Immò hæc* d*: quæ Varo necdum perfecta canebat.*

tendat: Heu quam parum abfuit quia tu nobis eriperere ô Virgili & ſimul tecum perirent illa tua carmina quæ animo iam deſignaſti, quæque nobis in hac temporum calamitate poterunt eſſe ſolatio *Latenter* inquit Seruius, *tempora carpit Auguſti, quibus carmina non oblectamẽto fuerant, ſed ſolatio quod infelicium eſſe conſueuit.*

a Quis ad honorem Nympharum fontes ramis inumbraret, de more Eccl. 5. verſu 39.
*Spargite hum um foliis, inducite fontibus vmbras.*

b Particula *vel* initio orationis frequenter indignationem continet. vt 11. Æneidos verſu 405. oſtendimus. *Vel cum ſe pauidum*, &c. Poteſt igitur hæc elici ſententia Quam indignum eſt pene nobis cum ſuo auctore, perinde illa carmina, quæ tibi nuper, ô Menalca *ſublegi tacitus* ideſt clam intercepi, & ſuffuratus ſum te neſciente: Vel quia ſuperius dixerat. *Quis caneret Nymphas?* &c. Eadem verba. *Quis caneret*, iterum ſupplenda ſunt Vel quis, niſi tu, caneret eiuſmodi carmina cuiuſmodi tu cecinisti, tibique ſuffuratus ſum cùm te ad Amaryllidem communem amicam conferres? Romam intelligit, vt ecloga prima.

c Recitat Lycidas tria carmina, quæ fecerat Virgilius Romam proficiſcens.

d Immò verò ô Lycida, quanto ſunt iſta meliora, quæ Quintilio Varo canebat, quamuis nondum perfecta & abſoluta:

*Eadem laudat Mœris.*

*Vare a tuum nomen, ſuperet modo Mantua nobis,*
*Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ,*
*Cantantes ſublime ferent ad ſidera cycni.*

*Petit Lycidas audire verſus ab ipſo Mœri factos.*

Ly. *Sic tua* b *Cyrnæas fugiant examina taxos:*
*Sic cythiſo paſtæ diſtentent vbera vaccæ:*
*Incipe, ſi quid habes, & me fecere Poëtam,*
*Pierides: ſunt & mihi carmina: me quoq; dicunt*
*Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis,*
*Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna*
*Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer* c *olores*
Mœ. *Id quidem ago, & tacitus, Lycida, mecum ipſe voluto,*

*Annuit Mœris.*

*Si valeam meminiſſe: neque eſt ignobile carmen.*
*Huc ades* d *ô Galatea, quis eſt nã ludus in vndis?*

*a* O Vare, Cyrni. i poëtæ Mantuani, ſublimè ferent, id eſt, altè efferent ad ſidera nomen tuum, dummodò nobis conſeruetur ager Mantuanus, nec atribuatur veteranis. Victis Bruto & Caſſio, Triumuiri Cremonenſium agros, qui pro Bruto & Caſſio ſenſerant, dederunt militibus ſuis. Qui agri, cùm non ſufficerent, his addiderunt agros Mantuanos, ſublatos non propter ciuium culpam, ſed propter vicinitatem Cremonenſium. vnde.

*Mantua væ Miſeræ, &c.*

*b* Incipe canere, ſi quid habes nouæ cantilenæ: & vt tu meis precibus annueris, ita precor, vt Dij tuis ipſius votis obſecundent, & apum tuarum examina euitent taxos melli noxias, quæ arbores frequenter naſcuntur in Inſulâ Cyrnæ, quam alij Corſicam appellant. Ita etiam precor, vt vaccæ tuæ cythiſo paſtæ tantum lactis habeant vt earum vbera turgeſcant & lactis copia deſtendantur: taxus vernaculo *de l'If*, cythiſus genus fruticis incani, ad ſimilitudinem rhamni, cubitalibus ramis, foliis inſtar trifolij.

*c* Ego Cinnæ & Varo poëtis comparatus ſum inſtar anſeris ſtriduli inter cycnos canoros ſtrepentis: putat Seruius Virgilium alludere ad poëtam quendam inſulſum, nomine Anſerem, qui ſcripſit geſta Antonij.

*Hîc ver purpureum, varios hîc flumina circùm*
*Fundit humus flores, hic candida populus antro*
*Imminet & lentæ texunt vmbracula vites.*
*Huc ades: inſani feriant ſine littora fluctus.*
Ly. *Quid, quæ te purâ ſolum ſub nocte canentem*
*Audieram? numeros memini* a, *ſi verba tenerem.*
Mœ. *Daphni quid antiquos* b *ſignorum ſuſpicis ortus?*
*Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,*
*Aſtrum, quo ſegetes* c *gauderent frugibus, & quo*
*Duceret apricis in collibus vua colorem.*
*Inſere Daphni Pyros* d, *carpent tua poma nepotes:*

4. Quinque ſequentes verſus ſunt Polyphemi inuitantis ad ſe Gal. t. am, vt mare relinquat, & ad ſe veniat in locum amœnum.

a Memini metra, ſiue rhythmum & cantum, ſed ipſa verba exciderunt, vel potiùs cùm obiter duntaxat audierim, non potui memoriæ mandare.

25. Eſt enallage pro *antiquorum*, ô Daphni, quid admirabundus ſpectas & ex inferiore loco intueris antiqua ſigna, ſiue conſtellationes, quæ ab ipſo rerum initio in cœlo poſitæ ſunt orientes. Ecce nunc ſidus longè dignius ſpectaculo, ecce proceſſit & cum maieſtate pompaque exortum eſt aſtrum Iulij Cæſaris qui à Dione matre Veneris Dionæus vocatur, ad quã Cæſar genus ſuũ referebat. Aſtrum pro ſtella poſuit, quæ poſt mortem Cæſaris apparuit, de qua vide 8. Æneid v.680.

c Significat menſem Iulium, qui à Iulio Cæſare nomen accepit quo menſe & ſegetes matureſcunt, & vuæ ducunt colorẽ. id eſt incipiũt liueſcere, in collibus apricis & ſoli expoſitis.

d O Daphni, cole agros, inſere pyros, ſecurus huius nouæ ſtellæ fiduciâ, tantam enim hæc ſtella felicitatem humano generi pariet, vt ad nepotes peruentura ſit maiorum ſuorum hæreditas, ac proinde cum pyros inſeres terramque coles, vtilitas & fructus tui laboris in tuos paſtores redundabit, non transferetur ad alienos.

*Omnia fert ætas* a, *animum quoque* 1*: ſæpe ego longos*
*Cantando puerum memini me condere* b *ſoles.*
*Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoq; Mœrin*
*Iam fugit ipſa: lupi* c *Mœrin videre priores.*
*Sed tamen iſta ſatis refert tibi ſæpe Menalcas.*
Ly. *Cauſſando* d *noſtros in longum ducis amores:*
*Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor & omnes*
*( Aſpice ) ventoſi ceciderunt murmuris auræ.*
*Hinc adeo media eſt nobis via: námq; ſepulchrum*
*Incipit apparere Bianoris* e *: hic, vbi denſas*
*Agricolæ ſtringunt* f *frondes, hic, Mœri canamus:*

Lycidas vult etiam alios verſus audire.

a Senectus aufert omnia, etiam memoriam obliterat. hinc infert Seruius Mœrin ſubitò obticuiſſe, nec quod cœperat implere potuiſſe.

b Finire, vſque ad occaſum ducere & vt dicam ſepelire, eodem genere tranſlationis veſper dicitur diem componere, i. ad ſepulturam præparare. vide 1. Æneidos 379.

Horatius. *Condit quiſque diem collibus in ſuis*

Lucretius lib. 3. —— *viuendo condere ſecla.*

& Græcus poëta 3. Anthologias Ηέλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν. *ſolem cantilena condidimus.*

c Plin lib. 8. c. 22. In Italiá quoque creditur luporum viſus eſſe noxius, vocémque homini quem priores contemplantur adimere ad præſens.

d O Mœri, nihil eſt quod à memoriæ fragilitate te excuſes cauſas & excuſationes nectendo, differs, ac protrahis, atque adeò huiuſmodi dilatione magis incendis noſtrum deſideriũ tui audiendi. Cauſſari eſt cauſas & excuſationes prætexere.

e Idem eſt Bianor cum Oeno Mantuæ conditore. de quo 10. Æneid. 200. Citatur Cato lib. de Originibus, *Mantua ſuo conditore Oeno Bianore eſt Thuſcorum Rege illuſtris.* Moris autem fuit ſepulchra in viis publicis excitare. Iuuenalis ſat. 1.

*Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latinâ.*

f Stringunt vt 1. Æneidos *ſtringere ramos.* 1 Georg. *ſtringere hordea.* Cæſar libro. 3. de bello ciuili. *Erat ſumma inopia*

*Hic hædos depone: tamen veniemus in vrbem:*
*Aut ſi, nox pluuiam ne colligat antè, veremur,* *Marit*
*Cantantes licet vſque (minus via ladet) eamus,* *1. nuit.*
*Cantantes vt eamus, ego hoc te faſce leuabo.* *65.*
Mœ. *Deſine plura puer, & quod nunc inſtat, agamus,*
*Carmina tum meliùs, cùm venerit ipſe 2, canemus.*

*pabuli: adeo vt foliis ex arboribus ſtrictis, & teneris arundinum radicibus contuſis equos alerent.* Hic etiam, vt notat Cerdanus, alium morem attingit, quo vetéres ad ſepulchra mortuorum adferebant non modò flores, ſed frondes quoque ramóſque arborum, quem ille morem probat è Martiali, lib. 1. & Nemeſio ecl. 2.

1. Menalcas, ideſt, Virgilius.

# PVB. VIRGILII MARONIS
## ECLOGA X.

### ARGVMENTVM.

Cornelius Gallus Cytheridem minam adamabat. illa ſpreto Gallo ſecuta eſt Antonium, rem ægrè tulit Gallus: Virgilius eum hac Ecloga conſolatur, Lycoridis nomine Cytheridem intelligens.

*Inuocat Arethuſam.*

E*Xtremum hunc, Arethuſa* a*, mihi concede laborem:*
*Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lycoris,*
*Carmina ſunt dicenda, neget quis carmina Gallo?*
*Sic tibi* b*, cùm fluctus ſubterlabêre Sicanos,*

*a* Fons eſt Siciliæ prope Syracuſas, vbi floruit Theocritus, quem in ſcribendis eclogis Poëta ſibi propoſuerat imitandum, ideóque inuocat Artehuſam.

*b* Alphæus Elidem alluens in terram ſe abdit, & ad Siciliam vſque ita ſubterraneis quibuſdam meatibus ſubter mare labitur, vt mari non miſceatur, ſed in Ortygia prope Syracuſas emergat, eiúſque fons vocatur Arethuſa. quem fontẽ obteſtatur Poëta hunc in modum. O Arethuſa, concede mihi hanc extremam eclogam ſcribere, & vt id mihi conceſſeris, ita precor vt cùm ſubter mare Siculum laberis & flues, aquæ maris ſalſæ & amaræ tuis aquis dulcibus non miſceantur. De Arethuſa vide 3. Æneid v. 695. Doris Oceani filia, coniux Nerei, mater Nympharum, amara propter maris ſalſedinem.

*Doris*

*Doris amara ſuam non intermiſceat vndam:*
*Incipe, ſollicitos Galli dicamus amores,*
*Dum tenera attondent a ſimæ b virgulta capellæ,*
*Non canimus ſurdis: reſpondent omnia ſylua.* Proponis dicenda.
*Quæ nemora, aut qui vos ſaltus c habuere puellæ,*
*Naiades d, indigno cùm Gallus amore periret?*
*Nam neque Parnaſſi vobis iuga e, nam neq; Pindi*
*Vlla moram fecere, neque Aonia Aganippe f.*
*Illum etiam lauri, illum etiam fleuere myricæ,* Queritur Muſas Gallo non adfuiſſe.

*a* Depaſcuntur, ſummas virgultorum frondes carpunt atque delibant.

*b* Quæ nares habent depreſſas. *Camuſes.*

*c* Hanc inter ſaltus & nemora diſtinctionem ponit Valla 4. elegant. cap. 56. quòd ſaltus ſylua ſit inuia, nec tranſeuntibus peruia, in quo paſci atque æſtiuare pecudes ſolent, aut ſi locus aërque patiatur, hyemare: Nemora autem voluptatis cauſſâ comparata ſunt & plena amœnitatis. Hæc ille: & ſanè Varro ſaltum dicit eſſe locum incultum propter ſyluas. Feſtus nemora dicit eſſe ſyluas amœnas.

*d* Nymphæ fontium ἀπὸ τοῦ νάειν. Fluere, manare, ſcaturire. de diuerſitate Nympharum vide ad verſum 505. lib. 1. Æneid. hæc autem eſt huius loci ſententia. Vbi eratis, ô Nymphæ? quare non auxilium ferebatis Gallo cum ille periret & tabeſceret amore Cytheridis. qui amor erat indignus Gallo, quia Gallus vir eſt præſtantiſſimus, Cytheris eſt & meretrix & mima & ne ingenua quidem, ſed liberta Volumnij. Alij indignum interpretantur, valde magnum, vnde Ennius *indignas turres* appellat.

*e Parnaſſus mons Bœotiæ, Pindus Theſſaliæ ambo Appollini conſecreati* inquit Seruius. Huius montis duo iuga ſunt Helicon & Citheron, eodem auctore. Alij dicunt Parnaſſum eſſe in Phocide, cuius duo vertices dicuntur Tithorea & Hyampeus, vt contra Seruium obſeruat Beroaldus ex Herodoto.

*f* Aganippe fons eſt Bœotiæ quæ & Aonia dicitur, eſtque fons Permeſſi fluminis, vt ex Callimacho Seruius obſeruat. & Cerdanus ex Pauſania.

*Pinifer illum etiam ſola ſub rupe iacentem*
*Mænalus* a, *& gelidi fleuerunt ſaxa Lycæi.*
Cui oues & paſtores ad nerunt. *Stant & oues* b *circum, noſtri nec pœnitet illas;*
*Nec te pœniteat pecoris diuine poëta.*
*Et formoſus oues ad flumina pauit Adonis* c
*Venit & vpilio* d : *tardi venere bubulci,*
*Vuidus hyberna venit de glande Menalcas.*
*Omnes, vnde amor iſte, rogant: tibi venit Apollo,*
Et dij ipſi. *Galle, quid inſanis, inquit, tua cura* e *Lycoris*
*Pérque niues* f *alium* g, *pérque horrida caſtra ſecuta eſt.*
*Venit & agreſti capitis Syluanus* h *honore,*

*a* Mænalus & Lycæum montes Arcadiæ Pani conſecrati.

*b* Circa Gallum eius amorem lugentes neque piget illas flere Galli amorem, ideſt non indignantur. Dicit *noſtri*, non *tui* aut *Galli* ad leniendam orationem, vt facere ſolent qui conſolantur aut reprehendunt. Perſius.

*Sertimus indomitum quod deſpumare Phalernum*
*Sufficiat.* i. ſtertis.

*c* Cinyræ & Myrrhæ filius quem Venus adamauit.

*d* Vpilio ſiue Opilio quaſi ouilio, cuſtos ouium: bubulcus cuſtos boum: Seruius legit *ſubulci*. i. cuſtos ſuum ſiue porcorum Menalcas etiam venit hyberna de glande, ideſt de ſylua vbi per hyemē ſues glande paſcebat. Vuidus ideſt madefactus humore ad oſſa & medullas penetrante, intriſecus madens.

*e* Tui amores alibi: *meus ignis Amyntas. Lycoris. Cytheris.*

*f* Alpes niue conſperſas.

*g* M. Antonium.

*h* Deus eſt Syluarum, qui fingitur ad Gallum amore pereuntem accedere, cum agreſti capitis honore, ideſt cum corona ex agreſtibus frondibus contexta quatiens altera ferulam ſiue narthecium loco ſcipionis. Quod autem ait Menalcam veniſſe de glande hyberna, Syluanum lilia quatientem, indicat eos non ſimul veniſſe, ſed Gallum in inſania tamdiu perſtitiſſe vt ad eum conſolandum Menalcas hyeme, Syluanus æſtate acceſſerit.

*Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans.*
*Pan deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipſi*
*Sanguineis ebuli* a *baccis, minióque rubentem:* *Amoris crudelitas.*
*Ecquis erit modus? inquit. amor non talia curat.*
*Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina riuis,*
*Nec cythiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.*
*Triſtis at ille* b *tamen; cantabitis, Arcades, inquit,*
*Montibus hæc veſtris, ſoli cantare periti,* *Gallus paſtoribus.*
*Arcades, ô mihi tum quàm molliter oſſa quieſcant,*
*Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores.*
*Atque vtinam ex vobis vnus, veſtríque fuiſſem,*
*Aut cuſtos gregis, aut maturæ vinitor vuæ.*
*Certè ſiue mihi Phyllis, ſiue eſſet Amyntas,* *Optat ſe vnum eſſe ex illis.*
*Seu quicũq; furor* c *(quid tum ſi fuſcus Amyntas?*
*Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra:)*
*Mecum inter ſalices lenta ſub vite iaceret:*
*Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.* *Inuitat Lycoridem.*
*Hîc gelidi fontes,* d *hic mollia prata Lycori,*

a Ebulum genus eſt herbæ ſambuco ſimile. Deorum autem facies plerumque miniata. Vide Plin. l. 33. cap. 7. & l. 35. cap. 12. Gallis *Hieble*.

b Gallus reſpondet paſtoribus: Vos cantabitis amores meos, O quàm felix eſſem, quam iucundè morerer, quàm molliter oſſa mea quieſcerent, ſi meos amores caneretis.

c Amor. Senſus eſt ſiue amarem Phyllida, ſiue Amyntam, ſiue quemcumque alium.

d Aduerte amoris inſaniam & vigilantis inſomnium. Somniarat vigilans ſe eſſe cum Phyllide & Amynta, & eorum amoribus eſſe contentum! Nunc redit ad inſaniam & Lycoridem ad fontes & nemora inuitat. Finxerat ſe eſſe in locis amœnis cum paſtoribus: Nunc per amoris inſaniam putat ſe tela inter media detineri, quia videlicet ibi erat aman-

*Hìc nemus, hîc ipſo tecum conſumerer æuo.*
*Nunc inſanus amor duri me Martis in armis*
*Tela inter media, atque aduerſos detinet hoſtes.*
*Tu procul à patria (nec ſit mihi credere* a *) tantùm*
*Alpinas ah! dura niues, & frigora Rheni*
*Me ſine ſola vides: ah! te ne frigora lædant.*
*Querit Gallus amori ſuo remedium Carminis. Venationem.*
*Ah! tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas.*
*Ibo, & Chalcidico* b *quæ ſunt mihi condita verſu*
*Carmina, paſtoris Siculi modulabor auenâ.*
*Certum eſt in ſyluis* c *inter ſpelæa ferarum,*
*Malle pati, teneriſque meos incidere amores*
*Arboribus: creſcent illæ, creſcetis amores.*
*Intereà* d *miſtis luſtrabo Mænala nymphis,*
*Aut acres venabor apros: non me vlla vetabunt,*

tis animus, vbi Lycoris, quæ ad bellum ſecuta fuerat Antonium.

*a* O vtinam credere non poſſim te extra fines Italiæ Alpes niuibus oppletas, Rhenum glacie concretum nunc videre, hoc tantùm precor, hoc tantùm expeto malis meis ſolatium. Alij vocem *tantùm* ponunt extra parentheſin, Tu tantùm vides: id eſt nihil aliud vides quàm Alpes niuoſas & Rhenum gelu conſtrictum, quod vtinam credere non poſſim.

*b* Tria conquiram amori meo remedia. Primum erit vt auena Theocriti, Siculi Poëtæ, eclogarum ſcriptoris, moduler & cantem eos verſus, quos ex Euphorione Chalcidenſi Poëta Latinitate donaui.

*c* Alterum remedium eſt, vt relinquam vrbes, fugiam hominum conſortia, habitem in ſiluis & ſpeluncis belluarum. Sed vt amator ad ingenium redit, tenerarum arborum corticibus amores ſuos id eſt verſus de ſuis amoribus factos ſtatuit in cidere, & inſcribere, vt iis creſcentibus, creſcant etiam litteræ quibus amores ſuos exarauit.

*d* Tertium remedium. Intereà dum creſcent arbores, Mænalum & Parthenium Arcadiæ montes luſtrabo ſiue circuibo, & canibus circundabo.

*Frigora, Parthenios canibus circundare ſaltus.*
*Iam mihi per rupes videor, lucóſque ſonantes* a
*Ire: libet Partho* b *torquere Cydonia cornu*
*Spicula: tanquam hæc ſit noſtri medicina furoris,*
*Aut deus ille* c *malis hominum miteſcere diſcat:*
*Iam neque Hamadryades rurſus, nec carmina no-* *Sed ipſæ remedia diſplicent.*
*Ipſa placent, ipſæ rurſus concedite* d *ſyluæ, (bis*
*Non illum veſtri poſſunt mutare labores.*
*Nec, ſi frigoribus mediis, Hebrúmque* e *bibamus,*
*Sithoniáſque niues hyemis ſubeamus aquoſæ,*
*Nec ſi, cùm moriens alta liber aret in vlmo,*
*Æthiopum verſemus oues ſub ſidere Cancri.*
*Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.*
*Hæc ſat erit, Diuæ, veſtrum ceciniſſe poëtam.*

*a* Vel canum latratu, vel ventorum flatu reſonnates.
*b* Parthi & Cydones Cretæ populi ſagittarij periti ſſimi.
11. Æneid. 8 18.
*Parthus ſiue Cydon, telum immedicabile, torſit.*
*c* Amor ſiue Cupido.
*d* Plutarchus de defectu oraculorum. Πίνδαρος δ᾽ εἴρηκεν εἰπὼν τὰς νύμφας ἰσοδένδρου τέκμωρ αἰῶνος λαχούσας. διὸ καὶ καλεῖν αὐτὰς Ἁμαδρυάδας Pindarus ait nymphas æuum æquale arboribus eſſe ſortitas, eam ob rem Hamadryadas nuncupari. Has Latini Querquetulanas vitas vocabant. auctore Feſto Pompeio.
*e* Abite, valete nihil mihi vobiſcum.
*f* Thraciæ fluuium frigidiſſimum. Sithonia pars eiuſdem Thraciæ. Senſus eſt Amorem noſtri labores mutare aut ſedare non poſſunt, non ſi hyberna Thracie frigora toleremus; non ſi media æſtate, quo tempore Sol eſt in Cancro, & præ ſiccitate liber ſiue cortex vlmorum moriens areſcit, omni ſucco & humore priuatus, paſcamus oues Æthiopum & eas verſemus, ideſt, loco ſubinde moueamus, & huc illuc transferamus.

*Concluſio Eclogarum.*

*Dum ſedet, & gracili fiſcellam* [a] *texit hibiſco,*
*Pierides, vos hæc facietis maxima* [b] *Gallo,*
*Gallo, cuius amor tantùm mihi creſcit in horas,*
*Quantùm vere nouo viridis ſe ſubijcit* [c] *alnus.*
*Surgamus, ſolet eſſe grauis cantantibus* [d] *umbra.*
*Iuniperi grauis vmbra, nocent & frugibus vmbræ;*
*Ite demum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.*

a Texit & concinnat paruam capſam ex tenuibus ramis malvarum ſyluestrium, ideſt, dum ſcripſit has eclogas ſtylo tenui.
b Hæc quidem parua admodum & ſtylo tenui conſcripta ſunt ô Muſæ, ſed vos iis addetis honorem & dignitatem, & in gratiam Cornelij Galli maxima videri facietis.
c Creſcit, ſe attollit. Locutio vni Poëtæ familiaris 2. Georg. —*Parnaſſia laurus.*
*Parua ſub ingenti matris ſe ſubiicit vmbra.*
4 Georg. *Ter flamma ad ſummum tecti ſubiecta refulſit.*
10. Æneid. —*Corpora ſaltu Subijciunt in equos.*
d Alij, & quidem meliùs, vt videtur, *cunctantibus*, ideſt diutiùs manentibus.

*FINIS.*

## ARGVMENTA GEORGICORVM MONOSTICHA.

*Primus habet terræ cultus & ſidera cæli.*
*Alter in arboribus præſertim in vite moratur.*
*Tertius inſtituit paſtorem armenta, gregéſque.*
*Quartus curat apes, & apum puriſſima mella.*

# PVB. VIRGILII MARONIS

## GEORGICORVM LIB. I.

### MODESTINI IVRIS CONSVLTI In I. Georgicorum,

### ARGVMENTVM.

Quid faciat lætas ſegetes, quæ ſidera ſeruet
Agricola, vt facilem terram proſcindat aratris;
Semina quo iacienda modo, cultuſque locorum
Edocuit, meſſes magno olim fœnore reddij,

*QVid faciat lætas ſegetes: quo ſidere terram*
*Vertere, Mecœnas, vlmiſq; adiungere vites* Propoſitio.
*Conueniat: quæ cura boum, qui cultus habendo*
*Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,*
*Hinc canere* a *incipiam. Vos, ô clariſsima mundi*

a C. Mecœnas, *hinc* videlicet poſtquam egreſſus ſum ſyluis & abſolui bucolica, *canere incipiam* & ſcribere quatuor Georgicorum libros: quorum primo dicam *quid faciat lætas ſegetes* & qualis agricultura terram ita fœcundet, vt & ſegetes ipſæ ridere videantur, & agricolam compleant voluptate: dicam etiam quo tempore, cuius diuerſitas ſiderum

Inuocatio Deorum.

*Lumina* a, *labentem cælo quæ ducitis annum,*
*Liber* b, *& alma Ceres, veſtro ſit munere tellus*
*Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta*
*Poculáque inuentis Acheloia miſcuit vuis:*

ortu & occaſu denotatur, conueniat terram arare, & glebas inuertere. Secundo libro dicam quo tempore conueniat arbores plantare, inſerere, inoculare, nutrire, & potiſſimum vites, quæ in Italia in magnam altitudinem excreſcunt, *vlmis adiungere*, & maritare, vt earum adminiculo fulciantur. Tertio libro dicam quo modo curandi ſint boues, equi & aliæ beſtiæ, quæ cultura ſit pecoribus habendis & nutriendis adhibenda. Quarto denique libro exponam artem nutriendi apes, quæ diligenter & parcè mella cuſtodiunt: artem, inquam, docebo longo vſu & experientia perceptam.

*a* Sol & Luna, quorum curſu tempora labentia, ideſt, currentia & cito tranſeuntia computantur. Nam per Lunam menſis, per Solem annus oſtenditur.
*b* Bacchus vini inuentor: Ceres, frumenti. Mihi fauete ſi verum eſt quod iactatur, Cereris munere & beneficio factum eſſe vt homines, qui prius glande vitam ſuſtentabant, pané triticeo veſcerentur: munere autem Bacchi, vt homines qui prius meras aquas bibebant, eas in poſterum vino temperarent, aquarumque illam cruditatem vini calore caſtigarent. *Chaoniam glandem* appellat, ideſt Epiroticam ſiue Dodoneam, ſpeciem pro genere, quia celebres imprimis erant quercus Iouis Dodoniæ, propter oracula *Acheloia pocula*. vel quòd (Achelous vt ait Ephorus apud Macrobium lib. 5. Saturnal. cap. 8.) in Sacris precibus & iuramentis præcipuæ venerationi fuerit commendatione Dodonæi oraculi, vel quòd vt ibidem ait Didymus, eum primum & antiquiſſimum fluuiorum eſſe fabulentur, vnde Eurypides, Ariſtophanes, & alij pro quibuſuis aquis Acheloi nomen vſurpant, vel quòd quidam nomine Ceraſus, apud Hyginum cap. 224. vinum cum Acheloo flumine in Ætolia primus miſcuit, vnde miſcere κεράσαι eſt dictum, vel denique quod Achelous vocetur quaſi ἄχη λύων ſoluens dolores, quam ob cauſſam etiam Bacchus Lenæus appellatur.

*Et vos agreſtum præſentia* a *numina Fauni,*
*Ferte ſimul, Fauniq; pedem* b, *Dryadéſq;* c *puellæ*
*Munera veſtra cano, túque ô* d, *cui prima* e *fre-*
*mentem*

*a* Propitia.
*b* Solennis, vt videtur precationis formula 8. Æneid. v 302.
*Et nos & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.*
10. Æneid. v. 255 *Phyrgibúſque adſis, pede, d ua, ſecundo.*
Plutarchus in Græcanicis quæſt. 35. τὸν Διόνυσον αἱ τῶν Η'λείων γυναῖκες ὑμνοῦσαι παρακαλοῦσι βοέῳ ποδὶ παραγίνεσθαι πρὸς αὐτὰς *Bacchum laudantes Heleorum mulieres inuitant bouino pede ad ipſas accedere.*
*c* Nymphæ ſylueſtres, δρῦς δρυὸς quercum ſignificat.
*d* Túque, ô Neptune. qui equum produxiſti, vnde & Ἵππιος equeſtris nominaris. Seruius in hunc locum, Cùm Neptunus & Minerua de Athenarum nomine contenderent, placuit Diis vt eius nomine ciuitas appellaretur, qui munus melius mortalibus obtuliſſet: tunc Neptunus percuſſo littore equum animal bellis aptum produxit: Minerua iactâ haſtâ oliuam creauit, quæ res melior comprobata eſt, vt pacis inſigne. Alij non equum ſed aquam à Neptuno productam eſſe dicunt, & hic *fudit aquam* legendum eſſe exiſtimant: & ita rem narrat Varro apud Auguſtinum lib. 18. de ciuitate Dei cap. 9. Ouidius 6. Metamorph.
*Stare Deum pelagi longóque ferire tridente*
*Aſpera ſaxa facit, medioque è vulnere ſaxi*
*Exiluiſſe fretum, quo pignore vindicet urbem.*
Sed quicquid ſit, non videtur Poëta ad hanc Mineruæ & Neptuni contentionem alludere. Quid enim hoc aliud eſſet, quam Neptuno, quem inuocat alienam victoriam, propriam ignominiam exprobrare? Videtur igitur aliam fabulam attingere, qua dicitur Neptunus vel in Attica, vt ait Sophocles in Coloneo, vel in Theſſalia, vt Lucanus lib. 6. tradit, equum produxiſſe.
*e* Vel littoralis, vnde & 1. Æneidos.
*Primâque vetant conſiſtere terra.*
Et Attica prius Actæa dicebatur, quaſi in littore maris conſtituta. Vel quia terram putat Heſiodus primam omnium è

*Fudit equum, magno tellus percuſſa tridenti,*
*Neptune: & cultor nemorum* a, *cui pinguia Cææ*
*Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci.*
*Ipſe nemus linquens patrium, ſaltúſq; Lycæi* b
*Pan ouium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,*
*Adſis ô Tegææ fauens, oleæque Minerua*
*Inuentrix, vncique puer* c *monſtrator aratri,*
*Et teneram ab radice* d *ferens Syluane cupreſſum:*
*Diique, deæque omnes, ſtudium quibus arua tueri,*

Chao produxiſſe: vel quia Athenienſes ſe omnium antiquiſſimos, terramque ſuam primam omnium habitatam eſſe dicebant. Tridens, Neptuni ſceptrum ſiue fuſcina tribus dentibus inſtructa. Meritò autem Neptunum inuocat, quia libro tertio de equis ſcripturus eſt.

*a* Ariſtæum Apollinis & Cyrenes filium intelligit, qui in Inſula Cæa ſiue Cæo, mellis opificium, oleique expreſſionem inuenit, vnde & Iupiter Ariſtæus, vel Agreſtis & Paſtoralis Apollo vocabatur, Cæa Inſula maris Ægei

*b* Lycæus, Mænalus, Tegæa montes Arcadiæ, vbi Pan præcipuè colebatur, quæ ſit autem inter nemora & ſaltus diſtinctio dictum eſt ecloga 10. Merito Panem Deum paſtorum inuocat, quia libro tertio de bobus & ouibus ſcripturus eſt; Merito Mineruam Oleæ inuentricem, quia lib. 2. de olea.

*c* Triptolemum intelligit, qui curru Cereris ab anguibus per aërem vectus fruges hominibus largitus eſt, & arare docuit. Alij interpretantur de Oſiride. Nam, vt ait Tibullus lib. 1. el. 7.

*Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,*
*Et teneram ferro ſollicitauit humum.*

Non eſt tamen hæc interpretatio probabilis. nam 8. Æneidos in gratiam Auguſti, & inuidiam Antonij Ægyptiorum Deos execratur, verſu 692. vbi Seruius *Ideo monſtra dixit, quia ſub Auguſto necdum Romani Ægyptia ſacra ſuſceperant.*

*d* Ferens cupreſſum integram à radice ad cacumen: vel, vt innuit Seruius, ferens cupreſſum teneram ab radice, cuius videlicet radix adeo tenera eſt vt abſciſſis ramis non renaſ-

*Quique nouas alitis non nullo a ſemine fruges,*
*Quique ſatis largum cœlo de mittitis imbrem.*
*Túque adeo* b, *quem mox quæ ſint habitura deorũ* inuocatio Auguſti.
*Concilia, incertum eſt, vrbiſne inuiſere Cæſar,*
*Terrarúmq; velis curam & te maximus orbis* 25.
*Auctorem frugum, tempeſtatúmque potentem*
*Accipiat, cingens* c *maternâ tempora myrto:*
*Ac deus immenſi venias* d *maris, ac tua nautæ*

catur cypariſſus, quaſi radix ipſa vulnus acceperit. Vel ferens ab radice. i. tenens & apprehendens ipſam radicem. Catullus

*Non vacuus, namque ipſe tulis radicibus altas Fagos*

a Adeſte, ô Dij Deæque, qui agriculturæ præſidetis, qui alicuius noua ſeminis inuentione fruges producitis, quique pluuias in ſata ſiue ſegetes ex aëre demittitis Exponit Seru. *Qui à nobis iacta ſemina veſtris ſeminibus alitis. Semina autem dicit Deorum cœli temperiem, pluuias, teporem.* Poſſis etiam ſic explicare Quique alitis fruges nouas, ideſt quæ nouantur, quæ nouè pullulant è nonnullo, ideſt ex aliquo ſemine ab hominibus iacto. Alij legunt *non vllo* ideſt nullo ſemine, quaſi fruges quæ ex ſemine naſcuntur, hominum induſtriæ, quæ ſine ſemine proueniunt, ſoli naturæ deorumque prouidentiæ tribuantur.

b Aduerte particulam ornatui & emphaſi ſeruientem. vt ecloga 4.

*Téque adeo, decus hoc æui te conſule, inibit.*

Catullus in nuptiis. *Téque adeo eximiè tædis felicibus aucte.* Quod Græci dicunt. Καὶ δὴ καὶ.

c Orbis cingens ſiue coronans tua tempora, ideſt caput tuum myrto matri Veneri conſecrata, ad quam genus tuum refers. natus ex Iulo filio Æneæ Veneris nepote.

d Incertum eſt an Deus maris euadas.

*Numina ſola* a *colant, tibi ſeruiat vltima Thule* b*,*
*Téque ſibi generum Tethys emat* c *omnibus vndis:*
*An ne nouum* d *tardis ſidus te menſibus addas,*

*a* Excluſo Neptuno Cæſari blanditur cúmque obiter conſolatur, qui eo tempore quo virgilius inchoabat Georgica, *bello Siculo claſſes tempeſtatibus duplices naufragio* & *quidem per æſtatem amiſerat.* Vt ſcribit Tranquillus in Auguſto cap. 16 *Alij*, inquit, *dictum factumque eius criminantur, quaſi claſſibus tempeſtate perditis exclamauerit etiam inuito Neptuno victoriam adepturum, ac die Circenſium proximo ſolemne pompę ſimulachrũ Dei detraxerit.* Vel dicit *ſola* quaſi Neptunum ipſum vicerit, dum ſextum Pompeium vicit, qui ſe Neptuni filium eſſe iactabat. Dio lib. 48. & Appianus 5 ciuilium.

*b* Inſula in Oceano inter Septentrionalem & Occidentalem plagam, vltra Britanniam, iuxta Orcadas & Britanniam. *vltima* quia veteres nullam terram vlterionem agnouerant.

*c* Incertum eſt adhuc an Tethys te ſit generum habitura, quæ quidem id vehementer optaret, & ſi modò digneris vnam Nympharum eius filiarum vxorem ducere, parata eſt tibi in dotem omnes aquas ſuas erogare. Omitto quæ de variis matrimoniorum generibus, vſu, confarreatione, coemptione, in manum conuentione ab interpretibus adferuntur, quòd ſine his mens Poëtæ ſatis eluceat. Vide Cœlianam parag. 4 nota 2. Addit Seruius Tethim à Cicerone in Timæo Salaciam vocari. Generum verò, inquit pro marito, poſitum multi accipiunt, iuxta Sappho quæ lib. qui inſcribitur Epithalamia. χαῖρε νύμφα, χαῖρε γαμβρε. *Salue ſponſa, ſalue gener pro ſalue ſponſe.*

*d* Incertum eſt etiam ante ſidus nouum ſis addirurus menſibus æſtiuis, qui tardi vocantur quia dies ſunt æſtate longiores, ſicut contrà ſoles hyberni dicuntur properare, & noctes tardæ eſſe 1. Æneidos exeunte. Laudat Cerdan. Manilium lib. 2.

*Ne mirare moras, cùm ſol aduerſa per aſtra*
*Æſtiuum tardis attollit menſibus annum*

Locum autem Cæſari inter Virginem & Scorpium aſſignat quaſi Cæſar ſit futurus inter duodecim ſigna Zodiaci, & occupaturus locum libræ, vel quia Cæſar fuit iuſtiſſimus,

*Quà locus Erigonen a inter, chelásq; b ſequentes,*
*Panditur, ipſe tibi iam brachia contrahit ardens*
*Scorpius, & cœli iuſta plus parte relinquit,*
*Quidquid eris (nam te nec ſperent Tartara regem,*
*Nec tibi regnandi tam dira cupido:*
*Quamuis Elyſios miretur Græcia campos,*
*Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem)*
*Da facilem curſum, atque audacibus annue cœptis,*
*Ignaróſque viæ mecum miſeratus agreſtes*
*Ingredere: & votis iam nunc aſſueſce vocari.*
*Vere nouo c, gelidus canis cùm montibus humor*

cuius hieroglyphicum eſt libra: vel quia natus eſt menſe Septembri, cùm Sol in Libra exiſteret. Vetus Poëta.

*Et Libram quam Cæſar habet* ——

Quamuis poſtea menſem Sextilem à ſuo nomine vocari maluit, quia eo menſe potius fuerat Alexandria.

*a* Erigone ſignum eſt virginis, quam Icarii filiam, in cœlumque tranſlatam eſſe fabulantur.

*b* Chelæ χηλαὶ ſunt vngulæ Scorpij, quæ ita ſequũtur Librã, vt etiam in eius locum porrigantur. Ouidus 2. Metamorph,

*Sæuáque circuitu curuantem brachia longo*
*Scorpion atque aliter curuantem brachia Cancrum.*

Item. *Eſt locus in geminos vbi brachia circinat arcus*
*Scorpius, & caudâ flexiſque vtrimque lacertis,*
*Porrigit in ſpatium, ſignorum membra duorum:*

Senſus eſt igitur Scorpius qui hactenus loco proprio contentus non fuit ſed contraius faſque, aliorum ſignorum ſpatium inuaſit, iam contrahit brachia: nec ſolum recedit ab illo Libræ loco quem iniuſte inuaſerat, ſed etiam aliquid de ſuo ſpatio tibi concedit, tibíque plus cœli relinquit quàm vni ſigno debeatur.

*c* Vere ineunte, cùm humor qui hyberno frigore concreuerat, verna temperie liquefactus è montibus niue & pruina albicantibus defluit, & gleba putris ſe reſoluit & emollit ſpirante Fauonio, iam tum ab ipſo veris initio, terra quæ

*Liquitur, & zephyro putris ſe gleba reſoluit:*
*Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro*
*Ingemere, & ſulco attritus* [a] *ſplendeſcere vomer.*
*Illa ſeges demum votis reſpondet auari*
*Agricolæ, bis quæ ſolem* [b] *bis frigora ſenſit:*
*Illius immenſæ ruperunt* [c] *horrea meſſes.*
*At priùs ignotum* [d] *ferro quàm ſcindimus æquot,*

*Aratio vere incipienda*

pinguit fuerit aranda eſt, & quidem ſulcus profundè imprimendus hoc autem de terra pingui explicandum eſſe tum patet verſu 64. tum ex his verbis *depreſſo & ingemere*: quæ non mediocrem arationis difficultatem important.

*a* Incunte vere vomis in terram depreſſus & att ritus ſulco incipiat ſplendere, rubigine deterſa, quam hyemali ceſſatione cont raxerat.

*b* Plerique omnes interpretes ſic exponunt hunc locum, quaſi monuerit Virgilius dandam operam vt ager fiat noualis, ideſt alternis annis quieſcat, alternis ſeratur: huiuſmodi ager ſub exitum hyemis, hoc eſt initio veris proſcinditur: & ita æſtate, quæ ſequitur ſiccatur: deinde ſequenti autumno ante ſementem iteratur, & ita fit vt bis ſolem, bis frigora ſentiat, ideſt bis hyemem, bis æſtatem. Plin. lib. 18 Quarto inquit ſeri ſulco, Virgilius exiſtimatur voluiſſe, cùm dixit. optimam eſſe meſſem, quæbis ſolem, bis frigora ſenſiſſet. Quartus autem ſulcus dici videtur pro quaterna aratione. Nihllominùs tamen amplectenda videtur expoſitio Seruij, vt illam ſegetem fœcundam eſſe, & agricolæ quantumuis auidi votis ſatisfacere dicat, quæ bis aratur, ſemel appetente vere, iterum autumno ante ſementem. Sic enim terra per duplicem arationem aperto ſinu bis dierum calorem, bis noctium frigus ſentiet. Ratio cur hanc expoſitionem cæteris anteponam ea eſt, quòd videtur rationem reddere præcepti dati, cur videlicet ſtatim ab initio veris ſit arandum.

*c* Commode idem Seruius. *Plus eſt quam ſi dicat* impleuerunt. Hoc eſt tam fœcundam habebit meſſem, vt non habeat vbi reponat, nec fruges collectæ poſſint horreo contineri.

*d* Antequam campi planitiem, quæ ab æqualitate vocatur æquor, ferreo vomere proſcindimus, imprimis curandum

*Ventos, & varium cœli prædiſcere morem* — *Noſcenda ſoli cui uſque natura.*
*Cura ſit, ac patrios cultúſque, habitúſque locorum,*
*Et quid quæque ferat regio, & quid quæq; recuſet.*
*Hîc ſegetes, illic veniunt felicius vuæ:*
*Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa* a *vireſcunt,* — *Aliæ terræ aliis terris aptiores.*
*Gramina, nonne vides, croceos vt Tmolus* b *odores*
*India mittit ebur* c, *molles* d *ſua thura Sabæi?*
*At Chalybes nudi* e *ferrum, viroſáque* f *Pontus*
*Caſtorea, Eliadum palmas* g *Epiros equarum?*
*Continuò has leges, æternáque fœdera certis,*
*Impoſuit natura locis, quo tempore primùm*

eſt prædiſcere cui vento ſubiaceat, aër ſit ne pluuius, an ſerenus, an tepidus, quam eius colendi rationem priores agricolæ ſeruauerint, quinam denique ſint illius loci habitus ſiue qualitates.

*a* Inculta, nullo agricolæ labore, qui cùm terram colit,
*Exercétque frequens tellurem atque imperat arvis.*

*b* Mons Ciliciæ croco abundans.

*c* Ebur dens elephanti. India abundat elephantis.

*d* Iterum optimè Seruius. Molles autem ideò ait, vel quòd ſub aëre clementiore ſunt. Nam vt ait Lucanus.
*Quidquid ad eoos tractus mundique teporem*
*Labitur, emollit gentes clementia cœli.*
Aut certè quia Alexander Macedo dicitur obſcœnos omnes ab exercitu ſuo ſegregatos illic condidiſſe.

*e* Qui ferrum aſſiduè cudunt corpore nudato, vt fit in ferrariis officinis 8. Æneid. *Et nudus membra Pyracmon.*

*f* Magnas vires habentia in medicamentis: Caſtorea ſunt partes genitales Caſtoris. Aduerte medicamentum, venenum, virus, φάρμακοι eſſe ἀδιάφορα ſiue communia quæ poſſunt in vtramque partem ſumi, pro eo quod vim habet mutandæ, & vt Phyſici loquuntur, alterandæ naturæ. Statius in Syluis. *—Atque omne benigne*
*Virus odoriferis Arabum quod creſcit in aruis.*

*g* Aduerte miram enallagen pro, Epirus mittit equas Eliadum palmarum, ideſt mittit equas velociſſimas quæ palmam referre ſolent in Olympico certamine, quod in Elide celebratur.

*Deucalion vacuum* a *lapides iactauit in orbem:*
*Vnde homines nati, durum genus: ergo age terræ*
*Pingue ſolum primis* b *extemplo à menſibus anni*
*Fortes inuertant tauri, glebáſque iacentes*
*Puluerulenta coquat maturis ſolibus æſtas.*
*At, ſi non fuerit tellus fœcunda, ſub ipſum*
*Arcturum* c *tenui ſat erit ſuſpendere* d *ſulco:*
*Illic* e *officiant lætis ne frugibus herbæ,*
*Hic* f *ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.*
*Alternis* g *idem tonſas ceſſare nouales,*

*Terra pinguis aranda vere ineunte. Sterilis autũno.*

*Aut ſemina mutanda.*

*a* Hominibus exhauſtum, cùm omnes præter Deucalionem periſſent vide. ecl. 6.

*b* A menſe Martio & Aprili, à quibus menſibus veteres annum inchoabant.

*c* Arcturus eſt ſtella de qua Proclus. ὁ μὲν γὰρ ἀνὰ μέσων σκελῶν τοῦ ἀρκτοφύλακος κείμενος, ἀρκτοῦρος ὀνομάζεται. *Inſigne ſidus quod ſupra media Arctophylacis crura iacet, arcturus nominatur* quaſi ἄρκτου οὐρα. *Vrſæ cauda*, quia eſt iuxta caudam maioris Vrſæ. Oritur autem menſe Septembri cum ſigno virginis, ſole in piſcibus exiſtente, oritur, inquam, ortu coſmico, vt appellant aſtrologi, ideſt Arcturus adſcendit ſupra noſtrum horiſontem, eo ipſo tempore quo ſol nobis apparet.

*d* Aratro non depreſſo in terram, ſed leuiter ſuſpenſo arare, & quaſi terram delibare.

*e* In terra pingui, quæ depreſſo altius vomere penitus euertenda eſt, vt ſtirpitus eradicentur herbæ (quæ in ſolo vbere ſolent pullulare) ne officiant & noceant frugibus lætis & fœcundis.

*f* In tenui gracilique ſolò, quod non profundè arari debet, ſed duntaxat leuiter ſuſpenſóque vomere debilari, ne humor exiguus ſiue ſuccus qui qualemcunque illi fœcunditatem impertiebat, relinquat terram arenoſam, ſterilem & effœtam.

*g* Tu idem, agricola, ſi vis vt ſeges optatis tuis reſpondeat, patieris agros tuos fieri noualia, & alternis annis quieſcere, campumque ſegnem & otioſum ſitu & ſquallore

*Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum:*
*Aut ibi flaua ſeres mutato ſidere farra,*
*Vnde priùs lætum ſiliqua quaſſante legumen,*
*Aut tenues fœtus viciæ: triſtiſque lupini*
*Suſtuleris fragiles calamos, ſyluámque ſonantem* *Ager ſtercorandus.*
*Vrit enim* a *lini campum ſeges, vrit auenæ,*
*Vrunt lethæo* b *perfuſa papauera ſomno.*
*Sed tamen alternis* c *facilis labor: arida tantum*

dureſcere. Aut ſi tanta non habes agrorum ſpatia vt omnino quieſcant, ſaltem mutato ſidere i. diuerſo tempore, alterniſque annis ibi ſeres frumenta, vnde prius legumen, viciam, aut lupinum collegeras, hæc enim ſemina quia tenuia ſunt & minus alimenti deſiderant, aliquam terræ quietem impertiunt, quæ ſi ſingulis annis farre & tritico ſereretur, ſatis alimenti ſubminiſtrare non poſſet. Vide interim, quibus adiectis hilaret & amœnet ſuam poëſim: lætum vocat legumen ſiliqua quaſſante, cuius vagina & folliculus quaſſatur: tenuem viciam, quia tenues capreolos habet, quibus aliis plantis adhæreſcat, triſtem lupinum, quia eſt amarus, vnde & ἀπὸ τῆς λύπης à triſtitia & dolore nomen accepit. fragiles calamos, quia & facilè franguntur, & fragorem edunt. vnde & per epexegeſim ſubdit, *Sylnámque ſonantem.*

a Videtur aliquid ſupplendum, quaſi dicat. Etiam ſi te terrarum cogant anguſtiæ, nec habeas vbi intermiſſo agro rurſum feras, caue tamen ibi ſerere frumentum vnde priùs linum, auenam, papeuer ſuſtuliſti: hæc enim ſemina vrunt campum & eum ſucco penitus exhauriunt. Vel, noli alternis annis petere linum, auenam, paupauer, vbi frumentum ſerere deſtinati. Vrit enim, &c.

b Soporifero, quo ſoporem lethæum, id eſt obliuioſum inducit.

c Videtur hic eſſe ſenſus. Etiamſi campum exhauriat auena, linum, & papauer, tamen facilis erit labor, id eſt facile erit remedium adhibere huic malo, efficeréque vt eadem terra alternis annis linum & frumentum alere poſſit. Quòd autem illud remedium, vt agri illi ad ſaturitatem vſque ſtercorentur, & immundo cinere ſpargantur. Hæc enim ſtercoratio, & ſeminum mutatio, erit vice quietis.

*Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola, néue*
*Effœtos cinerem immundum iactare per agros.*
*Si quoque mutatis requieſcunt fœtibus arua.*
*Nec nulla* a *interea eſt inaratæ gratia terræ.*
*Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros:*
*Atq; leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis.*
*Siue inde occultas* b *vires, & pabula terræ*
*Pinguia concipiunt: ſiue illis omne per ignem*
*Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor,*
*Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat*
*Spiramenta, nouas veniat quà ſuccus in herbas,*
*Seu durat magis, & venas adſtringit hianteis,*
*Ne tenues pluuiæ, rapidiue potentia Solis*
*Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.*
*Multùm adeò, raſtris glebas qui frangit inertes* c.
*Vimineáſque trahit crates, iuuat arua, neq; illum*

*Agrorũ ſterilium incenſio.*

*Occatio & fractio glebarum.*

a Monet Seruius hîc eſſe liptoten, vt *Munera nec ſperno* quaſi dicat: interea tamen, id eſt etiam ſi dixerim loco quietis eſſe mutationem: nihilominùs tamen maxima & præcipua eſt gratia terræ inaratæ, ideſt ſi terram quieſcere ab aratro permiſeris, maximam tibi gratiam rependet, nam & interea dum quieſcit, erit vtilis paſtioni, & poſtea ſegetem longè vberiorem profundet.

b Quatuor cauſſas enumerat propter quas proſit agros ſteriles incendere. Terræ, inquit, exuſtione fœcundantur. vel quia inde occultas vires trahunt: vel quia omnis vitioſus humor excoquitur, exudat, emittitur, vel quia calor ille plures vias occultóſque meatus aperit, per quos ſuccus & humor perueniat in herbas. Vel denique quia terram magis indurat ille calor, rimáſque & meatus obturat, ne vel ſolis calore, vel pluuia, vel frigore penetrentur, adurere hic eſt ſuccum exhaurire & exſiccare.

c Quæ inertes eſſent ſteriles & otioſæ niſi frangerentur.

*Flaua Ceres* [a] *alto nequicquam ſpectat Olympo*
*Et qui* [b] *proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga,*
*Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro,*
*Exercétque frequens tellurem, atq; imperat aruis.*
*Humida ſolſtitia* [c] *atque hyemes orate ſerenas*
*Agricolæ, hyberno lætiſſima puluere farra,*
*Lætus ager nullo tantum* [d] *ſe Mœſia cultu*
*Iactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.*

a Non fruſtra illum reſpicit Ceres, ſed ei largitur meſſem copioſam.

b Ille etiam multum iuuat & fœcunda arua, qui glebas in morem dorſi prominentis, quas arata planitie ſuſcitauit, rurſus perrumpit aratro in obliquum verſo, & frequenter terram exercet, eamque, veluti imperans, cogit ad fœnus exhibendum.

c O Agricolæ, optate vt æſtates vobis humidæ ſint & pluuioſæ, hyemes autem ſerenæ. Solſtitium eſt dies longiſſimus, nimirum Iulij vigeſimus ſecundus, quia cùm ſol ad tropicum Cancri acceſſerit, ex eo puncto recedit & quaſi relegens ſua veſtigia paulatim redit ad tropicum Capricorni, quò cum peruenerit bruma propriè vocatur, efficitque diem totius anni breuiſſimum, qui eſt 22. Decembris. Vnde ſolſtitium brumæ opponitur. Cicero 2. de natura Deorum. *Solis acceſſus receſſuſque ſolſtitiis brumiſque cognoſcitur.* Dicitur ſolſtitium quòd circa id tempus Sol ſtare, neque ſtatum mutare, neque dies minui aut creſcere videantur: quæ mutatio circa æquinoctia magis apparet.

d Etiamſi Mœſia & Gargara diligenter colantur, tamen ſuam fœcunditatem non iam agricolarum induſtriæ & labori, quam æſtiuæ humiditati & hybernæ ſerenitati referunt acceptam. Mœſia autem, vel eſt Myſia regio vicina Thraciæ, vt vel alij cum Seruio malunt, Phrygiæ locus. Gargara dicuntur, vel vertex Idæi montis, vt placet Seruio, vt vel auctor eſt Macrobius, ciuitas ad radices montis eiuſdem conſtituta. Quicquid ſit, vide poëſim ſanè miram terræ humanos tribuit affectus, iactat ſe & gloriatur Mœſia, Gargara mirantur fruges ſuas, quarum ſcilicet fœcun-

*Quid dicam* a, *iacto quid ſemine cominus arua*
*Inſequitur, cumuloſque ruit male pinguis arenæ,*
*Deinde ſatis fluuium inducit, riuoſq; ſequentes?*
*Riuorũ inductio* *Et, cùm exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,*
*Ecce ſupercilio* b *cliuoſi tramitis vndam*
*Elicit* c, *illa cadens raucum per læuia murmur*
*Saxa ciet, ſcatebriſque* d *arentia temperat arua.*

ditas omnem ſuperat fidem. At rem eandem quam eleganter iam ſuperiùs expreſſerat? *ruperunt horrea meſſes, Cerei non fruſtra reſpectat illum.*

*a* Præteritio oratoria. Quid opus eſt dicere quemadmodum iuuat arua, terræque fœcunditatem auget, qui ſtatim atque ſemen iecerit, arua cominus & è propinquo proſequitur, nec finit quieſcere, & euertit cumulos terræ ſterilis & arenoſæ, qui aratro fuerant excitati, vt vbique ſemen æqualiter glebis obtegatur? deinde fluuium ſiue copioſam aquam inducit in ſata, quæ propter loci decliuitatem ſequitur, & in varios riuulos diſtributa totum agrum humectat.

*b* Supercilium ponitur pro loco eminenti ſiue ſummitate. *Tramites* ſecundum Iſidorum, *ſunt tranſuerſa in agros itinera,* aut ſecundum Seruium, *tramites ſunt conualles, quę de lateribus vtrimque peruiæ limitãt montes, quæ ſolent etiam ſ ltus nuncupari.* Cliuoſum dicitur leniter deuexum. Ecce, inquit agricola è parte ſuperiore tramitis leuiter deuexi vndam deducit.

*c* Idem Seruius *Ab eliciendo & apud antiquos, hodieque in aliquibus prouinciis, Elices appellantur ſulci ampliores ad ſiccandos agros ducti, vnde Poëta ipſo verbo vti voluit, nam & ſcrutatores vel repertores aquarum aquilices dicuntur,* illa autem vnda cadens per ſaxa nitida & ipſius aquæ percuſſu læuigata atque detrita, murmur edit canorum & modulatum. Sic. 7. Æneid. rauci cycni. 8. raucus tubarum cantus, aut etiam murmur fractis ad ſaxa fluctibus interruptum vt Horat.

*Fractiſque rauci fluctibus Adriæ.*

d Æneidos. *Tum rauca aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant.*

*e* Aquis bullantibus, & è proximo ſupercilio ſcatentibus.

*Quid? a qui ne grauidis procumbat culmus ariſtis* Segetis depaſtio
*Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba,*
*Cùm primùm ſulcos æquant ſata? quique paludis* b. Aquarũ deductio.
*Collectum humorem bibula deducit arenâ?*
*Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans*
*Exit, & obducto latè tenet omnia limo:*
*Vnde cauæ tepido ſudant humore lacunæ,*
*Nec tamẽ (hæc cùm ſint hominũque boúmq; labores*
*Verſando terram experti) nihil improbus anſer.*
*Strymoniæq;* c *grues & amaris intyba* d *fibris* Agricul turæ cõtraria.
*Officiunt: aut vmbra nocet. Pater ipſe colendi*
*Haud facilem eſſe viam voluit, prmúſq; per artem*
*Mouit agros* e, *curis acuens mortalia corda.*

*a* Quid dicam quantopere iuuet terram ſuâ natura fœcundam, quid videns ſegetem luxuriantem & exuberantem, in eam pecudes inducit ad depaſcendam hanc luxuriem & ſuperfluitatem, cùm adhuc herbæ teneræ ſunt, & tum primùm culmi ſurgentes promicantéſque ſulcorum altitudinem non excedunt, hoc autem fit ne culmus grauidis & exuberantibus ſpicis ad terram deprimatur.

*b* Quid dicam quantùm iuuet arua is qui videns agrum aqua paluſtri & ſtagnante coopertum, omnem illum humorem qui toto agro diſperſus erat, colligit & congregat in ſulcos ampliores arena ſubſtratos, ad aquam ebibendam, & deducit extra ſegetem (Menſibus præſertim vernis & autumnalibus qui magis incerti ſunt, variiſque mutationibus obnoxij) ſi amnis vicinus extra ripas redundarit, & ſuperfuſo limo circumiectos agros occuparit.

*c* A Strymone Thraciæ fluuio, vbi grues frequentes, ſpecies pro genere.

*d* Turnebus lib. 27. aduerſ. cap. 25, *Dupliciter intuba nocere poſſunt: tùm radicum fibris ſerpentium terrámque defrugantium & triticum angentium: tum anſerum illecebris mirè hoc olus expetentium, quam etiam crediderim cauſſam fuiſſe cur poſt anſeres intuborum mentionem fecerit.*

*e* Arari fecit agros, nec paſſus eſt ſe regnante homines

*Nec torpere graui paſſus ſua regna veterno.*
*Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni,*
*Nec ſignare* a *quidem, aut partiri limite campum*
*Fas erat: in medium quærebant* b, *ipſáque tellus* c
*Omnia liberiùs nullo poſcente ferebat.*
*Ille malum virus* d *ſerpentibus addidit atris,*
*Prædarique lupos iuſſit, pontúmque moueri,*
*Mellaque decuſſit folijs, ignémq; remouit* e,
*Et paſſim riuis currentia vina repreſſit:*
*Vt varias vſus meditando extunderet* f *artes*

otio & deſidia torpeſcere, quaſi lethargo aut morbo intercute.

*a* Seruius Danielis alludi putat ad morem agrorum aſſignandorum. *Cùm* inquit *agri colonis diuiderentur, foſſa ducebatur ab oriente ad occidentem quæ cardo nuncupatur, & alia de Septentrione ad meridiem, qui decimanus limes vocabatur, & alii mores erant in obliquum diſcreti, qui lienares appellabantur, & agros per iugera diuiſos coercebant.*

*b* Coaceruabant fruges quæ omnibus communes eſſent, nec propriæ alicuius.

*c* Nota vim huius dictionis *ipſa*; ideſt ſponte ſua, ſuapte natura Eclog. 4. verſu 43. *Ipſe ſed in pratis aries*, &c. vide. Ouidius 1. Metamorph.

*Ipſa quoque immunis, roſtróque intacta, nec vllis*
*Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus,*

Lucretius lib. 2. *Ipſa dedit dulces fœtus & pabula læta*
*Quę nunc vix noſtro grandeſcunt aucta labore.*

*d* Caius de verborum ſignificat. *Qui venenum dicit debet adiicere vtrum malum an bonum* ita etiam virus vox media eſt vt dictum eſt ad verſum 58.

*e* Ex Heſiodo Κρύψε δ' πῦρ *Ignem vero abſcondit* videlicet in venis ſilicis, vnde per attritionem extunditur.

*f* Vt vſus & experientia varias artes crebra meditatione ſiue exercitatione inueniret, quarum artium ſemina in animis hominum, tanquam ignis in ſilice continentur, non tamen prodeunt ad hominum vtilitatem, niſi frequenti vſu, quaſi

*Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam,*
*Et ſilicis venis abſtruſum excuderet* a *ignem.*
*Tunc alnos* b *primùm fluuij ſenſêre cauatas:* Artium
*Nauita tum ſtellis numeros, & nomina fecit,* inuētio.
*Pleïadas* c *Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.*
*Tum laqueis captare feras, & fallere viſco*
*Inuentum, & magnos canibus circundare ſaltus.*
*Atque alius latum fundâ* d *iam verberat amnem*
*Alta petens; pelagóque alius trahit humida lina.*
*Tum ferri rigor, atque argutæ* e *lamina ſerræ,*

repetitis ictibus exprimantur, quemadmodum ignis è ſilice ipſo attritu extunditur. Eandem tranſlationem bis vſurpat 4. Georg. verſ. 315. & 328.

*a* Silicem ſilice feriens ignem latentem eliceret, excuteret, & in apertum educeret. 1. Æneidos 180.

*Ac primùm ſilicis ſcintillam excudit Achates,*

*b* Tunc primùm cœptum eſt nauigari & initio quidem lintribus fluuialibus ſiue ſcaphis ex alno cauata factis nauigabatur in fluuijs, cùm nondum homines auderent ſe mari cõmittere. Paulatim autem audaciores facti cùm in mari nauigare vellent, ſtellas ad curſum in mari dirigendum obſeruare cœperunt, eaſque in certos numeros conſtellationéſque dirigere, & varijs appellationibus diſtinguere, verbi cauſſa Pleïadas, Hyadas, &c.

*c* Marcellus Palingenius in Aquario.

*Taurus habet ſtellas viginti, vnámque: ſed harum*
*Septemque ipſius poſtrema in parte renident.*
*Vergiliæ nec non Atlantides appellantur.* Item Pleiades.
*Sunt totidem in capite, atque hyades dicuntur ab imbri.*

Arctos autem eſt Helice ſiue vrſa maior, quam Lycaonis Arcadiæ Regis filiam, in cœlum tranſlatam fuiſſe fabulantur. Vide 1. Metamorph. Palingenius ibidem.

*Aſtra Helice ſeptena tenet, quę dicitur Vrſa.*
*Maior quòd cœlo maiori lumine fulget.*

*d* Genus eſt retis dictum à fundendo, dictum iaculum. Græcis βέλος

*e* Stridulæ. Sonanti, vt 7. Æneid.

*Arguto tenues percurrens pectine telas.*

*Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum,*
*Tum variæ venêre artes: labor omnia vincit*
*Improbus* a, *& duris vrgens in rebus egeſtas.*
*Prima Ceres ferro mortales vertere terram*
Agriculturæ clades. *Inſtituit, cùm iam glandes atq; arbuta ſacræ*
*Deficerent ſyluæ, & victum Dodona* b *negaret,*
*Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos*
*Eſſet rubigo* c *ſegniſque horreret in aruis*
*Carduus: intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylua,*
Agriculturæ labor. *Lappæque, tribulique, interque nitentia culta*
*Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.*
*Quod niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris,*
*Et ſonitu terrebis aues, & ruris opaci*
*Falce premes* d *vmbras, votiſq; vocaueris imbrem,*
*Heu, magnum alterius fruſtra* e *ſpectabis aceruum,*
*Concuſſaque famem in ſyluis ſolabere* f *quercu.*
*Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma* g,

a Magnus, indefeſſus, aſſiduus, nulli cedens.
b Epiri Sylua, Ioui conſecrata. Speciem pro genere vſurpat, vide ſupra 12.
c Ederet, conſumeret. Rubigo genus eſt vitij quo calmi pereunt, & frumenta nigreſcunt, cum videlicet ros in ſpicam exceptus, aut pluuia non decutitur, ſed ſolis ſuperuentu excalfactus putreſcit. Cardui, lappæ, tribuli, lolium, auenæ, genera ſunt herbarum frugibus noxiarum.
d Compeſces & coërcebis, ramis amputatis qui terram opacent, & vmbra ſua terram infœcundam redderent.
e Fruſtra ingentes frumenti alieni aceruos adſpicies, ſi quidem in alio cernes quod ipſe non habeas, & nil vtilitatis inde conſequeris.
f Non plenè ſaturabis, ſed ſolaberis, lenies & aliquantulum mitigabis.
g Inſtrumenta agriculturæ: *Vomis*, eſt culter aratri quo

*Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes.*
*Vomis & inflexi primùm graue robur aratri,*
*Tardáque Eleuſinæ matris* a *voluentia* b *plauſtra,* *Instrumenta.*
*Tribuláq; traheæq; & iniquo pondere raſtri.*
*Virgea præterea Celei* c, *viliſque ſupellex,*

terra poſcinditur. *le contre, robur aratri,* eſt ipſum aratri corpus firmum & robuſtum, quod graue eſſe debet ad ſulcos altiùs imprimendos, plauſtra ſunt currus maiores quibus tardo nolimine progredientibus ſeque pedetentim voluentibus manipuli conuehuntur: *Tribula* ſiue *tribulum* inſtrumentum eſt ad manipulos in area exterendos, de quo Varro libro 1. de re ruſtica. *Fit tribulũ è tabula lapidibus, aut ferro exſparata, quo impoſito auriga, aut pondere grandi trahitur iumentis iuncta, vt diſcutiat è ſpica grana.* *Traha* ſiue *trahea* dicitur à trahendo de qua Seruius. *Vel tabula eſt, vt quidam dicunt, quæ trahentibus bobus ſolet areę induci ad pabulum colligendum, vel vehicula ſine rotis.* Vernacule, *vne herſe.* *Raſtrum* inſtrumentum variis dentibus inſtructum ad paleas colligendas: quod graue eſt iniqui ponderis, id eſt quod plus æquo geſtantem grauat. Sic libro ſequenti. 347.

*Iniuſto ſub faſce viam dum carpit.*

Videtur etiam ſumi pro inſtrumento arationis *terram inſectabere raſtris.*, *crates, des clayes*, *vannus* ipſo nomine nota, quam ſeruius appellat *cribrum areale*. *buris* ipſa aratri curuatura, *temo* lignum oblongum quo boues ad aratrum alligantur, *aures* videntur eſſe partes vomeris auricularum inſtar vtrimque prominentes, *quibus latior ſulcus efficiatur*, inquit Seruius, vt Palladius. tit. lib. 1 43. *quibus poſſint contra ſtationes humoris hyberni ſata celſiore ſulco attolli.* *Dentale* eſt lignũ ad quod vomis includitur *iugum* lignum quod ad continendos boues eorum ceruici imponitur, *ſtiua* manica ſiue manubrium & gubernaculum aratri

*a* Eleuſina mater eſt Ceres frugum inuentrix, ſic dicta quia in Eleuſi ciuitate Atticæ non longè ab Athenis celebrabantur eius myſteria.

*b* Quæ voluuntur: quæ ſe conuoluunt. vt *Voluentibus annis.*

*c* Celeus fuit Rex Eleuſis, pater Triptolemi, qui hoſpitio Cererem excepit. Eius ſupellex vel crates ex arbuto contextæ, vel corbes meſſoriæ, calathi, & cætera eiuſmodi.

*Arbuteæ crates, & myſtica* a *vannus Iacchi.*
*Omnia quæ multò antè memor prouiſa repones*
*Si te digna manet diuini gloria ruris.*
*Continuò in ſyluis, magnâ vi flexa, domatur*
*In burim, & curui formam accipit vlmus* b *aratri.*
aratrum *Huic à ſtirpe* c *pedes temo protentus in octo,*
*Binæ aures, duplici* d *aptantur dentalia dorſo.*
*Cæditur & tilia* e *antè iugo leuis, altaque fagus.*
*Stiuaque, quæ currus à tergo torqueat imos,*
*Et ſuſpenſa* f *focis explorat robora fumus.*

a *Seruius. Liberi Patris ſacra ad purgationem animę pertinebant: & ſic homines eius myſteriis purgabantur, ſicut vannis frumenta purgantur.* Liber autem ſiue Bacchus cum myſteriis præeſt vocatur Iacchus. Cicero 2. de legibus. *Quid ergo aget Iacchus Eumolpidęque noſtri, & auguſta illa myſteria? ἀπὸ τῆς ἰαχῆς à clamore.* noti Thyadum & Mænadum ſiue bacchantium clamores.

b Vlmus dum adhuc eſt in ſyluis ſuiſque hæret radicibus, continuò. i. ſtatim ab initio, priuſquam penitus indureſcat, dum adhuc flectenti ſe præbet obſequentem, magna vi contra naturalem inclinationem domatur & inflectitur, ad faciendum aratrum.

c Huic buri, ſiue aratri curuaturæ temo pedes octo longus annectitur, à *ſtirpe*, id eſt ab ima parte temonis qua buri committitur.

d Lato & magno, vt libro 3. *duplex agitur per lumbos ſpina.* Horatius *duplicem ficum*, appellat. lib. 2. Satyr.

e Tilia & fagus, quia ſunt arbores leues & naturâ ſuâ teneræ *ante* videlicet opportuno tempore cædēdæ ſunt ad iugum faciendum, arbores autem tempeſtiuè cædendas eſſe pręceptum eſt Catonis cap. 37. *Omnino caueto nequam materiam doles, neu cædas, neu tangas, ſi potes, niſi ſiccam, neu gelidam, neu rorulentā.*

f Et lignum ſiue materia, quæ ad faciendum aratrum præparata fuerit, ſuſpendatur ad caminum, vt fumo probetur. Seruius. *Probare enim ſoliditatis ſunt ligna, ſi in fumo minimè rimas effecerint, nāmque ad exudandum fumum adhibita, ſi rimas fa-*

*Poſſum multa tibi veterum præcepta referre,*
*Ni refugis, tenuéſque piget cognoſcere curas.*
*Area* a *cùm primis ingenti æquanda cylindro,*
*Et vertenda manu, & cretâ ſolidanda tenaci* *Area.*
*Ne ſubeant herbæ, neu puluere victa fatiſcat,*
*Tum variæ illudent peſtes: ſæpe exiguus mus*
*Sub terris poſuitque domos, atque horrea fecit,*
*Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ,*
*Inuentúſq; cauis bufo, & quæ plurima terræ*
*Monſtra ferunt, populatq; ingentem farris aceruum* *Agri-*
*Curculio, atque inopi metuens formica ſenectæ.* *tu ę*
*p ſa-*
*Contemplator* b *item, cùm ſe nux plurima ſyluis,* *gia.*
*Induet in florem & ramos curuabit olentes,*
*Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,*

*ciunt & ſciſſuras, mala ſunt & infirma.* Per *currus* autem *imos* poſtremam aratri partem intelligit, quæ ſtiua quaſi gubernaculo torquetur, & huc illuc flectitur aratoris arbitratu.

*a* Seruius hic hyſteron proteron agnoſcit. *Priùs enim eſt vt manu terra vertatur: deinde ſolidetur glarea: poſtremo æquetur cylindro, ideſt lapide tereti in modũ columnæ, qui à volubilitate nomẽ accipit..* Cretam autem ſiue glaream amurcâ temperandam eſſe colligit Cerdanus ex Catone, Varrone, Plinio & Palladio.

*b* Vt ab ipſo veris initio habeas fertilitatis eo anno futuræ præſagium, Amygdalum (quæ eſt nux oblonga & prima omnium arborum floret) contemplare cùm primùm florere incœperit, & ramos multitudine foliorum & florum ſuaueolentium graues ad terram inflectere. Si fœtus, ideſt ſi flores in fructum protuberantes multitudinem foliorum ſuperant & excedunt, magnus erit illius anni frugum prouentus, multumque frumenti per æſtiuos calores exteretur, Si vero frondes luxurient, abundent, & numerum florum excedant, in area terentur culmi palcarum; pingues quidem & luxuriantes, ſed tamen nequicquam terentur ſpicis pauca grana reddentibus.

*Magnáque cum magno veniet tritura calore.*
*At ſi luxuriâ foliorum exuberat vmbra,*
*Ne quicquam pingueis paleæ teret area culmos.*
*Semina a vidi equidem multos medicare ſerẽtes,*
*Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,*
Seminum meditatio. Et electio. *Grandior vt fœtus ſiliquis fallacibus* b *eſſet*
*Et quamuis igni exiguo properata maderent.*
*Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore*
*Degenerare tamen, ni vis humana quotannis*
*Maxima quæque manu* c *legeret: ſic omnia fatis*
*In peius ruere, ac retrò ſublapſa referri.*

*a* Varios modos oſtendit quibus adiuuari poſſit calor naturalis ad celerem & vberem ſeminum germinationem neceſſarius. Vidi, inquit, multos qui ſerentes fabas & alia legumina priùs nitro (*auec du ſalpeſtre*) & amurca ſiue fæce olei perfunderent, ad augendum his medicamentis calorem ſeminum naturalem. Vidi etiam qui igne modico & temperato ſemina made facerent, ideſt, aliquantùm coquerent, & macerarent, ad properandam eorum germinationem. Neque tamen hoc ſufficit, niſi ſingulis annis maiora ſemina diligenter eligantur. Nam quamuis hæc fierent, vidi tamen fruges, quarum ſemina multis annis electa, ſpectata, & probata fuerant, degenerare & in deteriorem naturam conuerti, niſi homines indefeſſo labore & induſtria maxima quæque grana quotannis ad ſemen eligerent, non contenti ſuperioribus annis elegiſſe ſemina quæ in terram ſpargerentur.

*b* Ideo ſemen nitro & amurca macerant, & præparant, vt in vaginis leguminum ſiue folliculis grana naſcantur grandiora, quàm externam ſiliquarum ſiue folliculorum ſpeciem intuentibus apparent, & ita decipiantur intuentes qui minora grana putabant his folliculis contineri.

*c* Diligenter & accuratè, vt non ſolùm oculis credatur ſeminum electio, ſed ſpicæ, vna poſt aliam, manu tractentur.

*Non aliter a, quam qui aduerſo vix flumine lẽbum*
*Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,*
*Atq;* b *illum in præceps prono rapit alueus amne.*
*Præterea tam ſunt Arcturi* c *ſidera nobis,*
*Hædorũmq; dies ſeruandi, & lucidus anguis,*
*Quàm, quibus in patriã vẽtoſa per æquora vectis*
*Pontus, & oſtriferi* d *fauces tentantur Abydi.*
*Libra* e *die, ſomnique pares vbi fecerit horas,*

*Aſtrologia agricolæ neceſſaria.*

a Res omnes creatæ ad nihilum ſuum redeunt, vnde profluxerant, naturæ ſuæ pondere retrocedunt, ad interitum vergunt, aut ſaltem in deteriorem ſtatum ſponte referuntur quemadmodum qui lembum ſiue ſcapham per aduerſum flumen contra vim & curſum aquæ, remis ſubagitat & ſubter impellit, ſi fortè labore fatigatus brachiorum neruorúmque contentionem remiſerit, & à remigando ceſſauerit, ſtatim illum alueus ipſe naturali impetu decurrens rapit in præceps, & cogit per pronum decurrentémq; amnem deſcendere.
b Statim ἀρχαικῶς Cic. 2. de legibus. *Si in ius vocet atque eat.* Ennius apud Gellium lib. 30. cap. 29.

*Atque atque accedit muris Romana iuuentus.*

c Aſtrologiæ obſeruatio non minùs eſt nobis neceſſaria quam nautis qui naui mercibus onuſta in patriam reuehuntur per mare ventis obnoxium, tentantes Pontum & Helleſponti fauces ſiue anguſtias inter Seſtũ & Abydum, vbi oſtrea naſcuntur. Arcturus ſtella eſt primæ magnitudinis in cingulo Bootæ: hœdi duæ ſtellæ in manu Heniochi, ſiue Aurigæ. Anguis ſiue Hydra trium ſignorum longitudinem occupans Cancri, Leonis, & virginis, inter æquinoctialem circulum & hyemalem collocatur. Obſeruandum igitur ab agricolis, quando tum iſtæ, tum aliæ conſtellationes oriantur.
d Ennius apud Apuleium in Apologia.

*Mures ſunt Æni, atque aſpra oſtrea plurima Abydi.*

e O agricolæ, qui verè viri eſtis & laborioſi exercere tauros, aratro incumbite, ſerire hordea ab Æquinoctio autumnali, quod cadit in 23. Septembris pene vſq; ad brumam,

*Tempus arationis. Autumnus.*

*Et medium luci, atque vmbris iam diuidet orbem:*
*Exercete viri tauros, ſerite hordea campis.*
*Vſque ſub extremum brumæ intractabilis imbrem:*
*Nec non & lini ſegetem, & cereale* a *papauer*
*Tempus humo tegere, iam dudum incumbere aratris,*
*Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent* b,

*Ver.*

*Vere fabis ſatio: tunc te quoque* c *Medica putres*
*Accipiunt ſulci, & milio venit annua cura.*
*Candidus* d *auratis aperit cùm cornibus annum*

quæ cadit in diem 22. Decembris, & extremos imbres qui eam proximè antecedunt. Æquinoctium porro ita periphraſticè deſcribit, cum Sol exiſtens in Libra diei noctiſque pares horas effecerit, id eſt dies noctibus æquauerit, feceritque vt nox in horas duodecim diurnis æquales diuidantur & mundum motúmque ſuum circularem ita diuidat in partes æquales, vt medium luci, mediũ tenebris tribuatur *die* pro *diei*.

*a* Vel quia papauer eſt in Cereris tutela, vel quia pani inſpergitur.

*b* Dũ pene iam videntur nubila pendere, & pluuia imminere.

c Verno tempore etiam ſeritur Medica, herba ſimilis trifolio, caule foliiſque geniculata, optimum equis pabulum, ſeritur, inquam, Medica in ſulcis putribus, ideſt mollibus, bene ſubactis, & in cinerem propè reſolutis. Seruius *Vno* anno frequenter ſeritur, & ſexies aut amplius ſecatur, poſtea aliquot annis ſponte procreatur, quod etiam ſequens indicat verſus: nam dicendo *Et milio venit annua cura* oſtendit Medicæ curam non eſſe annuam.

*d* Sol Taurum ingreditur 22. Aprilis. vnde & Taurus dicitur annum non quidem inchoare, ſed aperire, & quaſi deterſis nubibus cœlum detegere: ſi quidem.

*Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.*

Tunc autem Taurus dicitur oriri ortu coſmico ſiue mundano, quia ſimul cum Sole ſuper horiſontem adſcendit. Canis autem maior qui vicinus eſt Cancro, cedere tum dicitur & occidere, quia Sole Taurum ingrediente tum pri-

*Taurus & aduerſo cedens Canis occidit aſtro.*
*At ſi triticeam in meſſem, robuſtaque farra*
*Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis:*
*Antè tibi Eoæ Atlantides* a *abſcondantur,*
*Gnoſiaque ardentis* b *decedat ſtella coronæ?*

mùm canis ita incipit obſcurari vt propter ſolis vicinitatem non appareat, & hic occaſus dicitur heliacus ſiue ſolaris, aduerſum dicitur aſtrum quaſi oppoſitum ſoli & radios eius excipiens è propinquo.

*a* Vergiliæ ſiue Pleiades, quæ Atlantis filias fuiſſe fabulantur, antè abſcondantur, & ſub horiſontem deſcendant ſolis exortu, quàm triticum ſeras. Pleiades ſunt inter caput Tauri & caudam Arietis. Taurus autem Scorpioni opponitur. Porro Sol ingreditur Scorpionem 24. Octobris, quo tempore ortu mundano ſiue coſmico Scorpius dicitur oriri. Taurus occidere eodem occaſu, quare occaſu coſmico Pleiadum finis Octobris & initium Nouembris denotatur.

*b* Videtur eſſe enallage pro, & ardens ſtella Gnoſiæ ſiue Cretenſis coronæ decedat Soli, & ab eo remoueatur quantum ſatis eſt vt appareat: ortum ſolarem intelligit, qui contingit ſole poſito in Scorpione. Marcellus Palingenius in Aquario cùm dixiſſet de Libræ exortu.

*Tunc & dimidiam poteris ſpectare coronam.*
Adiecit. *Scorpius enoriens hæc ſecum ſidera ducit,*
*Caudam Hydræ, Chironis equum reliquámque coronam.*

Quem coronæ ortum heliacum eſſe dicunt Ioannes de Sacroboſco, Clauius, & omnes aſtrologi & plerique Maronis interpretes Poſita eſt iuxta humerum ſiniſtrum Arctophylacis: habet autem ſtellas nouem in rotundo diſpoſitas, ſed ex his tres clariùs cæteris lucentes, & vnam præ cæteris de qua Manilius lib. 1. aſtron.

*At parte ex alia claro volat orbe corona*
*Luce micans varia, nam ſtellâ vincitur vnâ*
*Circulus in medio radians, qua proxima frontem*
*Gnoſia deſertæ fulgent monumenta puellæ,*
*Candidáque ardenti diſtinguit lumina flammâ,*

Dicitur Gnoſia à Gnoſo Cretæ ciuitate, quia Ariadne fuit filia Minois Cretenſium Regis, hæc autem corona *exiſtimatur*, verba ſunt Hygini, *Ariadne fuiſſe à Libero Patre inter ſydera*

*Debita quam ſulcis committas ſemina, quámque*
*Inuitæ properes anni ſpem credere terræ.*
*Multi ante occaſum* a *Maiæ cœpere, ſed illos*
*Expectata ſeges vanis eluſit auenis.*
*Si verò viciámque ſeres, vilémque faſelum,*
*Nec Peluſiacæ* b *curam aſpernabere lentis:*
*Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna Bootes* c.
*Incipe, & ad medias ſementem extende pruinas,*
*Idcirco* d, *certis dimenſum partibus orbem*
*Per duodena* e *regit mundi ſol aureus aſtra.*

*collocata.* Senſus eſt igitur. Expectandus eſt occaſus coſmicus Vergiliatum, & ortus heliacus coronæ, priuſquàm ſemen debitum in terram iaciatur. Debitum ait, quia terra ſemen exigit, vt fructum profundat. Semen vocat ſpem anni, quia niſi terra ſeratur, nullus fructus toto anno ſperandus eſt. Terram ait inuitans, quia ſi præmaturè ſereretur, ſemen inuita & quaſi reluctans exciperet, ait *credere*: quaſi eius fidei committere, quæ nonnumquam agricolam eludit, minorémque ſegetem effundit, quam promiſerat.

*a* Multi ante Vergiliarum occaſum quarum vna è ſeptem eſt Maia, cœperunt ſementem: ſed degenerat frumentum & pro tritico, quod expectabant, ſpe ſua fruſtrari, auenas retulerunt: & quidem vanas, quippe quæ fruges non haberent.

*b* Ægyptiæ, à Peluſio, vno è ſeptem oſtiis Nili. Ægyptus lentibus abundat.

*c* Bootes ſiue Arctophylax occidit occaſu ſolari. i. nobis non apparet propter ſolis præſentiam, cum ſol exiſtit in Tauro, Geminis, Cancro & Leone. Occidit autem occaſu coſmico ſiuè mundano. i. ſole Oriente deſcendit ſub noſtrum horizontem cum ſol eſt in Tanto.

*d* Vt agricolæ poſſint temporum diuerſitatem agnoſcere.

*e* Intelligit duodecim ſigna zodiaci, quem ſol ſingulis annis percurrit.

*Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.*
*Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.*

*Quinque*

*Quinq; a tenent cœlũ Zonæ* b *quarũ vna coruſco* c — *Quinque Zonæ, Torrida.*
*Semper ſole rubens & torrida ſemper ab igni,*
*Quam circum extremæ dextrâ* d *læuáq; trahuntur* e
*Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.* — Frigidæ.
*Has inter, mediámque, duæ mortalibus ægris*
*Munere conceſſæ diuûm, & via ſecta* f *per ambas,* — Temperatæ
*Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.*

a Digreditur & excurrit ad Sphæræ deſcriptionem, diuiſionémque in quinque zonas, quam hauſit ex Eratoſtene Cyrenæo, Lucretius lib. 5. Horatius lib. 1. Carm. Ode 22. obiter attigerunt, Varro Attaſinus verſibus quatuor complexus eſt, Tibullus lib. 4. Carmine Heroico ad Meſſalam multis explicuit, quos vide apud Pontanum, & Cerdanum interpretes.

b Commodè Seruius zonas explicat plagas ſiue circulos, qui cœlum ac terram veluti zonæ cingunt. Monet tamen propriè dici zonas in terris, cum in cœlo dicantur circuli ſiue paralleli. Sunt autem iſti *Septentrionalis, Æſtiualis, Æquinoctialis, Brumalis, Auſtralis.*

c Ardenti, fulguranti radijs criſpantibus. Lumen coruſcum dici videtur quaſi criſpans & tremulo motu agitatum, inſtar gladij verſatilis: vnde *telum coruſcare,* illa autem repetitio *ſemper, ſemper.* ad explicandam vim æſtûs retorridi mirè inſeruit, vt contrà *Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.*

d Nonnulli per dextram orientem intelligunt, quia ab illa parte mundus incipit moueri. Satius tamen eſt interpretari dextram, Septentrionem: læuam, ſiniſtram, partem Auſtralem, quia Zonæ mundi frigidæ non magis extenduntur ab ortu ad occaſum quàm torrida & duæ temperatæ: at zonarum frigidarum altera eſt ad Septentrionem, altera ad meridiem.

e Longo tractu extenduntur concretæ & congelatæ glacie, & imbribus oppletæ.

f Ducta. Lucretius lib. 5. & 6.

*Qua via ſecta ſemel liquido pede detulit vndas*

Vide ſextum Æneid. verſu vltimo. Hic autem ordo ſignorum obliquus, eſt zodiacus, vbi ſigna duodecim ordine ſe conſequuntur, tranſuerſus à Cancro ad Capricornum.

*Mundus vt ad Scytiã a, Riphæáſq; arduus arcẽs,*
Polus Arcticus Antarcticus. *Conſurgit, premitur Lybiæ deuexus in auſtros.*
*Hic vertex* b *nobis ſemper ſublimis: at illum*
*Sub pedibus Styx atra videt, manéſque profundi.*
*Maximus hîc* c *flexu ſinuoſo elabitur Anguis*
Antipodes. *Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,*
*Arctos oceani metuentes æquore tingi.*
*Illîc (vt perhibent) aut intempeſta ſilet nox,*
*Semper, & obtenta denſantur nocte tenebræ,*
*Aut redit à nobis aurora, diémque reducit:*
*Noſque vbi primus oriens equis afflauit anhelis,*
*Illic ſera rubens accendit lumina veſper.*

a Quemadmodum mundus verſus Scychiam & Hyperboreas regiones ſublimis attollitur propter eleuationem poli Arctici, ita deprimitur verſus Libyam ſiue Africam, vnde Auſtri ſpirant, propter deuexitatem poli Antarctici. Riphei Scythiæ montes altiſſimi dicti ἀπὸ τῦ ῥιπίζεσθαι, quòd aſſiduo ventorum flatu verberentur, *arces* ſunt montes vt 4. Georg. v. 461. *Rhodopeiæ arces.*

b *Hic* Polus Septentrionalis, *illum*, polum auſtralem ſiue Antarcticum.

c In hoc polo Septentrionali ſiue Arctico ingens conſtellatio quæ Draco vocatur, inſtar fluuij ſinuatur, circum vrſam maiorẽ & minorem, & inter illas elabitur, de qua Cic. ex Arato

*Has inter veluti rapido cùm gurgite flumen*
*Toruus draco ſerpit ſubter ſupráque reuoluens*
*Seſe, conficienſque ſinus è corpore flexos.*

Porro vtraque vrſa, quia ſunt vicinæ polo nec vnquam deſcendunt ſub horizontem, nec Sol tam propè ad eas accedit vt eas nocturno tempore obſcurare poſſit, metuere dicuntur æquore tingi, id eſt occidere.

d Circa polum Auſtralem ſiue Antarcticum, quo tempore Antipodes, qui polo Auſtrali ſubiecti ſunt, & aduerſa nobis vrgent veſtigia, noctem habent, nos diem habemus, & vice verſa cum illis dies oritur, nobis decedit.

*Hinc a tempeſtates dubio prædiſcere cælo* *Preſagi tempeſtatum.*
*Poſſumus: hinc meſſiſque diem, tempúſque ſerendi,*
*Et quando infidum remis impellere marmor* b
*Conueniat, quando armatas deducere* c *claſſes,*
*Aut tempeſtiuam* d *ſyluis euertere pinum.*
*Nec fruſtra ſignorũ obitus ſpeculamur & ortus,*
*Temporibúſque parem* e *diuerſis quatuor annum.* *Quid facien. dũ agricolę cælo pluuioſo.*
*Frigidus* f *agricolam ſi quando continet imber,*
*Multa forent quæ mox cælo properanda ſereno,*
*Maturare datur, durum procudit* g *arator*

a Ex iſta cœli ſtellarúmque diſpoſitione.

b Mare, cuius ſuperficies inſtar marmoris ſplendentis eſt, læuigata: *infidum* quia fallax eſt, ſæpe fidem fallit, cui nemo poteſt confidere Lucret. lib. 2.

*Infidi maris inſidias viréſque, doloſque.*

Item. *Subdola cùm videt placidi pellacia ponti*

c E terra vel è portu in mare demittere; cuius contrarium eſt ſubducere.

d Cato cap 31. *Vlmeam, pineam, nuceam, hanc atque aliam materiam omnem cùm effodies, luna decreſcente eximito, poſt meridiem ſiue vento auſtro, tunc erit tempeſtiua, cùm ſemen ſuum maturum erit, caueto per rorem trahas, aut doles.*

e Annum in quatuor tempeſtates, ver, æſtatem, autumnum & hyemem, diuerſas inter ſe & diſſimiles ita diſtributum atque deſcriptum, vt in hac horarum diuerſitate par ſibique ſimilis perpetuò currat.

f Non fruſtra conſideramus ortus & occaſus aſtrorum, quia ſi quando imber frigidus agricolam domi continet, eúmque cogit ab opere ceſſare, datur ei multa maturè, tempeſtiuè, & per otium facere, quæ facienda eſſent raptim & properanter cœlo ſudo & ſereno, cùm arâti tempus inſtaret.

g Vomeris obtuſi & hebetati aciem exacuit, ſiue extenuat cudendo, & tundendo producit, lintres ſiue ſcaphas fluuiales facit ex arbore cauata, aut ouibus notam inurit: certiſque ſignis notat, & imprimit characteres: aut frumenti aceruos metitur, & ſingulis aceruis notat & imprimit numerum modiorum.

*Vomeris obtuſi dentem, cauat arbore lintres,*
*Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.*
*Exacuunt alii vallos, furcáſque bicornes,*
*Atque Amerina* a *parant lentæ retinacula viti.*
*Nunc facilis Rubea* b *texatur fiſcina virga,*
*Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo.*
*Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus,*
*Fas & iura ſinunt: riuos deducere* c *nulla*
*Religio vetuit: ſegeti prætendere ſepem,*
*Quid tempore feſto.*
*Inſidias auibus moliri, incendere vepres,*
*Balantúmque gregem fluuio merſare ſalubri* d*,*
*Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli,*
*Vilibus aut onerat pomis, lapidémque reuertens*
*Incuſum* e*, aut atræ maſſam picis vrbe reportat.*
*Dies lunæ quinta infelix.*
*Ipſa dies* f *alios alio dedit ordine luna*

*a* Amerinum ciuitas eſt Italiæ viminibus abundans, quibus vites lentæ ſiue flexibiles vinciuntur & alligantur.

*b* Ex vimine quod abundat circa Rubos Italiæ oppidum inquit Seruius. Fiſcina autem genus eſt vaſis, id eſt, corbulæ breuis quas perferunt qui vindemiant.

*c* Macrobius lib. 3. cap. 3. *Quod autem ait deducere, nihil aliud eſt quàm detergere. Nam feſtis diebus riuos veteres ſordidatos detergere licet, nouos fodere non licet.*

*d* Macrobius ibidem. *Cauetur in iure pontificio, vt quoniam oues duabus ex cauſſis lauari ſolent, aut vt curetur ſcabies, aut vt purgetur lana, feſtis diebus purgandæ lanæ gratia oues purgari non liceat: liceat autem, ſi curatione ſcabies abluenda ſit, &c. adijcendo ſalubri cauſſam conceſſæ ablutionis expreſſit.* Eadem dixerat l. 1. cap. 16.

*e* Seruius interpretatur. *Molam manualem cudendo aſperatam, χειρομύλην incuſum*, igitur eſt valde cuſum vt infringere vehementer frangere.

*f* Luna ipſa dedit hominibus dies felices & aptos operibus inchoandis: & quidem alios alio ordine: non enim omnes ſunt eodem modo felices, ſed alij alia ratione.

*Felices operum quintam fuge: pallidus Orcus*
*Eumenidéſque* a *ſatæ: tum partu terra nefando*
*Cæúmque, Iapetúmque* b *creat, ſæuúmque Typhœa.*
*Et coniuratos cœlum reſcindere fratres* c,
*Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam*
*Scilicet, atque Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum:*
*Ter pater extructos* d *diſiecit fulmine montes.*
*Septima poſt decimam* e *felix & ponere vites*
*Et prenſos domitare boues, & licia telæ*
*Addere* f *nona fugæ melior, contraria furtis.*
*Multa adeò gelida melius ſe nocte dedere* g,
*Aut cùm ſole nouo terras irrorat Eous* h
*Nocte leues ſtipulæ melius, nocte arida prata*
*Tondentur: noctes lentus* i *non deficit humor.*

*Septima & decima felices. Noctu quid faciendum*

a Furiæ, Alecto, Tiſiphone, Megæra, dictæ Eumenides κατ' εὐφημισμὸν, vel per antiphraſim quòd minimè ſint εὐμενεῖς, ideſt beneuolæ. Satas dicit, quaſi plantatas, id eſt, natas, procreatas, per tranſlationem.
*b* Gigantes aut etiam Titanes, qui dijs bellum intulerunt.
*c* Othum & Ephialtem, de quibus 5. Æneidos v. 582. Pelion mons Theſſaliæ, Oſſa Thraciæ, Olympus Macedoniæ.
*d* Exaggeratos & ſuper ſe inuicem cumulatos.
*e* *Septima quidem felix eſt, ſed felicior decima, vt primum locum decimæ tribuat, quæ ſit valdè felix: ſecundum ſeptimę, quæ poſt decimę felicitatem ſit ſecunda.* ita Seruius, cui cæteri conſentiūt.
*f* Licium eſt quod vtrimque ſtamina ligat ad telam texendam, ait igitur quintam lunam texendæ telæ eſſe felicem.
*g* Multa ſunt quæ per noctem labori noſtro meliùs obſequantur, meliùs ſuccedant, meliùs reſpondeant.
*h* Lucifer ſiue Phoſphorus. Stella matutina terram irrorans.
*i* Ratio cur prata meliùs noctu tondeantur quàm interdiu

*Et quidam ſeros hyberni ad luminis ignes*
*Peruigilat, ferróque faces inſpicat* a *acuto.*
*Interea, longum cantu ſolata laborem*
*Arguto coniux percurrit pectine* b *telas,*
*Aut dulcis muſti* c *Vulcano decoquit humorem,*
*Et foliis* d *vndam tepidis deſpumat aheni.*
Quid eſtate. *At rubicunda Ceres medio ſucciditur æſtu,*
*Et medio toſtas æſtu terit area fruges.*
*Nudus ara* e, *ſere nudus, hyems ignaua colono,*
*Frigoribus parto agricolæ plerûmque fruuntur,*
Quid hyeme. *Mutuáque inter ſe læti conuiuia curant,*
*Inuitat genialis hyems* f *curâſque reſoluit.*

eſt lentus quidam humor, qui nunquam deficit per noctes, & fœnum æſtu diurno arefactum ſic humectat vt faciat illud lenteſcere, aut *lentus* i. lentè terram irrorans.

*a* Tædas ſiue virgas pineas in ſpicæ ſimilitudinem incidit, in longum videlicet minutis virgulis, vt faciliùs concipiant adorem.

*b* Vide 7. Æneidos verſu 14 & adde Ouid. 6. Metamor.

*Tela iugo iuncta eſt: ſtamen ſecernit arundo.*
*Inſeritur mediam radiis ſubtegmen acutis.*
*Quod digiti expediunt, atque inter ſtamina ductum,*
*Percuſſo feriunt inſerti pectine dentes.*

E quibus vides pectinem eſſe inſtrumentum textorium cuius percuſſione ſtamini ſubtegmen compingitur.

*c* Sireum facit, ſiue hepſema, quod Latini ſapam appellant muſto vſque ad tertiam partem decocto: quod vbi factum ad dimidiam eſt, defrutum vocatur.

*d* Pampineis frondibus: quæ cùm latiores ſint, poſſunt eſſe ruſticis pro cochleari

*e* Ara & ſere tanta aëris ſerenitate vt amictus poſſit contemni.

*f* Voluptuoſa, vnde & qui voluptati ſtudent dicuntur genio indulgere.

*Ceu preſſæ* a *cùm iam portum tetigere carinæ,*
*Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.*
*Sed tamen & quernas glãdes tũc ſtringere* b *tẽpus*
*Et lauri baccas, oleámque, cruentáque* c *myrta:*
*Tunc gruibus pedicas & retia ponere ceruis,*
*Auritoſque ſequi lepores, tumſigere damas,*
*Stupea torquentem* d *Balearis verbera fundæ*
*Cùm nix alta jacet, glaciem* e *cùm flumina trudũt.*
*Quid tempeſtates autumni, & ſidera dicam?*
*Atque, vbi iam breuiorque dies, & mollior æſtas,*
*Quæ vigilanda viris? vel cùm ruit imbriferũ ver,*
*Spicea* f *iam campis cùm meſſis inhorruit: & cum*

*Frondatio.* *Venatio* *Ver & autumnus.*

a Mercibus compreſſis complicatiſque & ſtipatis oneratæ. De puppium coronis vide 4 Æneid. verſu 437. Tibullus lib. 1. eleg. 3.

*Preſſerit externa nauita merce ratem.*

b colligere vt infrà. 317.

*Et fragili iam ſtingeret hordea culmo*

c Inſtar cruoris rubentia.
d Baleares inſulæ ſunt iuxta Hiſpaniam, quas Maioricam & Minoricam appellant. Earum incolæ fuerunt optimi funditores, qui circum caput torquebant verbera fundæ, id eſt fundá verberibus & flagellis ſiue funibus aut etiam loris contextam
e Cùm flumina congelata glacie fruſtra prouoluunt atque protudunt ſiue propellunt.
f Cum ſegetes nondum maturæ lenibus ventorum flabris agitatæ intremiſcunt, & cum frumenta tenera lacteique cuiuſdam humoris plena turgeſcunt in ſtipula nondum fla[illegible] ſed adhuc virente & herbeſcente. At vide proprietatem [illegible] borum ſingulorum. *Propriè eſt ſpicus*, interprete Serui[illegible] ver-*per culmi folliculum, id eſt, extremum tumorem ariſtæ* [illegible], *cùm* [illegible]*ntes in modum ſpiculi eminens*, vnde ſpiceam meſſe[illegible] *adhuc te*ro frumenta lactentia. Idem notat inter *lactant*[illegible] vocat Ma[illegible] hoc intereſſe, quod *lact*[illegible]*ns eſt qui lac prebet, l*[illegible] *lactentem* [illegible]*ens cui prebe*-*tur*. Addit ex Varrone. *Lactantem deum eſſe qui* [illegible]*e infundit ſegeti*-*bus, & eas facit lacteſcere.*

Venti. *Frumenta in viridi ſtipula lactentia ſurgent.*
*Sæpe ego, cùm flauis meſſorem induceret aruis*
*Agricola, & fragili iam ſtringeret* a *hordea culmo,*
*Omnia ventorum concurrere prælia vidi,*
*Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis*
*Sublime expulſam* b *eruerent, ita turbine nigro*
Tempeſtates. *Ferret hyems culmúmque leuem, ſtipulaſque volantes.*
*Sæpe etiam immenſum cælo venit agmen aquarum,*
*Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris*
*Collectæ ex alto nubes, ruit arduus* c *æther,*
*Et pluuia ingenti ſata læta, boúmque labores*
*Diluit, implentur foſſæ, & caua flumina creſcunt*
*Cum ſonitu, feruetq; fretis* d *ſpirantibus æquor.*
*Ipſe Pater* e *media nimborum in nocte, coruſcâ*

*a* Secaret & colligeret hordea fragilem culmum habentia.
*b* Eruerent & in ſublime expellerent. Porro *culmus dicitur ipſe calamus: ſtipulæ vero folia quæ ambiunt culmum* vt idem Seruius definit: hyems autem hoc loco eſt procella ſiue tempeſtas.
c Tanta vis imbrium cadit, tanti ſunt tonitruorum fragores, vt cœlum ipſum diſſilire & cadere videatur 1. Æneidos, 131. —— *cœlique ruina*
*d* Et æquor ſiue mare feruet, & in magnos fluctus attollitur inſtar aquæ bullientis, fretis ſpirantibus, ſiue ventorum grauiter ſpirantium flatu concitatis. Freta propriè ſunt maria anguſta ſaxis & promontorijs obtenta, in quorum anguſtias ventus ſe ingurgitat. Varro li. 6. de ling. Latin. *Dictum fretum à ſimilitudine feruentis aquæ, quod in fretum ſæpe concurrat æſtus atque efferueſcat.*
*e* Iupiter ipſe in media nubium conglobatarum caligine noctis inſtar cœlum obtegente, manu coruſcanti fulmina molitur, concutit, & demittit. Ioui fulmen tribuitur, quia Iupiter eſt æther; fulmen autem de cœlo cadere videtur quia formatur in media aëris regione.

*Fulmina molitur dextrâ: quo maxima motu*
*Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda*
*Per gentes* a *humilis ſtrauit pauor, ille flagranti*
*Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo*
*Deijcit: ingeminant auſtri, & denſiſſimus imber.*
*Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt* b.
*Hoc metuens, cæli menſes* c *& ſidera ſerua,*
*Frigida Saturni ſeſe quò ſtella receptet,*
*Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.* *Studium aſtrologiæ.*
*In primis venerare deos, atque annua magnæ*

*a* Longè latéque quibus verbis pauoris magnitudinē oſtendit. Humilis pauor quia reddit homines humiles, eóſque proſternit. Athos mons Græciæ, Rhodope Thraciæ, Ceraunia Epiri, ſic dicta quòd frequenti κεραυνῷ, id eſt, fulmine feriantur. *b* Reſonant vento verberata.

*c* Signa Zodiaci quibus menſes anni dignoſcimus, quorum in ſingulis, Sol verſatur per triginta circiter dies. Obſerua etiam diligēter ad quod ſignum Zodiaci Saturnus, qui natura ſua frigidus eſt & nocens, ſe recipiat. Peritè *receptet*, inquit, Seruius, *ut ex frequentatiuo verbo nobis oſtenderet Saturnum bis ad unum quoque ſignum reuerti, quod alij planetæ non faciunt. Solus enim eſt qui & longiùs à Sole diſcedat, & ad vnum quoque ſignum recurrat.* Per ignem Cyllenium planetam Mercurij intellige. qui planeta στίλβων ab igneo ſplendore nominatur.
Mercurius autem eſt, *quem Candida Maia*
*Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.*
Cyllene mons Arcadiæ. Errare dicitur quia modò ad vnum modò ad alterum Zodiaci ſignum accedit, vnde & ſeptem planetæ ἀπὸ τῆς πλάνης ab errore, & *errones* nominantur; ad diſtinctionem ſtellarum fixarum quæ ſemper ſeruant eandem inter ſe diſtantiam. Addendum & ex eodem interprete, *de planetis quinque duos eſſe noxios Martem & Saturnum: duos bonos Iouem & Venerem: Mercurius verò talis eſt qualis ille cui iungitur, vnde etiam fingitur miniſter eſſe Deorum, quòd eorum obtemperat poteſtati.*

Religio agricolæ

*Sacra* a *refer Cereri, lætis operatus* b *in herbis,*
*Extremæ ſub caſum hyemis* c *iam vere ſereno.*
*Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina,*
*Tunc ſomni dulces, denſæque in montibus vmbræ.*
*Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret.*
*Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho* d
*Térque nouas circum felix* e *eat hoſtia fruges:*

*a* Sacrificium ambaruale intelligit quod hyeme deſinente quo tannis recurrebat.

*b* Operari eſt ſacrificare, quod etiam dicitur *Cùm faciam vitula,* &c. Horatius.

*Audiat iuſtis operata diuis,*
*Vnico gaudens mulier marito.*

Propertius lib. 2. el. 34.

*Cynthia iam noctes eſt operata decem.*

*c* Hyemem hoc loco ſumere videtur non pro quarta parte anni, ſed potiùs pro toto ſemeſtri, vt à menſe Martio ad Septembrem æſtas, ab Octobri ad Martium hyems computetur. Sic enim ver iam ſerenum erit ſub extremæ caſum hyemis, id eſt paulo ante finem hyemis.

*d* Monet mel ſiue fauum, lac & vinum eſſe Cereri offerendum, aut etiam monet fauos melle dilutos non ſolùm Cereri, ſed etiam Libero Patri ſiue Baccho miti & propitio eſſe offerendos & ſanè Tibull. lib. 2. el. 1. ipſum ambaruale ſacrificium fusè deſcribens, ſic incipit.

*Bacche ueni dulciſque tuis è cornibus vua*
*Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.*

*e* Agris fœcunditatem impertiens hoſtia circumducatur & luſtret ſiue circumeat fruges. Ea hoſtia fuit aut agnus vt innuit Tibullus loco citato,

*Cernite fulgentes vt eat ſacer agnus ad aras.*

aut ſus grauida & prægnans, vt indicat Seruius, & ſanè porcum ſolitam Cereri ſacrificari tum ex aliis conſtat, tum è Tibullo lib. 1. el. 10.

*Hoſtiaque è plenâ myſtica porcus harâ.*

Myſtica propter Cereris myſteria, vnde in nummo C. Vibij, C. F. cuſa eſt Ceres cum porca. Ouidius 15. in Metam.

——*Et prima putatur.*

*Omnis quam chorus, ſocij comitentur ouantes,*
*Et Cererem clamore vocent in tecta, neque antè*
*Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,*
*Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu* a,
*Det motus incompoſitos* b *& carmina dicat.*
*Atque hæc vt certis poßimus diſcere ſignis,*
*Æſtuſque pluuiaſque & agentes frigora ventos,*
*Ipſe Pater ſtatuit, quid menſtrua luna* c *moneret,*
*Quo ſigno caderent auſtri, quid ſæpe videntes*
*Agricolæ, propius ſtabulis armenta tenerent.*
*Continuò ventis ſurgentibus, aut freta ponti*
*Incipiunt agitata* d *tumeſcere, & aridus* e *altis*

*Signa venti immi-nentis.*

*Hoſtia ſus meruiſſe mori: quia ſemina pando*
*Eruerit roſtro, ſpémque interceperit anni.*

Aut vitula. Ecloga 3. *Cùm faciam vitula pro frugibus.*

*a* Aut etiam oleâ Tibull el. 1 lib. 2.

*Cernite fulgentes vt eat ſacer agnus ad aras,*
*Vinctáque poſt oleâ candida turba comas.*

Neque ſolum homines, ſed etiam *nunc ad præſepia debent*
*Plena coronato ſtare boues capite.*

*b* Saltationes agreſtes & ruſticanas ſine arte aut numeris exerceat.

*c* Luna vnius menſis ſpatio percurrit zodiacum, vnde & à Græcis vocatur *μήνη* quia, vt ait Nonius, Μῆνας ἐλίσσει *menſes voluit*, ſic Hebræi & lunam & menſem eodem nomine indigitant. ירח iareath.

*— Celerémque pronos Voluere menſes.*

Lunam Horatius appellat 4. Carm. ode 9.

*d* Cic. 1. de Diuinat.

*Atque etiam ventos demonſtrat ſæpe futuros*
*Inflatum mare, cum ſubito penituſque tumeſcit.*

Seneca in Agam. *Agitata ventis vnda venturis tumet.*

*e* Sonitus qualis fieri ſolet ex aridis lignis cùm franguntur, Lucret. lib. 6. *Aridus vnde aures terget ſonus.*

Quo ſenſu Græci ξηρὸν, ἀζαλέον, καρφαλέον, ἄυον fragorem appellant.

*Montibus audiri fragor, aut reſonantia longè*
*Littora miſceri, & nemorũ increbeſcere murmur.*
*Iam ſibi tum curuis male tẽperat* a *vnda carinis,*
*Cùm medio celeres reuolant ex æquore mergi,*
*Clamorémq; ferunt ad littora: cúmque marinæ*
*In ſicco ludunt fulicæ, notaſque paludes*
*Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.*
*Sæpe etiam ſtellas* b *vento impendente videbis*
*Præcipites cœlo labi, noctiſque per vmbram*
*Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.*
*Sæpe leuem paleam & frondes volitare caducas* c,
*Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas,*
Signa imbris vehementis.
*At Boreæ* d *de parte trucis cùm fulminat, & cùm*
*Eurique, zephyrique tonat domus, omnia plenis*
*Rura natant foßis, atque omnis nauita ponto*

*a* Iam vnda vix ſibi temperat à carinis, ideſt, iam excitatur procella & parum abeſt quin naues aquarum vorticibus hauriantur: mergi, *des plongeons*, Ardea *un Heron*. Fulicæ, *des foulques*. aues aquaticæ.

*b* Loquitur ex opinione vulgi, non enim reuera ſtellæ de cœlo labuntur, ſed terrenæ quædam exhalationes in media aëris regione accenſæ ſpeciem exhibent ſtellarum è cœlo labentium. vide 5. Æneidos v. 528.

*c* Quæ ex arboribus ceciderunt.

*d* Prognoſticum pluuiæ imminentis eſt fulmen veniens ab Aquilone ſiue Septentrione, tonitru ſtrepẽs ab oriente, & occidente, tunc enim tantus imber ingruit vt omnia rura plenis foſſis exũdent. Noti Naſonis verſus de ventorũ ſede 1. Meta.

*Eurus ad auroram Nabathæáque regna receſſit,*
*Perſidáque & radiis iuga ſubdita matutinis,*
*Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt.*
*Proxima ſunt Zephyro Scythiam ſeptémque triones*
*Horrifer inuaſit Boreas: contraria tellus.*
*Nubibus aſſiduis, pluuioque madeſcit ab Auſtro.*

*Humida vela legit nunquã imprudẽtibus* a *imber*
*Obfuit, aut illum ſurgentem vallibus imis*
*Aëriæ fugêre grues: aut bucula* b *cælum,* Pluuiæ.
*Suſpiciens patulis captauit naribus auras:*
*Aut arguta* c *lacus circumuolitauit hirundo,*
*Et veterem in limo ranæ cecinêre querelam* d.
*Sæpius & tectis penetralibus extulit oua*
*Anguſtum formica terens iter* e, *& bibit ingens*
*Arcus* f *& è paſtu decedens agmine magno*
*Coruorum increpuit denſis exercitus alis.*
*Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia* g *circum*
*Dulcibus in ſtagnis rimantur* h *prata Cayſtri,*

a Tam manifeſta ſunt ſigna pluuiæ imminentis, vt ſemper poſſit præuideri, & ne imprudentes quidem falli poſſint, ſi velint animum intendere. Videtur rationem reddere cur ante imbrem & tempeſtatem nautæ vela colligant nauéſque ſubducant. Numquam, inquit, nautæ tempeſtate deprehenduntur in mari, nec illis imber nocet ex improuiſo, quia ſẽper poſſunt ad portum naues ſubducere. Quia tamen alia prognoſtica petuntur à vallibus, campis & lacubus, ideo hoc etiam pertinet ad agricolas.

b Vacca, parua bos.

c Stridula, canora, fritinniens.

d Vetera illa conuicia, quibus aſſueti erant Lycij ruſtici, priuſquã à Latona in ranas verterentur. Vide Naſon. 6. Met.

e Commodè, nam vt notat Plinius. lib. 11. cap. 30. *Scilicet itinere formicarum attritos videmus, & in opere ſemitam factam ne quis dubitet qualibet in re quid poſſit quantulacunque aſſiduitas.*

f Iris ſiue arcus bibit & haurit aquam ex Oceano, id eſt, ad terram vſque cornua demittit.

g Aſia palus & Aſium pratum iuxta Cayſtrum. Homerus.

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

*Aſio in prato circa Cayſtri fluenta.*

7. Æneid v. 10. — *Sonat amnis, & Aſia longè Pulſa palus.*

Cayſter fluuius Myſiæ.

h Roſtrò ſcrutantur ad inueniendam eſcam, ſiue cibum per terræ rimas requirunt.

*Certatim largos humeris infundere rores,*
*Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in vndas;*
*Et ſtudio incaſſum videas geſtire* a *lauandi.*
*Tum cornix plenâ pluuiam vocat improba* b *voce,*
*Et ſola in ſiccâ ſecum ſpatiatur arenâ.*
*Ne nocturna* c *quidem carpentes* d *penſa* e *puellæ*
*Neſciuêre hyemem, teſta cùm ardente viderent*
*Scintillare oleum, & putres* f *concreſcere fungos,*

a Vernaculè *Fretiller* trepidare; corporis geſticulatione ſignificare quandam lætitiam & deſiderium lauandi. Catullus in Nuptiis. — *animus prægeſtit apiſci.* Tullius in Cœliana *prægeſtit animus videre.* Sed in caſum geſtiunt, id eſt, fruſtra; quia etiam ſi ſe in aquam non demerſerint, paulo poſt lauabuntur pluuia ingruente.

b Indeſinenter cornicans & importunè pluuiam denuntiat ſic ſupra. — *Labor omnia vincit Improbus.* Ideſt, aſſiduus, indeſinens.

c Puellæ nentes ad lucernam prædicent tempeſtatem & imbrem futurum, cùm aduertunt in lucernis ſuis fictilibus ſiue teſtaceis ardentibus oleum ſcintillare, & eam ellychniorum ſiue funium fomitalium partem quæ accenſa eſt, recrementa quædam egerere, quæ circa ipſam reſident propter aëris iam humidi craſſitudinem & fungorum inſtar excreſcunt. huiuſmodi recrementa Græci μύκητας Latini *fungos* appellant propter ſimilitudinem.

d Sic libro 4. *Mileſia vellera nymphæ*
— *Carpebant hyali ſaturo fucata colore.*

Quia mulieres cùm nent aliquid lanæ extrahunt, digitis carpunt & veluti delibant è toto illo lanæ glomere quo colus amicitur & circundatur, priuſquàm deducant: & lanam in filum extenuent, librataque fuſi volutione contorqueant.

e Vide quæ diximus ad illud 8. Aeneid 411 — *Famulaſque ad limina longo. Exercet penſo.*

f Putre dicitur quod vel eſt friabile. vel quod iam minutatim in particulas confractum eſt, vnde & ſuperius. 44. *putris gleba*, lib. 2. verſu 104. *putre ſolum.* poſt quem Statius.
— *niueóque rigant ſola putria nimbo.*

*Nec minus ex imbri ſoles & aperta ſerena*
*Proſpicere, & certis poteris cognoſcere ſignis.* *ſigna ſereni-*
*Nam neque tam* b *ſtellis acies obtuſa videtur,* *tatis ex*
*Nec fratris radiis obnoxia ſurgere luna,* *luna.*
*Tenuia nec lanæ* c *per cælum vellera ferri.*
*Non tepidum ad ſolem pennas in littore pandunt*
*Dilectæ Thetidi* d *Halcyones: non ore ſolutos* *ex animalibus & nebulis.*

8. Æneid. v. 595. *putris campus.* Statius. Theb.

*Finis erat, fiſſúſque putres iam Mulciber ibat In cineres.*

Putres igitur fungi incernarum, quia, ſi attingantur vel extremis digitis ſtatim in puluerim dilabuntur.

*a* Hactenus aſſignaui prognoſtica quibus ex ſerenitate cognoſcere poſſes pluuiam inſtantem: ſed non minus certa ſunt & manifeſta ſigna quibus ex imbri & tempeſtate poteſt ſerenitas præuideri. Apertam vocat ſerenitatem quia diſcuſſis nubibus cœlum videtur aperire: vnde Homerus.

—ἀμφὶ μὲν αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἀναδέδρομεν αἴγλη
*Candida diſcuſſis aperitur nubibus æthra.*

*b* Impendente ſerenitate ſtellarum facies non videtur hebes & obtuſa, ſed viuo quodem ſplendore veſtita: nec videtur luna ſurgere radiis ſolis obnoxia, tam clarè enim oritur, vt à ſe ipſa lucem habere, non à ſole mutuari videatur; Alij paſſim interpretantur, nec luna videtur ſurgere obtuſa, qua ſemper eſt radiis ſoliis obnoxia, ſed hæc expoſitio videtur eſſe violenta, iudicent eruditi.

*c* Imminente ſerenitate non videntur per aërem ferri tenues quædam nubeculæ, lanarum inſtar.

*d* Quæ adeo diliguntur à Thetide, vt quibus diebus oua pariunt & fouent, Thetis mari tranquillitatem præſtet. Ouidius 11. Metamorph.

*Pérque dies placidos hyberno tempore ſeptem,*
*Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis.*
*Tum via tuta maris: ventos cuſtodit, & arcet*
*Æolus egreſſus, præſtatque nepotibus æquor.*

Halcyone eadem eſt quæ Alcedon: vnde & illi dies *Alcedonia* nominantur.

*Immundi meminere ſues iactare maniplos.*
*At nebulæ magis ima petunt, cãpoq; recumbunt:*
*Solis & occaſum ſeruans de culmine ſummo*
*Nequicquam a ſeros exercet noctua cantus:*
*Apparet liquido* b *ſublimis in aëre Niſus,*
clauda. *Et pro purpureo* c *pœnas dat Scylla capillo.*
*Quacúmq; illa leuẽ fugiens ſecat æthera* d *pennis.*

*a* Signum futuræ ſerenitatis è pluuia eſt, ſi noctua obſeruans occaſum ſolis de culmine, vbi ſub ſummis tegulis habitat, cantus ſerotinos exerceat, ſed nequicquam exercet, ideſt. fruſtra, cum enim gaudeat tenebris & aëre nebuloſco, ideo cãtat quia ſperat perpetuam fore pluuiam, ſed ſpe ſua fruſtrata ſerenitatem potius, quam imbrem denunciat. ſic malui explicare quàm cum Seruio & vulgo interpretum, *nequicquam exercet*, ideſt, *non exercet, quia*, inquit Seruius. *ſignificat pluuiã ſi cecineris poſt ſolis occaſum.* Sed pace doctorum virorum dixerim: Noctuæ cantum Aratus, quem præ oculis habuit Maro, numerat inter tempeſtatis ceſſantis, & futuræ ſerenitatis prognoſtica.

Καὶ φλόγες ἡσυχίαι λύχνων καὶ νυκτερίη γλαὺξ
ἥσυχον ἀείδουσα μαραινομένου χειμῶνος Γιγνέσθω σοι σῆμα.
*Luxque lucernarum tranquilla, & noctua cantum*
*Tranquillum exercens hyemis prænunciet horam Marceſcentis.*

*b* Signum ſerenitatis eſt cum in aëre puro, enubi, & defæcato apparet haliaëtus ſublimis inſequens cirim ſiue galeritam, aut etiam alaudam.

*c* Niſus Megarentium Rex fuit, de quo 8 Metamorph.

*Cui ſplendidus oſtro*
*Inter honoratos medio de vertice canos,*
*Crinis inhærebat magni fiducia regni.*

Quia videlicet ex eo capillo regni ſalus pendebat. Et bellum indixit Minos, Scylla Niſi filia Minoëm adamauit, & vt hoſti placeret comam patris purpuream abſciſſam eidem obtulit, Niſus in haliaëtum, ipſa in Cirim mutata eſt. Notanda vero in hoc loco elegans συμπλοκὴ, contextuſque verborum, cuius etiam exemplum eſt Ecloga 8. v. 50.

d Aerem

Eccc.

*Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras*
*Inſequitur Niſus: qua ſe fert Niſus ad auras,*
*Illa leuem fugiens raptim ſecat æthera pennis.*
*Tum liquidas corui preſſo ter gutture voces,*
*Aut quater ingeminant: & ſæpe cubilibus altis,*
*Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti,*
*Inter ſe foliis ſtrepitant, iuuat imbribus actis* a
*Progeniem paruam, dulcéſq; reuiſere nidos.*
*Haud equidem credo, quia ſit diuinius illis*
*Ingenium, aut rerum fato* b *prudentia maior,*
*Verùm vbi tempeſtas, & cæli mobilis humor,*
*Mutauêre vias, & Iupiter* c *humidus auſtris*
*Denſat erant quæ rara modo, & quæ denſa, relaxat,*
*Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus,*
*Nunc alios: alios dum nubila ventus agebat,*
*Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris,*
*Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.*
*Si verò ſolem ad rapidum, lunáſque ſequentes,*
*Ordine reſpicies, numquam te craſtina fallet*

Cur animalia aëris mutationem præſentiant.

a Exactis.
b Non equidem credo ideo beſtias pluuiam & ſerenitatem præuidere, quòd illis ſit melius ingenium, aut maior rerum prudentia, quàm hominibus, illis conceſſa vel diuinitus, vel fatali quadam neceſſitate. Commodè Seruius. *Et hoc dici homines prudentiam habere naturalem & ſuo indicio poſſe vel lętos eſſe, vel triſtes. Quæ res in hęc animalia cadere non poſſunt, quia ſuum nihil habentia, naturam aëris ſequuntur, & pro eius qualitate aut lętá videntur, aut triſtia: nec prędicere aëris naturam videntur, ſed eam vel proſperam vel aduerſam venientem ſequuntur. Nos verò & lęti inter nubila eſſe poſſumus, & in ſerenitate ſolliciti.*
c Aër vt apud Horatium. *Hybernas glaciat niues Puro numine Iupiter:* Item. *—nubéſque deducunt Iouem.* Vide 9. Æneid. v. 670. *denſat*, condenſat *relaxat*, rarefaci.

*Candida Luna pluit.*

*Hora, neque inſidiis a noctis capiêre ſerenæ.*
*Luna reuertentes* b *cùm primùm colligit ignes,*
*Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,*
*Maximus agricolis, pelagóque parabitur imber.*

*Rubicũda flat.*

*At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem.*
*Ventus erit, vento ſemper rubet aurea Phœbe.*

*Diſc quartus Lunæ*

*Sin ortu in quarto (nãque is certiſſimus auctor)*
*Plura, nec obtuſis per cælum cornibus ibit:*
*Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,*
*Exactum* c *ad menſem, pluuia ventiſque carebunt,*
*Votáque ſeruati* d *ſoluent in littore nautæ*
*Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.*
*Sol quoque & exoriẽs, & cùm ſe condet in vndas*

*Signa mutationum aëris à Sole Oriente.*

*Signa dabit, ſolem certiſſima ſigna ſequuntur,*
*Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus aſtris.*
*Ille vbi naſcentem maculis variauerit ortum,*
*Conditus in nubem medióque refugerit* e *orbe.*

*a* Nunquam tibi tempeſtas aderit ex improuiſo, inſidiari dicitur nox ſerena, cùm tempeſtas eam ſequitur, contra quam promiſerat.

*b* Cùm primùm luna reficitur ac renouatur. Notus eſt verſiculus. *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.*

*c* Vſque ad partem menſis extremam.

*d* De more, 12. Æneid. verſ 697.

*Seruati ex vndis vbi figere dona ſolebant*
*Laurenti diuo & votas ſuſpendere veſtes.*

Catullus. *Nec vlla vota littoralibus diis*
*Sibi eſſe facta.*

Vide 3. Æneid verſu 47. de capillis detonſis in naufragij periculo, vide Cœlianam §. 13. Nota 2. Glaucus, Panopea, Melicertes ſiue Palæmon, cuius mater fuit Ino ſiue Matura, dij ſunt marini.

*e* Mediam corporis ſui partem quaſi fugiens in nubem abſconderit.

*Suſpecti tibi ſint imbres: námque vrget ab alto*
*Arboribúſque ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter.*
*Aut vbi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe* a
*Diuerſi erumpent radij: aut vbi pallida ſurget*
*Tithoni* b *croceam linquens Aurora cubile:*
*Heu male tum mites defendet pampinus vuas,*
*Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.*
*Hoc etiam, emenſo cum iam decedit Olympo,*
*Profuerit meminiſſe magis: nam ſæpe videmus*
*Ipſius in vultu varios errare colores.*
*Cæruleus pluuiam denuntiat, igneus Euros.* Occidente.
*Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni:*
*Omnia tunc pariter vento, nimbiſque videbis*
*Feruere, non illa quiſquam me nocte per altum*
*Ire, neque à terra moneat conuellere* c *funem.*
*At ſi, cùm referétque diem, condétq; relatum,*
*Lucidus orbis erit: fruſtra terrebere nimbis,*
*Et claro* d *ſyluas cernes aquilone moueri.*
*Denique quid veſper ſerus vehat, vnde ſerenas*

*a* Erumpent, hoc loco verbum actiuum, vt apud Lucret. lib. 4. *Tandem vbi ſe erupit neruis collecta cupido.* Cicero ad Atticum. *Stomachum erupit*, & eodem flexu alibi, *tum ſubito ſe emergit: ſub lucem* autem hoc loco ſignificat paulò antè quàm ſol penitus oriatur.

*b* Vide huius verſus explicationem. 4. Æn. 585. *croceum*, *de couleur de ſafran:* ſic ab Homero Aurora κροκόπεπλος dicitur, & ſurgerè παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο.

*c* Soluere è portu, & funem ſiue retinaculum, quo nauis in portu retinetur, conuellere.

*d* Serenitatem adferente, & nubes diſſipante. Vide 12. Æneid. 367. ideóque nubes ſerenæ dicuntur quæ pelluntur ab Aquilone, hic enim ventus. *Scythiæque hyemes atque arida differt Nubila.*

*Ventus agat nubes, quid cogitet* a *humidus auſter,*
*Sol tibi ſigna dabit, ſolem quis dicere falſum*
*Audeat? ille etiam cæcos* b *inſtare tumultus*
*Sæpe monet, fraudémq; & operta tumeſcere bella.*
*Ille etiam extincto* c *miſeratus Cæſare Romam,*
*Cùm caput obſcura nitidum ferrugine* d *texit,*
*Impiàque* e *æternam timuerunt ſecula noctem.*
*Tēpore quāquā illo tellus quoque, & æquora ponti,*

*Solis alia præſagia.*

*a* Quid moliatur: pluuiámne, an ſerenitatem velit adducere.
*b* Latentes. Manilius lib.1. —— *ſubitoſque tumultus*
*Et clandeſtinus ſurgentia fraudibus arma.*
Tumultus eſt repentinum bellum, & ex improuiſo è latebris occultiſque machinationibus erumpens, quaſi *timor multus.* Opertum bellum tumeſcere dicitur cùm occultis conſiliis paratum parum abeſt ab eruptione. Sic Orator, *tumere negotia dicit* ſic Velleius lib.2. *Mors Druſi iam dudum tumeſcens bellum excitauit Italicum:* tranſlatio ducitur ab apoſtematibus & carbunculis, qui cùm diu noxios humores collegerint, intumeſcunt, donec rupto apoſtemate, pus ſe effundat.
*c* Iulio Cæſare duobus & viginti vulneribus interfecto, ad pedes ſtatuæ Pompeij, conſpiratione Brutorum, Caſſij & aliorum Senatorum.
*d* Ferrugo color eſt violaceus & ſubnigricans inſtar ferri, vide 1. Æneid.772. Cæſar idibus Martiis occiſus eſt. *Conſtat autem,* inquit Seruius, *pridie Iduum Martiarum ſolis fuiſſe defectum ab horâ ſexta vſque ad noctem, quod quia multis protractum eſt horis, dicit inſequentibus, æternam timuerunt ſecula noctem.* Verum Petauius lib.2. de doctrina temp. cap. 63. demonſtrat è tabulis aſtronomicis nullam ſolis eclipſim eo anno, quo Cæſar occiſus eſt, contigiſſe, ac proinde hos verſus, immo Seruium ipſum ſic interpretatur, quaſi dixerit tetram ac luridam Solis faciem, illo præſertim, quo Cæſar occiſus eſt, die conſpectam fuiſſe. Quod Dio, Plutarchus, Plinius toto pene anno viſum fuiſſe teſtantur.
*f* Quæ tantum ſcelus tulerunt, quæ Brutos & Caſſium parricidas impios genuerunt.

*Obſcœniq; a canes, importunæq; volucres*
*Signa dabant, quoties Cyclopum efferuere in agros*
*Vidimus vndantem ruptis fornacibus Ætnam,*
*Flammarumq; globos liquefactaq; voluere ſaxa.*
*Armorum ſonitum toto Germania cælo*
*Audiit: inſolitis tremuerunt montibus Alpes.*
*Vox quoq; per lucos vulgo exaudita ſilentes*
*Ingens: & ſimulacra modis pallentia miris*
*Viſa ſub obſcurum noctis, pecudéſque locutæ,*
*(Infandum) ſiſtunt amnes, terræq; dehiſcunt,*
*Et mæſtum illacrimat templis ebur,* b *æraq; ſudant.*
*Proluit* c *inſano* d *contorquens vortice ſyluas*

*Preſagia bellorũ.*

*Ætnę eruptiones.*

*Armorum ſonitus in cælo & terrę motus.*

*Inferi excitati, &c.*

*Inundationes fluuiorum.*

a Qui malum omen ſuis vlulatibus exibebant. Matius apud Varronem. *Obſcœni interpres, funeſtique ominis augur.* 12. Æneid 879. *Obſcænę volucres*, importunas autem appellat quaſi occinentes tempore alieno. Mens autem Poëtæ hæc eſt. Quanquam quid de ſole loquor, quaſi ſolus luctum ſuum teſtari voluerit? Nam terra, mare, canes, volucres, omnia elementa teſtata ſunt dolorem quem è Cæſaris nece perceperant. De Ætna & Cyclopum agris, vide 3. Æneidos à verſu 570.

b Eburnea & ærea Deorum ſimulacra.

c Eridanus ſiue Padus maximus omnium fluuiorum Italiæ, ingentibus aquarum exuberantium vorticibus inundauit ſyluas & arbores radicibus extirpatas contorſit, & circumegit.

d Ingenti & procelloſo, vt ecl. 9. verſu 42.

*Huc ades, inſani feriant ſine littora fluctus.*

Horat. *Inſanientem nauita Boſphorum Tentabo* ——

Item. *Inſana capræ ſidera* ——

Seneca in Phædra. *Te vel per ignes, per mare inſanum ſequar.*

Statius in deſcriptione tempeſtatis, 5. Theb.

—— *Puppémque inſana flagellat Arbor* ——

Inſanum denique quicquid modum excedit. Perſius,

—— *Ab inſano multùm laudanda magiſtro.*

Pro Milone. *Inſanæ ſubſtructiones.*

*Fluuiorum* a *rex Eridanus, campóſque per omnes*
*Cum ſtabulis armenta tulit, nec tempore eodem*
*Triſtibus aut extis* b *fibræ apparere minaces,*
*Aut puteis manare cruor ceſſauit; & altæ,* c
*Per noctem reſonare, lupis vlulantibus, vrbes.*
*Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno* d
*Fulgura, nec diri* e *toties arſere cometæ.*
*Cometæ.*
*Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis*
*Romanas acies iterum videre Philippi* f *:*

a Aduerte numeri extraordinarij rationem, à breuibus ad longam deuenit, imitatione fluuij qui paruus in fonte, paulatim excreſcit, & pluuiis auctus exundat.

*b* Viſceribus pecorum quæ triſtia portenderent, propter fibras id eſt venas aliquas minaces & infauſtas Vide 4. Æn. verſ. 64.

c Magnæ, frequentes, celebres quod prodigij magnitudinem exaggerat.

d Hoc etiam adiectum portenti magnitudinem oſtendit. Lucanus 1. Pharſal. *Fulgura fallaci micuerunt crebra ſereno.*

e Deorum ira immiſſi, iræ diuinæ prænuntij. Claudianus.

—— *Et numquam viſos impunè cometas.*

Vide 10. Æneidos 272.

*f* Hanc vrbem, vt noſtri Ioannis Ludouici de la Cerda verbis vtar, Florus, Ouidius, Seruius Theſſaliæ adſcribunt. Plinius & Mela in Thracia conſtituunt Philippos, Stephanus in Macedonia ſicut & Ptolemæus; ſed ita poſterior in Macedonia ponit, veriſſimè. Nam Lucas act. 6. *Venimus,* inquit, *Samothraciam & ſequenti die Neapolim & inde Philippos quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas colonia.* Pharſalia etiam eſt in Theſſalia, qui locus nobilis eſt clade Pompeij : apud Philippos victi Brutus & Caſſius. Poëtæ tamen vtramque pugnam eidem loco tribuunt exaggerandi cauſſa, quaſi dicant tantam fuiſſe cladis magnitudinem vt Theſſaliam, Macedoniam, Thraciam peruaſerit, & Philippos Theſſaliæ, Emathiam, id eſt, Macedoniam, campos Hæmo Thraciæ monti ſubiectos longè lateque cadauerum ſtrage conſtrauerit. Paria tela dicit, quia Romani contra Romanos.

*Nec fuit indignum* a *ſuperis bis ſanguine noſtro*
*Emathiam, & latos Æmi pingueſcere campos.*
*Scilicet & tempus veniet, cùm finibus illis*
*Agricola incuruo terram molitus* b *aratro*
*Exeſa inueniet ſcabrâ rubigine pila* c:
*Aut grauibus raſtris galeas pulſabit inanes*
*Grandiáque* d *effoßis mirabitur oſſa ſepulcris.*
*Dij patrii* e *indigetes & Romule, Veſtaq; mater,*
*Quæ Thuſcũ Tiberim, & Romana Palatia ſeruas*

*Euentus horum præſagiorum.*

*Precatio pro Cæſare.*

a Nec dij ſua prouidentia indignum putauerunt permittere, vt ſanguine ciuium Romanorum Macedonia & Thracia Hęmo mõti ſubiecta bis inficeretur, ſemel in campis Pharſalicis vbi victus eſt Pompeius à Cæſare, iterum in campis Philippicis vbi cæſi ſunt Brutus & Caſſius ab Auguſto & Antonio, imò quod longè indignius eſt, nõ tingeretur ſolùm terra, ſed etiam cruore ſubacta penitúſque madefacta, & quaſi ſtercorata cadaueribus pingueſceret. latos autem dixit ad emphaſim, vt 12. Æneidos.

*—— Campique ingentes oſſibus albent.*

b Lucretius lib. 5. *Ferro molirier arua.*

Moliri hoc eſt mouere, vertere, arare.

c Pila propriè fuerunt Romanorũ, vt Cateiæ Teutonũ, Geſa Gallorum & Meſſagetarum, ſecures Amazonum, lanceæ Hiſpanorum, ſariſſæ Macedonum, frameæ Thracum, &c. de pilis vide Piſonianam. parag. 38. nota 6.

d Magnorum & fortium virorum oſſa mirabitur. Putant homines ſemper decreſcere. Iuuenalis.

*Nam genus hoc viuo iam decreſcebat Homero.*

vide 12. Æneidos. verſ. 900

e Dij patrij ſunt Penates. Indigetes dij cuſtodes imperij, quorum nomina vulgari non licet, inquit feſtus, vide Plinium lib. 28. cap. 2. Æneas etiam dictus eſt, *Iupiter Indiges* 12. Æneid. verſu 794. Veſta cuius ignis perpetuus ad ſalutem Imperij ſeruabatur à Virginibus Veſtalibus Ouid. 15. Metamorph.

*Veſtáque Cæſareos inter ſacrata Penates,*
*Et cum Cæſarea tu Phœbe domeſtice Veſta.*

*Hunc ſaltem euerſo iuuenem* a *ſuccurrere ſeclo*
*Ne prohibete, ſatis iampridem ſanguine noſtro*
*Laomedonteæ* b *luimus periuria Troiæ.*
*Iampridem* c *nobis cæli te regia Cæſar*
*Inuidet, atq; hominum queritur curare triumphos*
Hominum peruerſitas. *Quippe vbi fas verſũ, atq; nefas, tot bella per orbem*
*Tam multæ ſcelerum facies: non vllus aratro*
*Dignus honos; ſqualent abductis* d *arua colonis,*
*Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.*
*Hinc mouet Euphrates* e *illinc Germania bellum:*
*Vicinæ ruptis inter ſe legibus vrbes*
*Arma ferunt: ſæuit toto Mars impius orbe:*
*Vt cùm carceribus* f *ſeſe effudere quadrigæ*

a Auguſtum, qui anno ætatis 18. ad Remp. acceſſit adoleſcens & pene puer.
b Cauſſam bellorum ciuilium refert non ad ſcelera hominum qui tum viuebant, ſed ad Laomedontis periurium, quo equos Neptuno & Apollini muri Troiani ſtructoribus promiſſos interuertit. Vide 4. Æneid. 541. De cauſſis bellorum ciuiliũ pro Marcello parag. 18. nota 6. Laomedon autem fuit pater Priami Rex Troianorum, à quibus Romani erant oriundi.
c Iam pridem cœlum terræ inuidet; quòd terra Cæſare fruatur, & queritur Cæſarem curare triumphos hominum cùm ipſe diuinos & cœleſtes triumphos mereatur.
d Squalent arua & terra remanet inculta, dum abducuntur agricolæ & in militiam ſcribuntur.
e Fluuius Armoniam & Meſopotamiã præterfluens. Parthos intelligit Armeniæ vicinos, qui Romanis bellum inferebant,
f Optimè Seruius ſic hanc comparationem accommodat. *Res quidem publica habet optimũ imperatorem, ſed tanta ſunt vitia temporum præteritorum, quæ in dies ſingulos aucta ſunt quemadmodum in proceſſu equorum curſus augetur, vt ea licet optimus rector refrenare non poſſit, ſicut & auriga à feruente curſu equos plerumque non poteſt reuocare.* De carceribus, vide 3. Georg. 104. & 1. Æneidos 345.

*Addũt ſe in ſpatia* a: *& fruſtra retinacula* b *tẽdens*
*Fertur equis auriga, neque audit currus hebenas.*

a Hoc ipſum eſſe videtur quod alibi dicit *corripiunt ſpatia* ideſt celeriter decurrunt. Cerdanus quidem eruditè probat, vt ſolet, ſpatium eſſe ipſum metæ circuitum, & inde interpretatur *addere ſe in ſpatia* idem eſſe atque iteratò & ſæpius ſpatium demetiri circa metas: accommodatior tamen erit parabola, ſi explicemus *addere in ſpatia* nihil aliud eſſe quàm celeriter per ſpatium & longitudinem circi decurrere.

b Auriga ſiue agitator tendit quidem & comprimit lora ſiue habenas conſtringit, ſed fruſtra, quia equi ad currum iuncti non obediunt & obſequuntur aurigæ, ſed potiùs ipſe auriga equis obtemperat, & eò ferri ſe patitur quocumque equorum impetus currum raptauerit.

# PVB. VIRGILII MARONIS

## GEORGICORVM LIB. II.

### MODESTINI IVRISCONSVLTI. In II. Georgicorum.

### ARGVMENTVM.

Hactenus aruorum cultus, & ſidera cœli
Pampineas canit inde comas, colleſque virentes,
Deſcriptáſque locis vites, & dona Lyæi.
Atque oleæ ramos pomorum ex ordine lectos.

*Propoſitio.* H*Actenus aruorum cultus* a *& ſidera cœli:*
*Nunc te, Bacche, canam, nec non ſyluestria tecum*
*Virgulta, & prolem tardè creſcentis* b. *oliuæ.*

a Superiore libro agriculturæ præcepta dedi, & cœli cōſtellationes deſcripſi, hoc libro dicam de vitibus, earumque cultura, de arboribus tum ſterilibus, qualia ſunt arbuſta ſylueſtria, tum fœcundis & pomiferis, quales ſunt oliuæ.
b Plinius lib. 15. cap. 1. *Heſiodus negauit oleæ ſatorem fructum ex ea percepiſſe quemquam. Tam tarda tum res erat.*

*Huc Pater ô Lenæe* a, *( tuis hîc* b *omnia plena* — *Inuocatio.*
*Muneribus, tibi pampineo grauidus autumno*
*Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris* c
*Huc Pater ô Lenæe veni, nudatáque muſto*
*Tinge nouo mecum* d *direptis crura cothurnis.*

*Principio arboribus varia eſt natura* e *creandis.* — *Arbores aut ſponte naſcuntur.*
*Námque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipſæ*
*Sponte ſua veniunt, campóſque & flumina latè* f
*Curua tenent, vt molle ſiler, lentæque geniſtæ,*
*Populus, & glaucâ* g *canentia fronde ſalicta,*

a Bacche Pater, liber Pater, vini inuentor dictus Lenæus ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, à torculari.

b Hoc libro tua munera, deſcribam tibi; ſiue in tuum honorem hoc libro deſcribitur ager florens & fœcundus, grauidus & quaſi parturiẽs pampinos, & vuas autumnales: non ait agrũ ſiue vineam florere in autumno, ſed florere dum grauida eſt & prægnans autumno, i. fructibus qui autumno parientur.

c Vaſis, cupis, lacubus, ſic 8. Æn. pelues, ahena, labra dicũtur.

d Adeſto mihi propitius canenti culturam vinearum. Cothurni calcei altiores, qui ad mediam vſque tibiam pertinebant. 1. Æneidos 141.

*Purpureóque altè ſuras vincire cothurno.*

Fuit hic habitus Liberi Patris. Velleius l. 2. de Antonio. *Bellum patr æ inferre ſtatuit, cùm ante nouum ſe Liberum Patrem appellare iuſſiſſet, cùm r dimitus hederis, coronáque velatus aureâ, & thyrſum tenens, cothurniſque ſuccinctus, curru, velut Liber Pater, vectus eſſet Alexandriæ.*

e Varia eſt naſcendi ratio arboribus quæ è terra procreantur, *natura* dicitur quaſi *naſcitura.*

f Emphaſis qua ingens arborum ſponte ſua prouenientium copia denotatur, ſiler eſt pumila in aquoſis naſcẽs, ſalix, mollis quaſi lenta, flexilis *ozier*, geniſta *du geneſt*. Populus, *peuplier ou tremble*, *ſalictum* quaſi *ſalicetum* locus ſalicibus conſitus. Poteſt etiam ſiler montanum intelligi.

g Salices interiorem frondis partem habent canentem, ideſt albicantem, exteriorem verò glaucam, id eſt. viriditate ad cœruleum vergente coloratam.

*Aut ſemine.*

*Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, vt altæ*
*Caſtaneæ, nemorúmque Ioui quæ maxima frondet*
*Eſculus* a, *atque habitæ Graiis oracula* b *quercus:*

*Aut è radicibus pullulant.*

*Pullulat ab radice* c *aliis denſiſſima ſylua,*
*Vt ceraſis, vlmiſque: etiam Parnaſſia laurus*
*Parua ſub ingenti matris ſe ſubijcit vmbra.*
*Hos natura modos primũ dedit:* d *his genus omne*
*Syluarum fruticúmque* e *viret, nemorúmque ſacrorum* f.
*Sunt alii, quos ipſe via* g *ſibi repperit vſus,*

*a* Eſculus, quæ eſt maxima nemorum, & Ioui frondet, id eſt, quæ reliquas ſyluas proceritate antecellit, & eſt Ioui dedicata, eſt ſpecies querens habens folia latiora, δρῦς πλατύφυλλος.
*b* Et quercus quæ olim à Græcis habebantur oracula: alludit ad oraculum Iouis Dodonæi in Epiro, vbi vel ex lebetum, peluium, tintinnabulorúmue ſonitu & tinnitu, vel è columbarum quercubus inſidentium garritu oracula captabant.
*c* Tertium genus eſt arborum naturaliter prouenientium, quæ inſtar ſyluæ denſiſſimæ pullulant è matrum ſuarum radicibus, vt *ceraſi*, *les ceriſiers*, vlmi, *les ormes* ou *ormeaux*, lauri quibus mons Parnaſſus abundat: matrem appellat maiorem arborem, è cuius radice pullulant aliæ minores, & ſe ſubiiciunt, id eſt; attollunt, creſcunt. Vide ecl. 10 v. 74. 3. Geor. v. 241. 4. Georg v. 385. 12. Æneid. v. 288.
*d* Hi tres modi procreandarum arborum ſunt naturales, & artificialibus antiquiores, ſi quidem natura artem antecedit.
*e* Sylua videtur eſſe communis notio, qua tum fruticeta, tum nemora continentur, fruticem ita definit Theophraſtrus l. 1. hiſt. cap. 5. φρύγανον δ' τὸ ἀπὸ ῥίζης καὶ πολυστέλεχες, καὶ πολύκλαδον: οἷον βάτος, παλίουρος, *frutex quod ab radice caudice multiplici ramoſ(que) ſe attollit, vt rubus, paliurus.*
*f* Luci Dianæ, aliiſque diis dedicati.
*g* Præter hos modos naturales procreandarũ arborum, ſunt alij artificiales, quos ipſe vſus & longa experientia ſibi reperit certa methodo, & ratione.

*Hîc a plantas tenero abſcindens de corpore matrũ*
*Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes* b *obruit aruo,*
*Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos.* Plantatio.
*Syluarúmque aliæ preſſos* c *propaginis artus*
*Exſpectant, & viua ſuâ* d *plantaria terrâ.* Propagatio.
*Nil radicis egent aliæ* e*: ſummúmque putator* Plantaria.
*Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.*
*Quin & caudicibus ſectis* f *(mirabile dictu)*
*Truditur è ſicco radix oleagina ligno.* Inſitio.
*Et ſæpe alterius ramos impune videmus,*

*a* Primus modus creandarum arborum eſt, cùm plantæ ſiue ſtolones è corpore matrum ſiue maiorum arborum abſciſſi deponuntur in ſcrobibus.

*b* Secundus, cum terrâ teguntur ſtirpes, ideſt, plantæ cum ſuis radicibus validiores, & ſudes ſiue perticæ inferiùs quadrifariã diuiſæ & in formã crucis fiſſæ, vt faciliùs radices agant, & in ramulos ſub terra diducantur. Item valli ſiue pali firmiores, quibus acutũ robur. Robur proprie eſt duriſſimæ quercus genus. hic ponitur pro ipſo corpore valli firmo, ſolido & robuſto

*c* Tertius modus. Aliæ ſyluarum, ideſt, aliæ arbores, vt vites, expectant propagationem, id eſt, vt bene proueniant debent flagellis arcuatim in terram depreſſis propagari bene *arcus prop g tionis* appellat, quia mediũ flagellum in terram depreſſũ arcus curuaturam imitatur. vide pro Marcello §. 24. nota 4.

*d* Quartus modus cùm plantaria, ſiue viuæ radices, ideſt, plantulæ ex ſeminariis cum ſuis radicibus & terra propria in alium locum transferuntur.

*e* Quintus modus. Aliæ arbores non egent radicibus ad pullulandum, ſed putator, ideſt ille qui ramos arborum amputat non dubitat ſummum ſurculorum cacumen ſcrobibus infodere & referre in terram è qua exierant.

*f* Sextus. Quin etiam è caudicibus ſiue truncis oleæ in varias partes diſſectis & omni ſucco propemodum exhauſtis radix oliuæ naſcitur, & quaſi vi quadam è ſicco ligno extruditur ſiue natura vrgente propellitur. Seruius *Fit autem quod nunc dicit de oliua & myrto: quarum ſicci ſtipites ſecantur vſque ad medullam & terra infoſſi ex ſe arbores creant.*

*Horatio.*

*Vertere in alterius* a, *mutatámque inſita mala*
*Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.*
*Quare agite, ô proprios* b *generatim diſcite cultus*
*Agricolæ, fructúſque feros mollite colendo:*
*Neu ſegnes* c *iaceant terræ: iuuat Iſmara Baccho*
*Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum.*

*Inuocatio Mecœnatis.*

*Túq; ades* d, *incœptúmque vna decurre laborem,*
*O decus, ô famæ meritò pars maxima noſtræ,*
*Mecœnas, pelagoque volans da vela patenti:*
*Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto,*
*Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,*
*Ferrea vox: ades, & primi* e *lege littoris oram*

*a* Septimus & extremus procreandarum arborũ modus. Frequenter, inquit, videmus alterius arboris ramos in ramos alterius ſe conuertere, ita vt malorum ſurculi non ſine quadam mutatione pyris inſerantur, & inſita prunorum truncis rubeſcant corna habentia nucleum magnum, & quaſi lapidoſum. Hic igitur extremus modus eſt inſitio, ſiue inoculatio. *Impune*, ſine damno ſui.

*b* Cùm igitur tot ſint procreandarum arborum modi, tum naturales, tum arte quæſiti, ô agricolæ, diſcite culturam vnicuique arborum generi conuenientem, hinc enim fiet vt fructus qui in arboribus natura tantùm prouenientibus feri & agreſtes, ac proinde acerbi eſſent, adhibitá cura & agricolarum induſtriâ mitigentur.

*c* Operam date ne terræ jaceant incultæ, ſteriles, & infœcundæ Magna enim veſtro labori merces proponitur. Iuuat & vtile eſt Iſmarum vitibus, Taburnum oliuis conſerere. Iſmarus mons Thraciæ, Taburnus Campaniæ: Iſmarum pro quouis vineto vſurpat, Taburnum pro quouis oliuero.

*d* O Mecœnas, adeſto mihi, & incœptum Georgicorum opus vna mecũ à carceribus ad metam, id eſt à principio ad finem decurre, & mihi in altum orationis pelagus nauigatori vela tui fauoris expande.

*e* Videtur eſſe correctio, dictorúmque retractatio. Pre-

*In manibus terra* a *non hic te carmine ficto,*
*Atque per ambages & longa exorſa tenebo.*
*Sponte ſua quæ ſe tollunt* b *in luminis oras* c,
*Infœcunda quidem, ſed læta* d *& fortia ſurgunt:*
*Quippe ſolo natura* e *ſubeſt tamẽ hæc quoq; ſi quis*

catus fuerat Mecœnatem vt vnà ſecũ pelago patenti volaret; & vela ſui fauoris expanderet. Imò, inquit, non paſſis velis in medium pelagus nauigabo. Non enim omnia quæ dici poſſent oratione cõplectar, neque ſi velim, id aſſequi poſſim dicendo. Quare non rogo vt iam mecum pelago patẽti vela facias, ſed vt mecum littus radas & prælegas, primum littus vocat, vt 1. Æneidos.

—— *Primáque vetant conſidere terra.*

quia littus primum terrarum nauigantibus occurrit.

*a* Vel perſeuerat in eadem allegoria: qui enim extremam orã littoris præter legunt, nec in altum pelagus inuehuntur, ij terram habent in manibus, i. in propinquo, vt

*In manibus Mars ipſe, viri.*

aut etiam in ſua poteſtate. vt 9. Æneid. verſ 131.

*Terra autem in manibus noſtris.*

vt cùm volent, facilè poſſint in terram exſcendere. Vel eſt reditio ad propoſitum quia dixerat. *Neu ſegnes iaceant terræ.* hoc ſenſu iam ad propoſitum reuertor, & ſermonem qui de terra erat inſtitutus. Arnobius lib. 7. *Quoniam nobis in manibus hoſtiarum ſermo verſatur.*

*b* Commodè *tollant*, ad arborum altitudinem exprimendam.

*c* Alij legunt *auras.* quo ſenſu Naſo 3. faſt.

*Quáque diu latuit, nunc quæ ſe tollit in auras*
*Fertilis occultas inuenit herba vias.*

Vſitatior eſt phraſis, & quidem Enniana quam Lucretius paſſim, & Virg. 7. Æneid 660. vſurpat, ſi legatur, *oras* Oræ. porro luminis dici videntur aëris infima regio, ſiue extrema pars aëris illuminati, quâ lumen à ſole proiectum, & terra repercuſſum finitur & limitatur.

*d* Pulchra, amœna, procera, luxuriantia, ramis & frondibus exuberentia.

*e* Arbores ſponte ſua naturaliter prouenientes, ideo lætæ robuſtæque naſcuntur, quia ſolo, ideſt, vel terræ ſubſtratæ,

*Inſerat, aut ſcrobibus mandet* a *mutata ſubactis,*
*Exuerint ſyluestrem animum, cultúque frequenti,*
*In quaſcunque voces artes; haud tarda ſequentur.*
*Nec non & ſterilis* b *quæ ſtirpibus exit ab imis,*
*Hoc faciet: vacuos ſi ſit digeſta per agros.*
*Nunc altæ frondes, & rami matris opacant*
*Creſcentique adimunt fœtus, vrúntq; ferentem.*
*Iam, quæ ſeminibus iactis ſe ſuſtulit* d *arbos,*
*Tarda venit, ſeris factura ne potibus vmbram:*

Vel ipſis plantarum radicibus ſubeſt ſiue ineſt occultè natiuá quædã & ingenita fœcunditas, viſque generandi, quæ cùm naturalis ſit, arbores facit altiores & fortiores, quàm ſi eſſet artificio adulterata, infœcundas tamen quia ſuccus omnis in ramos & frondes totámque arborum molem abſumitur. Solum Turnebus interpretatur radicem & veluti pedem plantámque, vt plantam pedis ſolum vocat Lucretius lib 2.

*Auia Pieridum peragro loca, nullius antè* · *Trita ſolo.*

*a* Tamen ſiquis has etiam arbores quæ ſponte naſcuntur, loco mutatas & tranſlatas in terram cultiorem, inferat & plantet in foueis ſubactis frequentíque aratione mollitis, exuere poterunt naturalem illam aſperitatem & infœcunditatem, tibíque non inuitæ obedient & obſequentur, in quaſcunque fœcunditates ex arte venientes vocaueris.

*b* Illæ etiam arbuſculæ quæ pullulant ex aliarum arborum radicibus, & ſunt ſteriles, idem facient quod eæ quæ ſponte naſcuntur, id eſt, exuent aſperitatem naturalem, & fœcundæ reddentur, ſi per agros vacuos ſolique expoſitos digeſtæ fuerint, & certo ordine collocatæ.

*c* Nunc autem mater, ideſt, arbor è cuius ima ſtirpe pullulant illæ arbuſculæ frondibus & ramis circunquáque diffuſis huiuſmodi pullos è radice ſua náſcentes opacat & inumbrat, eóſque reddit infœcundos, licet in proceritatem excreſcant; omnémque eorum ferocitatem decoquit, impediens quominus in fructum protuberent.

*d* In altum excreuit.

*e* Non ipſis quorum ætate ſemen iactum eſt, ſed eorum poſteris longo poſt tempore naſcituris.

Pomáque

*Pomaque degenerant* a *ſuccos oblita priores:*
*Et turpes auibus prædam fert vua, racemos.*
*Scilicet omnibus eſt labor impendendus, & omnes*
*Cogendæ in ſulcum* c *ac multa mercede domandæ.*
*Sed truncis oleæ melius* d *, propagine vites*
*Reſpondent, ſolido Paphiæ de robore myrtus.*
*Plantis & duræ coryli naſcuntur, & ingens*
*Fraxinus, Herculeæque arbos vmbroſa coronæ.*
*Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma*

*a* Poma arborum è ſemine natarum deficiunt à generis ſui bonitate deterioremque ſuccum habent, quàm habebant priores illi fructus, è quarum ſemine prodierunt.

*b* Si plames naſcatur ex acino vuæ in terram delapſo fructus adeo degenerabit, vt ille palmes ex dulcis vuæ ſemine productus ferat racemos turpes & acerbos, qui potius prædæ futuri ſint auibus quàm hominibus vſui. Vua pro palmite, vt 3 Metamorph de Baccho.

*Ipſe racemiferis frontem circundatus vuis*
*Pampineis agitat celatam frondibus haſtam.*

*c* Plantæ omnes in ſulcum & ordinem digerendæ, & operariis multa mercede conductis colendæ, vt exuant ſyluestrem animum, naturalémque acerbitatem deponant, inſtar equorum qui à domitoribus manſuetiores redduntur.

*d* Cum igitur tres illi modi naturales non ſufficiant, ſed neceſſe ſit artem adhiberi, è ſeptem modis artificialibus ſupra memoratis eligendi ſunt qui erunt ſingulis arborum generibus aptiores. Itaque melius oleæ proueniunt & agricolarum voto reſpondent truncis ſiue caudicibus ſectis, & in terram defoſſis: vites propagatione, myrtus, arbor Veneris quæ in Papho vrbe Cypri colitur, melius prouenit vallis & ſudibus ſolidum robur habentibus. I. fortibus & robuſtis in terram depactis: Melius plantatione proueniunt coryli & fraxinus quæ in ingentem procceritatem, excreſcit: item populus Herculi ſacra (de qua vide 8. Æneid. 277) quercus grandiferæ ſacræ Ioui Dodonæo, in Choania ſiue Epiro (de quo 3. Ænei. 314.) etiam palma ardua ſiue difficilis adſcenſu, & abies ſiue ſapinus, ex qua texuntur naues pericula maris aditura.

*Naſcitur, & caſus abies viſura marinos.*
*Inſeritur vero ex fœtu* [a] *nucis arbutus horrida*
*Et ſteriles platani malos* [b] *geſſere valentes,*
*Caſtaneæ* [c] *fagos, ornúſque incanuit albo*
*Flore pyri, glandemque* [d] *ſues fregere ſub vlmis.*
*Nec modus inſerere* [e] *atque oculos imponere ſimplex.*
*Nam quà ſe medio trudunt de cortice gemmæ,*
*Et tenues rumpunt tunicas: anguſtus in ipſo*
Inoculatio, *Fit nodo ſinus* [f], *huc aliena ex arbore germen*

*a* Meliùs proueniunt nuces ſi in arbutum inſerantur: mali ſi in platanum: caſtaneæ ſi in fagum: pyrus, ſi in ornum: quercus glandiferæ, ſi in vlmum: arbutus, ſiue ſtolo ſpinis inæqualibus inhorreſcens, inſeritur fœtu nucis i. ſurculo, qui ex nuce viridi in terram defoſſa productus eſt.

*b* Truncus ſterilium platanorum portat, & ſuſtinet malos ſibi inſitas, & quidem valentes. i. fœcundas, & valentes fœtum producere.

*c* Legit Scaliger & ex eo Cerdanus. *Caſtaneas fagus.* — idest, fagus geſſit caſtaneas, quia caſtaneæ potiùs in fagos, quam fagi, quæ minus vtilitatis habent, in caſtaneas inſeruntur. Legi tamen poſſit ſeruatis pene litteris, eadémque ſententiâ. *Caſtaneæ fagus.* vt *caſtaneę* ſit in numero ſingulari. i. fagus incanuit ſiue albicauit flore caſtaneæ, & ornus flore pyri: ſic certè explicare malim, quàm cum Seruio enallagen agnoſcere: Caſtaneæ fagos, pro *fagi caſtineas.* Quanquam etiam ex eo probari poteſt noſtra ſententia.

*d* Quercus glandiferæ ſurculus in ſtolonem ſiue truncum vlmi inſeritur: inde fit vt ſues ſub vlmis paſcantur, ibique glandem dentibus frangant.

*e* Nec ſimplex modus eſt inſitionis & inoculationis, inſitio enim ab inoculatione diſtinguitur.

*f* Inoculationis deſcriptio. Qua parte, inquit, gemmæ idest, oculi & tumores parui, qui incipiunt exire tempore veris, ſe trudunt. i. naturá vrgente ſe propellunt & eijciunt de medio cortice arborum: qua parte, inquam, gemmæ rumpunt tenues tunicas. i. gracilem illum librum qui proximè

*Includunt, vdóque docent inoleſcere libro,*
*Aut rurſum enodes trunci reſecantur* a *& alte* — Inſitio.
*Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces*
*Plantæ immittuntur, nec longum tempus & ingens*
*Exijt* b *ad cælum ramis felicibus arbos,*
*Miratúrque* c *nouas frondes, & non ſua poma.*
*Præterea genus haud vnũ nec fortibus vlmis* d
*Nec ſalici* e *lotóque nec Idæis* f *Cypariſſis.* — *Variæ ſpecies arborũ.*

ligno adhæret in ipſo nodo & tumore fit anguſtus ſinus partiáque fiſſura. In quam fiſſuram germen ex aliena arbore decerptum includunt, & faciunt concorporari libro ſiue interiori tuniculæ quod germen facilius inoleſcit & incorporatur, ſi liber & interior cortex vdus fuerit ſuccique plenus, & ſudans.

*a* Inſitionis deſcriptio. Trunci, inquit, ſiue ſtolones reſecantur, qua parte nullis nodis ſunt aſperi, & cuneis profundè adactis finditur via ſiue tenuis quædam rima in ſolidum, ſiue in profundum, & intimum ſtolonis corpus: deinde in hanc rimam inſeruntur ſurculi ex arboribus feracibus decerpti, & pauco poſt tempore ramis feliciter augeſcentibus excreſcunt, & verſus cœlum attolluntur.

*b* Præteritum tempus vſurpat, quia arborum augmentũ non paret oculis, dum augentur, ſed animaduertitur, & notatur poſtquam auctæ fuerint.

*c* Fert frondes nouas & inuſitatas truncus ille, & poma non ſui generis, ſed adoptiua per inſitionem. Nota phantaſiam poëticam: *miratur*, inquit, trunco ſiue ſtoloni humanum tribuens affectum.

*d* Plinius lib. 16. c. 17. quatuor vlmorum ſpecies enumerat: Attinias, Gallicas, Italicas, ſylueſtres.

*e* Huius octo genera vide Plin. l. 16 cap. 37. Loti tria à Dalecampio numerantur in Plin. cap. 2 lib. 24.

*f* Duplex eſt Ida, altera Cretæ, altera Phrygiæ: cupreſſus à monte Cretæ Idæa nominatur. Plin. lib. 16. cap 37. *Huic patria, Inſula Creta.* Præmiſerat duo genera earum *Meta in faſtigium conuoluta, quæ & fæmina appellatur. Mas aſpergit extra ſe ramos.*

*Nec pingues vnam in faciem* a *naſcuntur oliuæ*
Oliuæ. *Orchites* b *& radij*, c *& amará pauſia* d *bacca*,
*Pomaque*, *& Alcinoi ſyluæ* e, *nec ſurculus* f *idem*
Pyri. *Cruſtumijs* g, *Syriiſq;* h *pyris*, *grauibuſq; volemis* i

*a* Nec vna eſt ſpecies oliuarum, ſexdecim recenſet Macrobius 3 Saturn. cap. 20.

*b* Orchites rotundæ ſunt oliuæ.

*c* Radij oblongæ oliuæ inſtar radij textorij.

*d* Pauſia, oliua ex qua fit oleum dum adhuc eſt viridis, vt auctor eſt Cato cap. 6. de re ruſtica: vnde & amaram acerbamque baccam habet.

*e* Pomaria quale fuit Alcioni Phæacum Regis pometum quod fuse odyſſeæ 7. deſcribitur.

*f* Cloarius apud Macrobium malorum viginti tria, pyrorum triginta duo genera numerauit 3. Saturn. cap. 19. Noſtro ſatis eſt tria pyrorum genera recenſere.

*g* Cruſtumina ſiue cruſtumina, teſte Seruio, pyra ſunt ex parte rubentia ab oppido Cruſtumio nominata. Cunctis autem, Cruſtumina gratiſſima, inquit Plinius. lib. 15. cap. 15. vbi Dalecampius putat eſſe *des poires perles*. Pergit Plinius Proxima his Phalerna à potu quoniam tanta vis ſucci abundat: lactea hæc vocantur: iniiſque alia colore nigro donantur.

*h* Syria Dalecampio. *Poires de Bergamotte*.

*i* Rurſum Plinius ibidem, Dixit volema Virgilius, à Catone ſumpta, qui & ſementina & muſtea nominat. eadem videntur eſſe & libralia, quæ vt auctor eſt idem Plinius li. 15. cap. 11. *implitudinem ſibi ponderis nomine aſſerũt*. Hadriano Iunio *Poires de bon Chreſtien*, quia, vt aliqui putant, bonus ille Chriſtianus S. Martinus hoc pyri genus, Gallis primus inuexit. Dicta libralia à pondere: volema, à magnitudine *ab eo quod volam impleant*, inquit Seruius vnde vides, cur grauia dicat Virgilius.

*Non eadē arboribus* b *pendet* c *vindemia noſtris,*
*Quam Methymnæo* d *carpit de palmite Lesbos.*
*Sunt Thaſiæ* e *vites, ſunt & Mareotides albæ:*
*Pinguibus hæ terris habiles, leuioribus illæ:*
*Et paſſo* f *Pſythia vtilior, tenuiſque Lageos* g, *Vites.*

*a* Aliud eſt genus vuarum noſtrarum. i. Italicarum, aliud Lesbiarum. Vuas appellat vindemiam, quia vindemia colliguntur.

*b* Vel vitibus, vel populis & vlmis, quibus vites in Italia maritantur. Plinius lib. 14. cap. 1. *Vites iure apud priſcos magnitudine quoque inter arbores numerabantur.* Theophraſt. l. 1. cap. 3. Vitem inter arbores recenſet, negat Columella, ſubdit Plinius. *In campano agro populis nubunt: maritaſque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato curſu ſcandentes, cacumina æquant, in tantum ſublimes vt vindemiator auctoratus rogum ac tumulum excipiat.*

*c* Obiter innuitur Italicæ vitis altitudo. Plinius ibidem *Miratumq; altitudinem earum Ariciæ ferunt legatum Regis Pyrrhi Cineam facetè luſiſſe in auſteriorem guſtū vini, meritò matrem eius pendere tam alta cruce.*

*d* Lesbos Inſula maris Ionij, vrbs huius inſulæ, Methymna.

*e* A Thaſo Inſula maris Ægæi. Plinius lib. 5. cap 6. Mareotis Libya appellatur, Ægypto contermina, hinc Seruius interpretatur Mareotidas vites Ægyptias. Thaſiæ pingui terra gaudent, Mareotides gracili & leuiori.

*f* Pſythiam vitem eandem eſſe cum Pramnia ab Homero celebrata putat Rhodiginus cap. 15. lib. 19. Paſſum eſt vinum factum ex vua paſſa, ideſt, expanſa ad ſolem & exſiccata: de quo Plinius lib. 14. cap. 9. Columella lib 12. cap. 35. Nonnius cap 1. *Paſſum dicitur genus liquoris, quod ex vua paſſa coquitur.* & cap. i. vua paſſa dicta eſt, quod ſit rugis implicata. Plautus Penulo —— *mecum futurus pro vua paſſa penſili.*

*g* Λαγὼς lepus. Lageos vitis leporaria quòd vua pili leporini colorem imitetur: *tenuis* inquit Seruius, *penetrabilis quæ citò deſcendit ad venas.*

*h* Videtur hoc Heſiodi fragmentum præ oculis habuiſſe
Σὺν δ᾽ πόδας, χεῖρας τε δέει, γλῶσσάν τε, νόον τε
Δεσμοῖς ἀφράστοισι.
*Alligat occultis mentem, linguámque, manúſque atq; pedes vinclis.*

*Tentatura pedes olim, vincturáque linguam;*
*Purpureæ, Preciæque* a *& quo te carmine dicam,*
*Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.*
*Sunt & Amineæ vites, firmiſſima vina,*
*Tmolus* b *& aſſurgit quibus & Rex ipſe Phanæus*
*Argitiſque minor* c, *cui non certauerit vlla*
*Aut tantùm fluere, aut totidem durare per annos.*
*Non ego te menſis & Dijs accepta ſecundis*
*Tranſierim Rhodia* d *& tumidis, Bumaſte* e *racemis.*

*a* Purpureæ à colore: preciæ, inquit Seruius, quaſi præcoquæ, quod citò matureſcant & præ aliis coquantur. Iunio *Haſtineaux* Rheticæ à Rhetica gente Alpina. Falernæ & Amineæ à loco Macrob lib. 3. c. extremo. *Aminea è regione, nam Aminei fuerunt vbi nunc Falernum eſt. Alij aliter* cellæ Falernæ pro vinis: continens pro contento

*b* Quibus vitibus Falernis & Amineis cedunt, & quaſi excedunt, & ſi vt loquar, honoris cauſsâ venientibus aſſurgunt Tmolus mons Lydiæ, & ipſe Phanæus mons inſulæ Thij Rex vinorum. De aſſurrectione honoraria vide Piſonianam parag. 26. nota. 1.

*c* Argitis à colore argenteo fortaſſe quem vulgo dicimus, *d'argent*, ea duplex, maior & minor: minor maiori antefertur cum qua cæteræ vuæ, nec abundantiâ liquoris & ſucci, nec duratione poſſunt contendere, quia duabus hiſce rebus reliquas omnes vuas antecellit.

*d* Eſt apoſtrophe. non ego ſilentio prætereo vuam Rhodiam, quæ eſcaria eſt & menſis ſecundis apponitur, diiſque ſecundarum menſarum præſidibus accepta eſt: ſic 1. Æneid. v. 845. Iupiter, Iuno, Bacchus in ſecunda menſa inuocantur, iiſque fit libatio; Mercurio præſertim in ſecunda menſa vinum libabant, & victimarum linguas offerebant: vide 3. odyſſ. verſ. 332. & 334 & 341. Item 7. odyſſ. verſu 136. & Athenæum lib. 1. menſæ ſecundæ *le deſert.* Horat. ſat. 2. lib. 2.

*Tum penſilis vua ſecundas,*
*Et nux ornabat menſas cum duplice ficu.*

*e* Bumaſtus dicitur quaſi βοὸς μαζὸς *mamma vaccæ, vnde bumammæ* Varroni & *bumammia* Macrobio. Species eſt vuæ

*Sed neq; quàm multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,*
*Eſt numerus: neq; enim numero comprendere refert*
*Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem*
*Diſcere quam multæ Zephyro turbentur* [a] *arenæ:*
*Aut, vbi nauigiis violentior incidit Eurus,*
*Noſſe quot Ionij* [b] *veniant ad littora fluctus.*
*Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.*
*Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni.*
*Naſcuntur ſteriles ſaxoſis montibus orni:*
*Littora myrtetis lætiſsima: denique apertos*
*Bacchus* [c] *amat colles; Aquilonem & frigora taxi.*
*Adſpice & extremis domitũ* [d] *cultoribus orbem,*
*Eoáſque domos Arabum, pictóſque* [e] *Gelonos,*
*Diuiſæ arboribus patriæ: ſola India* [f] *nigrum*

*Aliæ arbores aliis locis naſcuntur.*

*Ebenũ.*

grandioris. Plinius lib. 14. cap. 1. *tumens vero mammarum modo bumaſti.*

*a* Videtur ad Syrtes Libycas alludere. de quibus Seneca Hercule furente. *Per fluctuantes more turbati maris Syrtes.* ſunt autem loca arenoſa, vide 1. Æneidos 113.

*b* Quod fluctus veniant & prouoluantur ad littora maris Ionij: vel *fluctus Ionij*, vt apud Catullium.

*Ionios fluctus poſtquam illuc Arius iſſet*
*Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.*

*c* Vitis meliùs prouenit in collibus apricis & ſoli expoſitis. Ornus Gallicè, *Vn freſne ſauuage*, taxus *vn yf.*

*d* Videtur eſſe enallage: pro Aſpice etiam extremum orbem domitu ʒ .i. cultum & aratum à ſuis cultoribus. ſic ſuprà.

*—— Et multa mercede domandæ.*

*e* Stigmata habentes populi Scythiæ, Claudianus 1. in Ruffinum. *Membráque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus.*

*f* Prope ſola. Nam auctores Æthiopium & Ægyptium ebenum agnoſcunt, & videmus nunc etiam in Gallias eſſe propagatum.

*Fert ebenum: ſolis eſt thurea virga* a *Sabæis.*

*Balſamum.* *Quid tibi odorato referam ſudantia ligno*

*Acanthus.* *Balſamáq;* b *& baccas ſẽper frondentis* c *acanthi?*

*Quid nemora Æthiopum* d *molli canentia lanâ?*

*Goſſipium.* *Velleráq;* e *vt foliis depectant tenuia Seres?*

*Aut quos Oceano* f *propior gerit India lucos,*

*Extremi ſinus orbis vbi vincere ſummum*

*Arboris* g *haud vllæ iactu potuêre ſagittæ:*

*Et gens illa quidem ſumptis nõ tarda* h *pharetris*

*Media* i *fert triſtes ſuccos tardúmque ſaporem*

*a* Sabæa regio Arabiæ. Plinius lib. 12. cap. 4. *Thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidẽ vniuerſæ.* Item *Virgis etiam thuris ad nos commeantibus, quibus credi poteſt matrem quoque teretem enodi fruticare trunco.*

*b* Plinius lib. 12. cap. 25. *Omnibus odoribus præfertur balſamum vni terrarum Iudeæ conceſſum,* &c.

*c* Seruius, Acanthus arbor eſt in Ægypto ſemper frondens, vt oliua, laurus Acanthos dicta, quia ſpinis eſt plena.

*d* Goſſipium ſiue xylum intelligit, *du cotton,* de lanigeris arboribus, vide Plinium lib. 12. cap. 9. 10. 11. & lib. 13. cap. 24. itemli. 19. cap. 1.

*e* Alij apud Seras perfuſam aquâ depecti putant frondium canitiem, & illa vellera nihil aliud eſſe quàm arborum lanuginem: alij ſerica putant eſſe eadem cum bombycinis, & illa lana quam vermes dicti bombyces è viſceribus effundunt. Tu, vt voles: videtur tamen Virgilius fuiſſe in priori ſententia. Seres populi ab aliis Indiæ: Scythiæ ab aliis attributi.

*f* Orientali.

*g* Ad ſummum arboris cacumen peruenire.

*h* Strenuiſſima, eſt liptote ſiue meiôſis.

*i* Media regio Perſidi & Parthiæ contermina fert arborem cuius virtus ob vim & efficaciã contra morbos & venena meritò Felix pomum ſiue malum nominatur, huius mali ſuccus amarulentus eſt, licet ille ſapor & amarities obtuſa ſit & hebes ac proinde tardè ſentiatur. Plinius Aſſyriam malum appellat, multi citrum eſſe exiſtimant; alij Rhododaphnen aut Rhododendrum: alij malum Heſperidum, ſiue aureum.

*Felicis mali : quo non præſentius vllum,*
*Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,*
*Miſcuerúntque herbas, & non innoxia verba,* Malus medica.
*Auxilium venit, ac membris agit* a *atra* b *venena*
*Ipſa ingens arbos, faciémque ſimillima lauro:*
*Et, ſi non alium latè, iactaret odorem,*
*Laurus erat folia haud vllis labentia ventis:*
*Flos apprima* d *tenax, animas* e *& olentia Medi*
*Ora fouent illo & ſenibus medicantur anhelis* f
*Sed neque Medorum ſyluæ, ditiſſima terra,*
*Nec pulcher Gãges* g *atq; auro turbibus* h *Hermus* Diſgreſſio ad laudes Italiæ.
*Laudibus Italiæ certent, non Bactra* i *neq; Indi,*
*Totáque thuriferis Panchaïa* k *diues arenis.*

*a* Exigit, expellit.
*b* Liuida, ab effectu. Qui enim veneno necantur, atri fiunt, & liuidi. Iuuenalis.

*Per famam & populum nigros efferre maritos.*

Tranquillus in Caligula cap. 1. de morte Germanici *obiit non ſine veneni ſuſpicione, præter liuores qui toto corpore erant,* &c.
*c* Emphraſis, magnus enim odor qui late diffunditur Plinius lib. 12. cap. 5. *Odore præcellit foliorum quoque, qui tranſit in veſtes vna conditus arcetque animalium noxas.*
*d* Apprima nomen pro aduerbio. vt — *Et pede terram Crebra ferit.* 4. Crebro. lib. ſequenti. v. 409.
*e* Fœtentem anhelitum qui ex eorum ore effunditur. Plinius *Hæc eſt autẽ cuius grana Parthorum proceres incoquere diximus eſculentis commendandi halitus gratia.*
*f* Aſthmaticis. Aſthma ſenibus tribuit, quia hic morbus ſenilem præcipuè infeſtat ætatem : de oris graueolentia loquitur generatim. Nam vt ait Plinius lib. 11. cap 53. *Parthorum populis hoc præcipuè, & à iuuenta propter indiſcretos cibos: namque & vino fœtent ora nimio : ſed ſibi proceres medentur grano Aſſyrij mali eius enim eſt ſuauitas præcipua, in eſculenta addito.*
*g* Fluuius Indiæ aurifer, gemmifer, amœnus.
*h* Fluuius Lydiæ & ipſe auri ramenta deuoluens.
*i* Regio Perſidi vicina verſus Orientem.
*k* Eadem eſt cum Sabæa regione, pars Arabiæ.

*Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem*
*Inuertêre* a, *ſatis immanis dentibus hydri:*
*Nec galeis, denſiſque virûm ſeges horruit haſtis.*
Fertilitas. *Sed grauidæ fruges, & Bacchi Maſsicus* b *humor*
*Impleuere: tenent oleæque, armentáque læta:*
Equi. *Hinc bellator equus* c *campo ſeſe arduus infert:*
*Hinc albi, Clitumne* d, *greges, & maxima taurus*
*Victima, ſæpè tuo perfuſi flumine ſacro*
*Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.*
armēta. *Hic ver aſsiduum, atque alienis* e *menſibus æſtas:*

*a* Italia non monſtris abundat qualia in Colchide fuiſſe fabulantur: quaſi tauri ignem naribus expirantes ibi terram inuerterent, Iaſon in terra ſic arata ſereret dentes ingentis hydri ſiue ſerpentis, è dentibus ita ſeminatis gigantes armati naſcerentur. De qua fabula tum alij, tum Naſo 7. Metam.

*b* Fruges fœcundæ Italiam implent, & vina generoſiſſima, quale eſt in Maſſico monte Campaniæ.

*c* Varro l. 2. de re ruſtica cap. 7. Laudat equos Apulos & Roſeanos. Nunc equi Neapolitani celebrantur. *Les courſiers de Naples.*

*d* Hinc videlicet ex Italia, greges ouium albarum, & tauri, qui ſunt maxima victima diis ſacra frequenter aquis Clitumni fluminis perfuſi triumphos Romanorum Imperatorum antecedunt, ſúntque veluti duces pompæ triumphalis. De Clitumno Plinius lib. 2 cap 103. *In Phaliſco Clitumni amnis aqua pota candidos boues facit* boues candidi ſoliti diis immolari. Vide 4. Æneid. verſ. 60. Victimæ, dicti propriè tauri immolati ob adeptam victoriam. Clitumnus ſacer fuit Ioui Clitumno Vibius Sequeſter, & Plinius Iunior epiſt. 8. lib. 8. Claudianus in 6. Conſulatu Honorij.

*Quin & Clitumni ſacras victoribus vndas,*
*Candidus quæ Latiis præbent armenta triumphis.*

Per templa Deorum ipſum Capitolium intelligit, in quod inuehebantur triumphantes.

*e* Æſtiui menſes propriè ſunt Iunius, Iulius, Auguſtus: æſtiuus igitur calor ſi alijs menſibus euenerit, dicetur alienis menſibus euenire.

*Bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos.*
*At rapidæ tigres abſunt, & ſæua leonum*
*Semina: nec miſeros fallunt aconita* a *legentes:* Caret belluis immanibus
*Nec rapit immenſos orbes* b *per humum, neq; tanto*
*Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.*
*Adde tot egregias vrbes* c *operúmque* d *laborẽ,*
*Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis,*
*Flúminaque antiquos* e *ſubter labentia muros*
*An mare quod ſuprà* f *memorem, quódque alluit infrà?* Vrbes Italiæ. Mare.

a Aconitum herba venenoſa. Nomen habet, vel ab Aconis pago Periandinorum ad Heracleam Ponti, vt voluit Theophraſtus, vel quòd naſcatur in nudis cautibus quas ἀκόνας nominant. Fallunt aconita legentes, quia qui ſe putant herbam ſalubrem legere, venenoſam legunt, & quidem ſuo damno, vnde & miſeros appellat. Seruius. *Mira arte vſus eſt vt excuſaret rem quam negare non potuit. Nam aconita naſcuntur in Italia, ſed non ea obeſſe dicit, quia ſunt omnibus nota.*

b Neque ſerpentes tam magni naſcuntur in Italia quàm in Africa & Ægypto. Neque ſerpens per humum reptans corpus ſuum in immenſos orbes ſiue gyros raptim conuolutum promouet, neque anguis quamis coopertus tam ingenti corporis tractu corpus ſuum in ſpiram & volumen plicat, & conuoluit.

c Ælianus M.C.VII.C.I.1197. vrbes in Italia fuiſſe teſtatur.

d Ædificia magnis laboribus, magnis impenſis extructa, & oppida tum arte, tum natura & ſitu munitiſſima. Nam manu & arte congeſta ſiue impoſita ſunt ſaxis, iiſque præruptis, & pene inacceſſis.

e Duplex mare alluit Italiam. Inferum ſiue Tyrrhenum à meridie. Superum ſiue Hadriaticum à Septentrione.

f Bene muros laudat ab antiquitate, quia vt ait neſcio quis panegyriſtes. *Senectus in hominibus venerabilis, in vrbibus prope diuina.*

*Anne lacus tantos? te Lari a maxime téque*
*Fluctibus & fremitu aſſurgens, Benace, marino?*
*An memorem portus; Lucrinóq; b addiſta clauſtra,*

Lacus.

*a* Larius lacus eſt prope Comum, Benacus, in agro Veronenſi, qui propter magnitudinem, fremitum iactationéſque maris imitatur.

*b* An memorem portus Italiæ celeberrimos, vt portum Lunæ, portum Oſtienſem, &c. an moles obiectas Lucrino lacui, quibus molibus & veluti clauſtris mare Tyrrhenum ſecluditur, & quaſi indignans circum clauſtra fremit magniſque vndarum remugientium ſtridoribus ad obiectas moles alliditur. Qua parte vnda Iulia (aqua videlicet Lucrini lacus in honorem Cæſaris ſic appellata) ſonat ponto longè refuſo, i. mari retrocedente, obiectiſque molibus excluſo, & aqua Tyrrheni maris non amplius liberè laxéque fluit in Auernum, vt priùs influebat, ſed quaſi precariò per anguſtas fauces, æſtuans immittitur. Plinius lib. 36. cap. 15. *Nam portus Oſtienſis opus prætereo: item vias inter montes exciſas: mare Tyrrhenum à Lucrino molibus ſecluſum.* Dio. lib. 48. Cumæ vrbs eſt Campaniæ, ibique locus quidam in Lunæ formam curuatus inter Miſenum & Puteolos, is enim totus montibus paruis circundatur καὶ θάλασσαν τριπλῆν κολπώδη ἔχει, habétque tres ſinus maris, quorum vnus extra & propè vrbes eſt, ſecundus exigua intercapedine à primo diuiditur. Tertius in ipſo receſſu ſtagni in morem apparet, & ipſe quidem vocatur Auernus; medius, Lucrinus: extremus ſinus, cùm ad mare Tyrrhenum pertineat, nomen etiam ab eo ſortitus eſt, ἐν ταύτῃ δὴ τῇ θαλάσσῃ τῇ ἐντὸς ἑκατέρας στενοῖς τότε εἰσπλόοις τὸ διεῖργον τὴν Λουκρινίδα ἀπὸ τοῦ πελάγους ἐπ' ἀμφότερα παρ' αὐτὴν τὴν ἤπειρον ὁ Ἀγρίππας συντρήσας λιμένας ναυλοχωτάτους ὑπέδειξεν. *In hoc igitur mari mediis ſuis, & interiore, Agrippa propter ipſam continentem id interſtitium, quod Lucrinū lacum vtrimque à mari dirimebat anguſtis faucibus aperiens & perfodiens portus efferit ſtationi nauium aptiſſimos.* Vides Dionem Maroni contrarium, hic enim addita Lucrino clauſtra dicit: ille ſublata, & apertas fauciū priores anguſtias. Sed magis audiendus eſt Maro, qui loci naturam, priuſquā moles illæ fierent, præ oculis habuerat. Deceptus fortaſſe fuit Dio illo Suetonij loco in Auguſto 16. *Portum Iulium apud Baias, immiſſo in Lucrinum & Auernum lacum mari, effecit.* Sed explicari commo-

*Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,*
*Iulia quà ponto longè ſonat vnda refuſo,*
*Tyrrhenúſque fretis immittitur æſtus a Auernis.*
*Hæc eadem argenti riuos, æriſque metalla* Diuitiæ
*Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.* Viri.
*Hæc genus acre virûm, Marſos* b *pubémque* c *Sabellam,*
*Aſſuetumque malo* d *Ligurẽ, Volſcóſq; verutos* e
*Extulit: hæc Decios* f, *Marios* g, *magnóſque Camillos* h,

dè poteſt Tranquillus ad mentem Virgilij, & interim habet cur vnda Iulia nominetur.

*a* Abundantiam, quaſi plenis riuis fluat argentum, & aurum Lucret. lib. 5,

*Manabat venis feruentibus in loca terræ.*
*Concaua conuenient argenti riuus, & auri.*

*b* Populum Italiæ, quem Appianus 1. ciuilium ἔθνος πολεμικώτατον, *gentem bellicoſiſſimam* appellat, de quibus dici conſueuerat; priuſquàm à L. Sylla bello Sociali vincerentur. ὔτε κατὰ Μαρσῶν, ὔτ' ἄνευ Μαρσῶν γενέσθαι θρίαμβον. *Neque de Marſis, neque ſine Marſis actum eſſe triumphum.*

*c* Hi non propriè Sabini fuerunt, ſed coloni ad Opicos deducti è Sabinorum filiis quos ipſi Marti-conſecrarant. Vt auctor eſt Strabo lib. 5. ad quam deductionem Poëta videtur alludere, dum pubem appellat. Vide Ligarianam pa. 19 not 1.

*d* Laboribus militiæ, fruſtra quidam interpretantur *aſſuetum dolis* ex 11. Æneidos v. 115. Hic enim cauillus alienus eſſet ab inſtituto, nec ſatis laudibus Italiæ conueniret.

*e* Verubus armatos, haſtarum loco verua geſtantes. vel legendum cum Lipſio *Volſcoſque veruto.* vt dicat Poëta Ligures aſſuetos eſſe labori bellorum, Volſcos iaculationi verutorũ. Eſt autem verutum, vt ait Nonnius, telum breue & acutum.

*f* Vide 6. Æneidos verſu 818.

*g* Qualis fuit ille Marius Arpinas, qui ſepties Conſul, fuit de Iugurtha triumphauit, Italiam à Cymbris & Teutonibus liberauit.

*h* Vide 6. Æneidos 125. de Scipionibus ibidem. 841.

*Scipiadas duros bello & te maxime Cæſar*
*Qui nunc extremis Aſiæ iam victor in oris*
*Imbellem* a *auertis Romanis arcibus Indum.*
*Salue magna parens frugum, Saturnia* b *tellus,*
*Magna virûm, tibi* c *res antiquæ laudis & artis*
*Ingredior ſanctos auſus recludere fontes,*
*Aſcræumque cano Romana per oppida carmen,*
*Nunc locus* d *aruorum ingeniis : quæ robora cuique,*
*Quis color, quæ ſit rebus natura ferendis.*
*Difficiles primum terræ, colléſque maligni,*
*Tenuis vbi argilla, & dumoſis calculus aruis,*
*Palladiâ gaudent ſyluâ viuacis* e *oliuæ,*
*Indicio* f *eſt tractu ſurgens oleaſter eodem*
*Plurimus, & ſtrati baccis ſylueſtribus agri.*

*Terra tenuis & lapidoſa apta oleis.*

*a* Auertendo reddis imbellem.

*b* Vbi Saturnus habitauit : vide 8. Æneid. verſ. 318.

*c* In tuum honorem & commodum ô Italia, aggredior res ab antiquo laudatas magnaq; arte excultas, auſus primus omnium Romanorum ſacros Muſarum fontes aperire, & agriculturæ præcepta verſu Latino tradere ad imitationem Heſiodi ex Aſcra oppidulo Bœotiæ oriundi.

*d* Nunc locus eſt diſſerendi de aruorum ingeniis & conditione terrarum, quam virtutem vnaquæque habeat, quem colorem, quam naturam rebus ferendis aptam. i. quam vim naturalem habeat gigendi producendique ſingulas frugum formas.

*e* Oliuæ quarũ inuentrix fuiſſe dicitur Minerua ſiue Pallas, quæque firmiſſimæ ſunt ad viuendum, optimè proueniunt in terra difficili, ideſt intractabili, pene ſterili, ieiuna, glareoſa, & in collibus malignis ideſt infœcundis, ingratis, & agricolarum labori malignè reſpondentibus, vbi tenuis eſt argilla, vbi dumi frequentes, vbi calculi ſiue lapilli terræ admixti.

*f* Illud indicio eſt terram argilloſam tenuem, & calculoſam aptam eſſe oleis ferendis quòd eodem tractu tam fre-

*At quæ pinguis humus, dulcique vligine* a *læta,*
*Quiq; frequens herbis & fertilis vbere* b *campus;*
*Qualem ſæpe* c *caua montis conualle ſolemus*
*Deſpicere; huc ſummis liquuntur rupibus amnes,* *Vliginoſa vitib.*
*Felicémque trahunt limũ, quique editus* d *auſtro,*
*Et filicem* e *curuis inuiſam paſcit aratris,*
*Hic tibi prævalidas olim, multóque* f *fluentes*
*Sufficiet Baccho vites, hic fertilis* g *vuæ,*
*Hic laticis qualem pateris libamus* h *& auro,*

quens ſurgit & naſcitur oleaſter, vt agri paſſim ſternantur, ſiue operiantur baccis. i. fructibus olearum ſylueſtrium.

*a* Seruius. *Vligo propriè eſt naturalis humor terræ ex ea numquam recedens: dulci* ad diſtinctionem ſalſæ vliginis, quæ infœcũda.

*b* Homero οὖθαρ ἀρούρης, *vber* ſiue *mamma terræ.* 7. Æneidos 261. *Diuitis vber agri*, quod hæc terræ fœcunditas inſtar mammæ plantas frugéſque nutriat & lactet.

*c* Bona eſt vitibus ſerendis terra vliginoſa, qualem ex editiore loco reſpicere ſolemus in conualle ſitam: in hanc conuallem humor verno tempore reſolutus tanta copia defluit vt multi amnes è montibus in eam labi videantur, iſque humor defluens ſecum trahit limum quemdam felicem & fœcundum. Aduerte hanc vliginem vtilem eſſe in regionibus calidis, qualis eſt Italia: alibi vtilior eſt terra glareoſa.

*d* Conuerſus ad meridiem, oppoſitus auſtro ſiue noto vento meridionali, ita tamen vt ſit editus, & in iugum aſſurgens.

*e De la fougiere, inuiſam aratris*, quia difficiliorem reddit arationem, præpediens aratra multiplici & erratico radicum implexu.

*f* Huiuſmodi terra tibi ſubminiſtrabit vites bonas, & vuas admodum vinoſas.

*g* Hic campus vliginoſus, editus, ad meridiem conuerſus, filicem nutriens, eſt ferax & fœcundus vuarum & vini.

*h* Quale eſt illud vinum, quod diis libamus, & è pateris aureis in aras & menſas effundimus, cum hac verborum formula. *Macte hoc vino inferis eſto*, diſſoluit orationem *pateris & auro* pro aureis pateris, vt meliùs ſequenti voci reſpondeat *ebur*, i. fiſtulam eburneam.

*Inflauit cùm pinguis ebur a Tyrrhenus ad aras*
*Lancibus & pandis, fumantia reddimus exta.*
195. *Sin armenta magis ſtudium vitulóſque tueri,*

*a* Tibicen ex Etruria ſiue Thuſcia & Tyrrhenia euocatus. Tibicines, vt auctor eſt Liuius lib. 9. ſacrificiis præcinebant. Ouidius 6. faſtorum.

*Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:*
*Cantabat mæſtis tibia funeribus.*

Item. *Quæritur in ſcena caua tibia, quæritur aris, &c.*

Quo in genere lepidum illud Plutarchi ſympoſiacorum 21. Τοῦ Ἰσμηνίου τῇ θυσίᾳ προσαυλοῦντος, ὡς οὐκ ἐκαλλιέρει, παρελόμενος τοὺς αὐλοὺς ὁ μισθωσάμενος, ηὔλησε γελοίως· αἰτιωμένων δὲ τῶν παρόντων, ἔστιν ἔφη τὸ κεχαρισμένως αὐλεῖν θεόθεν· ὁ δ' Ἰσμηνίας γελάσας, ἀλλ' ἐμοῦ μὲν αὐλοῦντος ἡδόμενοι, διέτριβον, οἱ θεοί, σοῦ δ' ἀπαλλαγῆναι σπεύδοντες ἐδέξαντο τὴν θυσίαν. *Iſmenia ſacrificio quidam accinente, cũ non litaret, accepta tibia is qui eum conduxerat, ridiculè canebat, accuſantibuſque qui aderant, Diuinitus, inquit contigit venuſtè canere. Hic Iſmenias ridens, At me inquit, canente dij voluptate capti, moras trahebant: te verò inſulsè canente liberari volentes, ſacra ſuſceperunt.*

Tyrrheni frequenter ſacris & ludis adhibiti, vnde Aruſpices & Hiſtriones. Iidem pingues. i. vel pingue quiddã ſonantes & peregrinum, vt de Cordubenſibus poëtis loquitur Orator pro Archia poëta. Vel quòd genæ tibia canentibus intumeſcant, & quaſi pinguefiant. Vel quòd frequenter in æde Iouis victimarum carnibus olim veſcerentur, & illis lautitijs pingueſcerent. Liuius lib 9. Vel denique pingues vitio gentis. Catullus epig. in Egnatium.

*Aut parcus Vmber, aut obeſus Etruſcus.*

Eburneæ vero tibiæ fuerunt. Proper. l. 4. Elegiacuius initium.

*Sacra facit vates*
*Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris,*
*Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.*

*b* Et in diſcis patulis aut extorum pondere curuatis, exta paulo ante aſſata & adhuc fumantia aræ imponimus. *Sacerdotum.* inquit Seruius, *vſus eſt verbo. Reddere enim dicebãtur extra cùm probata & elixa aræ ſuperponebantur.* Lanx autem fuit vas ſacrificiis deſtinatum. Auſonius in Monoſyllabis.

*Thuribula, & pateræ, quæ tertia vaſa Deûm? lanx*

Aut

*Aut fœtus ouium, aut vrentes* a *culta capellas,*
*Saltus & Saturi* b *petito longinqua Tarenti,*
*Et qualem infelix amiſit Mantua* c *campum,*
*Paſcentem niueos herboſo flumine* d *cycnos.*
*Non liquidi gregibus fontes, non gramina deſunt:*
*Et quantum longis carpent armenta diebus,*
*Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.*
*Nigra ferè & preſſo* e *pinguis ſub vomere terra,*
*Et cui putre ſolum ( namq; hoc imitamur arando )*
*Optima frumentis : ( non vllo ex æquore cernes*
*Plura domum tardis* f *decedere plauſtra iuuencis )*
*Aut vnde iratus* g *ſyluam deuexit arator,*

*Paſcua quæ optima.*

*Terra pinguis idonea frumento.*

*a* Lædentes, marceſcere facientes, vitali humore exhaurientes arbuſta in locis cultis plantata, quibus dentem impreſſerint. Vide verſu. 378.

*b* Seruius: *aut fœcundi, aut quod eſt iuxta oppidum Saturum.* Tarentum enim & Saturum vicinæ ſunt Calabriæ ciuitates. Tarentina paſcua laudantur etiam ab Horatio lib. 2. Carm. ode 6.

*Dulce pellitis ouibus Galeſi,*
*Flumen, & regnata petam Laconi, Rura Phalanto.*

*c* Cuius ager iuſſus Triumuirorum aſſignatus fuerat veteranis, cum non ſufficeret ager Cremonenſis eclog. 1.

*d* Mincio qui *viridi prætexit arundine ripas.* Mantuanum agrum præterfluit.

*e* Terra quæ fere nigrum habet colorem, & ſub vomere altè in terram depreſſo pinguis apparet, & cui ſolum eſt putre, id eſt, natura ſua iam quodammodo mollitum, ſubactum & in glebulas reſolutum, eſt optima frumentis. Niſi enim in terra putri frumenta bene prouenirent, numquam tanto ſtudio ſubigeremus glebas, eáſque putres & ſolutas redderemus. Nunc autem cum putrem facimus terram, ars naturam imitatur.

*f* Valdè onuſtis & ſub onere tardantibus.

*g* Offenſus ſterilitate diuturna.

*Et nemora euertit multos ignaua* a *per annos:*
*Antiquáſque domos auium cum ſtirpibus imis*
*Eruit: illæ altum nidis petiere relictis,*
Terra glareoſa *At rudis enituit impulſo vomere campus.*
*Nam ieiuna* b *quidem cliuoſi glarea* c *ruris*
*Vix humiles apibus caſias roremque miniſtrat,*
Terræ fumans & nebuloſa. *Et tophus ſcaber, & nigris* d *exeſa chelydris*
*Creta, negant* e *alios æque ſerpentibus agros*
*Dulcem ferre cibum & curuas* f *præbere latebras.*
*Quæ tenuem exhalat nebulã fumóſque volucres;*

a Sterilis, & infœcunda. Vult autem dicere eam terram bonam eſſe frumento, quæ prius nemoribus & ſyluis fuerat occupata.

b Campus qui prius rudis fuerat, incultus, & inaratus. eniteſcit, vt primum arator vomerem induxit, & impulit ad glebas excitandas.

c Ita cohæret oratio. Terra pene nigra, pinguis, & putris i. facilis & reſoluta, item ager vnde extirpatæ ſunt ſyluæ, bonus eſt frumento: Nam glarea, ideſt, terra arenoſa, quia ieiuna eſt, ſterilis, & carens humore naturali, ſi præſertim fuerit in cliuo, vbi nequeat humor conſiſtere, glarea, inquam, non eſt frumentaria, vixque alere poteſt rorem marinum, & caſias humiles, è quibus apes mel delibent, non vnde homines nutriantur: *glarea du grauier: tophus* lapis è terra & arena concretus, *ſcaber* aſper & inæqualis, 8. Metam.

*Pumice multicauo, nec læuibus atria tophis Structa ſubit.*——
Iuuenalis —— *Nec ingenuum violarent marmora tophum.*
De glarea Auſonius in Moſella —— *Lucétque latétque Calculus, & viridem diſtinguit glarea muſcum.*

d Creta exeſa & corroſa chelydris nigris, ideſt atris, noxijs, venenoſis, Lucanus lib. 9.
*Cherſydros, tractique via fumante chelydri.*
hos Nicander etiam dryinas alio nomine vocari dicit in Theriacis à verſu 410.

e Harum rerum periti, vt Nicander & alij qui ſcripſerunt de natura ſerpentum.

f Anfractuoſas, variis flexibus & recurſibus impeditas cauernulas in quibus ſerpentes deliteſcant.

*Et bibit humorem & cum vult, ſe ipſa a remittit,*
*Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit,*
*Nec ſcabie, & ſalſa lædit rubigine ferrum,*
*Illa tibi lætis intexet vitibus vlmos,* Apta vitibus
*Illa ferax oleæ eſt, illam experiere colendo*
*Et facilem pecori, & patientem vomeris vnci,*
*Talem diues* b *arat Capua, & vicina Veſeuo*
*Ora iugo* c, *& vacuis Clanius non æquus Acerris:*
*Nunc quo quamque modo poſsis cognoſcere dicã.* Modus cognoſcendi terram denſam & raram.
*Rara ſit, an ſupra morem ſit denſa requiras:*
*( Altera frumentis quoniã fauet, altera Baccho;*
*Denſa magis Cereri* d *rariſsima quæque Lyæo )*
*Ante locum capies oculis, altéque iubebis*
*In ſolido puteum* e *demitti: omnémque repones,*

a Terra quæ vliginoſa eſt proprio natiuóque ſucco, non acceſito aliunde, quæque herbis propriis. i. ex ſe ipſa natis ſe veſtit, (non ait veſtitur, id ne factum putetur potiùs agricolarum induſtria, quàm fœcunditate naturæ) quæque cùm impreſſo vomere proſcinditur, non inficit ferrum ſcabritie, & rubigine quadam ſalſa, quæ videlicet ærugo non ex terra dulci, ſed ex terra ſalſa ſolet prouenire, hæc, inquam, terra vaporem fumi volucris inſtar exhalans, apta eſt vineis ferendis, quarum palmites ibi luxuriabunt, & in tantam altitudinem exurgent, vt vlmis intexantur & implicentur.

b Ideo diues quia talem arat.

c Agrum Acerranum intelligit fœcundum & feracem, non agrum Nolanum ſterilem & ieiunum, vt bene notat Iouianus Pontanus Acerranum agrum Veſeuo ſiue Veſuuio Campaniæ monti adiacentem Clanius præterfluit non æquus vacuis Acerris, quia frequens eius inundatio eam ciuitatem vaſtat & ciuibus exhaurit.

d Per Cererem, frumentum: per Bacchum & Lyæum vites intelligit.

e Si, inquit, ſcire velis verùm terra rara ſit, an ſupra modum, ideſt, plus æquo denſa, hanc poteris inire rationem

*Rurſus humum, & pedibus ſummas æquabis arenas.*
*Si deerunt; rarum, pecorique & vitibus almis*
*Aptius vber erit: ſin in ſua poſſe negabunt*
*Ire loca a. & ſcrobibus ſuperabit terra repletis:*
*Spiſſus ager: glebas cunctantes, craſſáque terga*
*Exſpecta, & validis terram proſcinde iuuencis.*
*Salſa autem tellus & quæ perhibetur amara,*
*Frugibus infelix, (ea nec manſueſcit arando,*
*Nec Baccho genus b, aut pomis ſua nomina ſeruat)*
*Tale dabit ſpecimen, tu ſpiſſo vimine qualos c,*

*Salſa terra quomodo detegatur.*

Ante omnia ex omni agro elige tibi locum oculis, ibique iubeto puteum profundè demitti in ſolido (nam ſi locus ille fuerit cauus, rimoſus & varij cuniculis ſuſpenſus, non tibi præbebit indicia raritatis aut denſitatis) deinde repone omnem terram repoſitam vt adæquetur terræ vicinæ, ſi deerunt arenæ. i. ſi terra repoſita non ſuffecerit ad explendam totam putei capacitatem, ſignum erit illius agri terram, eſſe raram ac proinde eius vbertas & fœcunditas aptior erit paſcuis & vinetis, quàm frumento.

*a* Quod ſi arenæ non poterunt in ſua loca redire i. ſi tota terra quæ egeſta fuerat non poterit foueâ contineri, & ſcrobibus repletis adhuc aliquid terræ extra foueam ſupererit, ſignum eſt illam terram eſſe denſam. Scito igitur in huiuſmodi terra glebas graues & magnas excitatum iri, ac proinde cunctantes, i. cum mora & difficultate ſurgentes, aratrumque remorantes, quæ in morem craſſi dorſi extuberent: quare iungendi ſunt validi iuuenci, qui fortiter profundóque ſulco terram proſcindant, & cum hac glebarum cunctatione luctentur.

*b* Vites & arbores in ſalſa terra plantatæ ita degenerant vt & genus ſiue ſpeciem & naturam, & nomen mutare videantur.

*c* Quali, vaſa ſunt è denſo vimine contexta, quibus vinum percolatur, acinis remanentibus, liquore defluente, quamuis hoc nomen caniſtris omnibus & calathis videtur conuenire. Horatius 3. Carm. ode 11.

*Colaque* a *prælorum fumoſis* b *deripe tectis.*
*Huc ager ille malus* c, *dulcéſque à fontibus vndæ*
*Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur* d *omnis*
*Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ:*
*At ſapor indicium faciat manifeſtus, & ora*
*Triſtia* e *tentantum ſenſu torquebit amaro* f
*Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto* Pinguis
*Diſcimus: haud vnquã manibus iactata fatiſcit* g,

*Tibi quæ iam Citheteæ puer ales,*
*Tibi telas operoſæque Mineruæ ſtudium aufert.*

a Cola, vaſa quibus vinum percolatur, vel ſaccus, ſiue ciliciũ vinarium *vn couloir*. Præla verò ſunt trabes quibus vua iam calcata premitur in torculari.

b Quali & cola ſuſpenduntur ad fumum vt ſeruentur innoxia, vt lib. 1. v. 175. de inſtrumentis agriculturæ dictum.

*Et ſuſpenſa focis exploret robora fumus.*

Quæ etiam iubet. Heſiodus

*Super fumum ſuſpendere.*

c In huiuſmodi qualos illa terra ( quam explorare cupis an ſalſa ſit & mala ) congeratur, aquis dulcibus & fontanis miſceatur, calcetur & pedibus ſubigatur ad plenum i. optimè vt interpretatur Pomponius Sabinus, vel tamdiu ſubigatur donec iſta conſperſio ad ſummum quali, colíue labrum & oram perueniat.

d Per vim à terra ſeparabitur, & ipſa calcatione violenter exprimetur, grandéſque guttæ defluent per foramina qualorum. Columella lib. de arboribus cap. 3. *Sapor autem comprehenditur, ſi terram aqua diluas, & cùm colaueris tum demũ aquã deguſtes.* Palladius lib. 1. de re ruſtica, *Dulcedo autem cognoſcitur, ſi ex ea parte agri quæ magis diſplicet, glebam fictili vaſe dulci aqua madefactum indicio ſaporis explores.*

e Triſtitiam & amarorem ſentientia.

f Amarities, ſalſedo.

g Diſcedit, & abit in particulas. Palladius ibidem. Pinguem ſic agnoſcis: *Glebam paruulam dulci aqua cùm ſpargis, & ſubigis, ſi glutinoſa eſt & adhæret, conſtat illi ineſſe pinguedinem,*

*Sed picis in morem ad digitos lenteſcit* a *habendo.*
*Humida maiores herbas alit, ipſaque iuſto*
*Lætior* b*: ah! nimiùm ne ſit mihi fertilis* c *illa,*
*Neu ſe præualidam primis* d *oſtendat ariſtis.*
*Quæ grauis eſt, ipſo tacitam* e *ſe pondere prodit,*
Frigida. *Quæque leuis, promptum eſt oculis prædiſcere nigram*
*Et quis cui color: at ſceleratum* f *exquirere frigus*
*Difficile eſt piceæ:* g *tantum taxique* h *nocentes*
*Interdum: aut hederæ panaunt veſtigia nigræ.*
*His adnimaduerſis, terram multo antè memento*
Terria fodienda. *Excoquere & magnos ſcrobibus concidere montes*
*Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,*
*Quàm lætum infodias vitis* i *genus: optima putri*

a Fit flexilis dum habetur manibuſque tractatur, Lucretius. *Annulus in digitis ſubtertenuatur habendo.* i. dum habetur.
b Plus quã oportet luxurians & exuberans.
c Seruius. *Ne herbæ plus æquo creſcentes ſpem adimant frumentorum, unde ait in primo: Luxuriem ſegetũ tenera depaſcit in herba.*
d Idem. *Herbis ſurgentibus, quarum luxuries futuris frugibus nocet, quia culmi tenues ferre non poſſunt.*
e Sine arte, ſine agricolarum induſtria.
f Plantis & frugibus noxium.
g Pinus ſylueſtris è qua pix exudat, *arbre de poix.*
h σμίλαξ *de l'yf.* de qua Plinius lib. 16 cap 10. *Taxus minùs virens, gracilisque & triſtis, ac dira, nullo ſucco, ex omnibus ſola baccifera. Mas noxio fructu, lethale quippe baccis, in Hiſpania præcipuè, venenum ineſt. Vaſa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuiſſe compertũ eſt. Hanc Sextius ſmilacem à Græcis vocari dixit: & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni, ut qui obdormiant ſub ea ſomnúmue capiant, moriantur.*
i Soli qualitate deprehenſa multò ante quam plantes vineã, memento terram fodere, & multis foueis ſiue ſcrobibus montes aperire; & glebas ſupinatas, ideſt, ſurſum deorſum inuerſas ventis oſtendere, vt terra partim calore, partim frigore excoquatur. i. putreſcat & tenereſcat.

*Arua ſolo* a: *id venti curant gelidaque pruinæ.*
*Et labefacta mouens robuſtus iugera foſſor.*
*At ſi quos* b *haud vlla viros vigilantia fugit:*
*Ante locum ſimilem exquirũt, vbi prima paretur* Seminarium.
*Arboribus ſeges; & quò mox digeſta feratur;*
*Mutatam ignorent ſubitò ne ſemina matrem.*
*Quin etiam cæli regionem in cortice ſignant:*
*Vt quo quæque modo ſteterit, qua parte calores*
*Auſtrinos* c *tulerit, qua terga obuerterit axe* d
*Reſtituant* e? *adeò in teneris conſueſcere multum*
*eſt* Epiphonema.
*Collibus, an plano melius ſit ponere vites,*
*Quære priùs: ſi pinguis agros metabere* f *campi,*
*Denſa ſere: in denſo non ſegnior vbere* g *Bacchus,*

*a* Optima eſt illa terra cuius ſolum eſt putre. i. facile, ſolutum, tenerum: quæ teneritudo prouenit è ventis, pruinis, frequenti aratione & occaſione, cui magno robore foſſor incumbit, iugera. i. terram crebrò mouens & glebas labefaciens.

*b* Vigilantiores agricolæ antequàm vites plantent, exquirunt locum vbi ſeminarium ponant, & viuiradices (quæ prima eſt arborum ſeges) parent, ei loco ſimilem, vbi vitis plantanda eſt, & palmites in certum ordinem dirigendi, ideo autem terra ſeminarij, terræ vineti ſimilis eſſe debet, ne ſemina, ſiue viuiradices in vinetum è ſeminario tranſlati matrem. (i. terram quæ mater eſt & nutrix plantarum) ſubito mutatam ignorent, & quaſi incognitam minúſque familiarem aſpernentur.

*c* Meridionales, è qua mundi parte ſpirat auſter cæteris ventis calidior.

*d* Septentrionali, polo Arctico.

*e* Eodem ſitu reponant in vineto, quo ſteterant prius in ſeminario.

*f* Diuides, ſuiſque terminis & limitibus defin[i]es.

*g* Vide ſuprà verſu 185.

*Vites ponendæ ordine quincunciali.*

*Sin tumulis* a *accliue ſolum, colleſque ſupinos;*
*Indulge ordinibus: nec ſeciùs* b *omnis in vnguem* c

*a* Quòd ſi ſolum ad vitem ſerendam elegeris, tumulis, i. quibuſdam terræ tumoribus clementer aſſurgens & cliuoſum; colléſque tam molles vt non ſtare, ſed potiùs iacere & ſupini cubare videantur, da operam ordinibus, ſiue plantis in ordines digerendis. Quamuis *indulgere* non ſolùm eſt dare operam, ſed etiam obſequi, inſeruire, obſequenter & delicatè tribuere omnia, vt ita dicam, permittere, quo ſenſu dictum videtur 4. Æneidos.

*Indulge hoſpitio cauſſáſque innecte morandi.*

Indulget igitur ordinibus, qui vites non ſerit denſas eáſque comprimit, ſed *ordines efficit largiores*, vt etiam Seruius interpretatur, id eſt, qui laxat interualla.

*b Non ſeciùs*, idem eſt, atque *non ſecus*, vel minus non ſequius, non deterius: difficile tamen explicare quo pacto cohæreat oratio ſic opinor *Indulge ordinibus*. i. fac arborum interſtitia latiora, & non ſecius i. non minus quàm ordinibus interſtitiorum laxitatem indulſeris, elegantiæ & pulchritudinis habeto rationem. Quod ita cōſequeris ſi arboribus in quincuncem diſpoſitis, quæuis via ſiue omne interſtitium ducto in tranſuerſum limite ad vnguem quadret. i. ſi omnia arborum interualla æqualiter inter ſe diſtent, ſibique mutuo reſpondeant, & aliis interſtitiis ſiue limitibus tranſueſum ductis diuidantur, & eos limites viciſſim interſecent. Quincunx autem ſiue ordo quincuncialis vel reticulatus *en lozanges*, vel alueolatus ſiue ſcaccarius, *en eſchicquier*: vtrumque repexiſſe potuit Poëta aiens *quadret* commodior tamen eſt reticulatus *quadret* conſentiat, congruat, reſpondeat. Quod vides, hoc loco dici ſectum limitem iam libro 1. dixerat.

*—— via ſecta per ambas*
*Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo,*

c. Perfectè à marmorariis ducta tranſlatio qui operum ſuorum læuitatem ducto vngue explorant. Horatius in arte.

*Perfectum decies caſtigauit ad vnguem,*

& alibi, *—— Ad vnguem Factus homo ——*

Perſius ſat. 1. —— *Vt per læue ſeueros Effundat iunctura vngues.*

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| א | | ב | | ג | | ד | | ה |
| | A | | B | | C | | D | |
| ו | | ז | | ח | | ט | | י |
| | E | | F | | G | | H | |
| כ | | ז | | ל | | ם | | מ |
| | I | | K | | L | | M | |
| נ | | ס | | צ | | פ | | ג |
| | N | | O | | P | | Q | |
| ג | | ק | | ז | | ש | | ת |

## *EXPLICATIO ORDINIS alueolati & quincuncialis.*

Ordo alueolatus, ſiue, vt vocant, ſcaccarius, is erit qui in tabula ſolis Hebraicis litteris per quadra deſcribitur. Quincūcialis autem qui Latinis ſimul & Hebraicis. Interſtitia inter duas lineas, quarum altera litteris merè Hebraicis, altera merè Latinis ſignata eſt, hæc, inquam, interſtitia ſunt viæ directæ in omnem partem. Interualla obliqua inter lineas partim Latinis, partim Hebraicis alterna ſerie notatas, ſunt ſecti limites, ſiue lima quædam & tranſuerſa itinera quæ rectas illas vias obliquè interſecant. Dicitur hæc diſpoſitio in quincuncem: vel quia quadrata ſingula, quinque arbores comprehendunt, vt primum quadratum א,ב,A,ד,ז, ſecundum ב,ג B,ז.ח & ita deinceps. Vel quia arbores decuſſantur, ad ſimilitudinem litteræ X. ſi in ſingulis extremis vnam arborem, vnam item interſectione collocemus. Decuſſis autem, quocunque ſpectaueris, reſoluitur in quincunces V, quorum vnus eſt א,A,ב alter א, A,ז, tertius ב,A,ז, quartus ד,A,ז,

*Arboribus poſitis ſecto via limite a quadret.*
*Vt ſæpe* b *ingenti* c *bello cùm longa* d *cohortes*
*Explicuit* e *legio, & campo ſtetit agmen aperto* f.

*Comparatio.*

*a* Feſtus : *limites in agris nunc termini, nunc viæ tranſuerſæ:* dictus videtur limes, quaſi limum iter, id eſt, obliquum, tranuerſum pro termino 12. Æneid. v. 898. pro via tranſuerſa 1. Æneid. v. 697. lib 9. v. 323 & lib. 0. v. 514. Ouid. 1. Metamorp.

*Sectus in obliquum eſt lato curuamine limes.*

*b* Talis eſſe debet arborum diſpoſitio, qualis eſt ordo cohortium & manipulorum in legione cùm acies ad pugnam inſtruitur. Diſponitur enim legio in quincuncem hoc modo.

א ב ג ד ה ו ז ח ט י

α β γ δ ε ζ η θ ι κ

A B C D E F G H I K

In qua diſpoſitione ſingulæ literæ ſingulos deſignant manipulos. Litteræ Latinæ ſunt principes : Græcæ , haſtati : Hebraicæ, triarij. א, α, A prima cohors è tribus manipulis conſtituta ב, β, B, ſecunda cohors ג, γ, C, tertia , & ita deinceps vſque ad decimam י, κ, K. Sunt enim in legione manipuli triginta, cohortes decem ſic appellatæ quòd aliquam exhibeant ſpeciem ædificij ruſticani , & verbi cauſſa א & A duo tecta lateralia , α medium tectum & interius repræſentent. Varro lib. 4. de lingua Latina cohors , quòd vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, ac quiddam ſit vnum , ſic hæc ex manipulis pluribus copulatur.

*c* Non eſt otioſum, quia in paruis bellis non collatis ſignis inſtructáque acie, ſed tumultuariè dimicatur.

*d* Legio ad pugnam inſtructa in longum porrigebatur & decem manipulos longitudine, tres tantum latitudine continebat.

*e* Cohortes dicuntur explicari , cùm latiùs largiúſque ordinantur.

*f* Puro parentique campo, nullis riuis intercluſo nullis dumis & arbuſtis impedito, vbi commodiùs acies explicatur.

*Directaque acies, ac late fluctuat* a *omnis*
*Ære renidenti* b *tellus: necdum horrida miſcent*
*Prælia* c, *ſed dubius* d *medijs Mars errat in armis*
*Omnia ſint paribus numeris* e *dimenſa viarum:*
*Non animum modò* f *vti paſcat proſpectus inanem,*
*Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas*
*Terra, neque in vacuum poterũt ſe extendere rami.*

*a* Milites armis ſplendentibus inſtructi ita procedunt, vt quemadmodum fluctus fluctum impellit, ita manipulus manipulum conſequatur, atque ita campus armis fluctuare videatur. *latè* autem dictum ἐμφατικῶς ad multitudinem exercitus latè campos complentis exprimendam.

*b* Refulgenti: renidere proprium eſt æris terſi & læuigati, quod læto ſplendore perfuſum exhilarat & quaſi riſu diffundit ſpectatorem.

Horatius. *Aureum Mea renidet in domo lacunar.*
Statius 10. Theb. *Emicat effigies & ſparſa orichalca renident.*
Lucret. l. 2. *Fulgur ibi ad cælum ſe tollit, totáque circùm*
*Ære renideſcit tellus*

*c* Hic ordo ſpectandus eſt priũſquam manus conſerantur, quia miſcentur & perturbantur ordines in conflictu.

*d* Anceps eſt adhuc fortuna belli, & Mars incertus in quam partem inclinet.

*e* Omnes viæ, omnia plantarum interſtitia ad quincuncem perfectum & omnibus numeris abſolutum ſibi mutuò reſpondeant. Numerus hic pro harmonia quadam & concentu ſumi videtur.

*f* Tres adfert rationes cur arbores ſint in quincuncem dirigendæ. Id, inquit, faciendum eſt, non ſolum vt proſpectus paſcat & oblectet animum inanem, ideſt, nihil vtilitatis inde colligentem, ſed etiam vt terra ſuccum æqualiter omnibus plantis inter ſe pari pene ſpatio diſtantibus ſubminiſtret. Quintilianus lib. 8. cap. 3. *Nullusne etiam fructiferis adhibendus decor; quis negat? Nam & in ordinem certáque interualla redigam eas arbores. Quid enim illo quincunce ſpecioſius, qui in quamcunque partem ſpectaueris, rectus eſt, Sed, protinus in id quoque prodeſt vt terræ ſuccum æqualiter trahant.* Tertia ratio quam adfert Poëta, quia in hac interſtitiorum æqualita-

*Foſſarũ profunditas.*

*Forſitan & ſcrobibus quæ ſint faſtigia* a *quæras.*
*Auſim vel tenui vitem committere ſulco* b,
*Altiùs ac penitus terræ defigitur arbos,*
*Eſculus* c *in primis: quæ quantum vertice ad auras*
*Ætherias: tantum radice in tartara* d*tendit.*
*Ergo* e *non hyemes illam, non flabra* f *neq; imbres.*
*Conuellunt, immota manet, multoſque per annos*
*Multa virum voluens* g *durando ſecula vincit.*
*Tum fortes late ramos & brachia tendens*

*Situs vinearum*

*Huc illuc, media ipſa* h *ingentem ſuſtinet vmbrã,*
*Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem:*
*Neve inter vites corylum ſere: néve flagella*
*Summa pete, aut ſummas defringe ex arbore plantas*
*(Tantus amor terræ* i *) neu ferro lædere tuſo*

te, aliæ arbores aliis propter vicinitatem non officient, ſed rami in vacuum aërem poterunt ſe faciliùs explicare. Addi poterat & quarta ratio, vt ventis mulcentibus perflari poſſint æqualiter. Plin. lib. 17. cap 11. *In diſponendis arboribus, arbuſtiſque ac vineis, quincunctialis ordinum ratio vulgata ac neceſſaria nō perflatu modò vtilis, verùm & adſpectu grata, quocunque modo intueare in ordinem ſe porrigente verſu.*

*a* Forſitan quæras quanta debeat eſſe profunditas foucarum in quas defodiuntur arbores.
*b* Foueæ, ſcrobi, foſſæ.
*c* Genus quercus.
*d* Quanto altiùs ramos verſus cœlum attollit, tantò profundiùs & penitius radices demittit in penitiſſimas terrę partes.
*e* Cum igitur tan ſit altis in terram defixa radicibus.
*f* Venti perflantes.
*g* Anni & ſecula cœli volutionibus menſurantur: arbor itaque multis ſeculis durans dicitur ſecula voluere.
*h* Ipſe truncus arboris ſtans in medio ſuſtinet ingentes ramos à quibus vmbra longè latéque porrigitur.
*i* Non ſunt in ſumma vitium arborúmuę cæterarum parte

*Semina* a, *néve oleæ ſylueſtres inſere truncos.* *Non inter oleaſtros.*
*Nam ſæpe incautis* b *paſtoribus excidit ignis,*
*Qui furtim pingui primùm ſub cortice* c *tectus*
*Robora comprendit: frondeſque elapſus in altas,*
*Ingentem cælo* d *ſonitum dedit: inde ſecutus*
*Per ramos victor,* e *pérque alta cacumina regnat,*
*Et totum inuoluit flammis nemus, & ruit* f *atram*
*Ad cælum piceâ craſſus caligine nubem:*
*Præſertim ſi tempeſtas à vertice* g *ſyluis*
*Incubuit, glomerátque ferens incendia ventus.* *Non ſpo- d'endr vitis ſpirante aquilone*
*Hoc vbi* h, *non à ſtirpe valent, cæſæque reuerti*
*Poſſunt, atque imâ ſimilis reuireſcere terrâ,*
*Infelix ſuperat folijs oleaſter amaris.*

decerpendi ſurculi qui alio transferantur Surculi enim qui infima vel ſaltem media parte defringuntur, ſic terram, cui erant viciniores, diligunt eique ſunt aſſuefacti, vt facilius repullulent ſintque feraciores.

*a* Cùm ſurculos decerpes aliò transferendos, caue illos falce obtuſa & hebeti lacerare, nec oleaſtros vitibus interſere, quia facilè concipiunt ignem oleaſtri.

*b* Negligentibus, imprudentibus & circa alia occupatis.

*c* Sub cortice oleaſtri, cui ineſt naturalis pinguitudo.

*d* Verſus cœlum.

*e* Ignis victor dicitur cùm ad ſuperiores ramos euaſerit. *ayant gagné le deſſus.*

*f* Egerit, attollit fumum, qualis erupit cùm pix incenditur.

*g* A Septentrione, à polo arctico. Nam.
*Hic vertex nobis ſemper ſublimis.*——
Aquilo autem ſpirans à Septentrione facilius quàm cæteri venti defert incendium, quia vehementiùs ſpirat, & nubes diſſipans ſerenitatem inducit.

*h* Hoc vbi contingit: vites non poſſunt reuireſcere, ſed oleaſter ſolus repullulat, qui & per ſe infelix eſt. i. ſterilis & infœcundus, & infelicitatis cladiſque cauſſam attulit vineto.

*Nec tibi tam prudens quiſquã perſuadeat auctor,*
*Tellurem Borea rigidam ſpirante mouere.*
*Rura gelu tum* a *claudit hyems, nec ſemine iacto*
*Concretam patitur radicem affigere terræ.*
*Optima vinetis ſatio, eſt, cum vere rubenti* b
*Candida venit auis* c, *longis inuiſa colubris,*
*Quando ferendæ vites.* *Prima vel autumni ſub frigora, cùm rapidus Sol*
*Nõdum hyemẽ contingit equis, iam præterit æſtas.*
*Ver adeò frondi nemorum, ver vtile ſyluis:*
*Vere tument* d *terræ, & genitalia ſemina poſcunt.*
*Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
*Verna temperies.* *Coniugis in gremium* e *lætæ deſcendit, & omnes*
*Magnus alit, magno commiſtus corpore, fœtus.*
*Auia tum* f *reſonant auibus virgulta canoris;*
*Et Venerem certis* g *repetunt armenta diebus.*

*a* Spirante Aquilone.
*b* Florenti & ſplendenti propter ſerenitatem.
*c* Ciconia infeſta ſerpentibus.
*d* Turgent & grauidæ ſunt Claudianus 1. de raptu,

*— — Omnis in herbam Turget humus. ——*

vel potius turgent cupiditate ſeminis recipiendi, quo ſemine fœtus paulo poſt procreentur. Turneb. lib. 25. cap. 30. Illud *tument* à virginibus ſumptum eſt, quarum plena pubertate habitus viro maturus eſt: toto velut corpore tumeſcente, præſertim pectore & mammis. Vnde & tumida virginitas pereleganter à Papinio dicitur. 2. Thebaidos.

*— — Tumida iam virginitate iugari*

Cyprianus in Sodomis.

*Virginitas in flore tumet ——*

*e* Voluit dicere: Verno tempore decidunt imbres terramque fœcundant, ſed rem poëtico figmento eleganter illuſtrat, quaſi æther ſiue cœlum ſit maritus, terra coniux, pluuiæ ſint ſemen, quo terra grauidatur, & hilareſcit.
*f* Verno tempore,
*g* Seruius: *Statutis, legitimis, à natura arcana quadam ratione*

*Parturit almus ager: Zephyrique* a *tepētibus auris*
*Laxāt arua ſinus: ſuperat* b *tener omnibus humor*
*Inque nouos* c *Soles audent ſe gramina tutò*
*Credere, nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,*
*Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem:*
*Sed trudit* d *gemmas, & frondes explicat omnes.*
*Non alios primo naſcentis* e *origine mundi*

*diſpoſitis, vt tractat Lucretius, qui dicit rationem hanc ex ætheris calore deſcendere.*

*a* Arua quæ hyberno gelu conſtricta fuerant, laxant ſinus ſuos temperatis fauoniorum leniter ſpirantium auris ventilata.

*b* Super eſt, abundat, exudat humor quidam naturalis, vnde & vites lacrimantur: tener quaſi delicatus, quia tunc temporis plantæ tenereſcunt.

*c* Dies autumnales, quo tempore Sol ad ſigna Septentrionalia reuertitur, quaſi renouatur.

*d* Propellit gemmas, effunditque in folia. Facit vites gemmare, cæteraſque arbores frondeſcere. Gemmæ primi ſunt arborum tumores, & velut oculi è quibus frondes emergunt.

*e* Quæ anni tempeſtate Deus mundum produxerit inter auctores diſputatur. Plerique ad vernum tempus referunt quo tempore terra ſolet herbam virentem germinare. Idque probare ſe putant è c. 1. Geneſis. v. 12. Alij autumno mundi creationem aſſignant, quo tempore arbores fructus maturos humano generi ſubminiſtrant. Idque certiſſimo augmento probari videtur quòd ante Moſem anni caput erat in Autumno. Nam Exodi 23. verſ. 16. iubet Moſes tabernaculorum feſtum, vel vt ipſe vocat חג האסוף *hag haaſiph* feſtum collectionis, celebrare בצאת חשנה *beſcath haſſchanah*, in exitu anni, & capite. 34. verſu 22. תעובת תשנת *thekouphat haſſchanah*: reuolutione anni, ſiue anno vertente, quæ ſolennitas poſt collectionem frugum in autumni initium incidebat. E quibus manifeſtum eſt primos homines ab autumno duxiſſe exordium. Neque his officit, quod Iudæi menſem Nyſan, qui Martio noſtro pene reſpondet, primum menſium vocabant. Erat enim Nyſan initium anni recentiore Moſis inſtituto

*Illuxiſſe dies, aliúmue habuiſſe tenorem* a
*Crediderim. ver illud erat: ver magnus agebat*
mundus creatus. *Orbis, & hybernis,* b *parcebant flatibus Euri:*
*Cùm primùm lucem pecudes hausêre, virúmque*
*Ferrea* c *progenies duris caput extulit aruis,*
*Immiſſæque feræ ſyluis: & ſidera cælo.*
*Nec res hunc teneræ* d *poſſent perferre laborem*
*Si non tanta quies iret frigúſque caloremque*
*Inter & exciperet cæli indulgentia terras.*
*Quod ſupereſt, quæcumque premes* e *virgulta per agros,*
*Sparge fimo pingui, & multa memor occule terrâ,*

ratione feſtiuitatum. Ἐπ᾽ ἱερῷ τῷδε ὥρας καὶ πράσεις, inquit, Ioſephus lib. 1. antiquit. capite 4. καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε. *Ad emptiones autem & venditiones cæterámque rerum adminiſtrationem primum ordinem ſeruauit* Hyerom. in caput. 1. Ezech. *Apud orientales,* inquit, *populos poſt collectionem frugum, quando decimæ deferebãtur in templum, October erat primus menſis & Ignantarius quartus.* Ideóque Hebræi menſem Thiſri ראש השנה *roſch haſſchanah* caput anni nuncupabant.

a Ductum, continuationem, ſeriem.

b Aſperis, ſæuis. Eurus ventus ſpirans ab Oriente.

c Dura, laborioſa, nata ad laborem.

d Ceſdanus ſic exponit: *Cum mundus primò ortu tenerrimus fuiſſet, quî poſſet perferre immanitatem frigoris, & caloris? Ergo oportuit eſſe tempus vernum quod reliquis amæniſſimum, tẽperatiſſimum, indulgentiſſimum.* Verba tamen ipſa aliud ſonare videntur. Nec plantæ, inquit & animantes quæ teneræ ſunt, & caducæ durare poſſent, niſi intercederet quædã temperies inter frigus hybernum & calorem æſtiuum, & aër temperatus quaſi pater indulgens exciperet ter[illegible]as hyberno frigore fatigatas, iiſque quietem impertiret.

e Plantabis, infodies.

*Aut lapidem bibulum* a, *aut ſqualentes* b *infode conchas:*
*Inter enim labentur aquæ, tenuiſque ſubibit*
*Halitus, atque animos tollent ſata* c; *iamq; reperti,*
*Qui ſaxo ſuper atque ingentis pondere teſtæ*
*Vrgerent, hoc* d *effuſos munimen ad imbres:* Munitio plātarum.
*Hoc, vbi hiulca ſiti findit canis æſtifer arua.*
*Seminibus poſitis ſupereſt deducere terram*
*Sæpius ad capita* e, *& duros iactare bibentes* f,
*Aut preſſo exercere ſolum ſub vomere, & ipſa* pedatio:
*Flectere luctantes inter vineta* g *iuuencos.*

*a* Lapidem arenarium ad hauriendum bibendúmque humorem ſuperfluum.
*b* Sordidas.
*c* Plantæ inter labentibus aquis modicè rigatæ, tenuibus ventorum adſpirationibus demulſæ tollent animos, ideſt, altiùs exurgent.
*d* Hæc ſaxa, hæ teſtæ muniunt & protegunt plantas contra nimias pluuias, & nimios calores, vbi canicula exoriens circa menſem Auguſtum & æſtum adferens, facit hiare terram, & rimas agere, Catullus ad Mallium.

*Cum grauis æſtiuos æſtus hiulcat agros.*

Canis eſt conſtellatio quæ Sirius etiam vocatur, vnde dies caniculares. Horatius.

*Nunc in reducta valle caniculæ Vitabis æſtus.*——

*f* Surculis in terram depactis supereſt vt frequenti paſtinatione, & occatione terra deducatur ad capita. i. ad radices & ſtirpes ſurculorum. Ariſtoteles περὶ μακροβ. τὸ γὰρ ἄνω τοῦ φυτοῦ, καὶ κεφαλὴ ἡ ῥίζα ἐστὶ, *ſuperior pars arboris & radix caput eſt.*
*g* Ligones duobus dentibus inſtructos.
*h* Alludit ad morem Italiæ & Longobardiæ, vbi vites ſunt altæ, arboribuſque fulciuntur: ac proinde ordines palmitum ſunt latiores inter quos aratro terrā ſcindunt, & fruges interſerunt. Inter arandum flectendi boues aratores, ne in palmitum truncos impingāt, ibique luctentur, quia ſulcus eſt truncis, aut radicibus impeditus,

*Tum læues calamos* a *& raſæ* b *haſtilia virgæ,*
*Fraxineaſque aptare ſudes, furcaſque bicornes:*
Frondatio. *Viribus eniti quarum & contemnere ventos*
*Aſſueſcant, ſũmaſque ſequi tabulata* c *per vlmos.*
*Ac, dum prima nouis adoleſcit frondibus* d *ætas*
*Parcendum teneris: & dum ſe lætus ad auras*
*Palmes agit laxis per purum* e *immiſſus habenis* f,
*Ipſa* g *acie falcis nondum tentanda, ſed vncis*

*a* Deinde cùm ſubegeris terram, mollieris & ad radices frequenter deduxeris, reſtat vt parentur calami læuigati, ad pedationem, haſtilia è virgis raſis decorticatis, perticæ & furcæ è fraxino, quarum adminiculo palmites fulciantur, in altum enitantur, ventis reſiſtant, ad faſtigium vlmorum adſpirent, ſequantur diſpoſita tabulata eaque circumueſtiant.

*b* Seruius *Dicit autem cannas & virgas radendas, ne ex corticibus rubigo vitibus adverſa poſſit creari.*

*c* Idem Seruius. *Tabulata, ſunt rami effuſiores, & in plana tendentes, non in altiora creſcentes.* Vide Columellam lib. 5. cap. 6.

*d* Parcendum eſt ſurculis nouellis & teneris, dum adhuc adoleſcunt & creſcunt in prima ætate, neque ſunt adhuc falce amputandi palmites, dum læti creſcentéſque ſe attollunt per aërem, velut habenis laxatis.

*e* Aërem ſudum & ſerenum, qualis eſſe ſolet verno tempore. Horat. 1. Carm.

*Plerúmque per purum tonantes Egit equos volucremq; currũ.*

*f* Tranſlatum ab equis. ſic 5. Æneidos.

—— *Furit immiſſis Vulcanus habenis.*

Laudatur paſſim Lucr. lib. 5

*Arboribuſque datum eſt variis exinde per auras,*
*Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.*

*g* Ipſa tenera palmitum ætas nouellis frondibus adoleſcens, nondum eſt tendanda falcis acumine, neque ferro frondes ſunt putandæ, ſed carpendæ ſunt manibus vncis, ideſt, vnguibus reductis, carpendæ ſunt & interlegendæ, i. libandæ cum delectu. Alij legunt. *Ipſa acies falcis*, eadem ſententia.

*Carpendæ manibus frondes, intérque legendæ.*
*Inde, vbi iam validis amplexæ ſtirpibus vlmos*
*Exierint* a *tunc ſtringe* b *comas, tūc brachia tonde:*
*Antè* c *reformidant ferrum: tunc denique dura*
*Exerce imperia, & ramos compeſce fluentes.*
*Texendæ ſepes etiam, & pecus omne tenendū eſt* d
*Præcipuè dum frons tenera imprudenſq; laborum,*
*Cui* e *ſuper indignas* f *hyemes, Solémq; potentē* g

*Sepes. Beſtiæ vitibus infeſtæ.*

a Excreuerunt, vt ſuprà, *Exiit in cœlū ramis felicibus arbos.* De amplexu & maritatione vitium procacibus brachiis vlmos appetentium, vide notas ad v. 89.

b Eclog. 9. 60. *Agricolæ ſtringunt frondes* i. ſcindunt, amputant. frondes autem arborum dicuntur comæ, rami, brachia: vt 12. Æneid.

*Poſuitque comas & brachia ferro.*

c Antequam excreuerint & validis ſtirpibus corroboratæ vlmis adhæſerint, non debent falce putari: cùm autem excreuerint, poteris vites duriter tractare, & ramos ſuperfluos & exuberantes ferro coërcere, & amputare.

d Arcendum pecus à vitibus & arbuſculis, præcipuè dum frons eſt adhuc nouella, ac proinde tenera, nec tolerandis tum aëris & tempeſtatum, tum beſtiarum iniuriis aſſueta.

e Cui frondi teneræ vri & capreæ illudunt, & nocent, pluſquam frigus hyemis aut feruor ſolis. Vel præter frigus hyemis; & ſolis æſtum, particula enim *ſuper* duo ſignificat quæ poſſunt huic loco conuenire. *ſuper.* i. *pluſquam.* Tranquillus in Auguſto cap. 35 *Erant enim ſuper mille.* Præter. Idem in Auguſto 53. *Super veteres amicos ac familiares viginti ſibi è numero principū ciuitatis depopoſcerat, velut conſiliarios in negotiis publicis.*

f Vel magnas: quo ſenſu dixit Ennius. *Indignas turres*: vel ſæuas, vt Seruius exponit. Vel quibus indignum eſt vites infeſtari. vt 6. Æneidos.

*Indigna morte peremptum.*

g Nimis feruentem, æſtuoſum, vehementem. 1. Georg. 92.

*Nec tenues pluuiæ, rapidiue potentia Solis*
*Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.*

*Syluestres vri* a *aſsiduè, capræque ſequaces* b
*Illudunt: paſcuntur oues, auidæque iuuencæ.*
*Frigora nec tantùm* c *canâ concreta pruina,*
*Aut grauis incumbens ſcopulis arentibus æſtas,*
*Quantùm illi nocuere greges, durique venenum*
*Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.*
*Non aliam ob culpã* d *Baccho caper omnibus aris*

Cerdanus noſter pro *vri*, vel *tauri*, vel *vrſi*, legendum arbitratur, quia Cæſar. lib. 6. de bello Gallico ſcribit vros in ſola Hercynia ſylua reperiri. *ij ſunt*, inquit, *magnitudine paulò infra elephantos: ſpecie & colore & figura tauri, magna vis eorum & magna velocitas.* Sed quoniam, vt notat Plinius lib. 8. cap. 1. *Vris vulgus imperitum bubalorũ nomen imponit*, fieri poteſt vt Virgilius vulgari opinioni ſe accommodans, viciſſim vros pro bubalis vſurpet: bulaos, i. boues agreſtes, quos in Hiſpania frequentes eſſe ſcribit Seruius, in Africa Plinius, in Italia vſus ipſe docet plurimos reperiri.

*b* Quæ teneras frondes appetunt & ſequuntur.

*c* Nec tantum frigora quæ pruinam albicantem è rore gelido faciunt concreſcere, aut grauis æſtatis feruor incumbens ſcopulis, eoſque calore penetrans & exſiccans nocet teneris plantis, quantùm nocent vri ſiue bubali, oues, iuuencæ, ſed potiſſimum capræ, quarum morſus exitialis & venenoſus eſt plantis, præſertim vitibus, quippe quæ non ſolùm vitium flagella & malleolos depaſcuntur, ſed ipſas etiam vites arrodunt, & in ipſis ſtirpibus cicatricem impreſſam relinquunt, ideſt, dentis impacti veſtigium.

*d* Quàm quod vites arrodat. Non aliam, inquit, ob cauſſam caper omnibus aris Baccho immolatus, quàm quod vitibus obſit. Martialis lib. 3. epiſt. 24.

*Vite nocens rosâ ſtabat moriturus ad aras*
*Hircus Bacche tuis victima grata ſacris.*

Vide planè Varronem. l. 1. de re ruſt. cap. 2. Neque aliam ob cauſſam veteres ludi exhibentur in theatrorum proſceniis. Vel potius illa particula *ob* ſignificat *cùm* ſiue *quãdo* hoc ſenſu, non aliam ob cauſſam Baccho caper immolatur cum ludi theatrales inducuntur in proſcenia, & ex veteri Athenienſium inſtituto hircus datur in præmium victoribus.

*Cæditur, & veteres* a *ineunt proſcenia* b *ludi;*
*Præmiaq;* c *ingentes* d *pagos* e *& compita* f *circum*
*Theſeidæ poſuêre, atque inter pocula* g *læti*

*Cur caper Baccho ſacrificatus.*

*a* Ad diſtinctionem recentiorum: quam ob cauſſam etiam Thucydides ἀρχαιότερα Διονύσια. *Vetera Liberalia*, ſiue ſacra Liberi Patris appellat, ad quæ Poëta videtur alludere. Primi autem ludi Theatrales ex Liberalibus nati ſunt, vt bene Seruius aduertit.

*b* Idem. *Proſcenia ſunt pulpita ante ſcenam, in quibus ludicra exercentur.*

*c* Non aliam ob cauſſam, quàm quòd hirci nouellas plantas carpendo corrumpunt, ingentes Theſeidæ. i. clari & nobiles Athenienſes poſuerunt præmia circum pagos & compita. Horatius in arte.

*Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.*

hinc tragœdia, quaſi τράγος ᾠδὴ *hirci cantilena*: comœdia κώμης ᾠδὴ *pagi cantilena.* inſtituerunt etiam vt vter hircinus per vtres incitato victor extitiſſet, de quo mox plura.

*d* Refero non ad *pagos*, ſed ad *Theſeidas.* i. Athenienſes à Theſeo rege ſic vocatos. *Ingentes, claros*, vt 6. Æneid. 413. lib. 8. 367. Ingéntem Æneam. lib. 12. 640. Murrhanum ingentem appellat, Perſius ſat. 1. Ingentes Titos.

*e* Athenienſes initio in pagis habitabant priuſquam Theſei ſuaſu conueniſſent in vnam vrbem, eámque mœnibus ſepſiſſent. Thucydides lib. 2. Plutarchus in Theſeo. Dicti pagi ἀπὸ τῶν πηγῶν quod pagi & villæ, vt plurima circa fontes extruantur. De pagorum & vicorum diſcrimine Turnebus lib. 3. Aduerſ. cap. 8.

*e* Compita ſunt triuia. Ouidius 1. faſtorum.

—— *Et in ternas compita ſecta vias.*

aut etiam quadriuia, ſic dicta quod tres aut etiam quatuor viæ concurrant & competant *les carrefours.* Non tantùm in vrbibus, verùm etiam in lucis, vbi colebantur Dij: vt idem Turnebus 7. aduerſ. cap. 26. probat ex Gratio veteri Poëta.

*Idcirco aërijs molimur compita lucis.*

g Liberalius ſiue Bacchi feſtis vino liberaliùs indulgebant.

Aſcoliaſmus. *Mollibus in pratis vnctos* a *ſaliere per vtres.*
*Nec non Auſonij* b *Troiâ gens miſſa, coloni*
*Verſibus incomptis* c *ludunt, riſúque ſoluto,*

a Interpretes Ariſtophanis in Pluto. Ἑορτὴν οἱ Ἀθηναῖοι ἦγον τὰ ἀσκώλια, ἐν ᾗ ἥλλοντο ἐπ' ἀσκοῖς αἰγείοις εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. *Athenienſes feſtum celebrabant, Aſcolia, quo in vtres caprinos inſiliebant, in honorem Liberi Patris,* & quidem, vt ait Seruius, *Vtres fiebant ad inſultationem etiam mortuorum hircorum, ne quid ex his eſſet, quod non ſentiret iniuriam.* Ἐν μέσῳ δὲ τοῦ θεάτρου ἐτίθεντο ἀσκούς. *In medio theatri ponebant vtres,* i. in medio pratorum, ſiue gramineo in campo, quem etiam noſter theatrum appellat. Æneid 188. & quidem in pratis mollibus, vt ſaltantes cùm cernuarent proni que in caput irent, herbido mollique terræ gremio exciperentur. Hos vtres vento inflabant, vt ſupra citatus Græcus cum Suida & Polluce teſtatur ἀσκοὺς πεφυσημένους, aut etiam vino implebant. Idem. Ἀσκὸν οἴνου πληροῦντες ἐνὶ ποδὶ τούτῳ ἐπήδων, καὶ ὁ πηδήσας ἆθλον εἶχε τὸν οἶνον. *vtrem vino implentes in eum vno pede ſaliebant, & victor præmij loco vinum referebat.* Hinc noſter & præmiorum & poculorum facit mentionem. Vngebant vel oleo, vel lixiuio, ait Seruius. Græcus ἀληλιμμένους *vnctos,* vt videlicet inſilientes facilius laberentur & cernuarent lubricante veſtigio. Atque hæc omnia faciebant ἕνεκα τοῦ γέλωτα ποιεῖν *vt riſum excitarent,* vnde & Noſter *lætos* appellat, & ait hæc fieri *riſu ſoluto.*

b Romani, qui propagati ſunt ab Ænea cæteriſque Troianis qui cum eo poſt Troiæ excidium in Italiam appulerunt. Dicti Auſonij vel ab Auſone Vlyſſis & Calypſus filio, à quo, ſi Feſtum audiamus, Italia Auſoniæ nomen accepit vel ab antiquioribus Auſonibus, qui in Italia conſederunt. vide 8. Aeneidos verſu 327.

c Inconcinnis, inconditis. *carminibus Saturnis metro compoſitis,* vt Seruius interpretatur. Horatius epiſt. 1. l. 2.

*—— Sic horridus ille*
*Defluxit numerus Saturnius ——*

De quo numero vide Feſtum verbo *Saturno.* fuit autem ſenarius iambicus hypermeter. qualis ille quem in ſecundam Verrinam refert Aſconius Pedianus

*Dabant malum Metelli Næuio poëtæ.*

*Oraque* a *corticibus ſumunt horrenda cauatis;*
*Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique*
*Oſcilla* b *ex alta ſuſpendunt mollia* c *pinu.* Oſcilla.
*Hinc omnis largo pubeſcit* d *vinea fœtu:*
*Complentur valléſque cauæ, ſaltúſque profundi.*
*Et quacunque Deus circum caput egit honeſtum* e.
*Ergo rite* f *ſuum Baccho dicemus honorem*

*a* Seruius. *Quia neceſſe erat pro ratione ſacrorum aliqua ludicra & turpia fieri, quibus poſſet populi riſus moueri, qui ea exercebant propter verecundiæ remedium, hoc adhibuerunt ne agnoſcerētur, vt perſonas factas de arborum corticibus ſumerent* ora, perſonas, laruas, *des maſques.*

*b* Turneb. 7. aduerſ. cap. 20. Oſcilla dicebantur αἰῶραι, i. penſiles quædam geſtationes de arboribus ſuſpenſæ, in quibus homines per luſum iactabantur, atque ea iactatio oſcillatio dicebatur. Nam homines eo genere luſus ſe iactabant & impoſiti tranſuerſo tigno de arbore ſuſpenſa alternis ſe mutuóque ſubiectabant, deprimebantque, &c. in memoriam & imaginem vitæ humanæ, in qua altiſſima interdum in imum deiiciuntur, infima in altum efferuntur, & euehuntur. Hæc ille ex Feſto: Hygino in Arctophylace, Seruio in hunc locum, & aliis.

*c* E molli hircorum corio contexta, quod dici videtur ad diſtinctionem oſcillorum Atticorum, quæ dura erant & ligno tranſuerſo facta.

*d* Floret tranſlatum ab hominibus, quorum pubertas flos eſt ætatis.

*e* Pulchrum Terentius Eunucho actu 4. ſc. 4. *Ille erat honeſtæ facie, & liberali* 2. Georg. 81. *honeſti ſpadices*. 12. Æneid. 155. *Pectus percuſſit honeſtum*, ſignificat autem Liberalibus circumlatum fuiſſe Bacchi ſimulacrum.

*f* Cum igitur Bacchus tantam fœcunditatem vineis impertiat, *ritè* i. caſtè, ſeruatis omnibus ritibus & cæremoniis Baccho dicemus honorem ſuum. i. proprios & conuenientes hymnos canemus, cōueniētia ſacrificia faciemus, illique liba ſiue placentas è farina ſiliginea, caſeo & ouo confectas, vt docet Cato de re ruſtica cap. 75. feremus in lancibus ſiue ſacris vaſis, de quibus hoc ipſo libro verſu 194 Quomodo ſiſtantur ad aram victimæ lib. ſequenti 481. & alibi paſſim.

*Carminibus patrÿs, lancéſque & liba feremus,*
*Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram:*
*Pinguiáque in verubus torrebimus exta colurnis* a
*Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter:*
Repaſtinatio. *Cui numquam exhauſti ſatis eſt* b *námque omne quotannis*
*Terque quaterque ſolum ſcindendum, glebáque verſis* c
*Æternum* d *frangenda bidentibus: omne leuandũ*
Pampinatio. *Fronde nemus* e *redit agricolis labor* f *actus in orbem,*
*Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus.*
*Et iam olim, ſeras* g *poſuit cùm vinea frondes,*

*a* E corylo factis. *Quia*, inquit Seruius, *eſt inimicus vitibus, ita eis nocet & corylus.* vnde ait ſuprà.

*Neue inter vites corylum ſere.*

*b* Qui labor numquam exhauſtus eſt, cui ſemper ſupereſt aliquid exhauriendum, & tolerandum 4 Æneidos *bella exhauſta* lib. 1. *bellando exhauſta* i. tolerata vel executioni mandata, vt lib. 7. ad Atticum ep. 1. *Reliquum eſt vt mandata noſtra exhaurias.*

*c* Bidens inſtrumentum eſt foſſorium quod ex altera parte aciem habet latiorem, ex altera in duas cuſpides, & quaſi dentes diffinditur vnde & nomẽ Bibentibus eradicantur herbæ noxiæ, acie & velut ſecuri glebæ franguntur, ideoque bidens ad fractionem glebæ vertendus eſt.

*d* Perpetuò, ſemper, ſine intermiſſione.

*e* Omnes tum vites, tum arbores putandæ ſunt.

*f* Ideo viciſſitudine quadam idem labor quotannis eidem labori ſuccedit, quia eadem viciſſitudine anni ſe inuicem conſequuntur, quaſi non alius annus alij ſuccedat, ſed idem planè cum reuolutione cœli reuertatur per ſua ipſius veſtigia.

*g* Seruius. *Serò cadentes, tarde enim ſpoliantur vites frondibus*

*Frigidus & ſyluis Aquilo decuſſit honorem* a.
*Iam tum acer curas venientem extendit in annum*
*Ruſticus, & curuo Saturni dente* b *relictam* c
*Perſequitur vitem attondens, fingitque* d *putãdo,*
*Primus humum fodito: primus deuecta cremato*
*Sarmenta, & vallos* e *primus ſub tecta referto:*
*Poſtremus metito.* f *bis vitibus ingruit* g *vmbra:*
*Bis ſegetem denſis* h *obducunt ſentibus herbæ:*
*Durus vterque labor* i. *laudato* k *ingentia rura,*

Diligentia vinitori neceſſaria.

*a* Frondes quibus ornantur & honorantur arbores. Monent verſum integrum eſſe Varronis Atacini.

*b* Falce incurua dentata, quæ Saturno tribuitur, vnde & à Græcis δρεπανηφόρος *falcifer* nominatur.

*c* A ſe paulò ante deſertam, collectâ iam vindemiâ.

*d* Componit.

*e* Adminicula ſiue pedamenta.

*f* Vindemiato: non ſunt enim vuæ præcoces legendæ, ſed ex-pectanda plena maturitas.

*g* Bis frondes excreſcunt, à quibus vmbra vitibus ingruit. Ingruere propriè eſt confertim, gruum inſtar, inuadere, & ſemper apud auctores aliquid terroris aut calamitatis importat. vt 2. Æneid. *Armorumque ingruit horror.*
12. *Tempeſtas telorum & ferreus ingruit imber.*

*h* Bis herbæ noxiæ & ſenticeta exuberant quæ ſua denſitate ſegetem, ideſt, vitem ſatam obducunt, & quaſi ſuffocant.

*i* Ex vmbra bis ingruente colligitur bis eſſe pampinandum: ex herbis bis excrecentibus ſequitur bis runcandum: qui vterque labor durus eſt, & moleſtus.

*k* Ita exponit Seruius, quaſi expetendi quidem & laudandi ſint agri ingentes, non tamen omnes eodem anno colendi: Nam vt dicitur lib. 1.

*Alternis idem tonſas ceſſare nouales,*
*Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.*

Quod fieri non poteſt niſi fuerint ſpatia maiora terrarum. Verum hic loquitur Poëta non de farre aut tritico, ſed de vitibus, quas non expedit alternis annis incultas remanere.

*Exiguum colito, nec non etiam aſpera ruſci* a
*Vimina per ſyluam, & ripis fluuialis arundo*
*Cæditur, incultique* b *& exercet cura ſalicti.*
*Iam vinctæ vites: iam falcem arbuſta* c *reponunt:*
*Iam canit extremos effœtus* d *vinitor antes,*

*Laudato*, igitur, *ingentia rura*, id eſt, noli vituperare eos qui latifundia poſſident, ſed tibi auctor ſum vt rus exiguum colas, Cui colendo pares ſint vires tuæ & induſtria, maiores enim prouentus ex agello bene culto, quàm ex ingenti rure inculto conſequeris. Vel *laudato*, reijce, recuſa. Heſiodus.

Νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι.
*Exiguam laudato ratem, magna vtere naui.*

αἰνεῖν ἀντὶ τοῦ παραιτεῖσθαι laudare pro recuſare, vt explicat Plutarcus opuſculo de audiendis poëtis. Humanitatis enim eſt, vt ſi quid à nobis dimittimus, id benignè & cum laude faciamus, quemadmodum mendicis bene apprecamur, cùm eos à nobis ſine ſtipe dimittimus. ſic Plato 3. de Rep. poëtam excellentem ait ſi quis ad vrbem à ſe inſtitutam accederet προσκυνοῖμεν ἂν αὐτὸν, inquit, ὡς ἱερὸν καὶ θαυμαστὸν καὶ ἡδύν. *adoraremus eum vt ſacrum, mirum, iucundum*, &c. ἀποπέμποιμεν τ' ἂν εἰς ἄλλην πόλιν, μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες, καὶ ἐρίῳ στέψαντες. *In aliam vrbem dimitteremus, vnguento perfuſum, & tenia redimitum.*

*a* Ruſcus virgultum aſperum & horridum quo palmites vinciuntur, in Bucolicis. *Horridior ruſco* ——

*b* Commodè Seruius. *Quaſi cum indignatione ait cauſſâ vitium curæ nec etiam ſponte naſcentium rerum fatigat.*

*c* Iam abſoluta eſt pampinatio, iam putatæ ſunt vites, nec ampliùs falcem deſiderant.

*d* Iam vinitor effœtus & diuturno labore putationis exhauſtus, inſtar mulierum quæ fœtum ediderunt, canit ſibique ipſi gratulatur, quod ad extremos palmitum ordines pampinando, aut etiam runcando, & ſarriendo peruenerit. Antes hoc loco ſunt ordines vinearum, qui ſunt ante cæteros ordines poſiti, totamque vineam circundant, & veluti prætexunt.

*Sollicitanda* a *tamen tellus, puluiſque mouendus,*
*Et iam maturis metuendum Iuppiter* b *vuis.*
*Contrà, non vlla eſt oleis cultura: neque illæ*
*Procuruam exſpectant falcem, raſtroſque tenaces:*
*Cùm ſemel hæſerunt aruis, auraſque tulerunt* c.
*Ipſa* d *ſatis tellus, cùm dente recluditur vnco,*
*Sufficit humorem, grauidas cũ vomere fruges:*
*Hoc pinguem* e *& placitam paci nutritor oliuam.*
*Poma* f *quoque, vt primũ truncos ſenſere valẽtes,*

*Facilior eſſe rarũ plantarum curatio.*

*a* Aduerte proprietatem vocabuli. Tellus ſollicitanda, ideſt, terra è ſuo ſolo excitanda eſt, & quamuis iam ſuperioribus occationibus putris effecta ſit & in puluerem redacta videatur, nihilominus eſt mouenda.

*b* Aër, cuius intemperies plerumque laborem decipit ruſticorũ. Commodè Cerdanus aduertit Iouem nominari à Poëta: vt verba formet ad maiorem ruſticorum terrorem; & ita difficultatem exaggeret quaſi dicat. Vide vinitor quis tuus labor, confligendum tibi cum Ioue ipſo.

*c* Aſſuerunt aëris varietati. *Raſtros tenaces appellat*, quibus videlicet ſordes collectæ retinentur.

*d* Ipſa terra, cui inſitæ ſunt oleæ, cùm ligone aut bidente, cuius adunci ſunt dentes, aperitur, ſufficientem humorem ſatis & frumentis ſubminiſtrat & fruges non inanes aut ieiunas, ſed plenas & grauidas tam celeriter producit, vt propemodum cum ipſo vomere, ideſt, cum ipſa aratione naſci videantur. Sic apud Seruium Vrbanus exponit.

*e* Hoc ipſo quòd facilis eſt oleæ cultura, eam nutrire debes, cum præſertim pinguis ſit & fructuoſa, & ſit pacifera. 8. Æneid. 116. *Nutritor*, autem pro *nutrit*, vt apud Tullium pro Milone: *Inimicum meum punitus es*, pro *puniiſti*.

*f* Obſerua *pomum* in nutro genere pro ipſa arbore, & aduerte quam poëticè ſenſus arbori tribuatur. Pomi, inquit, poſtquam excreuiſſe ſe & truncorum ſoliditate corroboratas eſſe ſenſerunt & vires naturæ ſuæ debitas habuerunt, naturâ propriâ raptim celeritérque nituntur & adſcendunt in aërem, licet adminiculis & hominum induſtriâ non fulciãtur.

*Et vires habuêre ſuas: ad ſidera raptim*
*Vi propria nituntur, opiſque haud indiga noſtræ:*
*Nec minùs interea fœtu nemus omne graueſcit,*
*Sanguineiſque* a *inculta rubent auiaria* b *baccis* c.
& vtilior. *Tondentur cythiſi* d *: tædas* e *ſylua alta miniſtrat,*
*Paſcuntúrque ignes nocturni & lumina fundunt,*
*Et dubitant homines ſerere atq; impendere curam?*
*Quid maiora ſequar? ſalices, humiléſque geniſtæ,*
*Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus vmbram*
*Sufficiunt* f*, ſepémque ſatis, & pabula melli* g,
*Et iuuat vndantem* h *buxo ſpectare Cytorum,*
*Naryciæque picis lucos: iuuat arua videre*
*Non raſtris hominum, non vlli obnoxia* i *curæ.*
*Ipſæ Caucaſeo* K *ſteriles in vertice ſyluæ*

*a* Rubris, & ſanguinis colorem imitantibus.
*b* Secreta nemorum ab auibus habitata.
*c* Fructibus agreſtibus.
*d* Plinius lib. 13. cap. 24. *Frutex eſt & cythiſus ab Ariſtomacho Athenienſi miris laudibus prædicatus pabulo ouium, aridus verò etiam ſuum, ſpondétque iugero eius annua H.S.M. M vel mediocri ſolo reditus.* bis mille ſeſtertij, ſunt præter aurei noſtrates quinquaginta.
*e* Tæda ſui generis arbor eſt in Illyrico faciendis facibus aptiſſima. Nomen tamen tæda tum ad pinus, piceas aliaſque pingues arbores, tum ad ipſas faces traducitur.
*f* Subminiſtrant.
*g* Apibus mellificis.
*h* Iuuat & delectat ſpectare Cytorum Paphlagoniæ montem buxo naturaliter creſcente veſtitum, quæ buxus vento mota fluctuat & vndarum fluctus imitatur. Iuuat etiam ſpectare lucos pice abundantes quales ſunt iuxta Narycem Locrorum ciuitatem. vnde & Narycij Locri 3. Æneid. v. 400.
*i* Hominum labori nihil debentia.
k Caucaſus mons Scythiæ, hic ponitur pro quouis monte aſpero & inculto.

*Quas animoſi* a *Euri aſſiduè frăgúntq; ferúntque,*
*Dant alios aliæ fœtus; dant vtile lignum*
*Nauigijs pinos: domibus cedróſq; cupreſſoſque* b.
*Hinc radios triuere rotis* c, *hinc tympana* d *plauſtris*
*Agricolæ, & pandas* e *ratibus poſuere carinas.*
*Viminibus ſalices fœcundæ: frondibus vlmi:*
*At myrtus validis haſtilibns, & bona bello*
*Cornus: Ithyræos* f *taxi torquentur in arcus,*
*Nec tiliæ* g *læues, aut torno raſile buxum,*
*Non formam accipiunt, ferróque cauantur acuto:*
*Nec non & torrentem vndam leuis innatat alnus*
*Miſſa Pado* h, *nec non & apes examina condunt*
*Corticibúſque cauis, vitioſæque* i *ilicis alueo.*

*Arborum ſylueſtriũ. vtilitas.*

*a* Valdè ſpirantes, alludere videtur ad Græcum. ἄνεμος, *ventus* Horatius. *Impellunt animæ lintea Thraciæ.*
*b* Verſus hypermeter ad denotandam cupreſſorum altitudinem. vt 5. Æneidos.
—— *Magna oſſa lacertóſque Exuit.*
lib. 7. *Tecta Latinorum Ardua.*
*c* Hinc videlicet è ſyluis ſterilibus colliguntur ligna quæ terantur ſiue tornentur in radios rotarum. Radij ſunt ligna inter axem & canthum ſiue rotæ circulum interiecta.
*d* Tecta vehiculorum rotunda.
*e* Curuas carina autem eſt medium & quaſi venter nauis.
*f* Ithyræi, vt ait Vibius Sequeſter *Syri ſunt vſu ſagittandi periti*, de quibus. 2 Philippica imo & Lucas cap. 3. taxus autem arbor eſt quæ facile in arcum flectitur & torquetur.
*g* Ordo eſt. Nec non tiliæ læues & buxum raſile formam accipiunt torno, ideſt, facile tornantur
*h* Miſſa in Padum, ſiue quemlibet alium fluuium nauigabilem.
*i* Carioſæ, hinc autem arborum vtilitatem exaggerat, qu vel carioſæ & putridæ apibus inſeruiant.

*Quid memorandum æque Baccheia dona tulerunt.*
*Bacchus & ad culpam cauſſas dedit: ille furentes*
*Cẽtauros letho domuit, Rhœtúmque* a, *Pholúmque,*
*Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.*
*O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,*
*Agricolas! quibus ipſa procul diſcordibus armis*
*Fundit humo facilem victum iuſtiſſima* b *tellus.*
*Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis*
*Mane ſalutantum totis vomit* c *ædibus vndam* d,
*Nec varios inhiant* e *pulchra teſtudine* f *poſtes,*

*Vitis vituperatio.*

*Excurſio in laudem agriculturæ.*

*a* Nomina ſunt Centaurorum, qui in nuptiis Pirithoi vino & libidine ſtimulati nouæ nuptæ vim inferre conati ſunt. vnde inter eos & Lapithas pugna exarſit, qua multi ex vtraque parte ceciderunt. Vide 12. Metamorph.

*b* Optimè reſpondens agricolarum induſtriæ, & iuſtiſſima compenſatione plus illi tribuens, qui plus laboris impenderit.

*c* Clientes ſalutandi officio perfunctos ex ædibus emittit, alludit ad vomitoria theatrorum, ideſt, fores per quas populus exibat & quaſi vomebatur è theatris.

*d* Turbam ingentem vndarum inſtar exeuntem, dum alius alium ſequitur ſicut fluctus fluctu impellitur. Statius. 2. Thebaid. —— *Foribúſque emiſſa ſuperbis*
*Vnda fremit vulgi.*

*e* Vel nec inhiant poſtes, ideſt, inhiant in poſtes opere teſſellato ſiue muſiuo variegatos, & pulchre teſtudinatos, & in tholum ſiue teſtudinem faſtigiatos. Non inquam in huiuſmodi poſtes inhiant eóſque habere deſiderant. Inhiare etiam eſt ſuſcipere & mirari vt 7. Æneid. v. 8.
*Turbáque miratur matrum & proſpectat euntem*
*Attonitis inhians animis*

*f* Vel tholum & teſtudinem intelligit, vt dixit vel poſtes variatos concha Indicæ teſtudinis. Martialis lib. 14. epig. 87.
*Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma*

*Illuſaſque* a *auro veſtes, Ephyreiaque* b *æra,*
*Alba nec Aſſyrio* c *fucatur* d *lana veneno,* e
*Nec caſiâ* f *liquidi corrumpitur vſus oliui.*
*At ſecura quies, & neſcia fallere vita,*
*Diues opum variarum, nec latis otia fundis,*
*Speluncæ, viuique lacus at frigida Tempe,* g
*Mugitúſque Boum, molléſque ſub arbore ſomni*
*Non abſunt: illis ſaltus, ac luſtra* h *ferarum,*
*Et patiens operum, paruóque aſſueta iuuentus,*
*Sacra Deûm, ſanctique patres: extrema* i *per illos*
*Iuſtitia excedens terris veſtigia fecit,*
*Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ,*

*Agricolarum trãquillitas.*

*a* Commodè Seruius. *In quibus artifex ludens auro aliqua depinxerat.*

*b* Corinthia. Dicta Corinthus Ephyre, vaſa autem ex ære Corinthio imprimis celebrata.

*c* Syrio. Quadrifaria eſt Syriæ diuiſio. Syria, Aſſyria, Cœleſyria, & Leucoſyria. Phœnicia verò & Tyrus, vbi purpura primùm inuenta eſt, ſunt in Cœleſyria.

*d* Fucatur, adulteratur.

*e* Venenum bonum eſt, & malum, quicquid naturam mutat & adulterat in vtrámque partem: frequenter ſumitur pro colore. Horatius in arte.

*Lanæ Tarentino violas imitata veneno.*

*f* Nec oleum liquore pretioſo caſiæ mutatur, & vitiatur. Corrumpi dicitur liquor, qui alterius liquoris mixtione mutatur, & adulteratur.

*g* Tempe propriè ſunt locus amœniſſimus in Theſſalia, quẽ Peneus amnis præterfluit, de quo fusè Ælianus in varia hiſtoria lib. 3. cap. 1. Poëta pro quouis loco amœno hanc vocem vſurpat.

*h* Spelæa, latibula, cubilia.

*i* Ouid. 1. Metam. *Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.* Ab aliis quidem mortalibus penitus diſceſſit, ſed agricolas extre nos omnium reliquit, & diſcedens reliquit inter eos impreſſa ſui veſtigia.

*Quarum ſacra fero* a *ingenti percuſſus amore,*
*Accipiant, cœlique vias & ſidera monſtrent,*
Philoſophia primum tenet locũ *Defectus Solis varios* b, *Lunæque labores* c.
*Vnde tremor terris, qua vi maria ala tumeſcant*
*Obicibus ruptis* d, *rurſuſque in ſeipſa reſidant:*
*Quid tantùm Oceano properent ſe tingere Soles*
*Hyberni* e, *vel quæ tardis mora noctibus obſtet.*
*Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,*
Agricultura ſecundũ. *Frigidus* f *obſtiterit circum præcordia ſanguis:*
*Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes,*
*Flumina amem, ſyluáſque inglorius: ô vbi campi,*

*a* Poëtæ Muſarum ſacerdotes. Horat. 3. carm. ode 1. Ouid. 3. Amor el. 7.

*Ille ego Muſarum purus, Phœbique ſacerdos.*

Sacerdotum porro fuit ſacra ferre, ideſt, icunculas quaſquam & ſimulachra. Ouid. de Ponto *— locum date ſacra ferenti.* Horat. *Iunonis ſacra ferret. —*

*b* Commodè Seruius. *Vno modo tantùm ſol deficere nobis videtur tũc ſcilicet cùm luna plena è regione eius obſtiterit radijs, & eos nobis fecerit non videri. Vnde varios accipimus defectus, non quia varia ratione contingant (nam ratio vna eſt vt diximus) ſed quia vel variis temporibus fiunt, vel variè: interdũ enim duobus, interdum quatuor, interdum pluribus deficit digitis.*

*c* Eclipſes, ſiue defectus, cùm ex terræ interpoſitione non poſſunt radij Solis ad Lunam peruenire.

*d* Oceani fluxum & refluxum, ſiue acceſſum & receſſum intelligit; qui per acceſſum intumeſcit, & obicibus ruptis extra proprium littus exundat, deinde per receſſum rurſum reſidet ſiue detumeſcit & ad proprium alueum recurrit.

*e* Cur hyeme dies ſint adeo breues & Sol ita properet occidere: vel cúr dies ſint æſtate longiores noctéſque tardiùs accedant.

*f* Quòd ſi mentis habetudo, quæ prouenire ſolet ex frigiditate ſanguinis circa cor conglobati & viam ſpirituum obſtruentis, prohibuerit, quominus poſſim ad has naturæ partes, cauſſarumque naturalium cógitationem accedere, volo vitam agere ruſticanam. *Sperchiúſ-*

*Sperchiúſque* a, *& virginibus bacchata Lacænis*
*Taygeta* b, *ô qui me gelidis* c *in vallibus Æmi* d
*Siſtat, & ingenti ramorum protegat vmbra.*
*Felix qui potuit* e *rerum cognoſcere cauſſas,*
*Atque metus omnes & inexorabile fatum*
*Subjecit pedibus, ſtrepitúmque Acherontis auari.*
*Fortunatus & ille* f, *Deos qui nouit agreſtes,*
*Panáque, Syluanúmq; ſenem, Nympháſque ſorores,*
*Illum non populi faſces* g, *non purpura Regum*
*Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres,*
*Aut coniurato deſcendens Dacus* h *ab Iſtro,*
*Non res Romanæ, perituráque regna* i *: neque ille*

*Caret aliorum curis & tumultu*

*a* Fluuius Theſſaliæ peramœnus.
*b* Mons Laconiæ celebratus orgiis virginum bacchantium.
*c* Opacis, vmbroſis.
*d* Mons Thraciæ.
*e* Felices illi qui tantum ingenio potuerunt vt ad cauſſarũ naturalium notitiam peruenirent, nullos humanos caſus metuerent, fatum ipſum pedibus calcarent, mortem ipſam contemnerent, & infernum obſtrepentem, mináſque intentantem. Acheron fluuius inferni, auarus quia nemini parcit, numquam ſatiatur, omnes in mortem rapit & abſorbet.
*f* Ruſticus, qui longè remotus eſt ab vrbibus, & earum tumultu.
*g* Faſces, inſignia magiſtratuum, qui mandantur populi ſuffragio. Reges purpura inſignes. Vide Sextianam paragr. 17.
*h* Dacia Tranſſyluaniam, Valachiam, Moldauiam complectitur; hanc alluit Iſter, qui Danubius initio vocatur, antequam ad Illyrium peruenerit. Daci bellum ineuntes aquam Iſtri hauriebant, eámque libabant iurãtes, ſe niſi victores non eſſe redituros, vt ex Aufidio Modeſto, Philargyrio Cerdanus aduertit: inde *Iſter coniuratus*.
*i* Vel res Romanas diſtinguit à rebus perituris, quia putabant Imperium Romanum eſſe æternum. Vide 1. Aen. v. 284.

*Aut doluit miſerans inopem* a, *aut inuidit habenti.*
*Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura,*
*Sponte tulêre ſuâ carpſit: nec farrea* b *iura,*
*Inſanúmque* c *forum, aut populi tabularia vidit.*
*Sollicitant alij remis freta cæca, ruúntque*
*In ferrum, penetrant aulas & limina* d *Regum,*
*Hic petit excidiis vrbem miſeróſque* e *penates,*

*Imperium ſine fine dedi.* Regna verò cæterarum gentium eſſe peritura. Vel vnum eſt explicatio alterius, & Iouem mentientem inducit primo Æneidos, cum hîc in ſua perſona verè dicat Romam eſſe perituram, vt ait Auguſtinus ſerm. 29. de vrbis Domini.

*a* Ruſticus ſic ab omnibus cupiditatibus eſt liber, vt neque miſericordia, neque inuidia moueatur: id dicere videtur ex opinione Stoicorum.

*b* Quæ tam aſperè, tam rigidè tractantur, vt nulla æqui bonique interpretatione leniantur.

*c* Perſonans inſanis litigantium clamoribus.

*d* Tabularia fuerunt in Atrio Libertatis, aut etiam in templo Saturni, vbi acta publica ſeruabantur: vulgo archiua, ſiue cancellariam vocamus. De his, pro milone, paragr. 7. n. 5. & alibi.

*e* De more. Aulici enim ſolebât in limine & ianua Regiæ verſari, vt de Perſis ait Xenophon lib. 8. de Cyri inſtitutione, vnde etiamnum vulgo porta Imperatoris Turcici, & Ianiſſarij nominantur. Poſſit etiam hoc & de clientibus intelligi, qui patronorum ſuorum atria & limina celebrabant, vt patronos manè exeuntes ſalutarent, & honoris cauſſâ ad forum deducerent. Horat. epodo 2.

*Forumque vitat & ſuperba ciuium Potentiorum limina.*

Patronos autem & potentiores amicos Reges & dominos vocabant. Iuuenalis ſat. 1.

*Optima ſyluarum interea pelagique vorabis, Rex horum,*

Item ſatyr. 5.

*Fructus amicitiæ magnæ cibus: imputat hunc Rex,*
*Et quamuis rarum tamen imputat.*

*e* Domos infelicium dominorum, quibus præſunt dij Penates.

*Vt gemma* a *bibat, & Sarrano* b *dormiat oſtro.*
*Condit opes alius, defoſſóque incubat* c *auro.*
*Hic ſtupet attonitus Roſtris* d *: hunc plauſus* e
*hiantem* f

*Alterius vanæ occupationes, & ambitio.*

*a* Et hoc de more. Cicero 6. Verrina 61. *Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi : trulla excauata cum manubrio aureo.* Iuuenalis ſat. 5. *Ipſe capaces*

*Heliadum cruſtas, & inæquales beryllos*
*Virro tenet phialas, tibi non committitur aurum.*

Alius, inquit, aulas Regum frequentat, aut vrbes expugnat, vt bibat calicibus è gemma factis & dormiat in lectulo purpureis ſtragulis cooperto, quale puluinar à Catullo deſcribitur de nuptiis Pelei & Thetidos.

*—— Indo quod dente politum*
*Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.*

*b* Seruius. *Tyria, purpurea, quæ enim nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur à piſce quodam qui illic abundat, quem linguâ ſuâ Sarra appellant.* De oſtro vide lib. ſequentem v. 17.

*c* Alius auaritiæ deditus pecunias in theſauros abſcondit, iiſque ſic adhæret, vt eas fouere, & iis inſtar gallinæ oua ſua fouentis incubare videatur.

*d* Liuius lib. 8. *Naues Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum ordinari placuit : Roſtráque id templum appellatum.* E Roſtris habebantur ad populum conciones, ibi præcipue Oratorum eloquentia florebat. Senſus eſt igitur. Alius ſtupet, & quaſi attonitus & admirabundus appetit honores quos videt claris Oratoribus exhiberi. Attonitus ἐμβρόντητος, quaſi tonitru quodam ſtupefactus. De palmis, ſtatuis, & cæteris honoribus Oratorum, vide notas noſtras in Cœlianam parag. 18. & paragr. 46.

*e* Alium plauſus popularis, qui magnis viris theatrum ingredientibus exhibetur, in admirationem rapit, ſuique cupiditate inflammat.

*f* Vel inhiantem, & auidè appetentem, vel admirantem, vide ſuprà 463.

*Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes.*

*Per cuneos* a *(geminatur enim* b*) plebiſq; Patrũq;*
*Corripuit, gaudent* c *perfuſi ſanguine fratrum,*
*Exilioque domos & dulcia limina mutant,*
*Atque alio patriam quærunt ſub ſole iacentem.*
*Agricola incuruo terram dimouit aratro:*
*Hinc anni labor* d*, hinc patrios, paruoſque nepotes*
*Suſtinet; hinc armenta boum, meritôſq;* e *iuuencos.*

*Agricolæ felicitas.*

a Theatra & amphitheatra veterum erant oualis figuræ, & varij graduum ordines circa ſcenam vel arenam ita diſpoſiti, vt minores arcus maioribus ouali figura clauderentur. Hi porro ſedilium ordines tranſuerſis viis diuidebantur quæ à ſupremo & omnium maximo ad infimum ac proinde minimum ita pertinebant, vt cuneatim ad ſe accederent. Hinc factum, vt ſpatium illud ſedilibus occupatum inter duas vias tranſuerſas interceptum & cunei figuram redderet: & inde cuneus diceretur.

b Hic plauſus vel ideo maximè appetitur ab iis qui aucupantur aulas populares, quia non eſt ſimplex ille plauſus, ſed geminatur, & non ſolum à plebe, ſed etiam à ſenatu exhibetur De plauſibus, acclamationibus, ſibilis theatralibus, vide Sextiam 115. & 117. Piſonianam 65. primam Philippicam 36.

c Alij delectantur bellis ciuilibus, aut ad obtinendas prouincias, negotiationem exercendam, vt publicani & negotiatores, voluntario exilio ſe multant: & patriam quærunt ſub alio climate conſtitutam; alius ſol vocatur quia pro diuerſitate climatum diuerſos habet effectus, & maiorem aut minorem calorem inducit, prout climata magis aut minùs ad zonam torridam ſiue Aequatorem acceſſerint.

d Ex hac agricolatione colligitur Fructus annui laboris, ideſt prouentus annuus; ex hoc autem annuo prouentu villam ſuam, quæ ipſi pro patria eſt, interprete Donato, & paruos nepotes vel vt alij legunt, *paruos Penates*, ſiue paruam familiam alit & ſuſtentat.

e Qui laboris conſortes fuerunt, ac proinde digni ſunt alimento.

*Nec requies* a *quin aut pomis exuberet annus:*
*Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,* *Ab utili.*
*Prouentuque oneret ſulcos, atque horrea vincat.*
*Venit hyems, teritur Sicyonia bacca* b *trapetis* c
*Glande ſues læti redeunt: dant arbuta* d *ſyluæ:*
*Et varios ponit* e *fœtus autumnus & altè* f
*Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.*
*Intereà dulces pendent circum oſcula nati;*
*Caſta pudicitiam ſeruat domus; vbera vaccæ*
*Lactea* h *demittunt: pingueſque in gramine læto*
*Inter ſe aduerſis luctantur cornibus hœdi.*

*a* Nullum eſt anni tempus quod quieſcat ceſſétue magnos fructus exhibere. Aut enim pomis, aut fœtu pecorum annus abundat & exuberat, ideſt, fructus & pecorum fœtus vbertim profundit, aut tam copioſos mergites ſiue ſpicarum manipulos (quarum culmus Cerealis vocatur, quia frumentum eſt Cereri dedicatum) tam copioſos, inquam, manipulos annus producit, vt ſulci ſuſtinere, horrea manipulorum copiá continere non poſſint, quo fit vt & ſulci onerentur, & horrea vincantur. lib. 1.

*Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.*

*b* Oliua quam per ſynecdochen Sicyoniam appellat à Sicyone vrbe Peloponneſi olearum ferace.

*c* Molis oliuaribus premitur ſiue mollitur ad exprimendum oleum.

*d* Poma ſylueſtria, quæ ex arbutis colliguntur.

*e* ἐμφατικῶς non enim ait fructus auelli aut excuti, ſed poni ad indicandam maturitatem

*f* Profundè, calore ſolis ad intimas medullas penetrante, vindemia, ideſt, vuæ ad vindemiam paratæ, quæ priùs acerbæ erant, mitigantur ſiue matureſcũt & excoquuntur in collibus lapidoſis & apricis, ideſt ſoli expoſitis.

*g* Dum fructus colliguntur & vuæ matureſcunt.

*h* Vbera lacte abundantia ita diſtendunt vt ad terram propendeant.

*Ipſe a dies agitat feſtos, fuſúſque per herbam,*
*Ignis vbi in medio & ſocij cratera coronant,*
Ab honeſto. *Te libans, Lenæe, vocat; pecoriſque magiſtris*
*Velocis iaculi certamina ponit* b *in vlmo;*
*Corporaque agreſti nudant prædura* c *palaſtra.*
*Hanc olim veteres vitam coluêre Sabini* d:
Romani agricolæ *Hanc Remus & frater: ſic fortis Etruria creuit:*
*Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,*

a Ipſe agricola paterfamilias dies feſtos non ſolùm agit, ſed agitat, ideſt frequenter agit & celebrat, & in molli gramine proſtratus, vbi ignis ad ſacrificium eſt in medio poſitus & ſocij ſiue ſerui & familiares crateri coronam imponunt è floribus contextam, Bacchum qui ἀπὸ τῦ ληνῦ à torculari. Læneus vocatur, inuocat, eique libat, ideſt, vinum in eius honorẽ diffundit cum hac verborum formula *Macte hoc vino infertis eſto*: de libatione, cratere, & more coronandi crateris vide 1. Aeneidos verſu 728. 741. Item 3. Aeneid. v. 525.
b ἆθλα τίθησι. Vnde & vox athlothetes, vel præmia proponit victoribus ex vlmo pendentia; vel in vlmo ponit ſignum ad quod deſtinata paſtorum iacula colliment: de palæſtrâ ſiue luctatione, luctatorúmque nuditate, vide 3. Aeneid. verſu 281.
c Fortia, vt 12. Aeneidos.

*Prædurum viribus Orſem.*

Laboribus aſſueta, quibus laboris aſſiduitas callum obduxit.
d Horum meminit, quia populus Romanus ex his tribus initio conflatus eſt, quos Propertius lib. 4. eleg. 1. hoc verſu complectitur.

*Hinc Tatius, Ramnéſque viri, Luceréſque coloni*

C. Sempronius lib. de diuiſione Italiæ & origine vrbis Romæ *Sabinis & Tuſcis in fœdera coeuntibus incoluêre, Sabini quidẽ Capitolium & Quirinalẽ, in quo Numa poſtea habitauit Romulus & Ramnenſes Exquilinum, Palatinum & cæliũ. Thuſci Luceres Viminalem, & ſubſidentem conuallem vſque ad ædem Saturni, & radices Capitolij: Remo fratri Auentinus ætate Romuli mãſit*: hæc ille è quibus etiam habes quinam fuerint ſeptem illi montes, quos Roma murorum ſuorum ambitu circundedit.

*Septémque vna ſibi muro circumdedit arces a.*
*Ante etiam ſceptrum Dictæi Regis, & antè*
*Impia quam cæſis* c *gens eſt epulata iuuencis.* Saturnus agricola.
*Aureus* d *hanc vitam in terris Saturnus agebat.*
*Necdum etiam audierant inflari claſsica* e *necdum*
*Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.*
*Sed nos immenſum* f *ſpatijs confecimus æquor,*
*Et iam tempus equûm fumantia ſoluere colla.*

a Montes. vt 4. Georg.

*Flerunt Rhodopeiæ arces.*

alibi frequenter, quod arces in montibus excitentur.

b Antequam regnaret Iupiter, qui in Dictæo Cretæ monte nutritus eſt 4. Georg. verſu 151. de apibus.

*Dictæo cæli Regem pauere ſub antro.*

c Noti ſũt illi verſus quos Cicero latinos fecit ex arati Phænomenis.

*Ferrea tum verò proles exorta repente eſt,*
*Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,*
*Et guſtare manu victum domitúmque iuuencum.*

d Octauo Aeneid. 324. *Aureáque, vt perhibent, illo ſub Rege fuerunt Secula.* hinc aureus.

e Aureæ ætatis homines nondum audierant inflari claſſica, ſiue tubas flexiles quibus claſſes procinctæ, ideſt, exercitus, & acies ſolent euocari: necdum etiam viderant ferri laminas incudibus impoſitas cudi & fabrefieri cum crepitu malleorum.

f Allegoria eſt. Sed nos ſpatijs decurſis valdè magnum curriculum in æquata camporum planitie confecimus, & iam tempus eſt ſoluendi equos, qui ad noſtrum currũ alligati ad ſudorem vſque cucurrerunt, vnde etiam fumant. Vult dicere: ſed iam librum ingentem conſcripſimus, ac proinde tempus eſt operis finiendi.

# PVB. VIRGILII MARONIS,

## GEORGICORVM LIB. III.

### MODESTINI IVRISCONSVLTI IN III. Georgicorum,

### ARGVMENTVM.

Téque Pales, & te Paſtor memorande per orbem
Et pecorum cultus, & paſcua gramine læta,
Queis habitent armenta locis, ſtabulentur & agni,
Omnia diuino monſtrauit carmine vates.

Propoſitio.

*TE quoque magna Pales* a *& te memorande canemus*
*Paſtor ab Amphryſo,* b *vos ſyluæ* c *amneſque Lycæi.*
*Cætera, quæ vacuas tenuiſſent* d *carmina mentes,*

a O magna Pales, paſtorum Dea, te etiã canemus hoc libro, quemadmodum ſuperioribus duobus libris Cererem & Bacchum cecinimus. Egimus enim lib. 1. de frumenti ſatione, lib. 2. de cultu vinearum.

b Apollo qui ad fluuium Amphryſum pauiſti boues Admeti, quem adamabas: vnde Apollo Νόμιος ſiue Paſtoralis.

c Lycæum mons Arcadiæ paſcuis abundans. vnde Pan Λυκαῖος Apollo Λύκιος vocatur.

d Commodè Seruius *Fabulæ quæ delectationi eſſe poterant, & tenere mentes curis ſolutas, iam deſcriptæ à multis, in omnium ore verſantur.* Verbi cauſſa fabulam Euryſthei omnes Poëtæ paſſim, Buſiridis Meneſimachus, vt auctor eſt Athenæus Hylæ Theocritus, Apollonius, Orpheus, Deli Callimachus, Pelonis & Hippodames Pindarus: *tenere* eſt delectare, vide Cœlianam parag. 14. Nota 4. *Hoſpitio Dionis*, &c.

*Omnia iam vulgata: quis aut Euryſthea a durum*
*Aut illaudati b neſcit Buſiridis aras?*
*Cui non dictus Hylas c puer, & Latonia d Delos?*
*Hippodaméque, e humeróque f Pelops inſignis eburno,*

a Qui duros Herculi labores imperabat 8. Aeneidos.

*—vt duros mille labores,*
*Rege ſub Euriſtheo fatis Iunonis iniquæ Pertulerit*

b Buſiris Rex Ægypti, Neptuni filius, qui cùm hoſpites ad aras immolaret, ad eas ipſas ab Hercule occiſus eſt *Illaudatus*, vel quia nihil penitus in eo laudandū erat, vel quia nefarius erat & ne nominandus quidem, vt exponunt Gellius, & Macrobius. Vel potius quia Græcorum diſertiſſimus Iſocrates, cùm eum laudare ſtatuiſſet, nihil in eo laude dignum inuenit, adeo vt oratione quæ de eius laudibus ſcripta eſt, non tam eum laudaſſe, quam eius nomini labem adſperſiſſe videatur.

c Amaſius Herculis, qui raptus à Nymphis, diúque quæſitus vnde ecl. 6. verſu 43. Iuuenalis ſat. 1.

*Et multum quæſitus Hylas, vrnamque ſecutus.*

d Delos Latonæ dicata.

*Quam prius Arcitenens oras & littora circum*
*Errantem Mycone celsa Gyaroque reuinxit.*

vt dicitur 3. Aeneid. v. 75.

e Quis non celebrauit Hippodamen Oenomai Elidis & Piſaium Regis filiam. Cuius pater tredecim filiæ procos occiderat, ea conditione prouocatos ad curule certamen, vt victor ipſius filiam duceret vxorem, victus necaretur. Acceſſit Pelops, & equis à Neptuno acceptis, vt narrat Pindarus Olymp. 1. vel, vt alij malunt, Myrtilo Oenomai auriga corrupto, vt pro ligneis axibus cereos ſupponeret, vel rotas cereis clauis compingeret, quibus curſu liquefactis currus ſolueretur.

f Tantalus Deos menſis exceperat, iiſque filium ſuum Pelopem epulandum appoſuerat. Ceres humerum eius ſiniſtrum per imprudentiam deuorauit. 6 Metamorph.

*—Manibus mox cæſa parentis*
*Membra ferunt iunxiſſe Deos, aliiſque repertis.*
*Qui locus eſt iuguli medius, ſummique lacerti*
*Defuit, impoſitum eſt non comparentis in vſum*
*Partis ebur, factoque Pelops fuit integer illo.*

*Acer equis? Tentãda via eſt, qua me quoq; a paſſim*
*Tollere humo, victorq; b virum volitare per ora.*
*Primus ego in patriã mecum (modo vita ſuperſit)*
*Aonio rediens* c *deducam vertice Muſas:*
*Victoriã ſibi de Græcis pollicetur.* *Primus Idumæas* d *referam tibi Mantua* e *palmas,*
*Et viridi in campo templum de marmore ponam*
*Propter aquam* f, *tardis ingens vbi flexibus errat*
*Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.*
*In medio* g *mihi Cæſar erit, templumque tenebit*

*a* Perinde atque alij poëtæ qui ſcribendis huiuſmodi fabulis tantam gloriamſunt conſecuti.

*b* Propoſiti compos.

*c* Scripſit quidem Neapoli Georgica, vt ipſe teſtatur lib. 4. exeunte. Eo tamen ſeptennio quod ſcribendis Georgicis impendit, videtur in Græciam nauigaſſe, vnde & nunc ait, *Primus ego* Romanorum è Græcia *rediens in patriam* deducam Muſas ex Helicone monte Bœotiæ ſiue Aoniæ, ideſt, palmam præripiam omnibus Græcis poëtis.

*d* Species pro genere, ab Idumæa Palæſtinæ vicina, palmis abundanti.

*e* Alludit ad morem Olympionicorum, qui non ſibi, ſed patriæ ciuitatique ſuæ palmam & coronam referebant, vt aduertit Plinius, & Pindarus paſſim.

*f* Iuxta fluuium. Mincius ex lacu Benaco decurrens agrum Mantuanum præterfluit. vide 7. ecl. verſu. 12. & 10. Aeneid. verſ. 105.

*g* Cæſar illius templi Deus erit tutelaris; nam vt notat Seruius, *ſemper ei ſacratus numini locus eſt, cuius ſimulacrum in medio collocatur: alia enim ad ornatum tantùm pertinent.* hęc autem *templumque tenebit*, ait profecta à iure pontificio. *Nam qui templum dicabat, poſtē tenens dare ſe dicebat numini quod ab alio neceſſe fuerat iam teneri, & ab humano iure diſcedere.* legendum videtur *ab eo*, pro *ab alio*. Templum igitur tenere dicitur Deus tutelaris, quòd per dedicationem illud de manu Pontificis in manum propriam accipere cenſeatur.

*Illi victor ego, a & Tyrio b conſpectus in oſtro*
*Centum quadrijugos agitabo ad flumina c currus.*
*Cuncta mihi Alpheum d linquens lucóſque e Molorchi,*

*Ludos in honorẽ Auguſti Pollicetur.*

a Ego victor, & quaſi triumphali purpurea ſpectabilis, centum currus emittam è carceribus ad Ludos Circenſes in honorem Cæſaris exhibendos. Alludit ad morem Circenſium, quaſi dicat vnius diei exhibebo Circenſes, ſi quidem vt apud Seruium Varro teſtatur *olim* XXV. miſſus *fiebant*. ſingulis autem miſſibus quatuor currus exibant, ſinguli ex vnaquaque factione, ſuis coloribus & inſignibus diſtincta.

*Quatuor in Circo, quondam micuêre colores,*
*Nempe ruber, praſinúſque, niger, niueuſque videri.*

b Purpura ſiue murex piſciculus eſt oſtreo contectus, cuius ſanguine veſtes tinguntur, frequens in mari Phœnicio iuxta Tyrum, vnde & oſtrum Tyrium nominatur. Purpurati autem erant ludorum præſides. Lucianus in Anacharſi ἀλλ' οὐδ' ὁ ἄρχων οὑτοσὶ διίστησιν αὐτοὺς, καὶ λύει τὴν μάχην. τεκμαίρομαι γὰρ τῇ πορφυρίδι τῶν ἀρχόντων τινὰ τοῦτον εἶναι. *Sed neque hic præſes ſeparat pugnamque diſtinguit. Conijcio enim è purpura eum è præſidibus unum eſſe*

c Caſſiodorus lib. 3. variarum ep. 51. Circus *à circuitu dicitur.* Circenſes *quaſi* circuenſes: *propterea quòd apud antiquitatem rudem, quæ necdum ſpectacula in ornatum deduxerat fabricatorum inter enſes & flumina locis virentibus agerentur.* Quæ proximè ſequuntur non ſunt dictis de curruum numero contraria. *Nec vacat quòd viginti quatuor miſſibus conditio huius certaminis expeditur: vt diei noctiſque horæ tali numero clauderetur.* Hæc inquam, non ſunt dictis contraria. Nam, vt ait Varro, viceſimus quintus miſſus non erat eiuſdẽ rationis cum prioribus, ſed *viceſimus quintus dicebatur ærarius eo, quod de collatione populi exhibebatur.*

d Alpheus fluuius Elidis, Piſas præterfluens: vbi ludi olympici.

e Syluam Nemeam Nemeis ludis celebrem, vbi celebrantur paſtor habitauit, qui herculem hoſpitio excepit cùm is ad occidendum Nemeæ leonem profectus.

*Læta Molorchæis poſuit veſtigia tectis.*

inquit Statius.

*Curſibus, & crudo decernet Græcia* a *cæſtu* b.
*Ipſe caput tonſæ* c *foliis ornatus* d *oliuæ*
*Dona feram: Iam nunc ſolennes ducere pompas* e
*Ad delubra* f *iuuat, cæſóſque* g *videre iuuencos.*
*Vel ſcena* h *vt verſis diſcedat frontibus: vtque*

*a* Solis Græcis licebat ad ſacros agones accedere, & Plutarchus ſcribit Syllam è Græcia pancratiaſtas & pugiles euocaſſe.

*b* Vide 5. Æneidos v. 69. & 401.

*c* Minutis frondibus compoſitæ.

*d* Vel vt victor ſiue olympionices. Eurypides apud Plutarchum in Alcibiade δὶς στεφανωθέντα ἐλαίᾳ *bis coronatum oliuâ.* Pindarus. 4. Olymp. Pſaumidem olympionicem indicit ἐλαίᾳ στεφανωθέντα Πισάτιδι. *oliua Piſæa coronatum.* frequentiùs tamen coronabatur oleaſtro, quod probatione non indiget. Vel coronabitur Virgilius vt Athlotheta ſiue brabeutes, quod Petrus Faber li. 1. agonoſticon ca. 19. colligit è Dione: & Paſchalius. cap. 10. lib. 6. coronarum, infert ex Plutarcho è vita Catonis Vticenſis & Pompeij. Oliuam autem poni pro oleaſtro, qui κότινος & ἀγριέλαια vocatur *oliua agreſtis* liquet è 6. Thebaïdos.

*Hunc pius Alcides Pelopi s certauit honorem,*
*Puluereumque ſacrâ crinem detorſit oliuâ.*

*e* Iam nunc præcipio animo voluptatem, dum mihi perſuadeo fore vt in honorem Cæſaris anniuerſarias pompas deducam ad delubra. Pompa propriè eſt ſacrorum & ſimulachrorum tranſuectio quæ fiebat ante ludos Circenſes, & fusè à Dionyſio Halicarnaſſæo li. antiq. Romã. 7. exeunte deſcribitur. item à Naſone 3. Amorum.

*Sed iam pompa venit: linguis animiſque fauete.*
*Tempus adeſt plauſus, aurea pompa venit.*
*Prima loco fertur ſparſis victoria pennis, &c.*

Addit Neptunum, Martem, Phœbum, Phœben, Mineruã, Cererem, Bacchum, Pollucem, Caſtorem, Venerem.

*f* Vide 1. Æneidos verſu 248. & 4. Georg. 541.

*g* Immolatos & ſacrificatos ante Circenſes.

*h* Non ſolùm exhibeo ludos Circenſes in honorem Augusti, ſed etiam theatrales. Iam nunc iuuat videre, quemadmodum

*Purpurea intexti tollant aulæa Britanni* a.
*In foribus* b *pugnam ex auro, ſolidoque* c *elephanto*
*Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini* d, *Templũ ine q̃c Anguſti victoris*

ſcenâ verſatilibus quibuſdam triangulis, certo libramento ſuſpenſa moueatur, diducatur, dehiſcat & diſcedat ad exhibendam aliam atque aliam picturæ faciem. Scribit enim Vitruuius lib. 5 cap. 7. de architectura, huiuſmodi trigones verſatiles in ſcenis fuiſſe faciendos, *vt cùm aut fabularum mutationes ſunt futuræ, ſeu Deorum aduentus, cum tonitribus repentinis verſentur, mutentque ſpeciem orationis in fontes.* De quibus Seruius. *Scena autem quæ fiebat, aut verſatilis erat, aut ductilis. Verſatilis tunc erat cùm ſubitò tota machinis quibuſdam conuertebatur & aliam picturæ faciem oſtendebat. Ductilis cùm tractis tabulatis hac atq; illac ſpecies picturę nudabatur interior.*

*a* Iam nunc iuuat videre quemadmodum Britanni (quos tu, Cæſar, deuictâ Britannia in captiuitatem abductos miniſteriis theatralibus deputabis) tollant aulæa, in quibus illi ipſi Britanni acu Phrygia picti erunt ad illuſtrandam tuam victoriam. Vel hoc referendum eſt ad phantaſiam poëticam, vt retulit: Turnebus 25. aduerſ. cap 4. Nam cum leuatur aulæum, videtur illud leuare perſona quæ ei intexta Ouid. 3. Metam.

*Sic ubi tolluntur feſtis aulęa theatris.*
*Surgere ſigna ſolent, primúmque oſtendere vultus,*
*Cætera paulatim, placidoque educta tenore*
*Tota patent, imoque pedes in margine ponunt.*

& ita totum aulæum videntur attollere.

*b* Solebant in foribus templum hiſtorias exſculpere. vide 2. Æneidos à verſu 10. Numquam autem Gangaridas, gentem Indiæ potentiſſimam, nunquam Britannos deuicit Auguſtus, ſed per adulationem poeticam has victorias auguratur, & de his triumphat quaſi in anteceſſum.

*c* Ebore ſolido, non in tenues quaſi bracteolas ſiue laminas diſſecto; commodè autem hanc materiam cæteris anteponit, quia Gangaridæ abundant elephantis.

*d* Auguſti, cui Romuli ſiue Quirini nomen oblatum eſt à Senatu. vide 1. Æneidos verſu 296.

*Atque hic vndantem bellò, magnumque fluentem,*
*Nilum, ac nauali* b *ſurgentes ære columnas:*
*Addam vrbes Aſiæ domitas pulſúmque Niphatē* c,
*Fidentémque fuga Parthum* d *verſiſque* e *ſagittis:*
*Et duo rapta manu diuerſo* f *ex hoſte trophæa:*
*Biſque triumphatas vtróque* g *ab littora gentes.*

*a* In iiſdem templi foribus ſculpi curabo Nilum magnè fluentem. i. magnos & copioſos aquarum vortices voluentem, & vndantem bello. i. tot Antonij & Cleopatræ nauibus armatis coopertum, vt non tam vndas, quam bellum in mare deferre videatur.

*b* Quatuor columnas intelligit Seruius, quas Cæſar poſt pugnam Actiacam conflari iuſſit ex ære roſtrorum claſſis Aegyptiæ.

*c* Fuſos profligatóſque armis Auguſti accolas Niphatis. Niphates fluuius Armeniæ.

*d* Addam etiam, & in templi foribus depingam Parthos, qui cùm virtute Romanis legionibus ſint impares, totam in fuga ponunt fiduciam.

*e* Conuerſis in hoſtem inſequentem. Ouid. 1. de arte.

*Tergáque Parthorum, Romanáque pectora dicam.*
*Teláque ab aduerſo quæ iacis hoſtis equo.*
*Quid fugis vt vincas? quid victos Parthe relinquis?*
*Parthe malum iam nunc Mars tuus omen habet.*

*f* E Britannia & India magno locorum interuallo inter ſe diſſitis & ſeparatis. Neque nos mouere debet illa Germani & Cerdani coniectura, qui hoc ad Dalmatas & Cantabros referendum arbitrantur, quia his bellis Cæſar interfuit, eáque non ſolùm auſpiciis, ſed etiam eius manu ductúque geſta ſunt. Hæc, inquam, mouere non nos debent. Non enim loquitur tanquam de rebus geſtis, ſed de victoriis quas euenturas auguratur, & Cæſar vtramque expeditionem animo deſtinarat. Propertius

*Arma Deus Cæſar dites meditatur ad Indos.*

Horatius 1. Carm.

*Serues iturum Cæſarem in vltimos Orbis Britannos* ——

*g* A littore Oceani Britannici verſus occaſum, Indici ad orientem.

*Stabunt & Parij lapides* a, *ſpirantia ſigna,*
*Aſſaraci proles, demiſſæque ab* Ioue *gentis*
*Nomina, Tróſque parens, & Troiæ Cynthius* b *author.*
I*nuidia infelix* c *furias, amnémque ſeuerum*
*Cocyti metuet, tortóſque* Ixionis *angues* d,
I*mmanémque rotam & non exuperabile* e *ſaxum.*
I*ntereà* f *Dryadum ſyluas ſaltúſque ſequamur,*

*a* Excitabuntur etiam ſtatuæ è marmore candido (quod ab Inſula Paro vnde effoditur, Parium appellant) tam effabrè factæ vt viuere & ſpirare videantur. Aſſaracus & Tros fuerunt Reges Troianorum à Ioue propagati. *Nomina* pro ipſis hominibus vſurpat vide 6. Æneid. v. 764.

*b* Ouidius epiſt. Paridis ad Helenam.

> *Ilion ad ſpicies, firmataque montibus altis*
> *Mœnia, Apollineæ ſtructa canore lyræ.*

Cynthius Apollo dicitur à Cyntho monte Deli.

*c* Omnem inuidiam ſuperabis ô Cæſar, imò & ego ipſe tuos honores celebrans inuidia maior euadam, & illa non audebit mihi maledicentiæ ſuæ dentem infigere, ſed infelix metuet furias & pœnas apud inferos inuidis & maledicis deſtinatas. Cocytus vnus è quatuor Fluuiis inferorum. dictus ἀπὸ τοῦ κωκύειν *à lamentando*, ſunt autem Cocytus, Acheron & Phlegethon, quartus Erydanus in Campis Elyſiis, accedit & palus Stygia. *Seuerus* dicitur quaſi innauigabilis. Lucretius lib. 5. *pelagoque ſeuero.*

*d* Vide 6. Æneidos v. 602. & 617. item 4. Georg. verſu. 484.

*e* Saxum quod Syſiphus conatur in aduerſum montem protrudere, ſed fruſtrâ, quia non poteſt grauitatem illius, viribus ſuperare.

*f* Intereà dum laudandi Cæſaris tempus adueniat, abſoluamus opus Georgicon à nobis inchoatum. Quod opus intactum eſt: quia nulli hactenus Latini poëtæ hoc ſcribendi genus attigerunt. Dryades nymphæ ſylueſtres ἀπὸ τῶν δρυῶν à quercubus dictæ. de ſyluarum & ſaltuum diſtinctione. Eclog. 10. verſu 9. & 4. Æneid. 73.

*Intactos, tua Mecœnas haud mollia iuſſa,*
*Te ſine nil altum mens inchoat. En age ſegneis*
*Rumpe moras; vocat ingenti clamore Citheron* a,
*Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorũ,*
*Et vox aſſenſu* b *nemorum ingeminata remugit.*
*Mox tamen* c *ardenteis accingar dicere pugnas*
*Cæſaris, & nomen fama tot ferre per annos,*
*Tithoni* d *primâ quot abeſt ab origine Cæſar.*

a Hoc loco Seruius. *Hortantur nos ad ſcribendum illi montes qui animalibus ſunt referti.* Quod vt intelligas aduerte nomine Citheronis intelligi Bœotiam huic monti ſubiacentem quæ & à boue candida nomen ſortita eſt vt Naſo, Nonnius & alij tradiderunt, & quoad partem Arnæa ſiue veruecina dicebatur antiquitus, vt ſcribit Thucydides libro 1. & eius interpretes ait Cheroneam id olim nomen habuiſſe vnde & à Iuuenale ſat. 10. *Veruecum patria* nominatur. Notum eſt etiam adagium ex Pindaro ode 4. olymp. epodo 6. ὗς βοιωτία, *ſus Bœotica*. E quibus liquet Bœotiam, vaccis, ouibus, ſuibus abundaſſe. hinc capra Amalthea, hinc aries Phryxi. Vocat & me ad ſcribendum inuitat Citheron boum, ouium, caprarum, ſuum patria, inuitat Taygetus Laconiæ mons canibus abundans; inuitat Epidaurus vrbs Peloponnenſi genitrix equorum, & me hortatur horum animalium naturam deſcribere.

b Non ſolum Citheron, Taygetus & Epidaurus magno clamore me inuitant, ſed etiam ipſa nemora vocem excipientia eam repercuſſu quodam duplicatum remittunt, teſtanturque ſe his inuitationibus aſſentiri.

c Paulò pòſt tamen, poſtquam Georgica conſcripſero, accingar ad dicendum Cæſaris pugnas ardenti animo ſuſceptas: quid ſit accingi, vide. Aeneidos, verſu 493.

d Tithonum Priami fratrem fuiſſe fabulantur. Igitur, à Tithono ad Auguſtum anni mille prope effluxerant: & credibile eſt Poetam Auguſto nominis æternitatem non mille duntaxat annos expetere voluiſſe, Bene itaque Seruius ita verſum exponit. *Tua facta tot annis celebrabuntur, quot anni ſunt à te vſque ad mundi principium, & modo Tithonum pro Sole poſuit, id eſt, pro Titane.* Euſtachius

in

*Seu quis Olympiacæ miratus* a *præmia palmæ*
*Paſcit equos, ſeu quis fortes ad aratra iuuencos,*
*Corpora præcipuè matrum legat. Optima torua* b
*Forma bouis: cui turpe* c *caput, cui plurima ceruix,*
*Et crurum tenus à mento palearia* d *pendent.*
*Tum longo* e *nullus lateri modus: omnia magna,*
*Pes etiam, & camuris* f *hirtæ* g *ſub cornibus aures.*

*Vaccæ præſtantis deſcriptio.*

in primum verſum Iliados λ. δῆλον δ' ὅτι μίαν ὑπόνοιαν ἀλληγορικὴν ἔχουσιν ὁ Τιτὰν Ἀπόλλων, καὶ ὁ Τιθωνός. ὃς καὶ αὐτὸς ἀλληγορεῖται εἰς ἥλιον: ἄμφω γὰρ ἐκ τοῦ τιταίνω. ἵνα καὶ ὁ Τιθωνὸς εἴη Τιτῶν διὰ τὸ πανταχοῦ τὸ αὐτοῦ φῶς ἐν ἡμέρᾳ τιταίνεσθαι. *Manifeſtum eſt autem eandem eſſe expoſitionem allegoricam Titanis Apollinis & Tithoni, qui & de Sole exponitur: Vterque enim à* τιταίνω, *id eſt, extendo deducitur, vt Titonus, quia lux eius per diem in quamcumque partem extenditur.* Hæc Euſtathius. E quibus intelligis Poëtam Auguſto famæ immortalitatem polliceri.

a *Miratus*, ideſt, valdè amans, vt

*Tum canit Heſperidum mirantem mala puellam.*

Si quis, inquit, ſtudioſus eſt curulis certaminis, ſi quis appetit referre palmam, quæ ſingulis quinquenniis datur victoribus curuli certamine, quod apud Olympiam in Elide celebratur.

b Horridæ, terribili, terrificæ, propriè de tauris dici volunt Grammatici, nam toruus, quaſi *taurinus* Philoſtratus lib. 1. de vita Apollinij. ταυρηδὸν βλέπειν. *Taurine*, ideſt, *toruè intueri.*

c Valde magnum & deforme propter magnitudinem quo ſenſu dicit Homerus λᾶαν ἀναιδῆ. *Lapidem impudentem*, & 4. Georg. 365. *turpes phocæ*

d Sunt propriè pelles è boum gutture pendentes. Palearia inquit crurum tenus, ideſt, vſque ad crura & pene ad genua vſque dependeant.

e Tam longum ſit illi latus vt omnem modum excedat.

f Incuruis, flexuoſis.

g Hirſutæ, piloſæ, ſetoſæ.

*Nec mihi diſpliceat* a *maculis inſignis & albo,*
*Aut iuga detrectans, interdúmque aſpera cornu,*
*Et faciem tauro propior, quæque ardua tota,*
*Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.*
*Ætas Lucinam* b, *iuſtóſque* c *pati* d *Hymenæos*
*Deſinit ante decem, poſt quatuor incipit annos.*
*Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.*
*Interea ſuperat gregibus* f *dum læta iuuentus,*
*Solue mares, mitte Venerem in pecuaria primus:*
*Atque aliam ex alia generando ſuffice* g *prolem.*
*Optima quæque dies miſeris mortalibus æui*
*Prima fugit: ſubeunt* h *morbi, triſtiſque ſenectus,*
*Et labor: & duræ* i *rapit inclementia mortis,*

*Ætas apta partui.*

*Sententia moralis de vitæ breuitate.*

*a* Maximè mihi placeret vacca non vnius coloris, ſed maculoſa, varia & notis albis interſperſa.

*b* Iuno Lucina ſiue Illythyia præeſt partui. Hymenæus Deus nuptiarum hic μετωνυμικῶς pro beſtiarum coitu & partu vſurpat. Ætas, inquit, coeundi & pariendi incipit in vaccis poſt annos quatuor, & deſinit ante decimum annum.

*c* Vtiles ad generandum.

*d* Pariendi.

*e* Cætera ætas quæ eſt vel infra annum quintum, vel ſupra decimum, nec idonea eſt generationi, nec agriculturæ.

*f* Greges hic ponit pro armentis boum. Interea inquit, dum tauri & vaccæ tuæ ſunt in flore ætatis, primus, ideſt maturè, & ante alios permitte vt tauri tui coëant cum vaccis: *pecuaria* ideſt, armenta ſiue boues. ita Perſius. *Arcadiæ pecuaria* pro aſinis vſurpat.

*g* Curam habe vt per generationem alia proles ex alia reſtauretur, & armentum tuum noua fœtura suppleatur *generando.*

*h* procurando generationem.

*i* Succedunt, ſequuntur.

*l* Inexorabilis, ineuitabilis.

*Semper erunt quarum* a *mutari corpora malis:*
*Semper enim refice: ac ne poſt* b *amiſſa requiras,*
*Ante veni, & ſobolem armento ſortire quotannis*
*Nec non & pecori* c *eſt idem delectus equino,*
*Tum modo quos in ſpem ſtatuis ſubmittere gentis,*
*Præcipuum iam inde à teneris* d *impende laborem.*
*Continuo* e *pecoris generoſi pullus in aruis*
*Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.* *Equi præſtantis deſcriptio.*
*Primus & ire viam* f *& fluuios tentare minaces*

*a* Semper in tuis armentis reperiuntur aliquæ vaccæ debiles, quas mutari velis in vegeriores. Ideóque ſemper reficiendũ & reſtaurandũ eſt armentum noua ſobole. Aduerte vim particulæ *enim*, quæ hoc loco non continet cauſſam, ſed potiùs affectum, pro Semper refice & ſupple armentum. Semper enim erunt aliquæ ſubmouendæ, & in iuniores mutandæ.

*b* Et ne ſerò tuam negligentiam agnoſcas, & poſt armenti tui iacturam amiſſa deſideres, anteueni armenti exinanitionem; & ſingulis annis ſubſtitue nouam ſobolem, per quam armentum tuum vel morbo, vel ſenectute, vel alijs caſibus exhauſtum ſuppleatur. Monet Seruius eſſe verbum iudiciorum. *Nam ſubſortiti dicuntur iudices qui occupatorum funguntur officio.*

*c* Eadem diligentiâ diligendi ſunt equi quos voles in fœturam admittere, qua vaccæ deliguntur.

*d* Iam inde à teneris equorum annis impende præcipuum laborem indoli noſcendæ, habendóque delectui eorum quos admiſſarios fieri voles, quorum admiſſione tota ſpes conſeruandi generis continetur.

*e* A teneris annis, ſiue cùm primum natus eſt equuleus generoſus, ita ſuſpenſo gradu incedit vt vix pedibus terram delibet, & facilè membrorum tum porrectione, tum contractione crura reponit in eodem ſitu à quo prius ea deflexerat: vel alterna crura replicat ex Ennio de gruibus.

*Pérque fabas repunt, & mollia crura reponunt.*

*f* Præire matris veſtigia, fluuios ingredi verticoſos, per pontem ſibi prius ignotum incedere.

*Audet, & ignoto ſeſe committere ponti.*
*Nec vanos horret ſtrepitus, illi ardua ceruix* a
*Argutúmq;* b *caput, breuis aluus* c, *obesáq;* d *terga,*
*Luxúriatque toris* e *animoſum pectus, honeſti* f
*Spadices* g *glaucique, color deterrimus albis* h,
*Et giluo: tum ſi qua ſonum procul arma dedêre,*
*Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,*
*Collectúmque premens voluit ſub naribus ignem* i.
*Denſa iuba, & dextro iactata recumbit in armo.*

*a* Incedit elata ceruice.

*b* Breue, exiguum, acutum inſtar capitis ceruini.

*c* Aluus ſubſtricta, ſiue venter compreſſus, & ad ilia contractus.

*d* Lata, pinguia, carnoſa.

*e* Pectus nodoſum & eminens neruis, tendonibus, & muſculis exuberat, ideóque eſt animoſum.

*f* Pulchri, Terentius, Andria, ſc. 1.

*—— Erat forma preter ceteras Honeſta & liberali.*

Eunucho actu 4. ſc. 3.

*Honeſta facit, ac liberali.*

& actu 3. ſc. 2.

*Ita me Dij ament, honeſtus eſt.*

Notat autem Turnebus l. 13. aduerſariorum cap. 4. ex Gratio veteri poëta equos ſpadices honeſtos vocari, quia ſunt ad ſpeciem & pompam, quàm ad pugnam & venationem aptiores.

*g* Spadices & glauci ſunt quos baios ſiue balios appellant, ſed ſpadices coloris ſunt illuſtrioris & quaſi dilutioris, glauci autem ſunt obſcuriores.

*h* Laudauit quidem Virg. 7. Æneid. *Qui candore niues anteirent*, & Homero placent Iliados 4. λευκότεροι χιόνος. Sed vt adnotarunt Seruius & Iſidorus, Albus cum quodam pallore eſt: candidus verò niueus, & pura luce perfuſus. Giluus verò color eſt melinus, ſiue chryſeus, & quaſi auri pallore perfuſus. vernaculè. *Couleur faune.*

*i* Fumum calidum. Flatu oſtendens magnanimitatem ſuam.

*At duplex agitur a per lumbos ſpina, cauatque*
*Tellurem, & ſolido grauiter ſonat vngula cornu.*
*Talis Amyclæi* b *domitus Pollucis habenis*
*Cyllarus, & quorum Graij meminere poëtæ,*
*Martis equi biiuges,* c *& magni currus Achillis* d. *Equi nobiles.*
*Talis & ipſe iubam ceruice effudit equina,*
*Coniugis aduentu pernix Saturnus* e *&, altum*
*Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto.*
*Hunc quoque, vbi aut morbo grauis, aut iam ſegnior annis*
*Deficit, abde domo, nec turpi* f *ignoſce ſenectæ.* *admiſſura.*
*Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem*

a Spina dorſi valde craſſa, & quaſi duplex inter lumbos longo ductu extenditur.

b Amyclæ vrbs Laconiæ, vbi Caſtor & Pollux educati. Putat Seruius hic Caſtorem ſignificari nomine Pollucis, nam vt ait Horatius.

*Caſto gaudet equis, ouo propagatus eodem Pugnis.*

Sed Cyllarum vtrique fuiſſe communem probant Turnebus, Cerdanus & alij interpretes.

c Euſtachius in Ili. δ. v. 440. Τινὲς ἵππους ἄρεως τὸν δεῖμον φασὶ, καὶ τὸν φόβον. *Quidam Demum & Phobum, terrorem & pauorem dicunt eſſe equos Martis.*

d Xanthus & Balius equi Achillis, quos ex Harpyia Podarge, & Zephyro genitos fabulatur Homerus Iliados π' verſu 149.

e Saturnus in Pelio monte Theſſaliæ erat cum Phillyre, ſuperuenit Ops ſiue Rhea Saturni coniux, at Saturnus, vt lateret ſe vertit in equum, ex eo & Phyllire, natus Chiron Centaurus.

f Et ignoſce ſenectuti equi quæ non eſt turpis. Vel noli ignoſcere ſenectuti equi prætextu ætatis libertatem dare eundi ad equas, quia turpis eſt equi ſenectus, & pullos vel nullos, vel turpes produceret.

Ingratum trahit a : & ſi quando ad prælia b ventum eſt;
Vt quandam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis,
Animi equorũ. Incaſſum furit, ergo animos, æuumque notabis,
Præcipuè c hinc alias artes, prolémque parentum
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides? cum præcipiti certamine campum
Corripuêre d, ruúntque effuſi carcere currus:
Cur le certamẽ. Cum ſpes arrectæ iuuenum e, exultantiáque haurit
Corda pauor pulſans: illi inſtant verbere torto,
Et proni dant lora f: volat vi feruidus axis:
Iámque humiles, iámque elati ſublimè videntur
Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras,
Qu drigarum inuentor. Nec mora, nec requies: at fuluæ nimbus arenæ
Tollitur, humeſcunt ſpumis, flatúque ſequentum:
Tantus amor laudum, tantæ eſt victoria curæ.
Primus Ericthonius g currus, & quatuor auſus
Iungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor h.

a In coitu quidem diutiùs moratur præ libidine, ſed fruſtra, quia ſterilis, & producit ſiue extendit non tam voluptatem quàm laborem, & eum ingratum ſiue iniucundum.

b Eodem ſenſu quò bella dixit 11. Æneidos v 738.

c In admiſſarijs præcipuè ſpectanda eſt ætas & generoſitas: deinde conſiderari poterunt alia quæ ſunt minoris momenti, vt an habeant naturalem induſtriam, quibus patribus ſint procreati, &c.

d Vide 5. Æneidos v. 145.

e Vide eundem librum v. 137.

f Ibidem v. 147.

g Vulcani filius Rex Athenarum. Alii Dardani filium vnum è maioribus Æneæ intelligunt: de cuius equis mira fabulatur Homerus Iliados v à verſu 213

h Voti compos, propoſiti effector.

*Frena Pelethronij* a *Lapithæ, gyróſque* b *dedêre* Frenorum inuentores.
*Impoſiti dorſo: atque equitem* c *docuêre ſub armis*
*Inſultare ſolo, & greſſus glomerare* d *ſuperbos,*
*Aequus vterque labor* f, *æquè iuuenémque magiſtri*
*Exquirunt, calidúmque animis, & curſibus acrem.*
*Quamuis ſæpè fugâ verſos ille egerit hoſteis:*
*Et patriam Epeirum* f *referat, fortéſque Mycenas,*
*Neptunique ipsâ deducat origine gentem.*
*His animaduerſis, inſtant ſub tempus, & omneis*
*Impendunt curas denſo diſtendere pingui,*
*Quem legêre ducem* g, *& pecori dixêre* h *maritum.*

*a* A Pelethronio monte & oppido, quem Lapithæ incolebant:
*b* Docuerunt in gyrum ſiue in orbem incedere, equorum dorſo inſidentes.
*c* Vel equum, vt Ennius apud Gellium & Macrobium *quadrupes eques* —— vel ipſum virum equitantem.
*d* Greſſus cum faſtu replicare, tollutim & numeroſo greſſu incedere.
*e* Æqualis eſt labor equitationis & aurigationis, ideóque magiſtri. i. equites & aurigæ æqualiter requirunt equum iuuenem animoſum, acrem curſu quæ, tria ſi defecerint, cætera parum proſunt. Quamuis frequenter hoſtes vicerit, quamuis ex Epiro aut Mycenis ſit oriundus: quamuis ex illo equo ſit procreatus, quem Neptuno, vt dicitur lib. 1. verſu 13.

*Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.*

6. Libro. 1. Georg. 60.

*Eliadum palmas Epeiros equarum.* ſupra verſu 29.

—— *Domitrixque Epidaurus equorum.*

Epidaurus vrbs Epiri, vel Peloponnenſi.
*f.* Aetate & indole admiſſariorum deprehenſis, inſtant ſub tempus admiſſuræ, ideſt paulo antè, & omnes impendunt curas vt admiſſarium pinguefaciant, non humida fluidaque quadam pinguedine, quod quibuſdam potionibus fieri ſolet, ſed densâ, ſolidâ, robuſtâ.
*g.* Hoc verbum etiam in coniugijs locum habere docet

*Pinguefaciendus admiſſarius.*

*Florentéſque ſecant herbas, fluuioſque miniſtrant,*
*Farráque, ne blando nequeat* a *ſupereſſe labori,*
*Inualidique patrum referant ieiunia nati.*
*Ipſa autem macie tenuant armenta* b *volentes.*
*Atque vbi concubitus primos iam nota* c *voluptas*
*Sollicitat frondéſque negant & fontibus arcent:*
*Sæpè etiam curſu quatiunt, & ſole fatigant,*
*Cùm grauiter tunſis gemit area frugibus* d, *& cùm*
*Surgentem ad Zephyrum paleæ iactantur inanes.*
*Hoc faciunt nimio* e *ne luxu obtuſior vſus*
*Sit genitali aruo & ſulcos oblimet inertes:*
*Sed rapiat ſitiens Venerem, interiúſque recondat:*
*Rurſus cura patrum cadere: & ſuccedere matrum*

*Equæ macre facienda.*

Nonnius Marcellus. 2. Aeneidos. v. 678.

*—— Coniux quondam tua dicta relinquor.*

maritus autem etiam de brutis apud Horatium. 1. Carminum ode 17. capræ dicuntur. *Olentis vxores mariti.*

a Hoc faciunt, ne nequeat i. vt poſſit ſatis habere virium ad coitum, qui corpus fatigat, & exhaurit, & ne pulli vitulique qui naſcentur, referant patrum ieiunia, & ex eorum inedia debilitatem trahant.

b De induſtria vaccas & equas reddunt macilentas ante admiſſuram.

c Seruius. *Dicendo,* nota *per tranſitum tetegit rem ab alijs diligenter expreſſam. Nam eque puile cùm primùm coeunt, ſi macræ ſunt, & debilitantur, & debiles creant: poſt primum autem partum tenues eſſe debent:*

d In ipſo meridiei feruore, cùm frumenta in areis exteruntur, & paleæ inanes i. excuſſo frumento iam vacuæ iactantur & volitant ad Zephyrum qui ſolet ſub meridiem excitari.

e Equas & vaccas tenuant, ne matricis vſus, quam per metaphoram, genitale aruum appellat, obtuſior fiat & hebetior exuberante pinguedine, & ſulcos, ideſt, meatus per quos maris ſemen defertur ad matricem, claudat, & quaſi limo obdu-cat, atque ita inertes reddat, ideſt, ſteriles & infœcundas: ſed matrix auidè & ſitienter rapiat, & commulgeat ſemen, & in intimos matricis ſinus recondat.

*Equa grauida*

*Incipit, exactis grauidæ* a *cùm menſibus errant,*
*Non illas grauibus quiſquam iuga ducere plauſtris,*
*Non ſaltus ſuperare viam ſit paſſus, & acri* — *Molliter tractandæ.*
*Carpere* b *prata fugâ* c, *fluuióſque innare rapaces,*
*Saltibus in vacuis paſcant, & plena* d *ſecundum*
*Flumina, muſcus vbi, & viridiſsima gramina ripa,*
*Speluncæque tegant, & ſaxea* e *procubet vmbra.*
*Eſt lucos ſilari* f *circa, ilicibúſque virentem*
*Plurimus Alburnum volitans, cui nomen, Aſilo* g
*Romanum eſt: Oeſtron Graij vertêre* h *vocantes:*
*Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſyluis* — *Aſilus ſiue œſtrum.*
*Diffugiunt armenta: furit* i *mugitibus æther*
*Concuſſus, ſyluæque, & ſicci ripa Tanagri,*

*a*. Partui vicinæ menſibus euolutis.
*b* Carpere eſt vel corripere, vel ita campos libare vt terram vix attingant.
*c* Curſu vt 1. Aenid. — *Volucrémque fuga præuertitur Hebrum.*
*d* Ne inclinentur ad potum. Aduerte non inelegantem antitheſim *vacuis, plena.* Saltus vacuos appellat ab alijs beſtijs nō occupatos, plena Flumina .i. aquis redundantia, vt commodiùs & ſine corporis inclinatione potare poſſint.
*e* De mittatur vmbra è ſaxis ſiue rupibus proiecta. i. vaccæ & equæ prægnantes ſub vmbra rupium quieſcant.
*f* Silarus & Tanager fluuij ſunt Lucaniæ: Alburnus mons eiuſdem Lucaniæ.
*g* Aſilus ſiue tabanus Latinè Græcè βύασος μύωψ, ὁ οἶστρος eſt muſca boues agitans.
*h* Verterunt, ex ſoni ſimilitudine onomatopœiam fecerunt: vt Seruius exponit. Vel reuera interpretati ſunt è Latino. Licet enim Græca lingua ſit antiquior, aliquas tamen voces à latinis Græci ſumere potuerunt, earū præcipuè rerum quæ frequentiores erant in Italia: vt Latini à Gallis vocē alaudæ, rhedæ, &c. ab Hiſpanis lanceæ, ab alijs alia verba ſumpſerūt,
*i* Aër reſonat concuſſus vaccarum furentium & œſtro percitarum mugitibus.

*Hoc quondam monſtro* a *horribiles exercuit iras*
*Inachiæ Iuno peſtem meditata iuuencæ.*
*Hunc* b *quoque (nam medijs feruoribus acrior inſtat)*
*Arcebis grauido pecori, armentáque paſces*
*Sole recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.*
*Poſt partum, cura in vitulos traducitur omnis.*
*Continuóque notas* c, *& nomina gentis inurunt,*
*Cura vitulorum.* *Et quos aut pecori malint ſubmittere* d *habendo,*
*Aut aris ſeruare ſacros, aut ſcindere terram,*
*Et campum horrentem fractis inuertere glebis.*
*Cætera* e *paſcuntur virides armenta per herbas.*
*Tu quos ad ſtudiũ, atque vſum formabis agreſtem,*
*Iam vitulos hortare, viámque inſiſte* f *domandi,*
*Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.*

*a* Iuno molita perniciem Ioui Inachi filiæ, quæ in vaccam mutata fuerat, hoc monſtro, videlicet œſtro ſiue tabano, horribiles iras exercuit, eámque miſerè vexauit ad explendam iram, quam conceperat. De Ione vide 7. Æneidos à verſu 789. & Naſonem metamorph.

*b* Tabanum arcebis ab equabus, & vaccis prægnantibus.

*c* Iſidorus lib. 20. Exeunte. *Character*, eſt ferrum coloratum quo notæ pecudibus inuruntur: Aliæ notæ dominum pecoris indicabant, quas hic abſolutè Poëta notas appellat. Calpurnius in Bucolicis.

*Impreſſurúſque oui tua nomina: nam tibi lites*
*Auferet ingentes lectus poſſeſſor in armo.*

Aliæ genus & proſapiam ſiue nomina gentis. Auſonius.

*Qualis inuſta ſolet generis nota certa per ortum.*

*d* Certis etiam notis deſignant & ab alijs diſtinguunt quos velint ſacrificiis deſtinare, quos ſeruare ad ſobolem procreãdum, quos ad agriculturam.

*e* Quæ vel macello, vel mactali ſunt deſtinata.

*f* Perſeuera in inſtituto domandi.

*Ac primùm laxos tenuit de vimine circlos*
*Ceruici ſubnecte: dehinc vbi libera colla* Inſtitutio vitulorum.
*Seruitio aſſuerint, ipſis è torquibus* a *aptos*
*Iunge pares, & coge gradum conferre iuuencos:*
*Atque illis iam ſæpè rotæ ducantur inanes* b
*Poſt terram & ſummo veſtigia puluere ſignent.*
*Poſt* c *valido nitens ſub pondere faginus axis*
*Inſtrepat, & iunctos temo trahat æreus* d *orbes* e. Pabula.
*Interea pubi indomitæ* f *non gramina tantum,*
*Nec veſcas* g *ſalicum frondes, vluamque paluſtrem*
*Sed frumenta manu carpes ſata* h, *nec tibi fœtæ* i,

*a* Iuuencos è cornibus, ne depreſſis capitibus excrucientur, ſed ex ipſis cornibus alligatos iunge non ſolũ numero pares, ideſt, binos, ſed etiam magnitudine & robore æquales, ne firmior infirmiorem conficiat & coge illos pariter incedere.

*b* Rotæ plauſtrorum inanium, vt à facilioribus incipiant, & paulatim oneribus trahendis aſſueſcant, & præ leuitate non imprimant altè veſtigia, ſed ſummam duntaxat arenam libent.

*c* Poſtquàm aſſueti fuerint plauſtrorum inanium tractioni, axis è fago confectus, ſtridore & ſtrepitu trahatur. *valido nitens ſub pondere*, ideſt, ſuſtentans validè graue pondus; translatio eſt à baiulis, qui aduerſus molem oneris incumbentis ſeipſos magno niſu ſuſtentant.

*d* Æeris clauis compactus.

*e* Circulos rotarum.

*f* Virtulis adhuc tenellis, nec aptis ad domandum.

*g* Vel ſiccas & teneras, vt ait Seruius, vel aptas ad veſcendum.

*h* Triticeam ſegetem nutriendis vitulis decerpes, dum adhuc tenera eſt & herbacea, dum adhuc manu carpi poteſt, nec opus eſt falcem adhibere.

*i* Fœta modò prægnantem ſiue grauidam ſignificat, modò enixam & partu recens edito liberatam. Vide 8 Æneid. verſũ 630. Seruius in 1. Æneidos. citato illo verſu ecl. 1.

*Non inſueta graues tentabunt pabula fœtas.*

*More patrum, niuea implebunt mulctralia vaccæ,*
*Sed tota in dulces conſument vbera natos.*
*Equulei inſtitutio.* *Sin ad bella magis a ſtudium turmaſque b feroces,*
*Aut Alphea rotis prælabi c flumina Piſæ,*
*Et Iouis in luco currus agitare volantes*
*Primus equi labor eſt d animos, atque arma videre*
*Bellantum, lituóſque e pati, tractúque gementem*
*Ferre rotam: & ſtabulo frenos audire ſonanteis.*
*Equuleus aſſuefiat ſtrepitui armorũ.* *Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri f*
*Laudibus: & plauſæ ſonitum ceruicis amare.*
*Atque hæc iam primo depulſus ab vbere matris,*

Quia, inquit, fœta medius ſermo eſt, bene hoc loco epitheton diſcreuit dicens *grauem fœtas*, vt *bonum facinus & malum facinus* dicitur, & *bonum venenum*, & *malum venenum*. Docet igitur Poëta vaccas lactantes non eſſe mulgendas, vt priſci faciebant, ſed permittendum vt totum lac ſuum conſumãt & impendant vitulorum nutritioni. a Quod ſi tibi magis ſtudium eſt equos ad pugnas equeſtres & curule certamen inſtruere, quod certamen celebrari ſolebat in Elide, ſiue in agro Piſano quem fluuius Alpheus præter fluit, & in luco qui ſacer eſt Ioui Olympico, vnde & certamen olympicum nominatur.
b Iſidorus *Turma, triginta equites ſunt.* & Varro lib. 4. de ling. Turma terma eſt: *E in V, abijt, quòd ter deni equites ex tribus tribubus Tatienſium, Raminum & Lucerum fiebant.*
c Præcurrere, celeritate curſûs rapiditatem fluuij ſuperare. 1. Æneid. —— *Volucrémque fugâ præuertitur Hebrum.*
d Pulli qui ad bellum & curule certamen formantur, ita primum ſunt inſtituendi vt videant viros & equos animosè arma tractantes, patiantur ſtridorem lituorum, audiant gemitum rotarum dum trahuntur.
e Litum, Feſto *eſt genus buccinæ incurue*, illi ſtridor & ſtrepitus tribuitur Horat. 2. Carm. —— *iam litui ſtrepunt.*
Lucanus lib. 1. *Stridor lituûm, clangorque tubarum.*
Senec. *Iam ſolet ſtridor litui ſtrepentis.*
f Equitonis.

*Audiat: inque vicem* a *det mollibus ora capiſtris*
*Inualidus* b, *etiamque tremens, etiam inſcius æui* c:
*At, tribus exactis, vbi quarta acceſſerit ætas* d:
*Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare*
*Compoſitis: ſinuétque* e *alterna volumina crurum.*
*Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras*
*Prouocet* f *ac per aperta volans, ceu liber* g *habenis*
*Æquora; vix ſummâ veſtigia ponat arenâ:*

*Item gradui tollutario & curſui.*

*a* Vice frenorum quos in ſtabulo ſonantes audiuit, præbeat ora liganda capiſtris mollibus, ne adhuc tenera ora lædantur.

*b* Aduerte artificium Numerus ipſe mutilus eſt, minutus, vixque ſeipſe ſuſtentans, ad rem quæ agitur melius exprimendam.

*c* *Nondum habens ab annis fiduciam*, vt Seruius exponit.

*d* Poſtquam tribus annis vitæ elapſis quartus acceſſerit, ſtatim incipiat orbes ſiue gyros inceſſu ſuo deſcribere, & ſonante vngula greſſu ad decorem compoſito, numeroſè, ſiue tollutim incedere.

*e* Ita inflectat crura voluminibus alternis, vt cùm duo ſinuantur & torquentur, cætera duo explicentur quæ quidem crurum alterna volutatio & in gyrum coactio violenta videtur & laborioſa, ſed ipſo vſu facilis & expedita redditur, ideóque potius eſt laboranti ſimilis, quàm laborans.

*f* Laceſſat, cum ventis de curſûs celeritate contendat: & per apertam planitiem nullis decurſibus lubricam nullis ſepibus aut arboribus impeditam, nullis interclusam riuulis, tam celeriter currat, vt non tam currere quàm volare videatur, & ita corpore librato atque ſuſpenſo extremis vngulis terram liber, vt vix animaduertatur ſummam arenam pedibus poſitis attigiſſe.

*g* Videtur hæc opponi ſuperioribus. *Sitque laboranti ſimilis.* —— quaſi dicat, cùm in gyrum flectetur, adducendæ ſunt habenæ, vt ſit ſimilis coacto: cùm autem curret habenæ laxandæ ſunt, & remittendæ, vt ſit libero ſimilis.

Comparatio.

*Qualis Hyperboreis* a *Aquilo cum denſus* b *ab oris*
*Incubuit, Scythiæque hyemes, atque arida differt*
*Nubila: tum ſegetes altæ, campique natantes* c
*Lenibus horreſcunt flabris, ſummæque ſonorem*
*Dant ſyluæ, longique vrgent ad littora fluctus,*
*Ille volat ſimul arua fugâ, ſimul æquora verrens.*
*Hic vel ad Elei* d *metas, & maxima campi*

*a* Hyperboreæ regiones propriè dicuntur quæ ſunt trans Boream ſiue Aquilonem: hic vel ſimpliciter pro Borealibus vſurpat, vel (vt exponit Turnebus l. 5. c. 4.) quia Aquilo à finibus Hyperborearum regionum, extrà tamen emittitur, vt ſi aliquem ex Alpibus venientem ex Italia venire diceremus. i. ex illa mundi parte, vbi eſt Italia, vel è citimis finibus Italiæ.

*b* Vel quia denſus eſt, & conſtringit omnia, vt Germanus & Cerdanus exponunt, vel potius *denſus* eſt vehemens, quia cum materia ventorum ſit exhalatio terreſtris, eorum impetus & vis augetur ſecundum harum exhalationum copiam & denſitatem. Equus, inquit, currens ſimilis eſt Aquiloni, qui cum multus & copioſus à Septentrionali mundi plaga incubuit, ideſt, magno impetu ſpirare cœpit, nubes ad procellam excitandam in Scythia collectas, & nubila differt, diſſipat, diſpergit, totóque aëre detergit, dum adhuc arida ſunt, ideſt, priuſquam in pluuiam reſoluantur.

*c* Campi ſegetum ſe criſpantium vibratione & tremore vndulatim fluctuantes, mollioribus quaſi flabellis ventilati inhorreſcunt ſiue contremiſcunt. Lenibus flabris, quia ille venti incumbentis impetus iam refractus eſt nubium occurſantium obiectu, tum arborum cacumina reſonant, & fluctus è longinquo venientes vrgent ſe & prouoluunt ſiue propellunt ad littora.

*d* Equus ita, vt dixi, inſtitutus aptus erit ad curule certamen in ludis Olympicis qui in Elide quæ ciuitas eſt Arcadiæ, celebrantur. Vel melius trahet eſſeda molli collo, id eſt facilè ſe flectenti, & habenis obſequenti. Eſſedum genus eſt vehiculi militaris, quo Britanni, & Belgæ potiſſimum ad pugnas vtebantur.

*Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas:*
*Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.*
*Tum demum craſſâ magnum farrigine corpus*
*Creſcere iã domitis a ſinito: namq; ante domandũ* b *Equi nõ pinguefaciendi niſi iam domiti.*
*Ingentes tollent animos, prenſique negabunt*
*Verbera lenta pati, & duris parêre lupatis.*
*Sed non vlla magis vires induſtria firmat,*
*Quàm Venerem & cæci ſtimulos auertere amoris:* *Probibendi à venere.*
*Siue boum, ſiue eſt cui gratior vſus equorum.*
*Atque ideo* c *tauros procul, atque in ſola relegant*
*Paſcua, poſt montem oppoſitũ & trãs flumina lata:*
*Aut intus clauſos ſatura* d *ad præſepia ſeruant.* *Amor taurorum.*
*Carpit enim vires paulatim, vritque videndo*
*Fœminae nec nemorũ patitur meminiſſe, nec herbæ*

*a* Poſtquam autem domiti fuerint, permitte vt eorum corpus creſcendo magnum euadat, & pinguefiat denſá farragine, ideſt, fur furis triticei, farinæ hordeaceæ, herbarum, & cæterorum eiuſmodi mixtione.

*b* Nam ſi antè quàm domentur, pinguefiant, elatis animis ferocient, & comprehenſi, loriſque adſtricti contra flagella lẽta, ideſt, flexibilia, recalcitrabunt, iiſque ſe percuti minimè patientur, neque frenis obtemperabunt, ſed iis admorſis reluctabuntur ſeſſori. Frena autem lupata etiam ſine additamento dicuntur, frena ſunt lupos habentia, & duriora, aſperioraque; eſt autem lupus ferreum inſtrumentum vncum, ſimile dentium lupinorum. Liuius li. 38.
*In alios lup ſupernè iniecti.* Ouid. 4. Triſtium elegia 6.
*— Duros accipitiore lupos.*

*c* Ad omnes occaſiones amoris amputandas taurorũ domitores eos remouent procul & in paſcua deſerta, poſt montem inter tauros & vaccas interiectum, & *trans flumina lata*, ne poſſint facilè tranſnatari.

*d* Plena fœno & farragine.

*e* Ideo tauri procul à vaccis ſunt ablegandi, quia fœmina

*Dulcibus illa quidem illecebris: & ſæpe ſuperbos*
*Cornibus inter ſe ſubigit decernere amantes.*
*Paſcitur in magna ſylua formoſa iuuenca* a.
*Illi alternantes* b *magnâ vi prælia miſcent*
*Vulneribus crebris, lauit ater corpora ſanguis,*
*Verſáque in obnixos* c *vrgentur cornua vaſto*
*Cum gemitu, reboant ſyluæque & magnus Olympus.*
*Nec mos bellantes vnà ſtabulare: ſed alter*
*Victus abit, longéque ignotis exulat oris,*
*Multa gemens ignominiam plagáſque ſuperbi*
*Victoris* d, *tum quos amiſit inultus amores,*
*Et ſtabula aſpectans* e *regnis exceſsit auitis,*
*Ergo omni curâ vires exercet, & inter*
*Dura iacet pernox* f *inſtrato ſaxa cubili,*
*Frondibus hirſutis, & carice* g *paſtus acuta,*
*Et tentat ſeſe* h, *atque iraſci in cornua diſcit.*

*Pugna taurorũ*

*Victus recedit.*

*Separat ad pugnam repetendam.*

dum videtur, amorem taurorum excitat, vires eorum carpit & minuit ſenſim, eóſque inflammat, & exurit.

*a* Pro qua, vt ait Statius 6. Theb. —— *horrida tauri*
*Bella mouent: medio coniux ſtat candida prato*
*Victorem expectans.* ——

*b* Alternos ictus infligentes. Vide 12. Aeneid. à v. 715. ad 723.

*c* Conuerſa in aduerſarios obnitentes cornua vrgentur & magno impetu impinguntur.

*d* Plagas à ſuperbo victore acceptas.

*e* Frequenter retorquens oculos ad ſtabula, quibus extruditur, præ deſiderio regni recuperandi.

*f* Alii legunt *pernix*, & interpretantur, *pertinax*, *peruicax*, *obſtinatus*. Alij *pernox*, ideſt, Noctes exigit & pernoctat iacens in cubili non ſtrato inter dura ſaxa ad corpus magis & magis obdurandum, vt hac aſperitate ſeipſum corroboret, & contra vulnera callum obducat.

*g* Iuncis.

*h* Vires ſuas experitur ante certamen.

Arboris

*Arboris obnixus trunco* a, *ventóſque laceſſit*
*Ictibus, & ſparsâ ad pugnam proludit arenâ:*
*Pòſt, vbi collectum robur, viréſque receptæ,*
*Signa mouet,* b *præcepſq; oblitum fertur in hoſtem.* Redit ad pugnam.
*Fluctus vt in medio* c *cœpit cùm albeſcere ponto*
*Longiùs, ex altóq; ſinum trahit, vtque volutus*
*Ad terras, immanè ſonat per ſaxa, nec ipſo* Comparatio.
*Monte minor procumbit: at ima exæſtuat vnda*
*Vorticibus, nigrámque altè ſubiectat* d *arenam.*

*a* Vide 12. Æneid. 105. & lib. 9. v. 629.
*b* Tranſlatio ab hominibus, qui pugnam inituri ſigna mouent, eáque conferunt.
*c* Egregia comparatione rem illuſtrat Taurus, inquit, præceps fertur in hoſtem quemadmodum fluctus cùm in medio mari cœpit ſpumis albeſcere, è longinquo videlicet ex alto ſiue medio pelago veniens longo vndarum ingruentium tractu ſinuatur, & prouolutus ad terras ſonat immaniter inter ſaxa ad quæ alliditur, nec ipſo monte ſiue ſcopulo ad quem illiditur, minor in rupem procumbit & irruit: at vnda in imo fundo poſita exæſtuat, in vorticem torquetur, & arenam è profundo maris in altum emittit, ſic autem comparatio poterit applicari, fluctus tauro, ſpuma iræ, medius pontus ignotæ oræ in qua exulabat victus, ſinus ex alto longiùs tractus progreſſui tauri in hoſtem irruentis, ſonitus immanis fluctuũ tauri mugitibus, ſcopulus in quem fluctus procumbit, hoſti ſiue tauro ante victori comparantur. Cætera de vnda æſtuante, de arena ſubjecta vel potiùs ſuperjecta, ad ornatum potiùs, quàm ad neceſſitatem comparationis accedunt.
*d* Frequenter attollit, vt 9. Æneid. v. 714.

*—— nigræ attolluntur arenæ.*

Quarto Georg. v. 385.

*Ter flamma ad ſummum tecti ſubiecta refulſit.*

Item 12. Aeneid. 286. *—— Et corpora ſaltu*
*Subjiciunt in equos ——*

id eſt, attollunt. Lucret 6. de Aetna.

*—— Extollere flammas,*
*Saxáque ſubiectare, & arenæ tollere nimbos.*

P

*Omne adeo* a *genus in terris hominúmque, ferárúmque,*
*Et genus æquoreum, pecudes, pictæq;* b *volucres,*
*In furias ignémque* c *ruunt: amor omnibus idem* d
*Tempore non alio catulorum oblita leæna*
Vis amoris. *Sæuior erravit campis: nec funera, vulgo*
*Tam multa informes vrſi, ſtragémque dedêre*
*Per ſyluas, tum ſi ſæuus aper, tum peſſima tygris,*
*Heu malè tum Libyæ ſolis* g *erratur in agris.*
*Nonne vides vt tota tremor* h *pertentet equorum*
In luctio. *Corpora ſi tantùm notas odor attulit auras?*
*Ac néq; eos iam fræna virûm, nec verbera ſæua,*
*Nõ ſcopuli, rupéſq; cauæ, atq; obiecta retardant* i
*Flumina, correptóſq;* k *vndâ torquentia montes*
*Ipſe ruit, dentéſque Sabellicus* l *exacuit ſus,*

*a* Ornatus cauſſa vt eclog 4. v. 12. 1. Georg. 4.
*b* Plumarum varietate diſtinctæ.
*c* Inflammãtur amore furioſo, eſt hendiadis *furiæ igniſque*. i vel furiæ ignitæ, vel ignis furioſus.
*d* Omnia animalia eodem amoris igne inflammantur, iiſdem furiis inſaniunt.
*e* Funera are eſt occidere: ſiue facere cadauera funere efferenda. d
*f* Cùm amore incenditur. *g* Deſertis
*h* Nonne vides vt equi concubitûs imaginatione titillati toto corpore contremiſcant libidine prurientes, ſi tantùm eos equarum odor afflauerit, ſi tantùm aura attulerit odorem equarum ſibi cognitum.
*i* Remorantur quominus ad equas accurrant.
*K* Quamuis ſint adeo rapida vt ſcopulos montibus æquales radicibus euulſos correptoſque vnda contorqueant.
*l* Aper Sabinus (& eſt ſpecies pro genere) dentes ad arbores aut ſaxa attritos exacuit, pedibus terram frequenter impellit, coſtas arboribus affricat, vt humeri reddantur contra vulnera duriores.

*Et pede proſubigit terram, fricat arbore coſtas,*
*Atq; hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.*
*Quid iuuenis, magnum cui verſat in oſſibus ignẽ* Leander.
*Durus amor? nempe abruptis turbata procellis*
*Nocte natat cæca ſerus freta* a *quem ſuper ingens*
*Porta* b *tonat cæli, & ſcopulis illiſa reclamant*
*Æquora* c, *nec miſeri poſſunt reuocare parentes,*
*Nec moritura ſuper* d *crudeli funere virgo* e.
*Quid Lynces Bacchi* f *variæ? & genus acre luporum?*
*Atque canum? quid quæ imbelles* g *dant prælia cerui?*

*a* Seſtos & Abydos duo ſunt caſtella Helleſponti anguſtiis modicè dirempta: Leander Abydenus Heronem Seſtiadem amabat, ad eamque natatu ire conſueuerat per fretum Helleſponticum, quod Seſton & Abydon interluit, neque retardabatur tonante cœlo, neque maris procellis abruptim ex aëre nubiloſo ruentibus turbati, & tantum non edita voce reclamanti & eum ab incœpto reuocanti fremitu, neque precibus parentum, neque morte Heronis ſuper, id eſt, præter alias remorandi cauſſas, quam ſanè morituram ſciebat, ſi quid ipſi aduerſi accidiſſet. Quid inquit ille adoleſcens, videlicet Leander, cui amor durus, id eſt dura & aſpera imperans, oſſa & medullas vehementer calefacit? Nempe, &c.

*b* Vel totum hemiſphærium, vt Turnebus exponit, vel potiùs ipſæ nubes quaſi rimis fatiſcentes ad fulmen emittendum.

*c* Tam magni fluctus vt totum mare ad cautes & ſcopulos allidi videatur, quia quibuſdam clamoribus editis reuocans ab incœpto.

*d* Inſuper, præterea.

*e* Hero.

*f* Bacchum tigribus & lyncibus inuehi fabulantur, vnde θρίαμβος, dicitur quaſi θηρίαμβος *ferarum adſcenſor.* Sunt autem variæ, id eſt, variegatæ diuerſiſque maculis interlitæ.

*g* Quid dicam prælia quæ cerui amore excitati committunt, quamuis ſint naturâ ſua timidi & imbelles?

Amor furioſus equarum.

Scilicet a ante omnes furor eſt inſignis equarum,
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumpsêre quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara b trânſq; ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant:
Continuóq; auidis vbi ſubdita flamma c medullis,
Vere magis (quia vere calor redit oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrum d ſtãt rupibus altĩs,
Exceptántque e leueis auras, & ſæpè ſine vllis
Conjugiis vento grauidæ (mirabile dictu)
Saxa per & ſcopulos, & depreſſas conualles f
Diffugiunt, non Eure g tuos, neque Solis ad ortus,
In Boream, Caurúmque h, aut vnde nigerrimus Auſter
Naſcitur i, & pluuio contriſtat frigore cælum.

Equæ vento grauidæ

*a* Ne longius abeamus, notabilis eſt libido.

*Quæ ſolet matres furtare equorum.*

ex quo tempore Potniades quadrigæ, ideſt, equæ quæ ad agitandas quadrigas nutriebantur in ciuitate Potnia malis ſiue mandibulis abſumpſerunt membra Glauci, qui eas cohibebat à coitu vt eſſent velociores.

*b* Gargara, vertex Idæi montis, Aſcanius Phrygiæ fluuius: pro quolibet monte & fluuio has voces vſurpat.

*c* Vbi calefactæ ſunt medullæ,

*d* Ventum ſpirantem ab occidente.

*e* Frequenter excipiunt auras ore hianti.

*f* Valles collibus vndique circundatas.

*g* Ventus Orientalis. Ouid 2. Metamorph.

*Eurus ad auroram Nabathæáque regna receſſit.*

*h* Qui ſpirat inter Septentrionem & occaſum.

*i* Aut ad meridiem, vnde ſpirat Auſter ſiue & Notus obſcuris nubibus cœlum inuoluens eius faciem reddit triſtiorem. Stat. 1. Thebaidos.

*—— Sed plurimus Auſter*
*Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet.*

*Hinc demum, Hippomanes :* a *vero quod nomine dicunt*
*Paſtores, lentum diſtillat ab inguine virus* b. Hippomanes.
*Hippomanes quod ſæpe malæ legere nouercæ* c.
*Miſcuerúntque herbas* d, *& non innoxia verba,*
*Sed fugit interea* f, *fugit irreparabile tempus,*

Totius autem loci hæc videtur eſſe ſententia. Cum verna temperie corpora vegetantur, & ad intimas vſque medullas incaleſcunt, equæ ſtantes in altis rupibus, ad Zephyrum ora conuertunt, & patulis faucibus auras exceptant, & cum ſpirante Zephiro ſiue fauonio, conceperint, diffugiunt per ſaxa, per ſcopulos, per conualles ſemper ad Zephyrum conuerſæ, non ad Auſtrum, non ad Eurum, non ad Aquilonem.

a Tabidus quidam & viſcoſus liquor à partibus genitalibus equarum diſtillat, quem vero nomine paſtores dicunt hippomanes ἀπὸ τῆς ἵππων μανίας, *ab equarum furore*, id eſt, libidine furioſa. Ouid. 1. amorum eleg. 8.

— *Quid valeat virus amantis equæ...*

Eſt & aliud genus hippomanis quod pullorum frontibus adnaſcitur, & ſolet etiam veneficiis adhiberi de quo 4 Æneidos 515.

b Virus hoc loco ſumitur pro genitura, vt apud Plinium l. 28 cap. 11 & lib. 9. cap. 50. de piſcibus. *Nec ſatis eſt generationi per ſe coitus, niſi edidis ouis inter ſe verſando mares & fæminæ vitale reſperſerint virus*. Adde quòd vt ait Nonnius, virus ſignificat cuiuſque rei humorem & virtutem naturalem Lucret. lib. 1.

*Ionium glaucis aſpergit virus ab vndis*

& lib. 5. *Percolatur enim virus, retróque remanat*
*Materies humoris.* ——

c Sagæ ſiue veneficæ, nouercas appellat, quia nouercæ malignæ in ſuos priuignos eſſe ſolent, eóſque veneno frequenter extinguunt.

d Herbas venenoſas, & verba ſine carmina & incantationes valdè noxias. Hic enim eſt liptote ſiue meióſis.

e Sed interim tempus elabitur, quod cùm effluxerit reparari non poteſt, dum ſingula enucleate deſcribimus, ipſa rerum amœnitate delectati. *Circumuectamur* autem videtur tranſlatum è re nautica, quaſi varias oras luſtramus & ipſa

*Singula dum capti circumuectamur amore.*
*Hoc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ*
*Lanigeros agitare greges* a, *hirtáſque capellas.*
Transitio ad oues. *Hic labor, hinc laudem fortes ſperate coloni.*
*Nec ſũ animi dubius* b, *verbis ea vincere magnũ*
*Quàm ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem:*
*Sed me Parnaſſi deſerta* c *per ardua dulcis*
*Raptat amor: juuat ire jugis, qua nulla priorum*
*Caſtaliam molli* d *diuertitur orbita cliuo.*
*Nunc veneranda Pales, magno nunc ore ſonãdum.*
*Incipiens ſtabulis edico* e *in mollibus* f *herbam* g

nauigatione circuimus, vt ſuprà dictum.

*—— Pelagoque volans da vela patenti.*

*a* Hactenus dictum ſit de boum & equorum armentis: ſupereſt altera pars eorum quæ propoſuimus accuratè diſſerenda. Reſtat inquam, vt diſſeramus quomodo oues & capellæ paſcendæ ſint.

*b* Nec dubito quàm difficile ſit & arduum res huiuſmodi viles & abiectas verbis attollere, efficeréque vt amplæ & magnificæ audientibus appareant, & orationis honorem ſiue nitorem illis circundare.

*c* Sed amor laudis leniter in meum pectus illabens me raptat & cogit ire per colles arduos Parnaſſi, qui deſerti ſunt, nec veterum poëtarum triti veſtigiis. Iuuat igitur ire per iuga Parnaſſi & itineribus quibuſdam deuiis & à me ſolo repertis ad fontem Caſtalium diuertere, qua parte nullus priorum poëtarum ſuos currus deflexit, & orbitam, id eſt rotarum veſtigium impreſſit: *orbita, l'orniere.*

*d* Commode notat Cerdanus. Caſtalium fontem Muſarum non ex ipſo vertice Parnaſſi ſcaturire, ſed ex eius cliuo clementer aſſurgenti, vnde per mollem quemdam cliuum ad ipſum aſcenditur.

*e* Præmiſit ore magno ſonandum, & ideo nunc ſibi quaſi prætoriam auctoritatem vſurpat Edicere Prætorum eſt.

*f* Molli palea ſubſtratis, vt mox explicabit.

*g* Fœnum; non enim hyeme herba virens apponitur.

*Carpere oueis, dũ mox frondoſa reducitur æſtas* a.
*Et multa duram ſtipulâ filicúmque* b *maniplis,* Hyberna ouium cura.
*Sternere ſubter humum, glacies ne frigida lædat*
*Molle pecus, ſcabiemq; ferat, turpeiſq; podagras.*
*Poſt hinc digreſſus iubeo* c *frondentia capris*
*Arbuta ſufficere, & fluuios præbere recenteis,*
*Et ſtabula à ventis* d *hyberno opponere ſoli* Caprarum.
*Ad medium conuerſa diem, cùm frigidus olim*
*Iam cadit extremóque irrorat Aquarius anno.*
*Hæc quoque non cura nobis leuiore tuenda:*
*Nec minor vſus erit* e*: quamuis Mileſia magno*

*a* Et ſi quatuor ſunt anni tempeſtates, poſſunt tamen ad duas præcipuas reuocari, hyemem & æſtatem, & quidem æſtas ab æquinoctio verno ad autumnale, hyems ab æquinoctio autumnali ad vernum extenditur. Hæc igitur verba *dum mox frondoſa reducitur æſtas*, ſic intellige vt oues in ſtabulis hyeme paſcendas eſſe dicat, vſque ad æquinoctium vernum, id eſt, vſque ad 21. Martij.

*b* Filix herba ſylueſtris: vulgo: *de la fongiere*,

*c* Eodem ſenſu quo ſuperiùs dixit ſe edicere: quamuis proprie iubere populi eſt: cenſere, Senatus: prætoris edicere.

*d* Iubeo ſtabula caprarum ita conſtitui, vt eorum fores & ianuæ non obuertantur ventis frigidioribus, vt Aquiloni: ſed ad meridiem conuertantur ad excipiendos radios ſolis hyberni. Ita tamen vt non rectâ linea ſpectent ad meridiem ſed declinent ad ortum hybernum, qui ortus eſt meridiei vicinior. Idque tum alio tempore, tum præſertim menſe februario faciendum cũ Aquarius anno propemodum exeunte terram irrorat & frequentibus pluuiis humectat. Annum vocat extremum, quia veteres à menſe Martio anni ducebant exordium.

*e* Nec minor vtilitatis è capris, quàm ex ouibus colligetur, quamuis lanæ Mileſiarum ouium (Miletus eſt inſula maris Ionij) magno pretio æſtimentur, cum Tyriç purpurç colorem ſibi penitùs incoctum imbiberunt. Purpura

*Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.*
*Denſior hinc* a *ſoboles, hinc largi copia lactis.*
*Quo magis exhauſto ſpumerauit vbere mulctra*
*Læta magis preſſis manabunt vbera mammis.*
*Vtilitates caprarum.* *Nec minus interea barbas incanáque menta*
*Ciniphÿ* b *tondent hirci, ſetáſque comanteis,*
*Vſum in caſtrorum & miſeris velamina nautis.*
*Paſcuntur verò ſyluas, & ſumma Lycæi* c*,*
*Hyberna caprarum curatio.* *Horrenteiſque rubos & amantes ardua dumos,*
*Atque ipſæ* d *memores redeunt in tecta: ſuóſque*
*Ducunt, & grauido ſuperant vix vbere limen.*

piſciculus in mari Tyrio frequens, cuius ſanguine veſtes tingebantur: vellera Tyriis coloribus per incoctionem imbuta.

*a* E capris numeroſior eſt ſoboles, quia ſolent parere gemellos, & magna lactis copia mulgetur, quia quo magis lac è mammis exprimitur, eò magis lac nouum generatur.

*b* Paſtores tondent barbas Ciniphiorum hircorum (qui à fluuio Libyæ Ciniphe ſic vocantur, ſpecies pro genere) ad faciendas veſtes cilicinas, in vſum caſtrorum, *quia de ciliciis,* inquit Seruius, *poliuntur loricæ, & teguntur tabulata turrium ne iactis facibus ignis poſſit adhærere.* Incana menta, id eſt, nimiùm cana. vt 6. Æneid. 809. Miſeri nautæ, frequenter vitæ periculum adeuntes, expoſiti omnibus maris & ventorum iniuriis.

*c* Lycæum mons Arcadiæ paſcuis abundans, hic pro quibuſlibet paſcuis Lycæi nomen vſurpat. Rubi ſiue ſentes, *des ronſes,* dumi, frutices, *des buiſſons,* amantes ardua quia in altis rupibus naſcuntur.

*d* Sponte ſua, nullius ductu, ſine humana induſtria ecl. 7. v. 11.

*Huc ipſi potum venient ad prata iuuenci:*
ecl: 4. v 21. *Ipſæ lacte domum r[illegible] diſtenta capellæ Vbera.*
Item v. 43. *Ipſe ſed in pratis aries, &c.*
*Memores* autem temporis quo domus eſt repetenda.

*Ergo* a *omni ſtudio glaciem ventóſque niuales,*
*Quominùs eſt illis curæ mortalis egeſtas,*
*Auertes, victúmque feres & virgea lætus*
*Pabula, nec totâ claudes fœnilia brumâ.*
*At verò Zephyris cùm* b *læta vocantibus æſtas,*
*In ſaltus vtrumq; gregem, atque in paſcua mittes.*
*Luciferi primò cùm ſidere frigida rura*
*Carpamus* c, *dũ mane nouũ, dum gramina canent,*
*Et ros in tenera pecori gratiſsimus herba eſt.*
*Inde vbi quarta* d *ſitim cæli collegerit hora,*
*Et cantu querulæ rumpent* e *arbuſta cicadæ,*

*Æſtiua vtriuſq; gregis curatio.*

*Matutina paſtio.*

*Meridiana.*

a Cùm igitur tot vtilitates è capris colligantur, omni ſtudio prouidebis vt non exponantur glaciei & ventis niuem parientibus. Idque eo faciendum impenſius quo minùs ipſæ ſolent ſibi ſuiſque neceſſitatibus prouidere.

b At verò cum æſtas læta eſt, amœna, & tum homines, tum brutas animantes exhilarant, Zephyris ſiue fauoniis vocantibus & inuitantibus ad paſcua, in ſaltus paſtioni commodos mittes vtrumque gregem, videlicet ouium, & caprarum.

c Primo exortu luciferi herbas agrorum nondum diurno ſolis ardore calefactas carpi faciamus, dum gramine ſiue herbæ candicant & albeſcunt propter rorem qui noctu delapſus eſt herbáſque teneriores facit, ac proinde pecori gratiſſimas. Notat Seruius hoc præcipere Virgilium ſecundũ morem ſuæ prouinciæ. Nam in aliquibus locis morbum contrahunt, niſi iam ſiccato rore paſcantur.

d Veteres non ab initio noctis, vt nunc Itali, non à media nocte, vt Galli, ſed ab ortu ſolis diem inchoabant, horáſque numerabant. Quarta igitur hora decimæ noſtræ reſpondet. Quo tempore creſcit æſtus, & ſitis accenditur. Vocatur hora cœli, tum quia hora pars eſt viceſima quarta circuitus diurni, quem ſol in cælo conficit, tum quia Homerus fingit Horas eſſe cœli ianitrices.

e Reſonare facient. Ecloga 2. v. 13.

*Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.*

*Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna iubeto,*
*Currentem ilignis a potare canalibus vndam:*
*Æſtibus at mediis vmbroſam exquirere vallem,*
*Sicubi magna Iouis* b *antiquo robore* c *quercus*
*Ingentes tendat ramos, aut ſicubi* d *nigrum*
*Ilicibus crebris ſacrâ nemus accubet vmbrâ.*
*Tum tenues* e *dare rurſus aquas, & paſcere rurſus*
*Solis ad occaſum, cùm frigidus aëra veſper*
*Temperat* f*, & ſaltus reficit iam roſcida luna.*

Hic autem plus dicit, & ex eo Iuuenalis ſat. 1.

—— *Aſſiduo ruptæ lectore columnæ.*

Ideſt, cicadæ tam aſſiduè reſonant in arbuſtis vt illa cantibus obſtinatis propemodum rumpere videantur, *querulæ*. i. canoræ, obſtreperæ, argutæ.

*a* Aquam canalibus ex ilice factis defluentem.

*b* Seruius, Quia quercus omnis eſt Ioui conſecrata. Non reuera conſecratos lucos dicit nos petere debere: ſed ita denſos, quales ſunt illi quos religio defendit, vnde apparet *quercum Iouis, & ſacram vmbram* generalia eſſe, non ſpecialia epitheta: nam, vt diximus & omnis quercus eſt Ioui conſecrata & omnis lucus Dianæ.

*c* Truncum antiquum habens, quercus enim ab Ariſtotele inter arbores viuaces numeratur

*d* Totius loci hæc eſt ſententia. Iubeto vt greges meridianis feruoribus, vallem vmbroſam exquirant, ibíque requieſcant, ſi alicubi reperitur antiqua quercus patulis ramis diffuſa, aut etiam nemus obſcurum & ſoli imperuium propter arborum denſitatem; proiiciens vmbram hinc illinc extenſam, & quaſi accubantem, ſic ſuprà.

—— *Et ſacra procubet vmbra.*

*e* Poſt meridianam quietem iubeto vt paſtores rurſus dent gregibus aquas ſed tenues. i. liquidas, non cœnoſas aut lutulentas

*f* Cùm veſper refrigerat diei calorem, & nox cui luna præeſt, rorem generans reficit & recreat ſaltus & paſcua quæ diurno æſtu languebant.

*Littoráq; Halcyonẽ reſonant* a, *& Achãtida dumi.*
*Quid tibi paſtores Libyæ? quid paſcua verſu*
*Proſequar & raris habitata mapalia* b *tectis?*
*Sæpè diem noctémq; & totum ex ordine* c *menſem*
*Paſcitur, itque pecus longa in deſerta ſine vllis* *Paſtores Numidæ.*
*Hoſpitiis* d, *tantum campi iacet:* e *omnia ſecum*
*Armentarius Afer* f *agit, tectúmque laremque,*
*Armáque, Amyclæúmque* g *canem, Creſſámque pharetram.*
*Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis*
*Iniuſto* h *ſub faſce viam cùm carpit* i *& hoſti*
*Ante expectatum* k *poſitis ſtat in agmine caſtris.* *Comparatio.*

*a* Seruius. *Quo tempore reſonat per littora Alcion auis, per dumos verò acanthis, quam alii luſcianam eſſe volunt, alii verò carduelem quæ ſpinis & cardui paſcitur, vt inde etiam apud Græcos ἀκανθὶς dicta ſit ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν à ſpinis.*

*b* Tuguriola Afficana paſtorum & ruſticorum, quæ & magalia: hi autem paſtores propriè Nomades ſiue Numidæ fuerunt.

*c* Diebus ordine ſuccedentibus.

*d* Stabulis.

*e* Hæc cum admiratione pronuntianda ſunt. Tam longus latúſque campus in omnem partem extenditur.

*f* Paſtor Numida tugurium ſuum deóſque penates plauſtro ſecum circumuehit.

*g* Κατ' ἐξοχὴν ſpecies ponitur pro genere. Amyclæ vrbs eſt Laconiæ, canes autem Laconici, Spartani & Amyclæi præ cæteris celebrantur, item ſagittæ Cretenſes, Gnoſſiæ, Cydoniæ, Gortiniæ.

*h* Sub onere vires ſuperante ac proinde iniuſto, quia qui onus viribus maius imponit iniuſtus eſt.

*i* Feſtinanter & auide viam corripit gradu militari.

K Antequam expectetur eius aduentus. Cicero. 2. Tuſculana. *Noſtri exercitus unde nomen habeant vides. Deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati menſis cibaria:*

*At non* a, *qua Scythiæ gentes Mæoticáq; vnda*
*Turbidus & torquens flauentes Iſter* b *arenas.*
*Quáq; redit mediũ Rhodope* c *porrecta ſub axem.*
Paſtores Scythiæ *Illic clauſa tenent ſtabulis armenta, neque vllæ*
*Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:*
*Sed jacet aggeribus niueis informis* d, *& alto*
*Terra gelu latè: ſeptémque aſſurgit in vlnas* e.
*Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri* f.
*Tum Sol pallentes haud vnquam diſcutit vmbras:*
*Nec cũ inuectus equis altũ petit æthera, nec cum*
*Præcipitem Oceani rubro* g *lauit æquore currũ.*
*Concreſcunt ſubitæ* h *currenti in flumine cruſtæ*
Frigus Scythiæ *Vndáque iam tergo ferratos ſuſtinet orbes* i:

*ferre ſi quid ad uſum velint, ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus: arma etiam membra militis eſſe dicunt.* Vide Lipſium l. 5. de militia Romana c 11. de poſitione caſtrorum eodem lib. primis 7. dialogis, de ordine ſiue acie lib. 4. & notas noſtras in Miloniana parag. 4.

*a* At non talis eſt paſtio in Scythia & iuxta paludem Mæotidem.

*b* Qui & Danubius vocatur.

*c* Qua parte Rhodope mons Thraciæ, cum ſe in vnum angulum cum Hæmo coniunxerit, ingenti tractu reddit ad Septentrionem, i, reflectitur Gammaïdes, inquit Seruius, ad ſimilitudinem litteræ γ. Ouid 6. Metamorph.

*Threïciam Rhodopen habet angulus vnus & Hæmum.*

*d* Seruius. *Niuis ſuperfuſione carens varietate formarum.*

*e* ὠλένας, cubitos ſiue ſeſquipedes: vlna eſt interſtitium à flexu cubiti ad medij digiti partem extremam.

*f* Venti inter Septentrionem occaſum ſpirantes.

*g* Oceanus rubet repercuſſione radiorum ſolis occidentis.

*h* Fluuius ſubitò glacie conſtringitur.

*i* Canthos rotarum clauis ferreis compactos.

*Puppibus illa prius patulis, nũc hoſpita [a] plauſtris.*
*Æráque diſſiliunt* [b] *vulgo* [c], *veſtéſque rigeſcunt*
*Induta, cadúntque ſecuribus humida* [d] *vina,*
*Et totæ ſolidam in glaciem vertere* [e] *lacunæ:*
*Stiriáque* [f] *impexis induruit horrida barbis.*
*Interea toto non ſecius aëre ningit,*
*Intereunt pecudes: ſtant circumfuſa pruinis*
*Corpora magna boum, confertóque agmine cerui*
*Torpẽt mole noua* [g], *& sũmis vix cornibus extãt.*
*Hos non immiſſis canibus, non caſſibus* [h] *vllis,*
*Puniceæve agitant pauidos formidine* [i] *pennæ:*
*Sed fruſtra oppoſitũ trudentes* [k] *pectore montem,*
*Comminus obtruncant ferro, grauitérq; rudentes*
*Cædunt & magno læti clamore reportant.* Scytharum mores.
*Ipſi in defoſſis ſpecubus ſecura ſub altâ,*

a Ita 3. Æneid. v. 377. *æquora hoſpita.* item v. 538. *terra hoſpita* vide.
b Vaſa ærea frigore rumpuntur, & abeunt in varia fragmenta 12. Æneid. ——— *glacies ceu futilis ictu Diſſiliit.*
c Paſſim.
d Non eſt otioſum epitheton, ſed auget admirationem.
e Subaudi, *ſe.* conuerterunt ſe.
f Gutta è naſo defluens congelatur.
g Ingenti, magnitudinis inuſitatæ vt 8. Aeneid. verſ. 994. *Nouam cædem* appellat, hic autem ingentes conglobatæ concretæque niuis aceruos intelligit.
h Retibus quibus illaqueantur feræ.
i Formido contextus eſt plumarum verſicolor, nomen habet ex eo quòd feras terret, eaſque adigit in retia. Nemeſius de venat.

*Digerat innexas non vna ex alite pennas.*

Vide 12 Aeneidos verſu 750.
k Pectore propellentes prouoluentéſque oppoſitum niuis aceruum, qui tantus eſt támque exaggeratus, vt montes æquare videatur.

*Otia agunt terra congeſtáque robora, totaſque*
*Aduoluêre focis vlmos, ignique dedêre.*
*Hîc noctem ludo ducunt, & pocula læti*
*Fermento* a *atque acidis imitantur vitea ſorbis.*
*Talis Hyperboreo* b *ſeptem ſubiecta Trioni*
*Gens effræna virûm Riphæo tunditur Euro,*
*Et pecudum fuluis* c *velantur corpora ſetis.*
*Si tibi lanicium* d *curæ: primùm aſpera ſylua,*
Quærēdus aries planè albus. *Lappæque, tribulique* e *abſint: fuge pabula læta,*
*Continuóque greges villis lege mollibus* f *albos,*
*Illum autem (quamuis aries* g *ſit candidus ipſe)*
*Nigra ſubeſt vdo tantùm cui lingua palato,*
*Reÿce, ne maculis infuſcet vellera pullis,* h

*a* Pro vino bibunt ceruiſiam.

*b* Tales ſunt Scythæ Septentrionali polo, vnde ſpirat Boreas, ſubiecti, qui nullis legum frenis in officio retinentur, & aſſiduis ventorum flatibus circa Riphæos montes ſæuientibus verberantur. Euros pro quocunque vento vſurpat, vt Zephyros 4. Æneid. verſu 562. Seruius. *Riphæi montes Scythiæ à perpetuo ventorum flatu nominati nam ῥιφὴ (vel ῥιπὴ) Græce impetus ὁρμὴ dicitur ἀπὸ τοῦ ῥιπτεῖν.*

*c* Salluſtius ab eodem Seruio laudatus. *Veſtes de pellibus rhenones vocantur*, aut etiam *maſtrucæ* vide orationem de Prouinciis Conſularibus parag 13. nota 6.

*d* Turnebus l. 15. aduerſ c. 12. Non tam curam lanæ ſignificat quam lanati pecoris, vt ex Arnobio apparet his verbis.
*Lanitia curent veſtra numeroſis fœtibus multiplicari.*

*e* Vide l. 2 Georg. v. 152.

*f* Elige oues quæ habeant lanam mollem & delicatam, & albam vt alios imbibat colores: *fuge pabula læta*, nimiſque pinguia, quia pecudes pingues minùs lanatæ ſunt abſumente lanam pinguedine: fugiendæ etiam lappę, tribuli, ſenticeta, ne vellus iis auellatur & adhæreſcat.

*g* Qui ad fœturam admittitur.

*h* Non quidem atris & omnino nigris, ſed fuſcis & ad nigrum vergentibus.

*Naſcentum, plenóque alium* a *circumſpice campo:*
*Munere ſic niueo* b *lanæ (ſi credere dignum eſt)*
*Pan Deus Arcadiæ captam te Funa ſefellit*
*In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantē.*
*At cui lactis amor, cythiſum lotóſq; frequentes*
*Ipſe manu* c *ſalſaſque ferat præſepibus herbas.* Lacticinium.
*Hinc & amant fluuios magis, & magis vbera tendunt:*
*Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.*
*Multi iam extretos* d *prohibēt à matribus hædos,*
*Primáque ferratis præfigunt ora capiſtris.*
*Quod ſurgente die mulsêre, horiſque diurnis,*
*Nocte premunt* e*: quod iā tenebris & ſole cadente*

a Arietem qui linguam nigram non habeat.

b Pan Arcadię Deus Lunam adamabat: in arietem candidum ſe conuertit, eamque lanæ candore allexit: neque Luna vocantem adſpernata eſt Quod ſine dubio non feciſſet, niſi vellus album eſſet nigro pręſtantius.

c Tu ipſe paſtor, manu propria, non ſeruorum qui minorem curam impenderent, feras & exhibeas, magnam cythiſi & loti copiam & herbas ſale adſperſas, hinc enim fiet vt oues multum potent, & vt multum potantes vbera, lacte diſtendant & lac non ſit fatuum, ſed habeuat occultum ſalis ſaporem. Occultus ſapor vix apparens.

d Multi hœdos iam excretos, id eſt, ſecretos, ſeparatos à matribus, & à lacte depulſos prohibent rurſus ad illas accedere, & quidem hoc artificio. Ferreos ſtimulos capiſtris alligatos primoribus hœdulorum labris annectunt, vt cum vbera matrum appetent, eas lacerent & cruentent, & illæ refugiant, nec ſe tangi patiantur.

e In caſeos coagulant lac illud quod matutino vel meridiano tempore mulſerunt: Quod autem primis intendentibus ſe tenebris, ſub ſolis occaſum mulſerunt: illud ſub lucem exportant ad vicina oppida, vel liquidum adhuc & fluens in vaſis æreis. vel recens adhuc à coagulo, & ſemipreſſum in caniſtris è vimine vel iunco contextis. Vulgo

*Ingentem clamore premes ad retia ceruum.*

*Diſce, & odoratam ſtabulis accendere cedrum,*
*Galbaneóque* a *agitare graues nidore chelydros:*
*Sæpè ſub immotis* b *præſepibus aut mala tactu*
*Vipera delituit, cælúmque exterrita fugit,*
*Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & vmbræ,*
*Peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus,*
*Fouit humum* c, *cape ſaxa manu, cape robora paſtor,*
*Tollentémque minas, & ſibila* d *colla tumentem* e
*Deiice:* f *iamque fuga timidum caput abdidit altè,*
*Cùm medii nexus* g, *extremæque agmina* h *caudæ*

Serpentes ab ouilibus abigendi.

a Galbanum Dioſcoridi cap. 107. eſt ὀπὸς ναρθηκος ἐν Συρίᾳ γεινομένης. *Succulus ferulæ naſcentis in Syria.* Plinius lib. 12. cap. 25. *Sincerum ſi vratur, fugat nidore ſerpentes.* Lucanus, *Tractique via fumente chelydri*, ideo *graues.*
b Ideo quærunt latebras ſub præſepibus.
c Incubuit terræ, vt 9. Æneidos v. 16. *caſtra fouere.*
d Sibilantia. e. Vide Vatinianam parag. 4 notâ 5.
f Signanter, quia ſerpens iratus, vt in Culice deſcribitur.
*Attollit nitidis pectus fulgoribus, & ſe*
*Erecta ceruice rapit* — ideo deiici dicitur cùm rurſus in terram metu proſternitur.
g Serpens vt ſe ſubrigat, & ceruicem attollat, in varios flexus ſinuatur, *Tumidumque nodis corpus aggeſtis plicat, Cogitque in orbes*, vt loquitur Seneca in Medea: & orbes orbibus, ſpiras ſpiris agglomerat, minores maioribus includens, vt hoc ſpirarum & voluminum ſuggeſtu quaſi per totidem gradus aſſurgat. Cum igitur fugit latebráſque captat, primum omnium caput abdit in altum, ideſt, profundum foramen (hic enim ordo ſignificatur verbo præteriti temporis, *abdidit*) deinde medios nexus, ideſt, ſpiras minores maioribus inuolutas reſoluit, & ſimul caudam extremam longo ductu tractim explicat, tandémque ſinus vltimus corporis, id eſt, ſpira omnium vltima trahit, id eſt, tractim exoluit orbes ſiue gyros, gyros tardos appellat, quia paulatim & tardè ſiue poſt alios explicantur, & fugam retardant.
h Agmen ſerpentibus tribuitur, v. 5. Æneidos v. 96. & 25

*Soluuntur, tardoſque trahit ſinus vltimus orbes.*
*Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus* a *Anguis,*
*Squamea* b *conuoluens ſublato pectore terga,*
*Atq; notis longam maculoſus* c *grandibus aluum*
Chelydrus. *Qui dũ amnes vlli* d *rumpuntur fontibus, & dum*
*Vere madent vdo terræ, ac pluuialibus Auſtris,*
*Stagna colit, ripiſq; habitãs, hîc* e *piſcibus atram* f
*Improbus* g *ingluuiẽ* h, *raniſq; loquacibus* i *explet:*
*Poſtquã exhauſta* l *palus, terræq; ardore dehiſcunt*

Æneid. v. 212. quia pars corporis parti ſuccedit inſtar exercitus agminatim procedentis: quo pacto etiam 1. Georg. v. 322. *agmen aquarum cæli venire*, & 2. Æneid. v. 782. *leni fluere agmine Tibris* dicitur, quod aqua aquæ ſuccedat.

a Eſt etiam anguis nomine Chelydrus in ſyluis & paſcuis Calabriæ.

b Squamoſa, ſquamis cooperta.

c Habens aluum grandibus maculis variegatam.

d Qui ſerpens non eſt admodum noxius, quamdiu amnes exuberantes & copioſi è ſuis fontibus erumpunt & ebulliant, dumque vere pluuioſo terræ aquis madent: tum enim temporis in ripis ſtagnorum habitat, &c. *rumpuntur* id eſt, ſeſe erumpunt, *vlli* aliqui, dum aliquis amnis vicinus eſt.

e In ripis ſtagnorum.

f Profundam vt 1. Æneid. v 65. *ſpeluncas atras.* lib. 6. verſu 575. *hiatus atros*, dixit per metalepſin, ideſt, tam profundos vt atri & caliginoſi appareant, ſic Homerus à profunditate *κρήνην μελάνυδρον fontem aquas nigras habentem* appellat.

g Inſatiabilis.

h Signum gutturis. Ariſtot. 2. hiſt. animal. cap. 1. Ἔστι δ' ὁ πρόλοβος δέρμα κοῖλον καὶ μέγα, ἐν ᾧ ἡ τροφὴ ἐκπρώτου εἰσιοῦσα, ἄπεπτός ἐστι. *Eſt ingluuies* bellis caua & magna, quà primum cibus ingeſtus continetur indigeſtus.

i Sua loquacitate ſe prodentibus, & obiicientibus ad prædam.

l Exſiccata.

*Exilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens*
*Sæuit agris, aſperque ſiti atque interritus*[a] *æſtu.*
*Ne mihi tum molles ſub diuo*[b] *carpere ſomnos,*
*Neu dorſo*[c] *nemoris libeat iacuiſſe per herbas:*
*Cum poſitis nouus exuuiis*[d], *nitidúſque iuuentâ*
*Voluitur, aut catulos*[e] *tectis*[f], *aut oua relinquens*
*Arduus ad ſolem & linguis micat ore triſulcis.*
*Morborum quoque te cauſſas & ſigna docebo:* Morbi ouium.
*Turpis oues tentat ſcabies, vbi frigidus imber*
*Altius ad viuum perſedit*[g], *& horrida cano*
*Bruma gelu*[h]: *vel cùm tonſis illotus adhæſit*
*Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.* Scabies.
*Dulcibus idcirco*[i] *fluuiis pecus omne magiſtri*[k]
*Perfundunt, vdiſque aries*[l] *in gurgite villis*
*Merſatur, miſſúſque ſecundo defluit*[m] *amni,* Remedium.
*Aut tonſum triſti*[n] *contingunt corpus amurca,*

*a* Alij legunt *Exercitus.*
*b* Dormire ſub aëre nudo, Horatius: *ſub Ioue frigido.*
*c* Cliuo nemoroſo, qui velut in dorſum extuberat.
*d* Vide 2. Æneid. v. 475. vbi & de linguis triſulcis.
*e* Fœtus, vt Plin. etiam l. 10. c. 62. Fœtus viperæ *catulos* nominauit.
*f* In cauernis, in nidis.
*g* Vſque ad viuam carnem penetrauit, ibique conſedit.
*h* Frigus hybernum adferens gelu & pruinas albicantes.
*i* Ne ſudor & cruor ouibus adhæreſcat.
*k* Paſtores.
*l* Eo conſilio, vt oues eum ſequantur.
*m* Secundũ fluuij decurſum tam facili natatione delabitur aries in aquam miſſus, vt non ſolum fluuius, ſed etiam aries ipſe defluere videatur. Aduerte numerum ipſum defluentem nulláque pentemimeri retardatum.
*n* Amara amurca fæx olei. Aduerte antitheſim. Primum remedium erat fluuius aquæ dulcis, quia aqua ſalſa creat

*Et ſpumas miſcent argenti* a, *viuáque ſulphura,*
*Idæaſque* b *pices & pingues vnguine* c *ceras.*
*Scyllamque* d *helleboroſque* e *graues, nigrúmque bitumen.* f
*Non tamē vlla magis præſens fortuna* g *laborū eſt,*
*Quàm ſi quis ferro potuit reſcindere* h *ſummum*
*Vlceris os, alitur vitium, viuitque tegendo* i
*Dum medicas* k *adhibere manus ad vulnera paſtor.*

pruriginem, vt notat Seru. ſecundū eſt amurca, & ea quidem amara, & ſpumis argenti viui, ſulphuréque non quolibet, ſed viuo. i. viuido, & efficaci, quale ſolet illud eſſe quod ſine ignis coctione paratum eſt, temperata.

*a* Argentum viuum ſiue hydrargyrum cum melle coctum, atque ideo ſpumans. Calphurnius ecloga 5.

*—Viui quoque pondera melle*
*Argenti coquito —*

*b* Species pro genere. in Ida Phrygiæ monte lucus fuit Cybelæ ſacer.

*Nigranti picea, trabibuſque obſcurus acernis.*

vt dicitur 9. Æneid. v.87.

*c* Ceras oleo ſubactas & temperatas. *d* bulbi genus. *Vne eſpece d'oignons.* Calphurnius eclog. 5. *Et ſcylla caput.—*

*e* Veratrum vtrumque, album & nigrum: graues helleboros appellat, id eſt, viroſos, magnam vim habentes.

*f* Bitumen eſt limus viſcoſus & tenax ſulphurei odoris: qui in Aſphaltite Iudeæ lacu reperitur.

*g* Nulla efficacior medicina 12. Æneidos v.405.

*Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo Subuenit.—*

Notant Germanus & Cerdanus fortunam frequenter ſumi *ἀντὶ τοῦ ἄκους pro remedio*, ſed vellem idoneum auctorem protuliſſent.

*g* Extremas oras vlceris circumcidere, partem tabe corruptam reſecare.

*i*. Dum tegitur, vt ſuprà, *vritque videndo.* Lucretius.

*Vlcus enim viueſcit, & inueteraſcit alendo.*

k Medicus pro Chirurgo. Vide Piſonianam parag. 80. num. 6.

*Abnegat, & meliora Deos, ſedet* a, *omnia poſcens.* Febris ouium
*Quin etiam ima dolor balantum lapſus ad oſſa*
*Cùm fuerit, atque artus depaſcitur arida* b *febris,*
*Profuit incenſos aſtus auertere, & inter*
*Ima ferire* c *pedis ſalientem ſanguine venam:* Remedium
*Biſaltæ quo more ſolent* d *acérque Gelonus,*
*Cùm fugit* e *in Rhodopen, atq; in deſerta Getarũ,*
*Et lac concretum* f *cum ſanguine potat equino.*
*Quam procul aut molli ſuccedere* g *ſæpius vmbra*
*Videris, aut ſummas carpentem ignauius* h *herbas,*
*Extremáque ſequi, aut medio procumbere campo*

a Otiatur, feriatur, deos rogans vt omnia feliciter euenire iubeant, vt reddant gregi ſanitatem: de verbo ſedendi vide Sextianam parag. 34. N. 1. Piſonianam parag. 10. N. 2.

b Corpus areſaciens, ſitim adferens, naturalem calorem exhauriens.

c Venam ſcalpello aperire. Columella. *Subijcit deinde* Virgilius *febricitantibus ouibus de talo, vel inter duas vngulas ſanguinem emitti oportere.*

d Aperienda eſt ouibus vena, quo pacto Biſaltæ & Geloni ſolent equis ſuis venas exoluere, eorumque ſanguinem potare. Biſaltæ populi Macedoniæ à Plinio, ab aliis Thraciæ attributi. Geloni Scythiæ, vel Sarmatiæ, vt aliis placet. Getæ ſine dubio ſunt in Scythia, Rhodope mons Thraciæ ad Scythiam, & polum arcticum ſe inflectens.

e Fugit. i. equitat, pergit celeriter.

f Vel ſimpliciter permixtum, quod liquor liquori permixtus cum eo creſcere & augeri videatur: vel coagulatum, & erit enallage, pro, ſanguinem equinum potat cum lacte concreto, ſiue caſeo: vel dicendum erit lac recens coagulatum ſanguine calido quodammodo liquefieri, & ita potari cum ſanguine, id eſt, cum ſanguine qui bibitur in aluum demitti.

g Supra 418. *Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & vmbræ.*

h Non tam paſcentem, quam herbarum ſumma negligentius & ſine auiditate delibantem cum aliquo faſtidio.

Cauendum ouis morbidæ contagium.

Paſcentem & ſeræ ſolam decedere [a] nocti:
Continuò culpam [b] ferro compeſce, priùs quàm
Dira per incautum [c] ſerpant [d] contagia vulgus.
Nō tam creber, agens hyemē, ruit æquore [e] turbo,
Quàm multæ pecudum peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt, ſed tota æſtiua [f] repente,
Spémque [g], gregémque ſimul, cunctámque ab origine gentem.
Tum ſciat aërias [h] Alpes, & Norica ſi quis
Caſtella in tumulis, & Iapidis arua Timaui,
Nunc quoq; poſt tantò [i] videat, deſertáque regna

*a* Redire ſola & ante noctem, quaſi vel paſcua faſtidiat, vel timeat auram ſerotinam, obedire nocti, eique venienti decedere, ſiue facere locum tranſlatum, videretur ab iis qui honoratioribus de via decedunt. Varius de cane venatico,

*Non amnes illam medij, non ardua tardant,*
*Perdita, nec ſeræ meminit decedere nocti.*

Quem verſum arripuit Virgilius ecloga 8. verſu 88. Alij exponunt redire ſolam, & poſt alias multa iam nocte: quaſi per ignauiam ſubſtiterit, nec ad ouile reditura fuerit, niſi ſeræ nocti decedere & obtemperare cogeretur.

*b* Celeriter ouem ſcabioſam occide priuſquam contagioſus ille morbus totum gregem efficiat. Scabiem μεταφορικῶς, culpam appellat, quaſi ouis ſcabiem ſua culpa contraxerit.

*c* Improuidum, ſibi non cauens ab oue ſcabioſa.

*d* Oberrant: ſenſim ſiue ſenſu dimanant.

*e* Non tot in mari ſunt turbines & procellæ, quot in ouilibus ſunt genera morborum.

*f* Paſcua in quibus pecudes tranſigunt æſtatem.

*g* Agnos, in quibus tota gregis ſpes eſt conſtituta.

*h* Tam altas vt ad mediam aëris regionem peruenire videantur. Norici gens Alpina vicina Bauariæ in collibus & tumulis caſtalla habitantes. Timauus Iapidiam Alpinam gentem præterfluit, de quo 1. Æneidos v. 547.

*i* Si quis nunc quoque tanto tempore poſt peſtis graſſatio-

*Paſtorum, & longè ſaltus latéque vacantes.*
*Hic* a, *quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt*
*Tempeſtas, totóque Autumni incanduit æſtu* *Peſtis.*
*Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum*
*Corrupitque lacus, infecit pabula tabo* b.
*Nec via mortis erat ſimplex: ſed vbi ignea* c *venis*
*Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus,*
*Rurſus abundabat fluidus liquor, omniáque in ſe*
*Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.*
*Sæpè in honore Deûm medio* d *ſtans hoſtia ad aram,*

nem, videat Alpes, Noricum, & Iapidiam, & deſerta paſcua, quæ priùs fuerant regna & deliciæ paſtorum, & ſaltus gregibus nunc exhauſtos & longè latéque vacantes: ſi quis, inquam hæc videat, tum ſciat i. ſcire poterit eorum, quæ dico veritatem, nimirum pecudes eſſe variis morbis obnoxias.

*a* In Alpibus, Norico, Iapidia (quæ pars eſt Venetiæ) aëris infectione miſerabilis peſtis exorta eſt, & exarſit toto æſtu qui ſolet eſſe peſtilens Autumno ineunte.

*b* Sanie quadam & humore tabido qui ex pabulis exudabat. Quia igitur hæc ſanies & potum animalium & cibum infecerit, merito ſecuta eſt peſtis teterrima.

*c* Vbi ſitis ardens intimas vſque medullas penetrans miſerorum animalium artus contraxerat, rurſus, ideſt, vice verſa, ſitis illius ſiccitati ſuccedebat fluidus quidam liquor & tabes quæ totum corpus imo ipſa oſſa minutatim & per particulas tabe faciebat, & in ſe conuertebat morbo liquefacta.

*d* Sæpe in ipſo ſacrificio dum ad aram hoſtia ſiſteretur, & miniſtri ſiue popæ laneam infulam candida vitta ligatam eius capiti tardius circundarent, hoſtia cecedit moribunda. De more ſiſtendi victimam vide 4. Æneid. 60. lib. 6. verſu 244. lib. 8. verſu 85. Adde Ouidium 15. Metamorphoſeōn verſu 130.

*Victima labe carens, & præſtantiſſima formâ*
*(Nam placuiſſe nocet) vittis præſignis & auro*

*Lanea dum niueâ circundatur infula a vittâ,*
Hoſtia. *Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros.*
*Aut ſi quam ferro mactauerat antè ſacerdos,*
*Inde neque impoſitis ardent* b *altaria fibris*
*Non reſponſa poteſt* c *conſultus reddere vates:*
*Ac vix ſuppoſiti* d *tinguntur ſanguine cultri,*

> *Siſtitur ante aras, auditque ignara precantem,*
> *Imponique ſuę videt inter cornua fronti*
> *Quas coluit fruges, percuſſáque ſanguine cultros*
> *Inficit in liquida preuiſos forſitan vnda.*

a Vide 10. Æneidos verſu 538. Carolus Paſchaſius lib.4. coronarum cap.12. deſcribit infulam, latiorem faſciam, eamque laneam & albam, quæ ambit eam capitis partem quæ capillo tegitur, ab vno tempore pertingens ad alterum, & vtrimque adſtricta ac dependente vitta, de qua Lucretius lib.1. de natura rerum verſu 87. de Iphigenia vide 2. Æneid. verſu 430. Liuius lib. 2. *claris inſignibus velut infulis velatos ad mortem deſtinari.* Ouidius 3. de Ponto eleg. 12. ad Cottam, verſu 72.

> *Sparſit aqua captos luſtrali Graia ſacerdos,*
> *Ambiat vt fuluos infula longa comas.*
> *Dumque parat ſacrum, dum velat tempora vittis.*

b Neque victimarum fibræ ardere poterant impoſitæ altaribus, erant enim veneno infectæ, cuius ea natura eſt, vt ignem non facilè concipiat.

c Vates conſulebantur à ſacrificantibus, & ex inſpectione extorum reſponſa reddebant, de quo ritu vide 4. Æneid. verſ.64. Ouid. 5. Metamorph. v 115.

> *Protinus ereptas viuenti pectore fibras*
> *Inſpiciunt, mentéſque Deûm ſcrutantur in illis.*

Tunc autem non poterant vates reſpondere, quia fibræ & exta omnia ita tabe diffluxerant, vt alterum inteſtinum ab altero non poſſet dignoſci. Ouidius 7. Metamorph. in iuculenta peſtis deſcriptione.

> *Fibra quoque ægra notas veri, monitúſque Deorum*
> *Perdiderat.* ——

d E iugulo hoſtiæ tam exiguus emanat cruor, vt cultri (ſeceſpitam vocabant) poparum vix madefiant, & colorentur. Ouid. 7. Metamorph.

*Summâque ieiunia* a *ſanie infuſcatur arena.*
*Hinc lætis* b *vituli vulgò moriuntur in herbis:* *Vituli.*
*Et dulces* c *animas plena ad præſepia reddunt.*
*Hinc canibus blandis* d *rabies venit: & quatit* e *ægros* *Canes, ſues.*
*Tuſſis anhela ſues, ac faucibus angit* f *obeſis.*
*Labitur infelix ſtudiorũ* g, *atq; immemor herbæ*
*Victor* h *equus, fonteſq; auertitur* i, *& pede terram* *Equi.*

*Exiguo tinxit ſubiectos ſanguine cultros.*

ſubiectos & ſuppoſitos cultros aiunt quia ad auerruncandam id eſt, auertendam peſtem diis inferis victimas immolabant. Dii enim Auerrunci, Inferi fuerunt. In ſacris autem Deorum Inferorum culter victimæ iugulo ſupponitur, quia victima prono in terram ore mactatur. vide 6. Æneidos v. 248.

*a* Singulorum verborum pondus examina. Non ait terra ſanguine rubeſcit & penetratur, aut imbibitur cruore: ſed arena, quæ naturâ bibula eſt & faciliùs penetratur, in ſumma duntaxat ſuperficie infuſcatur potiùs quam rubeſcit: qui nimirum non effluebat ſanguis purpureus, ſed ſanies quædam fuſca & ſubnigra, quæ penetrare terram non poterat: tum quia ieiuna erat & exigua, tum quia craſſa & fæculenta.

*b* Pinguibus & luxuriantibus vide 1. Georg. verſu 1.

*c* Singulis epithetis miſerationem exaggerat: quia teneſſi adhuc erant vituli, & vix dum vitæ ſuauitatem guſtauerant, ideo *dulces* ait *animas, plena præſepia,* quia non pabuli defectu moriebantur, ſed aëris iniuria.

*d* *Blandis rabies* antitheſis ad miſerationem aptiſſima.

*e* Proprio verbo vſus eſt: corpus enim tuſſientibus ſuccutitur, Catullus.

*Hic me grauedo frigida & frequens tuſſis Quaſſauit.* ——

*f* Hunc morbum anginam vocant.

*g* Cui infeliciter ſuccedunt ſtudia rei militaris, & curulis certaminis.

*h* Poſt adeptas frequenter victorias tum in pugnis equeſtribus, tum in ſacris certaminibus.

*i* Iam fontes auerſatur, quos antea valde amabat.

Crebra a ferit demiſſæ aures b incertus c ibidem d
Sudor, & ille quidem morituris frigidus, aret
Pellis, & ad tactum e tractanti dura reſiſtit.
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus.
Sin f in proceſſu cœpit crudeſcere morbus:
Tū verò ardentes oculi, atque attractus g ab alto
Spiritus interdum gemitu grauis, imáque longo h
Ilia ſingultu tendunt: it naribus ater
*Remedia quæſita.* Sāguis & obſeſſas i fauces premit aſpera lingua.
Profuit inſerto k latices infundere cornu
Lenæos, ea viſa ſalus morientibus vna.
*Sed male ſuccedunt.* Mox erat l hoc ipſum exitio furiiſq; m refecti

*a* Crebrò, frequentes, nomen pro aduerbio.

*b* Quæ ſanis equis arrectæ ſunt, & micant.

*c* Cuius cauſſa incerta eſt, cùm nullus labor, nulla fatigatio præceſſerit, vel *incertus*, quia varius eſt & inſtabilis, & modò exoritur, modò deſinit ſudor.

*d* Circa aures.

*e* Pellis arida, & ad tactum rigida ſic aſperatur, vt tractanti reſiſtat.

*f* Quod ſi progreſſu temporis, morbus recrudeſcere, & augeri incœperat.

*g* Anhelitus ex imis præcordiis eductus.

*h* Longus ſingultus vocatur anhelitus equi ſublimis, ſiue ſuſpirium equi ſtrigoſi ex imo latere petitum atque deductum, quo ſuſpirio equorum ilia tenduntur, & trahuntur.

*i* Clauſas fauces, obſtructas, interclufas premit lingua aſpera propter nimiam ſiccitatem.

*k* Remedii loco paſtores cœperunt cornu ori equorum inſerere, idque initio quidem podeſſe videbatur. Latex Lenæus eſt liquor bacchicus ſiue vinum. v. 2. Ge. verſu 4.

*l* Paulo pòſt hoc ipſum quod ſaluti eſſe putabatur equis exitium adferebat. Aduerte particulam mox imperfecto iunctam, vt apud Statium præterito perfecto 5. Sylu. protreptico ad Criſpinum.

*Mox Tyrios ex more ſinus tunicámque potentem.*
*Agnouere humeri* —— *m.* Hauſto vino refecti, recreati, & corroborati furiis ardebant.

*Ardebant, ipſique ſuos, iam morte ſub* a *ægra*
*(Dii meliora piis* b *, erroremque hoſtibus illum)*
*Diſciſſos nudis* c *laniabant dentibus artus.*
*Ecce autem duro fumans* d *ſub vomere taurus*
*Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem.* Amplificatio
*Extremóſque ciet* e *gemitus: it triſtis arator,* mali.
*Mœrentem abiungens fraternâ morte* f *iuuencum,*
*Atque opere in medio defixa relinquit aratra.*
*Non vmbræ altorũ* g *nemorũ, non mollia* h *poſſunt*
*Prata mouere animum: non qui per ſaxa* h *volutus*
*Purior electro* i *campum petit amnis: at ima*
*Soluuntur latera, atq; oculos ſtupor vrget inerteis*
*Ad terrámq; fluit* k *deuexo pondere ceruix.* (ras
*Quid labor, aut benefacta iuuãt? quid vomere ter-*

*a* Extremo pene ſpiritu, cum iam mortem in præcordiis conceptam continerent.

*b* Dij dent piis meliora conſilia, quàm tum dederunt illis paſtoribus, & auertant à nobis illum errorem, cúmque hoſtibus immittant, quo decepti paſtores equis pro remedio vinum, vel potius venenum intulerunt.

*c* Detectis, quos equi rabie efferati diductis labris nudauerant atque detexerant.

*d* Seruius. *Per hoc oſtendit etiam fortes tauros repente morbo concidere. Nemo enim, peſtilentem ad aratra ducit iuuencum.*

*e* Ex imis præcordiis euocat. Catullus.

*Frigidulos imo ſingultus ore cientem.*

*f* Conſortis interitu.

*g* Quæ propter arborum proceritatem amœniores vmbras proiiciunt.

*h* Herbida, veſtita mollibus herbis, quæ ſolent eſſe tauris pabulantibus gratiores.

*i* Ac proinde leniter murmurans.

k Vel ſuccino ſiue ambra, vel quodam metallo puriſſimo. 8. Æneidos v. 401.

*l* Caput ad terram deuexum & inclinatum demittitur præ grauedine, & languore.

*Inuertiſſe graues* [a]*? atqui in Maſsica* [b] *Bacchi*
*Munera, non illis epulæ nocuêre repoſtæ:*
*Frondibus, & victu paſcuntur ſimplicis herbæ.*
*Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu*
*Flumina* [c]*, nec ſomnos abrumpis cura ſalubres.* à conſequentibus.
*Tempore non alio dicunt regionibus illis*
*Quæſitos* [d] *ad ſacra boues Iunonis, & vris*
*Imparibus ductos alta ad donaria currus.*
*Ergo ægrè* [e] *raſtris terram rimantur, & ipſis*
*Vnguibus infodiunt fruges, montéſque per altos*
*Contentâ ceruice* [f] *trahunt ſtridentia plauſtra.*

*a* Non eſt otioſum epitheton, ſed agriculturæ difficultatem oſtendit.

*b* Vinum à Maſſico monte Campaniæ. 7. Æneid. v. 725.

*c* Vide quomodo ſenſim miſerationem exaggeret. Quid inquit, profuit tauris labor & beneficium, quo mortales, afficiant terram arando? neque dici poteſt eos ſua culpa, & intemperantia in morbum incidiſſe. Non enim illis pretioſa vina nocuerunt, quale eſt Maſſicum, non epulæ exquiſitæ, delicatæ & ad multos annos repoſitæ, quæ nocere ſolent hominibus. Victu ſimplice paſcuntur, quæ victus ſimplicitas plurimum confert ſanitati? bibunt aquas fontanas & fluuiales, non ſtagnantes torpentéſque, ſed curſu exercitas; neque futuri ſollicitudine cruciantur, quæ hominum ſalubres ſomnos abrumpit.

*d* Quæſitas, & deſideratas, nec tamen inuentas, quæ ſacerdotes & matronas ſacris operaturas rite deducerent. Quare boum penuria cogebantur bobus quibus ſupererant vros ſiue boues ſylueſtres domeſticis longè maiores, atque adeò impares ſociare, & curribus ſiue pilentis ſuis adiungere, vt ita inueherentur ad Iunonis donaria. i. templa, vel potiùs ſacraria & donorum receptacula.

*e* Ergo bobus amiſſis, ipſi terram in ſulcos cum magno labore raſtris aperiunt.

*f* Magna neruorum ceruicis, totiuſque corporis contentione trahunt plauſtra non ſolùm per planities, ſed etiam per

*Non lupus inſidias explorat a ouilia circum,*
*Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum*
*Cura domat* b *timidi damæ, ceruique* c *fugaces,* Piſces.
*Nunc intérque canes, & circum tecta vagantur.*
*Iam maris immenſi prolē & genus omne natantū,*
*Littore in extremo, ceu naufraga corpora* d *fluctus*
*Proluit: inſolitæ* e *fugiunt per flumina phocæ.*
*Interit & curuis* f *fruſtra defenſa latebris* Serpentes.
*Vipera, & attoniti ſquamis adſtantibus* g *hydri.* Aues.
*Ipſis* h *eſt aër auibus non æquus, & illæ*
*Præcipites altâ* i *vitam ſub nube relinquunt.*
*Præterea nec iam mutari pabula refert* k

montes, & quidem altos, arduos, acceſſu difficiles.
*a* Non lupus explorat locum ponendis inſidiis accommodatum, inſidiæ, ſiue ſubſeſſæ, locus inſidiarum.
*b* Magis enim ſollicitus eſt de morbo, quam de præda.
*c* Iam præ morbi violentiâ naturalis timiditatis & fugacitatis obliti.
*d* Humana cadauera naufragio eiecta, quæ fluctus propellit, donec ad littus peruenerint.
*e* Vituli marini timentes marinam peſtilentiam è mari exeunt, & præter conſuetudinem fugiunt ad flumina.
*f* In quas propter anfractus & viarum curuitatem non ita facilè ſe inſinuat aër corruptus.
*g* Inhorreſcentibus, & præ morbi violentia ſubrectis, & aſperatis.
*h* ἐμφατικῶς aër non eſt æquus, imò noxius eſt auibus ipſis, quibus tanquam ſuis alumnis parcere debuiſſet, vel quæ alarum velocitate ſupergredi poterant aërem peſtilentem.
*i* Altiſſimè quidem volabant, ſéque ipſas à terrena contagione, quantùm fieri poterat, remouebant, ſed fruſtrà, quia etiam illic vitam relinquebant.
*k* Nec iam prodeſt mutari pabula, & ſaniora præberi remotis illis quæ lues tabo infecerat.

*Quæſitæque nocent artes, ceſſère a magiſtri,*
*Phyllirides Chiron, Amythaoniúſq; Melampus.*
*Sæuit & in lucem ſtygiis emiſſa tenebris*
*Pallida* b *Tiſiphone morbos agit ante, metúmque:*
*Inque dies auidum, ſurgens caput altiùs effert.*
*Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,*
*Arentéſque* d *ſonant ripæ, colléſque ſupini.*
*Iamq; cateruatim dat ſtragem, atq; aggerat ipſis*
*In ſtabulis turpi dilapſa cadauera tabo:*
*Donec humo tegere, ac foueis abſcondere diſcunt.*
*Nam neq; erat coriis vſus* f, *nec viſcera quiſquam*

*a* Etiam peritiſſimi quique magiſtri medicinæque ſcientiſſimi morbo cedebant, & fatebantur ſe nullum poſſe remedium adhibere: ſcientiſſimi, inquam, medici, & ſimiles Chironi Centauro Saturni & Phyllirӕ Nymphæ filio, ſimiles etiã Melampodi Amythaonis filio qui Prœtidas (de quibus eclog. 6. v. 48.) purgauit luſtrationibus quas inuenerat.

*b* Tiſiphone, vna Furiarum pallida, id eſt terribilis & pallorem adferens mortalibus, ex inferis emiſſa ſæuit, ſuámque crudelitatem expromit, ante ſe ducens morbos, & metum: hinc factum eſt vt amnes, ripæ, montes balatu ouium, & vaccarum mugitu reſonarent.

*c* Vis morbi creſcebat in dies, & Tiſiphone auida & ſitiens cædis & ſanguinis caput altiùs efferebat.

*d* Propter ſiccitatem & æſtum qui tum maximè ſæuiebat, ſiquidèm illa peſtis toto autumni incanduit æſtu.

*e* Nec iam Tiſiphone ſingillatim homines aut beſtias perimebat, ſed cateruatim ſtragem edebat, & cædem cædi accumulans in ipſis ſtabulis cadauerum, quæ turpi tabo defluxerant, aceruos exaggerabat: donec homines ipſa demum neceſſitate compulſi ea terræ mandare ſiue ſepelire, & foueis abſcondere didicerunt.

*f* Ideo ſepeliebant quia pelles animalium morbo putrefactæ nulli vſui eſſe poterant, nec tabes illa, quæ viſceribus penitus inhæſerat, aut aquis elui poterat, & extergi,

*Aut vndis abolere poteſt, aut vincere flammâ.*
*Nec tondere quidem morbo, illuuiéque a* perſâ
*Vellera, nec telas* b *poſſunt attingere putreis.*
*Verùm etiam inuiſos* c *ſi quis tētârat amictus* d
*Ardentes papulæ* e, *atque immundus olentia ſudor*
*Membra ſequebatur: nec longo deinde moranti* f
*Tempore, contactos artus ſacer ignis edebat.*

aut igni ſuperari: *Caro enim corrupta morbo*, inquit Seruius, *quemdam habet mucorem, qui non, ablui poteſt, quoniam omne poſſidet corpus. Item igni ſuperpoſita aut putreſcit, aut dureſcit, nam non coquitur.*

*a* Squallore, ſanie, vlceribus quæ reddebant lanam intonſilem.

*b* Pannos è lana putri contextos.

*c* Odio habendos, quos ne videre quidem expediret, nedum induere & geſtare, iiſque amiciri.

*d* Veſtes attigerat.

*e* Puſtulæ, puſulæ, corbunculi.

*f* Qui veſtes ex ea lana putri confectas induerat, etiamſi non longo tempore moraretur in eo contactu, illi ſtatim membra quæ veſtes attingerant, ſacer ignis exedebat, de quo igne Lucretius lib. 6.

*Corpus vt eſt, per membra ſacer cùm diditur ignis.*
*Exurit ſacer ignis, & vrit corpora ſerpens*
*Quamcumque arripuit partem, repitque per artus,*

Vnde & γυιοϐόρον πῦρ. *ignis, membriuorus,* ἕρπης *ſerpigo nominatur.* Vulgò *ignis ſancti Antonij.*

# PVB. VIRGILII MARONIS.

## GEORGICORVM LIB. IV.

### MODESTINI IVRIS CONSVLTI In IV. Georgicorum.

### ARGVMENTVM.

Protinus aërii mellis redolentia regna,
Hyblæas & apes, aluorum & cerea tecta,
Quique albi flores, examina quæque legenda
Indicat, humentéſque fauos, cœleſtia dona.

Propoſitio.

*PRotinus* a *aërÿ mellis* b *cæleſtia dona*
*Exequar: hanc etiam* c *Mecœnas aſpice partem.*

Attentio.

*Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum,*
*Magnanimóſque duces, totiúſque ordine gentis,*

a Protinus eſt porro tenus, quaſi dicat, iter incœptum abſoluens & ſemper vlteriùs progrediens, exequar & deſcribam quomodo apes educentur, & mel colligatur.
b *Venit hoc è cœlo*, inquit Plinius l. 11. cap. 12. & addit, *Siue ille eſt cœli ſudor ſiue quedam ſiderum ſaliua, ſiue purgantis ſe aëris ſuccus, vtinámque eſſet & purus, ac liquidus, (+) ſiue naturæ, qualis defluit primò, &c.*
c Quemadmodum tres ſuperiores libros benignis oculis adſpexiſti.

*Mores*

*Mores* a, *& ſtudia* b, *& populos* c, *& prælia dicam.*
*In tenui labor, at tenuis non gloria: ſi quem*
*Numina læua* d *ſinunt, auditque vocatus Apollo.*
*Principio ſedes* e *apibus, ſtatioque petenda,*
*Quò neque ſit ventis aditus (nam pabula venti* — *Locus aluearij.*
*Ferre domũ* f *prohibẽt) neq; oues, hædiq; petulci* g
*Floribus inſultent: aut errans bucula campo*
*Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.*
*Abſint & picti ſqualentia terga lacerti* h
*Pinguibus à ſtabulis: meropéſq; aliæq;* i *volucres;* — *Longè ab auibus.*
*Et manibus Progne* l *pectus ſignata cruentis*

a Quaſi quædam inſtituta ciuilia, ſiue leges, de quibus à verſu 150. ad 227.

b Diuerſas cupiditates & motus animorum quibus nonnunquam ad ſeditiones & bella ciuilia concitentur, de quibus à verſu 67. ad 87.

c Aduerte locutiones has transferri à Rebuſpublicis humanis, quod toto pene libro ſeruabitur. Hæc autem eſt nationis, gentis, & populi diſtinctio, quòd natio plures gentes contineat, gens rurſum in plures populos diuidatur. 10. Æneidos v. 202. de Mantua.

*Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.*

d Aduerſa, ſiniſtra, dij qui ſolent obſiſtere mortalium conatibus.

e Sedes, manſio diuturna, aut etiam perpetua: ſtatio ad tempus, dum quæritur locus commodior.

f In aluear.

g Petulantes, laſciui, bucula verò eſt iunix, ſiue vacca teneræ adhuc ætatis.

h Lacerti, *les lezarts*, maculoſi & habentes terga ſquallentia, & diuerſis lineis quaſi caniculatim aſperata.

i Ab aluearibus pingui melle abundantibus.

k Aues apiculis inimicæ dictæ apiatiæ, apiaſtri, μελισσοφάγοι apiuoræ Gallicè *des gueſpiers*

l Hirundo. Fabulam attingit, de qua fusè ecloga 6. verſu 78. Cauſſam autem coloris rubri, qui eſt in hirundinum

*Omnia nam latè vaſtant: ipſáſque* a *volantes*
*Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam.*
Iuxta riuulos. *At liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco* b
*Adſint, & tenuis* c *fugiens* d *per gramina riuus:*
*Palmaque veſtibulū* e, *aut ingens oleaſter obūbret:*
*Vt cùm prima noui ducent examina reges*
*Vere ſuo* f, *ludétque fauis* g *emiſſa iuuentus,*
*Vicina inuitet decedere* h *ripa calori:*
*Obuiáque hoſpitijs teneat frondentibus arbos.*

pectoribus eam eſſe fingit, quòd Progne manibus Ityli filij cruore reſperſis pectus ſuum plangens percuſſerit.

*a* Apiculas. Elegans autem eſt antitheſis, & ad lenem miſerationis motum aptiſſima, *eſcam dulcem nidis immitibus.*

*b* Stagna viridi lanugine cooperta. Lucr. 5.

*Humida ſaxa ſuper viridi ſtillantia muſco.*

Eſt etiam muſcus lanugo quæ arborum truncis adnaſcitur.

*c* Non profundus, ſed calculis diſcriminatus, vt ſint à periculo tutiores.

*d* Non torpens, ſed manens & defluens, vt ſit aqua liquidior & ſalubrior.

*e* Anteriorem partem & ianuam aluearis.

*f* Fauenti. vt lib 5. Æneid. v. 832.

*Ferunt ſua flamina claſſem.*

g Ex aluearibus vbi faui, examen: *vn eſſein*, fauus: *vn rayon de miel*. aluear: *vne ruche*.

*h* Iuxta riuulos & arbores ponenda ſunt aluearia, vt cùm noui reges educent ex aluearibus prima examina, veri obſecundante, & apiculæ iuniores fauis emiſſæ quaſi ludentes volitabunt, tunc vicina riuuli ripa ſua amœnitate gelidáque perennitate eas ad ſeſe alliciat, & inuitet à calore ſecedere æſtúmque vitare. & arbor obuia ſéque ſponte offerens eas retineat ſuarum frondium amœnitate, tanquam in hoſpitio pulcherrimo. ſic Horat.

*Qua pinus ingens albáque populus*
*Vmbram hoſpitalem conſociare amant*
*Ramis* ——

*In medium, ſeu ſtabit iners, a ſeu prôfluet humor,*
*Tranſuerſas ſalices, & grandia coniice ſaxa:*
*Pontibus b vt crebris poßint conſiſtere, & alas*
*Pandere ad æſtiuum Solem: ſi fortè moranteis c*
*Sparſerit, aut præceps Neptuno d immerſerit Eurus.*
*Hæc circum e caſiæ virides, & olentia latè*
*Serpylla, & grauiter ſpirantis copia thymbræ*
*Floreat, irriguúmque bibant f violaria fontem.*
*Ipſa autem ſeu corticibus tibi g ſuta cauatis,*
*Seu lento h fuerint aluearia vimine texta,*
*Anguſtos habeant aditus, nam frigore mella*
*Cogit hyems, eadémque calor liquefacta remittit.*
*Vtraque vis apibus pariter metuenda: neque illæ*
*Nequicquam i in tectis certatim tenuia cerâ*

*Herbæ circumferendæ*

*aluearia*

*Calor & frigus apibus inimica*

a. Sine aqua ſtagnabit & torpebit otioſa,
b Seruius *Veluti pontibus, nam non ſunt pontes.*
c Tardiùs è pabulatione redeuntes.
d Aqua, cui elemento præeſſe Neptunus dicitur.
e Circum hæc aluearia, hos riuulos, has arbores. Porro caſiã hoc loco lauandulam aut roſmarinum exponunt viri eruditi. Serpillum *du ſerpolet*: Tymbra vel cunila vel Satureia.
f Violaria irrigentur & humectentur aquis è perenni fonte manantibus.
g Plinius lib. 21. cap. 14. Aluearia optima cortice: ſecunda ferula: tertia vimine: multi ea è ſpeculari lapide facere, vt operantes intus ſpectarent.
h Flexili.
i Tam frigoris, quàm caloris, inquit Seruius quod licet vtrumque æquali modo metuendum ſit, tamen diſſimiliter nocet. Nam calore liquefacta defluunt mella, quæ ſi fuerint frigore condurata, conſtrictas apes interimunt.
k Cùm igitur vis frigoris & caloris ſit pariter apibus metuenda, non fruſtra in vtriuſque remedium, certatim & quaſi initio inter ſe diligentiæ certamine, in tectis ſiue

*Spiramenta linunt, fucoque* a, *& floribus oras*
*Explent, collectumq; hæc ipſa ad munera* b *gluten*
*Et viſco, & Phrygiæ ſeruant pice lentius Idæ.*
*Sæpe etiam effoſſis (ſi vera eſt fama* c *) latebris,*
*Sub terra fodêre larem: penituſque repertæ*
*Pumicibuſque* d *cauis, exeſaque arboris antro.*
*Tu autem* e *è læui rimoſa cubilia limo*
*Vnge, fouens circùm, & raras ſuperinÿce frondes.*
*Neu propiùs tectis taxum* f *ſine: néue rubentes*

*Taxus apibus inimica*

aluearibus tenuia ſpiramenta, ſiue anguſtas rimulas, per quas aura ſpirabilis ingredi poſſet, cerâ linunt, & obturant, & margines explent floribus.

*a* Seruius. *Genus eſt herbæ, vnde tinguntur veſtes, fucum autẽ (&) flores pro cera poſuit, quam ex his colligunt rebus.*

*b* Ad hunc ipſum effectum, ad hoc opus ſiue negotium. i. ad obturandas oras aluearis, ſeruant gluten, quod aſt lentius .i. ſequacius & viſcoſius iſpo viſco, & pice, etiam illa celebratiſſima quæ colligitur ex Ida monte Phrygiæ. Munus autem hoc loco eſt opus quod præſtare quis tenetur, eſtque translatio à militia, vel à ciuibus, qui munera & officia exercent, & eas operari *munere quamque ſuo*, patet ex iis quæ infrà dicentur à verſu 158. hinc immunitas dicitur horum munerum publicorum vacatio. verſu 244

*Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus.*

ἀσύμβολος nihil operæ conferens.

*c* Si credi poteſt apiculas poſſe ſub terra ſibi larem .i. domum fodere, & terram excauare, vt in iis cauernulis deliteſcant. Lares autem ſunt dij domorum præſides, de quibus nonnihil diximus orat. in Vatin. §. 14. nota 8.

*d* Pumex, *vne pierre ponce*. quæ multis foraminibus vt plurimum excauatur, arbor exeſa eſt arbor carioſa, ſiue vitioſa.

*e* Quamuis apes tantam adhibeant cautionem ſéque ab æſtu & frigore defendant, nihilo tamen minus admouenda manus operi, & limus eſt aluearium rimis allinendus.

*f* Taxus arbor apibus noxia, vide ecloga ix. v. 29.

*Vre foco cancros* a *: altæ neu crede* b *paludi:*
*Aut vbi odor cœni grauis : aut vbi concaua pulſu* Nidor. cancri.
*Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.* Echo.
*Quod ſupereſt, vbi pulſam hyemē Sol aureus egit*
*Sub terras* c*, cælúmque æſtiua luce recluſit* d*,* Pabulationes
*Illæ continuò ſaltus, ſyluaſque peragrant,* apum.
*Purpureóſque metunt flores, & flumina libant* e

*Sic tua cyrnęas fugiant examina taxos.*
de cuius arboris noxia qualitate vide dicta ad 2. Geor. v. 257.
*—— picee tantùm taxique nocentes.*

a Columella tradit noxium apibus eſſe cancri nidorem cùm eſt ignibus aduſtus.

b Non debes credere ſiue committere aluearia locis paluſtribus & cœnoſis, vnde grauis odor exhalatur, neque prope loca concaua & confragoſa, vbi echo (quæ nihil aliud eſt quam vocis ſpecies & imago) offenſa ſiue alliſa ſcopulis repercutitur, & reſultat: eſt enim echo nihil aliud quam quædam vocis imago, vt Lucretius, Virgilius, Horatius appellant. i. ſpecies quædam ſoni, ſeu redditio, & repetitio, quæ fit in locis tortuoſis & concauis, vt vallibus, antris, ædificijs cameratis, &c.

c Ad partes mundi auſtrales, ſiue antarcticas, quas
*Sub pedibus ſtyx atra videt, manéſque profundi.*
vt dicitur 1. Ge. v. 154 Illuc ſol dicitur hyemem expellere, quia cum ad nos accedit, & in ſignis Borealibus verſatur, recedit ab ijs, ex quo ſolis receſſu ſequitur hyems.

d Aperuit verna ſerenitate. Notum illud 4. faſtorum.
*Aprilem memorant ab aperto tempore dictum*
*Quem Venus iniectâ vendicat alma manu.*
Vnde & Taurus quem Sol ingreditur 22. Aprilis dicitur auratis cornibus annum aperire 1. Georg, verſu 217. Quæ ſit autem inter ſyluas & ſaltus diſtinctio, diximus ad illud. 4. Æneidos 72. *—— Illa fugâ ſyluas ſaltúſque peragrat Dictæos. ——*

e Summam aquarum ſuperficiem delibant tenuitérque deguſtant, tam celeriter vt vix flumen attingant, ſic ecl. 5. v. 25.
*—— Nulla neque amnem*

*Summa leues:* a *hinc neſcio qua dulcedine lætæ*
Opera. *Progeniem, nidóſque fouent: hinc arte* b *recenteis*
*Excudunt* c *ceras, & mella tenacia* d *fingunt.*
Examinum emiſſio. *Hinc vbi iam emiſſum* e *caueis ad ſidera cæli*
*Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen,*
*Obſcuramque trahi vento mirabile nubem*
*Contemplator: aquas dulceis, & frondea ſemper*
*Tecta petunt: huc tu iuſſos* f *aſperge ſapores,*

*Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.*

Lucretius lib. 6. — *Quamuis ex vno quoque loco Sol*
*Humoris paruam delibet ab æquore partem.*

*a* Ex hac florum meſſe & aquarum hauſtu, quo fluminum ſuperficiem delibant, & nidos in fauis ſibi parant, & progeniem fouent nutriúntque natos, quos non ex concubitu generant, more cæterorum animalium, ſed è folijs *& ſuauibus herbis ore legunt*, idque faciunt ex inſita quadam & naturali delectatione, cuius cauſſa nobis occulta eſt.

*b* Tam artificioſè ceras elaborant, vt omnes cellas efficiant ſexangulas, & latera lateribus ſuffulciant.

*c* Fabricant, metaphora à fabris ferrarijs, vnde & infra apiculas Cyclopibus comparabit.

*d* Pinguia, glutinoſa, ſibique cohærentia, quia, inquit, Seruius, cùm inuerſi ſunt faui, mel tamen inde non funditur, vnde ait tenacia, quæ in reſupinatis fauis cohærent.

*e* Deinde vbi tu contemplator diligénſque apum obſeruator & cuſtos, tanquam in ſpecula poſitus ſuſpexeris, i. inferiore loco adſpexeris agmen ſiue examen apum ex aluearibus tanquam ex theatri caueis emiſſum in altum euolare, & per vernam ſerenitatem inſtar piſcium in aqua natantium per aërem volitare, itaque ſecundùm venti flatus longo tractu diffundi, vt nubis inſtar aërem obſcurent: hæc, inquam, vbi cum admiratione ſpectabis, ſignum eſt eas aquas dulces petere & in frondoſis arborum ramis, tanquam in tectis & diuerſorijs velle hoſpitari.

*f* In hæc tecta frondea ſiue in has arbores aluearij veſtibulum inumbrantes adſperge & alline ſuccos & ſapores herbarum quos peritiores apiarij, iubent adſpergi: hæ autem herbæ ſunt meliphyla ſiue melliſophylla, ſic dicta quaſi folia apum

*Trita meliphylla, & cerinthæ ignobile gramen:*
*Tinnitúſque cie* a, *& Matris quate cymbala circũ.* *Tinnitus excitandi.*
*Ipſæ conſident medicatis* b *ſedibus; ipſæ*
*Intima more ſuo ſeſe in cunabula* c *condent.*
*Sin autem ad pugnam exierint (nam ſæpè duobus*
*Regibus inceſſit* d *magno diſcordia motu)* *Apum certamina.*
*Continuóq;* e *animas vulgi, & trepidantia* f *bello*
*Corda licet longè præſciſcere: namque moranteis*
*Martius ille* g *æris rauci canor increpat, & vox*

vel folia mellita, trita vel quia ſunt apud ruſticos vſu recepta qui ſolent ijs aluearia confricare: vel quia ipſa confracatione atteruntur: & gramen cerinthæ, quod eſt ignobile. i. vile & contemptum, quia paſſim inuenitur. *Eſt autem cerinthe*, inquit Plinius lib. 21. *folio incuruo, candido, capite concauo, mellis ſuccum habente.*

*a* Excita & educ tinnitum è cymbalis, ſic Catullus.

*Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.*

eſt autem hyſteron proteron. Prius enim cymbala circum aluearia quatiuntur, quam ille tinnitus excitetur. Cymbala verò ærea fuerunt inſtrumenta concaua, quæ bacillis æreis percuſſa tinnitum edebant, eadem fortaſſe quæ nunc *attabala* vulgo nominantur, ea ſolebant Matris magnæ, id eſt Cybeles Matris Deorum ſiue Matris Phrygiæ ſacris adhiberi. Lucret. lib. 2.

*Tympana tenta tonant palmis, & concaua circum*
*Cymbala rauciſonoque minantur cornua cantu.*

Vide Piſonianam §. 20.

*b* Vnctis ſucco cerinthæ & melliphylli.

*c* Aluearia in quibus tanquam in cunis requieſcunt.

*d* Incidit, incubuit.

*e* Particula *que* redundat, ne pendeat ſententia. Hoc ſenſu: ſin autem ad pugnam exierint, continuo licet animos vulgi prædiſcere, & præuidere.

*f* Cum feſtinatione tumultuantia *trepigants.*

*g* Emphaſis notus ille & mirus bombus qui raucũ æreæ tubæ clangorem imitatur. Hic aduerte miram poëſim, canorem

*Auditur fractos* a *ſonitus imitata tubarum.*
*Tum trepidæ* b *inter ſe coëunt, penniſq; coruſcāt* c
*Spiculáq; exacuunt roſtris, aptántque* d *lacertos:*
Pugnæ deſcriptio. *Et circa regem, atque ipſa ad prætoria* e *denſæ*
*Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtem.*
*Ergo vbi ver nactæ ſudum, campóſque* f *patenteis,*
*Erumpunt portis, concurritur: æthere* g *in alto*
*Fit ſonitus, magnum miſtæ glomerantur in orbem,*
*Præcipitéſque cadunt: non denſior aëre grando,*
*Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.*
*Ipſi* h *per medias acies, inſignibus alis,*
*Ingentes animos anguſto* i *in pectore verſant.*
*Vſque adeò obnixi* k *nec cedere, dum* l *grauis aut hos,*
*Aut hos verſa fugâ victor dare terga coëgit.*
Modus compeſcendi. *Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta*
*Pulueris exigui iactu* m *compreſſa quieſcent.*

æris vocat, cùm reuera ſit apicularum bombus, & æris rauci, id eſt, canori, vt alibi frequenter, & Martium ait canorem, quod claſſicum ad pugnam ſonare videatur.

*a* Ex aëris ad tubas colliſione generatos.

*b* Feſtinæ, tumultuantes.

*c* Alas inter ſe collidunt.

*d* Parant ad futurum certamen.

*e* Vox militaris, prætoria ſunt imperatoris tentoria. hic ſunt cellæ regum.

*f* Aerem apertum, aër enim eſt campus vbi ab apibus dimicatur.

*g* Aëre. *h.* Reges vtriuſque aciei. *i.* Antitheſis.

*k* Obſtinati.

*l* Donec.

*m* Seruius. id ait fieri, *qui cùm puluerem viderint ſperant tempeſtatem futuram, quæ eis plurimùm nocet.*

*Verùm vbi ductores acie reuocaueris ambos,*
*Deterior qui viſus, eum, ne prodigus* a *obſit,*
*Dede neci: melior vacua* b *ſine regnet in aula.*
*Alter erit maculis auro ſquallentibus* c *ardens* Duo apum genera.
*(Nã duo sũt genera) hîc* d *melior, inſignis & ore*
*Et rutilis clarus ſquamis: ille* e *horridus alter*
*Deſidia, latámque trahens inglorius aluum.*
*Vt bina regum facies, ita corpora gentis.* Deteriores.
*Namque aliæ turpes horrent, ceu puluere ab alto*
*Cùm venit, & terram ſicco ſpuit ore viator* Meliores.
*Aridus:* f *elucent aliæ, & fulgore coruſcant*
*Ardentes auro, & paribus lita corpora* g *guttis.*
*Hæc potior ſoboles, hinc* h *cœli tempore certo*
*Dulcia mella premes: nec tantum dulcia quantum*
*Et liquida, & durũ Bacchi* i *domitura* k *ſaporem.*
*At cùm incerta* l *volãt, cœloq; examina ludunt,*

a Idem. *Non mella conficiens, ſed mella conſumens. Ideo autem regem ſolum pręcipit occidendum, quia eo amiſſo ſuus diſſipatur exercitus.*
b Ab alio rege non occupata. Statius 2. Theb.
*——Vacuâ cùm ſolus in aulâ*
*Reſpiceres ius omne tuum cunctóſque minores,*
*Et nuſquam par ſtare caput.*
c Lucentibus & in morem ſquamarum aſperatis.
d Victor. e Victus. f Sitibundus.
g Habentes corpora ardentia, id eſt fulgentia maculis aurei coloris, & notis paribus interlita; ſiue adſperſa maculis guttarum ſimilitudinem habentibus.
h Ex hac potiore apum ſobole mella colliges, & è fauis exprimes certo tempore cœli, quia videlicet tempus cœli reuolutionibus menſuratur, vnde & Saturnum Deum temporis, cœli eſſe filium veteres fabulis ſuis prodiderunt.
i Vini. k Mitigatura.
l Incerto volatu hac illac errantia.

*Contemnúntq; fauos, & frigida* a *tecta relinquunt,*
*Modus prohibendi ne exeant examina.* *Inſtabiles* b *animos ludo prohibebis inani.*
*Nec magnus prohibere labor : tu regibus alas*
*Eripe : non illis quiſquam cunctantibus* c *altum*
*Ire iter , aut caſtris audebit vellere ſigna.*
*Inuitent* d *croceis halantes floribus horti,*
*Mellarii vigilantia.* *Et cuſtos furum , atque auium cum falce ſaligna*
*Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi* e.
*Ipſe thymum , pinóſque ferens de montibus altis*
*Tecta ſerat latè circum* f, *cui talia curæ.*
*Ipſe labore manum duro terat , ipſe feraces*

*a* Aluearia iam vacua, nec vt priùs opere feruentia , vnde & *feruet opus.*

*b* *Suadentes inanem vagandi licentiam.* inquit Seruius.

*c* Regibus cunctantibus & alueari ſe continentibus , nullus militum audebit in altum euolare : alludit ad morem militum, qui cùm caſtra metati fuerant , ſigna figebant in principiis caſtorum ante Prætorium , & caſtra moturi eadem ſigna vellebant.

*d* Alterum remedium eſt contra hos incertos apum volatus & vagandi licentiam , ſi vicini ſint horti corceis flauiſque floribus diſcriminati , & halantes , ideſt , iucundum odorem exſpirantes.

*e* Priapus autem fuit hortorum deus , cuius effigies lignea cum falce & è ſalice facta ſtatuebatur in hortis ad abigendos fures auéſque terrendas. Helleſpontiacum appellat , quia Lampſaci colebatur quæ vrbs ad Helleſpontum. Helleſpontus autem eſt fretum inter Ægeum mare & Propontidem Europam ab Aſia diſterminans , nunc *le deſtroit de Gallipoli*, vel *le bras de S. George.*

*f* Ordo eſt. Ipſe cui talia curæ , videlicet mellarius cui mellificij cura incumbit , latè ſerat circum tecta ſiue aluearia thymum & pinos & quos de montibus tranſtulerit , vbi ſua ſponte naſcuntur. Ter autem inculcat dictionem *ipſe* vt ſignificet diligenter id eſſe faciendum , neque huius rei curam aliis eſſe mandandam.

*Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.*
*Atque equidem, extremo ni iam ſub fine laborum*
*Vela trahem* a, *& terris feſtinem aduertere proram,*
*Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi*
*Ornaret, canerem, biferique roſaria Pæſti* b:
*Quóque modo potis gauderent intyba* c *riuis,*
*Et virides apio ripæ, tortúſque per herbam* I.O. *Res hortenſis.*
*Creſceret in ventrem cucumis: nec ſera comantem*
*Narciſſum, aut flexi tacuiſſem vimen acanthi,*
*Pallentéſque hederas & amantes littora* d *myrtos.*

a Atque equidem forſitan etiam canerem quæ cura colendi, ideſt, quæ ratio culturæ ornaret hortos, eóſque redderet pingues & fœcundos, niſi ad finem operis ſuſcepti properarem. Allegoriam ducit à nautis, qui cum propius ad portum acceſſerint, vela colligunt, & terræ proram, ideſt, anteriorem nauis partem appellunt.

b Pæſtum oppidum Brutiorum in Italia, roſis celebratum: Placet in gratiam puerorum, roſæ deſcriptionem Plinianam exhibere lib. 21 cap 4. *Germinat omnis primo incluſa granoſo cortice, quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigiato paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſe e pandit, in calicis medio ſui ſtantes complexa luteos apices* Iam Pæſtum biferum, quia

*Bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos.*

c *Des endiues.* quæ gaudent potis riuis, & frequenti irrigatione melius proueniunt. apium *du persil* quod creſcit vel in ripis riuulorum. vel ſeritur in puluillorum & areolarum ambitu & corona, quem ambitum Turnebus ripam putat vocari poſſe: cucumis. *un concombre* tortus dicitur quòd plerumque in gibbum extuberet, per herbam & humi iacens creſcit in ventrem, qui ſi pendeat, magis in longum extenditur. Narciſſus ſera, ideſt ſero comans; quia non niſi adulta iam æſtate in flores explicatur: acanthus, vulgo *branca vrſina*, flexilis, lenta & apta vinciendo, vnde & vimen appellat.

d In Bucolicis. *Littora myrtetis lætiſſima.*

*Namque* a *ſub Oebaliæ* b *memini me turribus altis,*
Digreſſio de olitore diligẽti. *Quà niger* d *humectat flauentia culta* e *Galeſus* f,
*Corycium* g *vidiſſe ſenem, cui pauca relicti* h
*Iugera ruris erant, nec fertilis illa iuuencis,*

*a* Probat exemplo ſenis Corycij magnas vtilitates ex hortorum cultura prouenire.
*b* Tarenti, vrbis in Calabria Oebaliam vocat, vel quia Phalantus Lacon, ſiue Oebalius cò coloniam deduxit Lacedæmoniorum. vide ad verſum 552. lib. 3. Æneidos.

*c* Sub arce Tarentinæ ciuitatis, de qua Cicero de ſenectute.
*d* Profundus. Vnde & Homero κρήνη μελάνυδρος. fons nigrum aquam habens, aqua enim profunda videtur nigreſcere
*e* Agros bene cultos feraces frumenti, quod flaueſcit cùm ad maturitatem peruenerit.
*f* Fluuius Calabriæ. Horatius 2. Carm. ode 6.

*Dulce pellitis ouibus Galeſi —*
*Flumen, & regnata petam Laconi Rura Phalanto.*

*g* Cilicem, à Coryco Ciliciæ ciuitate. Videtur vnus fuiſſe è Piratis Cilicibus, quibus Pompeius in fidem recepti agros aſſignauit, vt auctor eſt Plutarchus in Pompeio.

*h* Plerique interpretantur agrum hæreditarium à patre relictum. Non placent: quia cùm iſte iam ſenex eſſet, ratio temporis exigit, vt eum potiùs credamus quàm patrem eius è Cilicia in Calabriam fuiſſe tranſlatum. Non enim adhuc quadraginta anni effluxerant à bello piratico, cum iſta ſcriberentur. Bene igitur Seruius exponit *relicti, deſerti atque contempti. Quis enim agrum non ſperneret, nulli rei aptum: non vitibus, non frumentis, vel paſcuis?* Vel relictum rus dicitur, quia cum non fuiſſet veteranis attributum, illi Cilici tanquam à cæteris neglectum obuenerat, tanquam ſubceſiuum. *Subceſiuorum*, inquit Iulius Frõtinus, *duo genera: vnum quod in extremis aſſignatorum finium nomen accepit: alterum quod in medijs aſſignationibus, & integris centurijs interuenit.* Vide 1. Philipp. §. 15. nota 7. De iugero §. 29. nota 2.

*Nec pecori opportuna ſeges* a*, nec cōmoda Baccho,*
*Hic* b *rarum* c *tamen in dumis olus, albaq; circum*
*Lilia, verbenaſq;* d *premēs* e *veſcumq;* f *papauer,*
*Regum æquabat opes animis* g *ſeraq;* h *reuertens*
*Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis* i
*Primus vere roſā, atq; autumno carpere* k *poma,*

a Seges hic eſt terra, culta & arata, vt 1. Georg. v.47. Alias ipſæ fruges Ouidius.

*Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris.*

b In hoc ſolo ſterili quod priùs dumi & ſentes oppleuerant olus rarum & èxcellens cum lilijs, verbenis & papauere ſerebat, &c.

c Rarum hoc loco ponitur non pro infrequenti, ſed pro electo & præſtanti, Nam, vt ait Tullius 2. de finibus 81. *In omni re optimum quodque rariſſimum eſt.* & de Amicitia 81. Rarum id genus: & quidem omnia præclara rara, nec quicquam difficilius, quam reperire quod ſit ex omni parte in ſuo genere perfectum, Naſo 14. Metam.

*Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi.*

d Verbenæ ſiue ſagmina frequenter ſumuntur in ſacris pro quauis herba. Eſt enim verbena teſte Plinio, *Gramen ex arce cum ſua terra euulſum* Eſt tamen propriè ſpecies quædam herbæ, de qua idem l.2.cap 9. *Nulla tamen Romanę nobilitatis plus habet, quam hierabotane, aliqui periſtereon, noſtri verbenacam vocant.*

e Vel altè infodiens. vt lib. 2. Georg. 346.

*Quęcunque premes virgulta per agros.*

vel ſtipans, & denſius ſerens, eſtque non inelegans antitheſis *rarum premens.*

f Quo veſcimur, edule ἐδώδιμον.

*Et veſcas ſalicum frondes ——*

Lucret lib. 1. —— *Veſco ſale ſaxa pereſa.*

g Ita ſuis diuitijs hortenſibus contentus erat, tam altos ſpiritus gerebat, vt regū theſauros ſuis prouētibus non anteferret.

h Emphaſis. fuit enim valde diligens hortulanus qui ſera nocte reuertebatur, totámque diem in horto exigebat.

i Ex horto proprio collectis, non è macello aut è foro comportatis.

k Carpebat, vt mox, *abundare, cogere*, pro *abundabát, cogebat.*

*Et cùm triſtis hyems etiam nunc frigore ſaxa*
*Rumperet* a *, & glacie curſus frenaret* b *aquarum,*
*Ille comam mollis iam tum tondebat achanti,*
*Æſtatem increpitans* c *ſerã, Zephyróſq; morantes.*
*Ergo apibus fœtis idem, atque examine multo*
*Primus abundare, & ſpumantia cogere* d *preſſis*
*Melle fauis, illi tiliæ* e *, atque vberrima pinus.*
*Quó que in flore nouo pomis ſe fertilis arbos*
*Induerat* f *, totidem autumno matura tenebat.*
*Ille etiam ſeras in verſum* g *diſtulit vlmos,*
*Eduramque pyrum, & ſpinos iam pruna ferentes,*
*Iamque miniſtrantem platanum potantibus vm-*
*bram.*

*a* Hyperbolica frigoris hyberni deſcriptio vt lib. 1.

*Æráque diſſiliunt vulgo —*

*b* Moraretur, retineret Horatius.

*— Hebruſque niuali compede vinctus.*

*c* Æſtatem incuſans, eique illudens & inſultans quod ſeritis adueniret, & quodammodo exprobrans ſe ad legendos flores æſtatis calore non egere. Sidonius Panegyr. Anthemij.

*Hybernę rubuere roſæ, ſpretoquę rigore*
*Lilia permixtis inſultauere pruinis.*

*d* Mel è compreſſis fauis colligebat, apes autem fœtæ dicuntur copioſæ, & multum mellis parientes.

*e* Tilias & pinus ideo plantarat, vt glutinum apibus ſubminiſtrarent, pinus igitur etſi natura ſterilis, illi tamen erat vberrima glutinum apibus neceſſarium ſubminiſtrans.

*g* Tot colligebat fructus maturos in autumno, quot flores in vere gemmauerant. lib. 1. Georg.

*Se nux plurima ſyluis Induit in florem.*

*h* Ille idem ſenex Corycius vlmos tardè creſcentes, pyros valdè duras, ſpinos inſitas ſurculis prunorum digeſſit & diſtrlit in ordinem illum quincuncialem, de quo lib 2. v. 277 de ſignificatione verſus, vide 5. Æneidos, verſu. 119

*Verùm hæc ipſe quidem ſpatijs diſcluſus iniquis* a
*Prætereo, atque aliis pòſt commemoranda relinquo.*
*Nunc age naturas* b *apibus, quas Iuppiter ipſe*
*Addidit, expediam: pro qua mercede canoros*
*Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecutæ*
*Dictæo cæli regem pauêre ſub antro.*
*Solæ communes natos, conſortia tecta*
*Vrbis habent, magniſq; c agitãt ſub legibus æuum:*
*Et patriam ſolæ, & certos nouêre penates:*
*Venturæque hyemis memores, æſtate laborem*
*Experiuntur, & in medium* d *quæſita reponunt.*
*Namque aliæ victu inuigilant* e*, & fœdere pacto*

a Allegoria eſt à ludis Circenſibus. Cùm ſim in iniquo i. anguſto ſpatio Circi, non poſſum ad hortorum culturam euagari. 5. Æneidos verſu 204.
*—Spatioque ſubit Sergeſtus iniquo.*
Item lib. 11. v. 531. *— Et ſyluis inſedit iniquis.*
vbi iniquas vocat ſyluas. *— Tenuis quò ſemita ducit,*
*Anguſtæque ferunt fauces aditusque maligni.*

b Proprietates naturales. Nunc age, mi lector, expediam ſiue paucis verbis exponam proprietates, quas ipſe Iupiter addidit & adiunxit apum naturæ, cùm priùs apes huiuſmodi proprietatibus carerent, & cæterarum beſtiarum more ſtupidæ eſſent, bonorúmque morum expertes. Pro qua mercede. i. quas proprietates vt mercedis loco obtinerent, pauerunt & nutrierunt Iouem adhuc infantem ſub antro Dictæi montis in Creta. Ad eum porro venerunt ſecutæ ſtrepitus crepitúſque clypeorum, qui à Curetibus nouem fratribus circa Iouis cunas ſaltantibus clypeóſque & galeas æreas collidentibus edebantur, ne Saturnus vagitum Iouis audiret. Fabulam exponimus ad verſum 110. lib 1. Æneidos.

c Auguſtis, ſacris, venerandis.

d In commune 1. Georg. 127. *——In medium quærebant—*

e Ita inter ſe certa pactione laborem partiuntur, vt aliæ

*Exercentur agris, pars intra ſepta domorum*
*Narciſſi lacrymam & lentum de cortice gluten*
*Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaceis* a
*Suſpendunt ceras : aliæ ſpem gentis adultos*
*Educunt* b *fœtus : aliæ puriſſima mella*
*Stipant* c, *& liquido diſtendunt nectare cellas.*
*Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia* d *ſorti,*
*Inque vicem* e *ſpeculantur aquas* f *& nubila cœli,*

inuigilent victui comparando, ſéque in agis exerceant, aliæ prima iaceant fauorum fundamenta ex humore narciſſi & glutine è corticibus arborum collecto, Græci inquit Seruius, προπολιν vocant, duriore cera quæ vix ferro poteſt frangi, quam colligunt de gummi arborum, & raſis lapidibus, vnde paulo pòſt dicit.

*Sæpe etiam duris errando in cotibus alas*
*Attriuere* — Plinius lib. 11. c. 7. *Prima fundamenta operis commiſſin votant periti : ſecunda piſſaceron : tertia propolin.*

*a* Sibi cohærentes. Plin l. 11. cap. 10. *faui ſuperiore parti affixi & paululum etiam lateribus ſimul hęrent & pendent vnà.*

*b* Aliæ fœtus educunt & nutriunt, & ita faciunt adultos. *Educere* idem quod educare vt lib. 3 v. 413.

— *paruos educere gnatos.*

ſpem genitis vocat, quia ex hac prolis educatione generis conſeruatio dependet.

*c* Aliæ mella conſtipant & condenſant, poſtquam liquorem hunc è floribus collectum ab omni ſpurcitia purgauerint. Plin. l. 11. cap 10. *Mira munditia amoliuntur omnia è medio nullæque inter opera ſpurcitiæ iacent* Et dulci liquore ad nectaris (qui potus eſt Deorum) ſuauitatem accedente cellulas ſuas diſtendunt, i. adeò replent, vt diſtendantur, & pene diſrumpantur.

*d* Plinius ibidem. *Interdiu ſtatio ad portas more caſtrorum.*

*e* Vna poſt aliam v. Æn. — *Vigiles ſimul excitat: illi Succedunt, ſeruantque vices.*

*f* Plinius loco citato. *Prędiuinant enim ventos, imbreſque, & tunc ſe continent tectis.*

*Aut onera accipiũt venientum: aut agmine facto* a *Apum labores, & ſedulitas.*
*Ignauum fucos pecus à præſebibus arcent,*
*Feruet opus, redoléntque thymo fragrantia mella.*
*Ac veluti lentis* b *Cyclopes fulmina maſsis*
*Cùm properant* c *: alij taurinis* d *follibus auras*
*Accipiunt, reddúntque: alij ſtridentia tingunt,* *Comparatio.*
*Æra lacu,* e *gemit impoſitis* f *incudibus Ætna;*
*Illi inter ſeſe magnâ vi brachia tollunt,*
*In numerum, verſántque tenaci forcipe ferrum:*
*Non aliter (ſi parua licet componere magnis)*
*Cecropias* g *innatus apes amor vrget habendi,*
*Munere quamque ſuo: grandæuis oppida curæ,*
*Et munire fauos* h, *& dædala* i *fingere tecta.*

*a* Apiculæ cateruatim ingruentes fucos, qui ſunt pecus ignauum, ſegne, inerme, ſine aculeo, arcent & abigunt ad opus à præſepibus, ideſt, à cellulis quæ ſtabuli inſtar fucorum habitationi ſunt deſtinatæ. Plinius lib. 11. cap. 11. *Adijciuntur contubernia & fucis. His ſunt cellarum minimæ, &c.* Fucos ibidem appellat. *quaſi ſeruitia verarum apum: quamobrem imperant ijs primoſque in opera expellunt: tardantes ſine clementia puniunt.* Ideo præſepia ſubiungit, quia *pecus* præmiſerat.

*b* Ductilibus, malleo obſequentibus maſſis ferri.

*c* Properè fabricantur. *d* E taurorum corio factis.

*e* Vide 8. Æneid verſ. 450.

*f* In ſuo loco collocatis, erant enim incudes exemptiles; Homerus Iliados σ' Θῆκεν δ' ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα.
*Poſuit in trunco incudem magnam.*

*g* Atticas à Cecrope Athenienſium Rege. Auctor Geoponicωn lib. 15. Ἄριςον μέλι τὸ Ἀττικὸν, ϗ τοῦ Ἀττικοῦ τὸ ὑμήττιον. *Optimum mel Atticum, & ex Attico Hymettricum.*

*h* Grandæuis & ſenioribus apibus curæ eſt munire fauos & oppida [illegible]. oppida è fauis facta; vel fauos in quibus tanquam in oppidis habitant.

*i* Vel artificioſa. vt lib. 7. *Dædala Circe.* à Dædalo Athenienſi

*At feſſæ multa referunt ſe nocte minores,*
Apum labor & diligentia. *Crura thymo plenæ: paſcuntur & arbuta paßim,*
*Et glaucas* a *ſalices, caſiámq;* b *crocúmq; rubentẽ,*
*Et pinguem* c *tiliam, & ferrugineos,* d *hyacinthos.*
*Omnibus vna quies operũ: labor omnibus vnus.*
*Manè ruunt portis* e, *nuſquam mora: rurſus eaſdẽ*
*Veſper vbi è paſtu tandem decedere campis*
Apum quies. *Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant* f:
*Fit ſonitus* g, *mußántque oras, & limina circum.*
*Poſt, vbi iam thalamis ſe compoſuêre, ſiletur*
*In noctem* h, *feßóſque ſopor ſuus* i *occupat artus.*
*Nec vero à ſtabulis pluuia impendente recedunt*
*Longiùs, aut credunt cælo aduentantibus Euris:*
*Sed circùm tutæ ſub mœnibus vrbis aquantur* K,

Atheníenſi nobili artifice. Vel ornata, pulchra. vt *dædala tellus* Lucretio δαιδαλμόν.

a Pallenti & diluta viriditate frondentes.

b Vel lauandulam, vel roſmarinum.

c Exudantem gummi quo faui fulciuntur.

d Purpura violacea & ferri inſtar ſubnigricante coloratos.

e Plinius lib. 11. initio cap. 10. *Noctis quies in matutinum, donec vna excitet omnes gemino aut triplici bombo, buccino aliquo tunc vniuerſę prouolant, &c.*

f Reficiunt & recreant corpuſcula diurno labore exhauſta & fatigata.

g Plinius in fine eiuſdem capitis. *Cùm aduesperaſcit in alueo ſtrepunt minùs, ac minùs donec vnâ circumuolet eodẽ quo excitauit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc caſtrorum more tũc repente omnes conticeſcunt.*

h Per totam noctem.

i Ipſis accommodatus pro modulo fatigationis & corpuſculi.

k Aquam hauriunt è propinquo.

*Excurſúſque breues tentant: & ſæpe lapillos,*
*Vt cymbæ inſtabiles* a *fluctu iactante ſaburram,*
*Tollunt: his ſeſe per inania nubila librant.*
*Illum adeò* b *placuiſſe apibus mirabere morem,*
*Quo nec concubitu* c *indulgent, nec corpora ſegnes*
*In venerem ſoluunt: aut fœtus nixibus* d *edunt.*
*Verùm ipſæ folijs natos, & ſuauibus herbis*
*Ore legunt: ipſæ regem, paruóſque Quirites* e
*Sufficiunt, auláſque, & cerea regna refigunt.*
*Sæpe etiam duris errando in cotibus alas*
*Attriuêre* g, *vltróque animum ſub faſce dedere:*
*Tantus amor florum, & generandi gloria* h *mellis.*
*Ergo ipſas quamuis anguſtus terminus æui*
*Excipiat (neq; enim plus* i *ſeptima ducitur æſtas)*
*At genus immortale manet: multóſque per annos*
*Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.*
*Prætereà regem non ſic Ægyptus, & ingens*

*Venti ſpirantes lapillis ſe librant.*

*Venerem ignorant Apum labor.*

*a* In ſalo fluitantes. Saburra verò eſt arena craſſior qua naues onerantur ad certam menſuram, quò ſtabiliores fiant.

*b* Vide 1. Georg. v. 24.

*c* Pro *concubitui* more antiquo.

*d* Partubus enituntur.

*e* Sufficiunt & ſupplent paruos ciues, inſtar Quiritium, id eſt ciuium Romanorum.

*f* Vel ſedulò & accuratè figunt: vel figunt & ſtruunt noua prætoria nouo rege edito.

*g* Tam obſtinatè colligunt flores tum mellis cauſſa, cum vel maxime ad propagandam ſobolem vt alas in cautibus frequenter atterant, & ſub faſce laboréque, quem vltro & voluntariè ſuſcipiunt, enecentur.

*h* Quaſi de gloria certent inter ſe, quæ nam plus operæ ſit collatura ad mel generandum, & ſobolem propagandam.

*i* Plusquàm ſeptimus annus.

*Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes*
*Obſeruant, rege incolumi, mens omnibus vna eſt:*
*Amiſſo, rupère fidem, conſtructaque Mella*
*Diripuère ipſæ* b, *&* *cratès* c *ſoluère fauorum.*
*Ille operum cuſtos, illum admirantur & omnes*
*Circunſtant fremitu denſo ſtipantque frequentes,*
*Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello*
*Obiectant, pulchramq; petunt per vulnera mortem,*
*His quidam ſignis,* d *atque hæc exempla ſecuti,*
*Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus*
*Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes*
*Terraſq; tractuſque maris* e, *cœlumq; profundum.*

*Obſeruantia in Reges.*

*Deus vbique.*

a Vel ſcripſerat Poëta *Indus Hydaſpes.* hic enim Fluuius Indiam alluit: vel dicendum hunc fluuium magno ſane aquarum diuortio Mediam alluere priùs quam in Indiam deferatur.

b Emphaſis. ipſæ quæ alias adeo ſunt parcæ, tamque ſollicite mella conſeruant.

c Fauos craticularum inſtar cancellatos. Ambroſius in hexam. *Quæ caſtra quadrata tantum poſſunt habere artis & gratiæ, quantum habent crates fauorum.*

d Quidam his ſignis & vitæ politicæ, quæ in apibus elucet, exemplis inducti dixerunt apibus ineſſe quandam diuinæ mentis particulam. & ſpiritus hauſtos ex ipſo æthere, aiunt enim mentem diuinam per omnia elementa eſſe diffuſam, vniuerſa commeantem, ex eaque mente diuina vitas omnium animantium tenues, ſiue ſpiritales eſſe delibatas: & vnamquamque animantem, cùm naſcitur hinc, videlicet ex diuinitate, ſibi vitam accerſere: cùm dico vnamquamque, nullam penitus excipio, ſed pecudes, armenta, feras, homines oratione comprehendo. Vide 6. Æneid. v. 724.

e Mare in longos ſinus & brachia longo tractu diffuſum & extenſum.

*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum* *Animę ſunt à Deo.*
*Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.*
*Scilicet huc reddi deinde* a, *ac reſoluta referri*
*Omnia: nec morti eſſe locum, ſed viua volare*
*Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo.*
*Si quando ſedem anguſtam, ſeruataque mella*
*Theſauris relines* b, *priùs hauſtus ſparſus* c *aquarũ*
*Ore foue, fumóſque manu prætende ſequaces.*
*Bis grauidos cogunt* d *fœtus, duo tẽpora meſſis* e *Duo tempora mellationis.*
*Taygete* f *ſimul os terris oſtendit honeſtum* g
*Pleias, & Oceani ſpretos pede reppulit amnes* h *Vernum*

*a* Aiunt etiam omnes animas eſſe immortales, neque morte extingui, ſed poſtquam reſolutæ fuerint & à corporibus ſeparatæ, eodem reuocari & referri vnde traxerant originem, viuáſque ad cœlum euolare, ſingulas in numerum illius ſideris, cui fuerant attributæ. Vide Platonem in Timæo.

*b* Si quando aluear, quæ eſt ſedes apum anguſta, & mel a b apibus parcè ſeruatum relines & eximes è receptaculis ſuis & velut apothecis, priuſquam id facias hauſtus aquarum. i. aquas è puteo vel ex fonte hauſtas ore foue & contine, eas ſparſurus vt pluuiam imiteris, tædámque fumantem manu prætende, quæ fumo apes inſequatur, & eaſdem in fugam conuertat. Relini dicuntur aluearia cum vt loco moueantur, tollitur gluten quo ceræ & ſpiramenta allinuntur, de quo ſupra. verſu. 37.

c Sparſurus, vt *dixti* pro *dixiſti*, *vixet* pro *vixiſſet*, &c.

*d* Bis in anno congregant fœtus abundantes, ideſt, mella.

*e* Mellationis, ſiue caſtrationis apum.

*f* Vna Pleiadum quæ ſunt ſeptem, & vere oriuntur, autumno occidunt. vulgo *la Pouſſiniere.*

g Pulchrum. Terentius in Andria, &c. 1. *Erat forma præter cæteras honeſta & liberali.* Et in Eunucho actu 3. ſc. 2. *Quàm liberali ſpecie, quàm ætate integra. Ita medij ament, honeſtus eſt.*

*h* Oceanus dictus amnis quod terram ambiat. ſic Oceanus

Autumnale. *Aut eadem* a *ſidus fugiens vbi Piſcis aquoſi*
*Triſtior hybernas cælo deſcendit in vndas.*
*Illis ira modum ſupra eſt, læſæque venenum*
*Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca* b *relinquunt*
*Affixæ venis, animaſque in vulnere* c *ponunt.*
*Sin duram metues hyemem, parceſque futuro,*
*Contuſoſque animos, & res miſeraber fractas* d,
*Aut ſuffire* e *thymo, ceráſque recidere inanes*
Beſtiolæ apibus infeſtæ. *Quis dubitet? nam ſæpe fauos ignotus* f *adedit*
*Stellio, lucifugis congeſta* g *cubilia blattis,*
*Immuniſque* h *ſedens aliena ad pabula fucus,*
*Aut aſper crabro* i *imparibus ſe immiſcuit armis;*
*Aut durum tineæ genus, aut inuiſa* K *Mineruæ*

ab Homero lib. 11. & 14. odyſſ. πολεμὸς vocatur.

*a* Taygete ſiue Pleias Seruius. Auſtralem piſcem ſignificat qui Aquarij vndam ore ſuſcipiat, vnde & *Aquoſi* addidit. Tunc enim piſcis hic oritur quo tempore Pleiades occidunt *Triſtior* vel propter occaſum, vel propter propinquantem hyemis aſperitatem.

*b* Occulta. *c* Quod ipſæ inflixerunt.

*d* Afflictas. *e* Fumigare ad beſtiolas abigendas.

*f* Melle vacuas ceras abradere, ne beſtiolæ noxiæ in ijs habeant latibula

*g* Stellio, ideſt, lacertus ſtellulis quibuſdam diſtinctus, ignotus, latenter & ex improuiſo irrepens fauos comedit.

*h* Nidificata. vt ecl. 3. *Aëriæ quo congreſſere palumbes.* blatta tineæ genus, ſiue vermiculus libros, & veſtes abrodens.

*i* Fucus *la gueſpe*, immunis ſine officio & munere, otioſus & ſedens ad pabula ſiue mella non ſuo, ſed apicularum labore congeſta

*k* Crabro *le frelon* imparibus armis inſtructus, quia cum ſit maior apiculâ habet etiam aculeum maiorem.

*l* Ideo inuiſa, quia cum eſſet puella Lydia & Mineruam lanificio prouocaſſet, in araneam mutata eſt.

*In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes* a.
*Quo magis exhauſtæ* b *fuerint, hoc acriùs omnes*
*Incumbent generis lapſi ſarcire* c *ruinas,*
*Complebúntque foros* d, *& floribus horrea texent.*
*Si verò ( quoniam caſus apibus quoque noſtros )* Morbi apicularum.
*Vita tulit ) triſti languebunt corpora morbo.*
*Quod iam non dubijs poteris cognoſcere ſignis.*
*Continuo eſt ægris alius color : horrida vultum*
*Deformat macies : tunc corpora luce carentum*
*Exportant tectis, & triſtia funera ducunt* f. Signa morborum.
*Aut illæ pedibus connexæ* g *ad limina pendent:*
*Aut intus clauſis cunctantur in ædibus omnes,*
*Ignauæque fame, & contracto* h *frigore pigræ.*
*Tum ſonus auditur grauior, tractimque* i *ſuſurrant,*
*Frigidus vt quondam ſyluis immurmurat Auſter,*
*Vt mare ſollicitum* k *ſtridet refluentibus vndis,*
*Æſtuat vt clauſis rapidus fornacibus ignis.*
*Hîc iam galbaneos* l *ſuadebo incendere odores,*

*a* Telas quibus tanquam caſſibus apes in ipſo aditu aluearis irretiat.
*b* Numero diminutæ. *c* reparare.
*d* Fori, propriè loca in theatro ſpectatoribus deſtinata. Vide 6. Æneid. v. 412.
*e* Morbos quales ſolent hominibus euenire.
*f* Quaſi cum ſolemni pompa funus exequuntur, Stat. 12. Thebaid. *Qui iuſta, ferant qui funera ducant.*
*g* Pedibus mutuo nexu implicatis in ipſo aluearis aditu pendent vuamque demittunt.
*h* Membra contrahente.
*i* Suſurrum emittunt longo tractu ab vna in reliquas cellulas ſine remiſſione permanantem.
*k* Inquietum, & è ſolo fundóque excitatum.
*l* Vide 3. Georg. 415.

*Melláque arundineis inferre canalibus vltro*
*Hortantem, & feſſas ad pabula nota vocantem.*
Remedia *Proderit & tunſum* a *galla admiſcere ſaporem.*
*Arentéſque roſas, aut igni pinguia multo*
*Defruta* b, *vel Pſythia paſſos* c *de vite racemos,*
*Cecropiúmque* d *thymum, & graueolentia centaurea* e.

Amellũ *Eſt etiam flos in pratis, cui nomen amello*
*Fecêre agricolæ, facilis quærentibus herba:*
*Namque vno ingentem* f *tollit de ceſpite ſyluam,*
*Aureus ipſe, ſed in foliis, quæ plurima circum*
*Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ,*
*Sæpe Deum nexis ornatæ* g *torquibus aræ:*
*Aſper in ore ſapor: tonſis* h *in vallibus illum*
*Paſtores, & curua* i *legũt prope flumina Mella* k

*a* Enallage. Saporem gallæ tunſæ ſiue pilo contuſæ.

*b* Scribit Plinius lib. 14. cap. 9. Sireum quod aliter hepſema, Latini ſapam appellant, fieri *muſto vſq; ad tertiam partem menſuræ decocto. Quod vbi factũ ad dimidium eſt, defrutum vocamus.* Defrutum autem vino craſſius eſt, & decoctione ping[ue]ſcit.

*c* Vide 2. Georg. 93. *Et paſſo Pſythia vtilior.* ———

*d* Atticum κατ' ἐξοχὴν. Hymettus mons Atticæ thymo excellit.

*e* A Chirone centauro ſic dicta, quæ & fel terræ ob graueolentiam nominatur. Lucret. l. 2.

*At contrà terra abſynthi natura, ferique*
*Centauri fœdo prætorquent ora ſapore.*

*f* Multi culmi, inſtar ſyluæ ingentis ex vno ceſpite oriuntur.

*g* Aræ Deorum ſæpe ornantur torquibus & coronis ex amello implexis.

*h* Quia emergit è caule ſuo iam adulta æſtate, inuenitur in vallibus tonſis atque demeſſis.

*i* Flexuoſa, ſinuoſa.

K Scribit Seruius hic Mellam eſſe Galliæ Fluuium, quem paſſim ſequuntur interpretes.

*Huius odorato radices incoque Baccho* a:
*Pabuláque in foribus plenis appone caniſtris.*
*Sed ſi quem proles ſubito defecerit omnis,*
*Nec genus vnde nouæ ſtirpis reuocetur, habebit:*
*Tēpus & Arcadij* b *memoranda inuenta magiſtri,*
*Pandere, quóque modo cæſis iam ſæpè iuuencis*
*Inſincerus* c *apes tulerit cruor: altiùs omnem*
*Expediam prima repetens ab origine famam.*
*Nam* d *qua Pellæi gens fortunata Canopi* e
*Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,*
*Et circum pictis vehitur ſua rura phaſelis,*
*Quáque* f *pharetratæ vicinia Perſidis vrget,*

*Apum reparatio.*

*Noua propoſitio.*

a Vino.

b Ariſtæi qui Apollinis & Cyrenes filius fuit.

c Seruius, *Corruptus*, inquit, *& vitiatus. Nam ideo iuuencus verberatur vt ex putrefacto cruore vermes creentur, unde apes.* Subdit è Plinio, *de bobus apes, de equis crabrones, de mulis fucos, de aſinis veſpas procreari.*

d Reddit rationem cur velit in Ariſtæi inuento diutiùs immorari, & ab ipſo principio rem deducere. Quia videlicet omnis Ægyptus & aliæ regiones in hac arte certæ ſalutis fundamentum iaciunt

e Canopus vnum eſt è ſeptem Nili oſtijs Alexandriæ Pharóque vicinum, quod à Canopo Menelai ſocio nauiſque gubernatore nomen accepit. Pellæum vocat quaſi Alexandrinum, ab Alexandro Magno Alexandriæ conditore, qui à Pella vrbe Macedoniæ ex qua oriundus fuit, Pellæus nominatur. Iuuenalis.

*Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.*

Gens fortunata dicitur propter ſoli vbertatem. Phaſellus ſiue Phaſelus genus eſt nauigij, pingitur ad venuſtatem, huiuſmodi nauigiolis obeunt rura ſua Ægyptij, cum ea Nilus reſtagnantibus aquis oppleuerit.

f Interpretes paſſim quatuor hos verſus de eadem Ægypto & Nilo exponunt, aiuntque Æthiopes, vnde Nilus acceſſitur, Indos coloratos vocari. Verum difficile eſt explicare

quo ſenſu Nilus vicina Perſidis, ideſt, vicinas Perſidi regiones vrgere & premere dicatur. Non enim Perſis Ægypto vicina eſt, ſed Arabiâ, Palæſtina, Meſopotamia aliis non paucis regionibus interceptis Perſis à Nilo ſeparatur.
Cerdanus Noſter hunc verſum.

*Et viridem Ægyptum nigrâ fæcundat arenâ.*

tanquam ſpurium & inculcatum reiicit, & vt tres priores verſus de Nilo expoſuerat, ita tres poſteriores putat ad Indi Ecphraſim pertinere. Ratio autem cur hunc verſum eradat duplex eſt. Altera quia eius ſedes incerta eſt. Nam & corruptum eſſe locum Plerique exiſtimant, & Pierius ait in Romano codice non legi, vbi nunc legitur, ſed poſt verſum iſtum.

*Vſque coloratis, &c.* quare omnino reiiciendum putat. Altera quia in deſcriptione Ægypti non debuit Ægyptus ipſa nominari. Addere potuiſſet hanc copulam. *Et viridem Ægyptum, &c Et diuerſa ruens*, videri minùs elegantem, & alterum horum verſuum in ſuſpicionem obreptionis adducere, magnámque eſſe Nili & Indi ſimilitudinem, de qua Philoſtratus lib. 6. de vita Apollonij cap. 1. vt merito Poëta vtrumque oratione coniunxerit. Et reuera vt patet è tabulis geographicis, ſi ſecundum verſum eraſeris reliqui tres apprimè Indo conueniunt, qui Perſidem vrget, eámque ab India diſcriminat. Verùm hæ rationes tanti non ſunt momenti vt in receptam tot ſeculis ſcripturam graſſari debeamus, eámque noſtro arbitrio lancinare. Neque enim ſi in vno codice alio loco reperitur ideo ſpurius & adulterinus eſſe credendus eſt, & Ariſtarchi notandus obeliſco; neque abſurda fuerit hæc deſcriptio. Qua Sequana Lutetiam interfluit, qua Moſella Muſſipontum alluit, &c. Deinde cùm Indus fluuius nuſpiam Indiæ fines egrediatur abſurdum eſt dicere eum ab Indis vſque deuexum ſeptem oſtiis in mare decurrere, vt ſi dicam Tyberim vſque ab Italia deuexum Romam alluere & in mari deuolui. Quare vt metu nouitatis aliam nouitatem amplectar, proferam nouam interpretationem quæ ridicula fortaſſe videbitur, ſed vel ideo proferam vt rideatur. Vel è ſcripturis diuinis hauſerat, vel traditione maiorum acceperat Poëta Paradiſum eſſe ad Orientem: eum putauit in extremis Indiis conſtitutum. Audierat quatuor fluuios eſſe Paradiſi ex vno fluuio manantes, Gangem, Nilum, Tigrim, Euphratem Gangem ſiue Phiſon putauit eſſe viciniorem fluuio paradiſi: ſuaſ-

*Et viridem Ægyptum nigrâ* a *fœcundat arenâ,*
*Et diuerſa ruens ſeptem diſcurrit in ora,*
*Vſque coloratis amnis deuexus* b *ab Indis,*
*Omnis in hac certam regio iacit arte ſalutem.*
*Exiguus primùm* c *atq; ipſos contractus ad vſus*

que aquas per occultos quoſdam & ſubterraneos meatus cæterorum trium fontibus ita communicare, vt vnus & idem reuera ſit fluuius qui per diuerſas ſcatebras erumpat & prout varias regiones alluit, varia nomina ſortiatur. Voluit igitur hoc loco Poëta tum Ægyptum, tum vicinia Perſidis, ideſt vicinas Perſidis regiones & potiſſimùm Meſopotamiam deſcribere. quia vnus & idem fluuius ab Indis vſque deuexus à quibus Ganges vocatur, ſub Tigris & Euphratis nomine Meſopotamiam Perſidi vicinam vrget & premit, deinde Nili ſortitus appellationem Ægyptum oblimat, & ſeptem oſtijs in mare mediterraneum euoluitur. Quod probabilius fiet ex ea diatriba quam ſtatuimus his nugis attexere.

Pharetrata Perſis, quia vt ait.

Horatius —— *Medi pharetra decori.*

vrgere eſt premere, ſtingere ripas, vt ait Poëta, aut etiam mordere, vt loquitur Horatius.

a Cic. 2. de nat. Deorum *Ægyptum Nilus irrigat, & cùm tota æſtate obrutam oppletámque tenuerit, tum recedit, molliroſque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit:* hunc igitur Nili limum Poëta nigram arenam appellat, hinc veteres Nilum Melonem quaſi Μέλανα, nigrum, vocabant, vt in diatriba dicemus. De ſeptem oſtijs Nili Herodotus, Diodorus Siculus & Geographi conſulantur.

b Per deuexa & prona terrarum ab India vſque ſublapſus ad Tigris, Euphratis & Nili origines. Dicuntur Indi colorati, vel quia nigri ſunt, vel quia varijs coloribus corpora pingebant.

c Incipit artem producendarum apum deſcribere. Ante omnia, inquit, elegitur locus exiguus & anguſtus tecti & parietum contractione, vt videlicet ſit altitudo decem cubitorum, totidem latitudo. Contractus autem eſſe debet *ipſos ad vſus*. i. Seruio interprete, *ad continendum tantum & coarctandum bonis cadauer.*

Apum reparandarum modus.

*Eligitur locus: hunc anguſtique imbrice a tecti,*
*Parietibúſque premunt arctis: & quatuor addunt,*
*Quatuor à ventis obliqua* b *luce feneſtras,*
*Tum vitulus bimâ* c *curuans iam cornua fronte*

Iuuencus plagis contunditur.

*Quæritur: huic geminæ nares & ſpiritus oris*
*Multa* d *reluctanti obſtruitur: plagiſque perempto*
*Tunſa per integram* e *ſoluuntur viſcera pellem.*
*Sic poſitum in clauſo* f *linquunt: & ramea coſtis*
*Subiiciunt fragmenta, thymum, caſiáſque recentes.*
*Hoc geritur Zephyris* g *primū impellētibus vndas,*
*Antè nouis rubeant quàm prata coloribus, antè*
*Garrula quàm tignis nidum ſuſpendat hirundo.*
*Interea* h *teneris tepefactus in oſſibus humor*

*a* Imbrex tegula eſt curua atque obtorta quæ tectis applicari & locari ſolet vt per eam defluat aqua. Plautus in Milite.

*Quod meas confregiſti imbrices & tegulas.*

*b* Quæ ex obliquo ſiue tranſuerſo lumen infundunt.

*c* Duorum annorum.

*d* Multum repugnanti. Notat autem Geoponicarum præceptionum auctor non ſolùm os & nares, ſed etiam oculos & omnes partes ad egeſtionem neceſſarias linteo pice oblito eſſe obſtruendas.

*e* Indicat iuuencum paulatim eſſe tundendum, ne pellis laceretur, ſed ea integra remanente iuuencus perimatur, & viſcera reſoluantur, liqueſcant, ac putreſiant.

*f* Taurum ita peremptum & extenſum relinquunt incluſum intra domus anguſtias, & coſtis illius iuuenci ſubſternunt ramos ex arboribus defractos, thymum & caſiam ſiue lauandulam recens decerptam.

*g* Hoc faciunt vere apperente, cum primum Fauonij ſpirare incipiunt, & fluctus leniter commouere, antequam prata florum varietate pingantur, antequam hirundo veris prænuntia nidum ædificet, cúmque è tignis ſuſpendat.

*h* Interea dum verni flores, & nidi hirundinum expectantur, humor (id eſt ſanguis, bilis tum atra, tum flaua, & pituita)

*Æſtuat, & viſenda modis animalia miris,* Ex eius
*Trunca pedum* a *primò, mox & ſtridentia pennis,* ſanie
*Miſcentur, tenuémque magis magis* b *aëra carpunt,* apes o-
*Donec, vt æſtiuis effuſus nubibus imber,* riuntur
*Erupêre: aut vt neruo pulſante ſagittæ,* Incano-
*Prima leues ineunt ſi quando prælia Parthi.* tio.
*Quis Deus hanc Muſæ, quis nobis extudit* c *artem?*
*Vnde noua ingreſſus* d *hominũ experientia cepit*

tepefactus in oſſibus, quæ tum propter ætatem bimulam iuuenci, tum propter plagarum contuſionem tenera ſunt, hic, inquam humor tepefactus paulatim æſtuat & ebullit: & beſtiolæ quædam mirabiles, atque adeo viſendæ inter ſe conueniunt & miſcentur. Ideo verò mirabiles tùm quòd ſine pedibus primò naſcantur, tum quod ex cadauere iuuenci procreentur.

a Truncatos pedes habentia, ſine pedibus naſcentia, vnde & apes dici volunt quaſi ἄποδες. Eſt autem Helleniſmus χωλὰ ποδῶν. Lucretius lib. 5.

*Orba pedum partim, manuum viduata viciſſim.*

b Hæc reduplicatio indicat apiculas paulatim altiùs euolare, & relicto aëre denſiori qui circumfuſus eſt cadaueri, ſe ad aërem tenuiorem & puriorem pedetentim attollere. Quod autem ait.

*—— Mox & ſtridentia pennis.*

illud & non eſt ſuperuacaneum: refertur enim ad illud *Trunca pedum primò* q.d. initio quidem apiculæ ſunt pedibus deſtitutæ, mox tamen etiam pennas accipiunt, ſtrident, paulatimque ſe attollunt, donec magno impetu eruperint, vt imber è nubibus per æſtatam effunditur, vel vt Parthi initio præliorum copioſam vim telorum iaculantur celeriter equitantes.

c Magna ſolertia quæſitam inuenit. Vide 1. Georg. 133.

*Vt varias vſus meditando extunderet artes.*

d Dicite, ô Muſæ, quod fuerit artis huius initium, vnde noua hominum experientia ingreſſus acceperit, ideſt, quos primos aditus acceſſúſque homines vſu & experientia docti inuenerint.

*Ariſtæus apes amittit.*

*Paſtor Ariſtæus fugiens Peneia Tempe* a,
*Amiſſus (vt fama) apibus morbóque, faméque,*
*Triſtis ad extremi ſacrum* b *caput aſtitit amnis,*
*Multa querens, atque hac affatus voce parentem.*
*Mater, Cyrene mater, quæ gurgitis* c *huius*
*Ima tenes: quid me præclara ſtirpe* d *Deorum*
*(Si modo, quem perhibes, pater eſt Tymbræus* e *Apollo)*

*Eius querela.*

*Inuiſum fatis* f *genuiſti? aut quò tibi noſtri*

a Tempe locus amœniſſimus in Theſſalia, quem Peneus amnis præterfluit. Vide Ælianum l. 3. Var. hiſt. cap. 1.

b Sacra capita fluuiorum. Horat. 1. Carm. ode 1.

—— *Atque lene caput ſacræ.*

Plinius Iunior lib. 8. epiſt. 8 *Flumini miſcentur quod ponte trãſmittitur. Is terminus ſacri profanique. In ſuperiore parte nauigare tantùm infra etiam natare conceſſum.* Extremum igitur hoc loco eſt *Summum*, vnde fluuius naſcitur, vt etiam Seruius aduertit.

c Penei Fluminis.

d Tranſlatio à plantis, vt alibi *Sata ſanguine diuûm.* vt cùm dicitur *ſoboles propagari*, &c.

e A Tymbra, loco agri Troiani, vbi Apollo colebatur 5. Æneid. 85.

f Aduerte orationis artificium. Matrem non ſolùm ſemel & iterum appellat, ſed etiam proprio nomine compellat: ad miſerationem & inuidiam leuiùs excitandam. addit *Quæ gurgitis huius Ima tenes.* q. d. quæ te abdis, quæ latebras quæris, filióque tuo conſpectum negas, nec ei vis vllo modo ſubuenire. Addit querelas ex antitheſi, quòd ipſum mater genuerit, & ex Deorum ſtirpe, & fatis inuiſum, & vt motum magis inflammet, dubitat an verè ſit filius Apollinis. Iam illud *Quò tibi noſtri Pulſus amor?* & priſtinum matris amorem refricat & obiicit præſentem incuriam. Deinde motum exaggerat à ſpe fruſtrata per antitheſim. Cœlum & immortalitatem mihi promiſeras, ſinis me vitæ mortalis honorem meâ ſolertia & induſtria partum amittere, vbi ſingula verba ſuis exami-

*Pulſus amor? quid me cœlum ſperare iubebas?*
*En etiam hunc ipſum vitæ mortalis honorem* a,
*Quem mihi vix frugum & pecudum cuſtodia ſolers*
*Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo,*
*Quin age & ipſa manu* b *felices* c *erue ſyluas:*
*Fer ſtabulis inimicum ignẽ, atq; interfice* d *meſſes,*
*Vre ſata, & validam in vites molire* e *bipennem:* Ironica concesſio.
*Tanta meæ ſi te ceperunt tædia laudis.*
*At mater ſonitum* f *thalamo ſub fluminis alti*
*Senſit: eam circum Mileſia* g *vellera Nimphæ*

nanda momentis Quid illud *Te matre*? Quid amara illa conceſſio per ironiam indignationis & inuidiæ pleniſſima? *Quin age, &c.* qua terminatur oratio.

a Veteres Romani, vt referunt Cato & Plin. lib. 18. cap 1. *Quem virum bonum colonum dixiſſent, ampliſſimè laudaſſe exiſtimabant.* Addit Plinius. *Gloriam denique ipſam à farris honore adoream appellabant:* hinc frugum & pecudum ſolers cuſtodia dicitur honorem peperiſſe, hæc autem verba *vix omnia tentanti* ſiue experienti *extuderat*: rei difficultatem oſtendunt, Vide 1. Georg. v. 133.

b Singula verba pondus habent *ipſa* non per alium, & ita de aliis.

c fertiles, fœcundas, quas tam frequentes induſtria mea plantaui vt ſyluæ vocari poſſint.

d Seruius *Secundum Pythagoram qui animam habere dicit cuncta creſcentia.*

e Securim magno conatu admoue.

f Seruius. *Cur non etiam vocem audiuit? Scilicet quia in ima fluminis parte erat lanificijs occupata.* Equibus occurras tacitæ objectioni, cur non citò mater accurrerit, quia videlicet illa ſonitum quidem audiebat, ſed filij ſui vocem eſſe neſciebat. hanc autem de induſtria moram interpoſuit Poëta vt in illa cunctatione Nympharum catalogum texeret, in quo ſpectanda varietas, qua non ſolùm delectat, ſed etiam ſine ſatietate delectat.

g Lanas pretioſas, quales ſunt Mileſiæ. Miletus Ioniæ ciuitas, Cicero in Verrinis. *Numquid à Mileſijs lanæ pu-*

*Carpebant* a *hyali* b *ſaturo* c *fucata* d *colore,*
*Drymóque Xanthóque , Ligeáque, Phyllodocéque,*
*Cæſariem effuſæ* e *nitidam* f *per candida colla.*

Nymphæ

*blicæ abſtuleris?* Tertul. de pallio cap. 4. *Nec de ouibus diço Mileſiis aut Belgicis, & Altinis & queis Tarentum & Bætica cluet, natura colorante* , & de habitu mulierum ineunte. *Age nunc ſi ab initio rerum & Mileſij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tingerent, & Phryges inſuerent , & Babylonij intexerent.*

*a* Carptim trahebant, & in filum deducebant. vide dicta in 1. Georg. verſ. 390.

*a* Viridi vel potius inter viridem & cœruleum , qui color Nymphis aptus ὕαλος vitrum. Horatius. *Dices laborantes in vno Penelopen vitreamque Circen.* ideſt, marinam, in Inſula habitantem. Auſonius in Moſella.

*Cæruleos nunc Rhene ſinus hyalóque virentem Pande peplum* ——

*c* Seruius. *Largo abundanti, aut certe Tarentino ab oppido Satureio : iuxta Tarentum ſunt baphia , in quibus tingitur lana.*

*b* Colorata, picta.

*e* Habentes cæſariem nitidam per colla effuſam. *Cæſariem* ponit pro crine muliebri : quamuis, vt notant Grammatici à cedendo. i. tondendo dicta ſit, & propriè virorum eſſe videatur.

*f* Flauentem auream Ouidius 3. faſtorum.

—— *aries nitidiſſimus auro.*

Aduerte miram varietatem. Quatuor primas deſcribit à pulchritudine naturali , à crinium nitore & colli candore. Sequentes quatuor ſine vlla peculiari nota recenſet. Sequuntur Cydippe & Lycorias , quas inter ſe diſcriminat. Nam præterquam quod Cydippen nudè nominat & ſine adiecto , Lycoriadem flauam , i. pulchram appellat , altera, inquit, erat adhuc virgo : altera tum primum pepererat. Iam vt duarum ſuperiorum diſcrimen poſuerat , ita duarum ſequentium ſimilitudinem oſtendit, quippe quæ ſorores eſſent ex eodem patre Oceano : nec iam eas laudat è pulchritudine naturali, ſed à veſtibus & cultu corporis arte quæſito. Sequuntur quatuor ſine vllo adiecto : penultimam deſcribit à velocitate corporis & ſuperioris vitæ inſtituto, quippeque venatrix fuerat , & ſagittis aſſueta, poſtremam denique ab officio præſenti & narratione fabularum.

*Neſcæ*

*Neſae, Spióque Thaliaque, Cymodocéque,*
*Cydippe, & flaua Lycorias, altera virgo,*
*Altera tum primos Lucinæ* a *expertæ labores,*
*Clióque, & Beroë ſoror, Oceanitides ambæ,*
*Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus* b *ambæ,*
*Atque Ephyre, atque Opis, atque Aſia, Deiopeia,*
*Et tandem poſitis velox Arethuſa* c *ſagittis.*
*Inter quas curam Clymene narrabat inanem*
*Vulcani, Martiſque* d *dolos, & dulcia furta:*

*a* Dianæ, ſiue Illithyæ Ecloga 4. v. 9.

*Caſta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo.*

Catullus carmine ſeculari.

*Tu lucina dolentibus* *Iuno dicta puerperis*

Horatius. *Phœbe, ſyluarumque potens Diana,*
*Quæ laborantes vtero puellas,*
*Ter vocata audis, adimiſque letho*
*Diua triformis.*

Dicta Iuno quòd parientes iuuaret: Lucina quòd pueris in lucem venientibus opem ferret.

*b* Huiuſmodi pelles *nebridas* vocabant, de quibus vide 7. Æneid. 396.

*Pampineaſque gerunt incinctæ pellibus haſtas.*

Nebridas ait pelles hinnulorum, vel potius quia *pictas* dicit, pelles lyncum intelligit variegatas & maculoſas 1. Æn. v. 317.

*Succinctam pharetra & maculoſæ tegmine lyncis.*

*c* Et velox Arethuſa quæ tandem poſuerat ſagittas, & intermiſerat ſtudium venationis vt lanificio vacaret. Sic ipſa de ſuo venandi ſtudio 5. metamorph.

*—— Nec me ſtudioſius altera ſaltus*
*Legit: nec poſuit ſtudioſiùs altera caſſes.*

Et aliquot interiectis *—— Fer opem, deprendimur, inquam,*
*Armigeræ Diana tuæ: cui ſæpe dediſti*
*Ferre tuos arcus, incluſáque tela pharetrâ.*

*d* Nota eſt fabula ex 8. Odyſſeæ, & 4. Metam. Mars Venerem adamabat, Sol adulterium Veneris cum Marte detexit. Vulcanus maritus Veneris.

*—— Extemplo graciles ex ære catenas,*

*Proſpiciens, ſumma flauum* a *caput extulit, vnda,*
*Et procul:* b *O gemitu non fruſtra exterrita tanto,* [*Arethuſa Cyrenæ.*]
*Cyrene ſoror: ipſe tibi, tua maxima cura* c
*Triſtis Ariſtæus Penei genitoris ad vndam,*
*Stat lacrymans, & te crudelem nomine dicit.*
*Hinc perculſa nouá mentem formidine mater,*
*Duc age, duc ad nos: fas illi limina Diuûm*
*Tangere, ait, ſimul alta iubet diſcedere* d *latè,*
*Flumina, quà iuuenis* e *greſſus inferret: at illum,*
*Curuata* f *in montis faciem circumſtetit vnda,* [*Aqua diuiditur.*]
*Accepitque ſinu vaſto, miſitque ſub amnem.*
*Iamq; domũ mirãs genitricis, & humida regna*
*Speluncíſque lacus clauſos, lucóſque* g *ſonantes*

a Pulchrum, vt ſuprà *flaua Lycorias.* Vide 9. Æneid v 817.

b Seruius. *Mirè per tranſitum veritatem tetigit. Namque Arethuſæ fons dulcia fluenta inter medios habet fluctus.*

c Tuus amor, tuæ deliciæ, quem plurimùm diligis, vt libro 10. Æneid. —*Veneris iuſtiſſima cura.*
Nouá autem formidinem magnam interpretatur Seruius, vt alibi frequenter.

d Iubet aquas profundas Penei latè diuidi & ſeparari.

e Ariſtæus.

f Mirum cur lucos ſub aquis poſuerit: ſed hoc Poëticæ licentiæ tribuendum. *ſonantes* autem ait vel vndarum impulſu, vel ventorum afflatu: per lacus clauſos ſpeluncis intelligit quædam aquarum receptacula vnde fluuij promanant, eos ipſos videlicet fontes abyſſi quos, in diluuio ruptos fuiſſe ſcriptura commemorat Geneſis cap. 7. verſu 11. Significat autem Poëta totum terræ corpus fluuijs tanquam venis ex eadem communi matrice manantibus permeari, qui deinde ſuis quique locis erumpant: quam matricem Plato in Phædone tartarum, ſcriptura nunc abyſſum, nunc congregationem quarum appellat. Auguſtinus lib. 5 de Geneſi ad litte in illud cap. 2. verſu 5. *Fons adſcendebat*

*Ariſteus introducitur. Variorũ fluuiorũ origines*

*Ibat: & ingenti motu ſtupefactus aquarum:*
*Omnia ſub magna labentia flumina terrâ*
*Spectabat diuerſa locis, Phaſimque a Lycúmque,*
*Et caput vnde altus primùm ſe erupit b Enipeus:*
*Vnde pater Tyberinus, & vnde Aniena fluenta,*
*Saxoſúmque c ſonans Hypanis, Myſúſque Caicus,*
*Et gemina d auratus taurino cornua vultu*
*Eridanus, quo non alius per pinguia culta e*
*In mare purpureum f violentior g influit amnis*

*Eridanus.*

*de terra, &c.* ita ſcribit. *Quod ſi ipſius abyſſi magnitudinẽ, inquit ea parte excepta, quod mare dicitur, & euidenti amplitudine aquæ maris fluctibus terras ambit, in ea ſola parte quam cecũditis finibus terra cõtinet, vnde ſe omnes fõtes & omnes aquæ diuerſis tractibus venisq; distrubiunt & ſuis quiq; locis erũpunt, fontem voluit appellare ſcriptura, non fontes propter naturæ vnitatẽ cumq; per innumerabiles vias antrorum atque rimarum adſcendentem de terra, & vbiq; diſpertitis quaſi crinibus irrigantem omnem ſuperficiem terræ non continẽti ſpecie tanquã maris aut ſtagni, ſed ſicut videmus ire aquas per alueos fluminum flexuſq; riuorum. & eorum exceſſu vicina perfun.ere, quis nõ accipiat, niſi qui contentioſo ſpiritu laborat?*

*a* Phaſis & Lycus fluuij Scythiæ, Enipeus Theſſaliæ, Tiberinus ſiue Tybris, & Anio Italiæ, Hypanis Scythiæ, Caicus Myſiæ, Eridanus ſiue Padus Italiæ, ſiue potiùs Galliæ, quam Romani Ciſalpinam vocabant, in mare Adriaticum influens.

*b* Eadem Syntaxi Varro apud Nonium.
*Ventique frigidi ſe ab axe èruperant.* Vide 1 Georg. v. 446.

*c* Fluctibus ad ſaxa colliſis.

*d* Eridanus taurino vultu præditus, habens gemina cornua aurata, auratus quia terram fœcundat ex Plinio, fluuij tauriformes, vt Aufidus Horatio.

*e* Terras cultas & feraces.

*f* Epitheton frequens Furius Antias apud Gellium etiam mari purpureum colorem tribuit l. 18 c. 11

*Spiritus Eurorum virides cùm purpurat vndas.*

Cic. 2 Acad quæſt. apud Nonium. *Quid? mare nonne cœruleum: at eius vnda, cum eſt pulſa remis, purpuraſcit.*

*g* Pomponius Mela l. 2. cap. 7. in mare *tam citus proſilit,*

*Poſtquam eſt in thalami pendẽtia* a *pumice tecta*
*Peruentum, & nati fletus cognouit inanes* b
*Cyrene, manibus liquidos dant ordine* c *fontes* Epulæ
*Germanæ, tonſiſque ferunt mantilia* d *villis* e

*vt diſcuſſis fluctibus diu qualem emiſit vndam agat, ſuumque etiã in mari alueum ſeruet, donec cum ex auerſo littore Iſtriæ eodem impetu proſluens Iſter manus excipiat* Cæterũ an Iſter in Adriaticum mare profluat, viderint eruditi. Certè Plinius & tabulæ refragantur.

a Ita fornicata & camerata vt in aëre pendere videatur. 8. Æneid. v. 188. *—ſaxis ſuſpenſum hanc adſpice rupem.* quæ concameratio naturaliter è pumice conſtructa: pumex *pierre ponce* Albinouanus de Tyberis regia.

*Structaque pendenti pumice tecta ſubit.*

b Seruius. *His enim monebatur rebus, quarũ erat facilis reparatio, ideo inanes dixit.*

c Idem exponit *ritè, ſecundum ordinem epularum.* vel *ordine* refertur ad ſuperiora, quia videlicet ordo requirebat vt priùs exquireret cauſſam doloris à filio, quàm eum inuitaret ad conuiuium, vel ordine quia non ſolus Ariſtæus manus lauit, ſed etiam Nymphæ diſcubituræ lauerunt eo ordine, qua cuiuſque ætas aut dignitas exigebat. *Fontes* autem ponit pro aquis fontanis, vt 12. Æneid.

*—— alij fontémque ignémque ferebant.*

d Græcis χειρόμακτρα a tergendis manibus dicta, vt ait, Seruius in 1. Æneidos v. 711. Varro lib. 5. de ling. Lat *Mantelium quaſi manuterium* (lego *manutergium*) *vbi manus terguntur.* aut etiam dicta mantelia quaſi *manualis tela, vne ſeruiette.* Quamuis ſolent hoc nomen confundere & mappam pro mantili. Petronius in Satyrico de conuiuio Trimalcionis. *Pallio coccineo adraſum incluſerat caput, circaque oneratas veſte ceruices laticuloſam immiſerat mappam, fimbrijs hinc atque illinc pendentibus* & Mart l. 12. ep. 9.

*Attulerat nemo mappam, dum furta timentur*
*Mantile à menſa ſurripit Hermogenes.*

Vbi mappa eſt *vne ſeruiette*: mantile, *vne nappe*, & alibi frequenter. Iſidorus *Mantelia nunc pro operiendis menſis ſunt, quæ olim vt nomen indicat, tergendis manibus fuere.*

e Pollux lib. 7. cap. 17. λάσια δ' ἐκάλει τὰ μάλλους ἔχοντα

*Pars epulis onerant menſas & plena reponunt* a
*Pocula: Panchaïs* b *adoleſcunt* c *ignibus aræ.*
*Et mater, cape Mæonij* d *carcheſia Bacchi*

χειρόμακτρα. ὡς ἀπὸ τῆς λασιότητος ὥστε οὐδὲν κωλύει τὰς ὀνομαζομένας μαντείλας καλεῖν οὕτω. *Laſia vocabant villos habentes mappulas, veluti à piloſitate dicta, adeo vt nihil referat ea quæ nunc vocantur mantilia, ſic nominare.* Ouidius 4. faſtorum exeunte. —— *villis mantile ſolutis.*

Martialis in Apophoretis 138. cui titulus.

*Gauſape villoſa, vel mantile*

*Nobilius villoſa tegant tibi lintea citrum, &c.*

Qui villi haud ſcio an fuerint aliud quàm fimbriæ hinc inde pendentes, vt ſupra vidimus apud Petronium. Neque ſolum mantilia fuerunt villoſa & fimbriata, ſed etiam aliquando aurata aut acu picta. Lampridius in Alexandro Seuero. *Conuiuium, neque opiparum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummiſsuit, ita tamẽ vt pura mãtilia mitterentur, ſæpius cocco clauata, aurata vero numquam, cum hæc Heliogabalus iam recepiſſet, & ante, vt quidã prædicant, (et) Adrianus habuiſſet.* Trebellius in Gallieno. *Mãtilibus aureis ſemper ſtrauit.* Rurſum Lampridius in Heliogabalo. *Nonnumquam tot picta mantilia in menſam mittebat, his olulibus picta quæ apponerentur, quos miſſus eſſet habiturus, ita vt de acu aut de textili pictura exhiberentur*: tonſos autem villos ait, minutos & ad venuſtatem & elegantiam refectos.

a Seruius in hunc locum *Iterant ſæpe, offerunt*, & in 1. Æneidos v. 715. *Onerent*, de veterum more dixit, quibus, cùm accubuiſſent, omnis cœna ſimul apponebatur. *Et pocula ponunt*, ſimiliter more antiquo dixit, quia veteribus non in manus dabantur pocula, ſed menſis apponebantur, vt hodie apud plures pocula in caniſtris argenteis apponuntur, quæ caniſtra ſiccaria dicuntur, hæc ille.

b Thura odorifera incenduntur ad aras. 2. Georg. v. 139.

*Totaque thuriferis Panchaia diues arenis.*

c Vide dicta in 6. Eclogam v. 13.

*Verbenáſque adole pingues.*

Adoleſcunt i. adolentur. mactantur, fiunt auctiores, & auguſtiores.

d In Mæonia regio eſt dicta Κατακεκαυμένη adusta. vnde

*Oceano libemus* a, *ait: ſimul ipſa precatur* Libatio,
*Oceanumque patrem* b, *Nymphaſque ſorores,*
*Centum quæ ſyluas, centum quæ flumina ſeruant.*
*Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam:*
*Ter* c *flamma ad ſummum tecti ſubjecta* d *reluxit,* Omen.
*Omine* e *quo firmans animum, ſic incipit ipſa;*
*Eſt in Carpathio* f *Neptuni gurgite vates*
*Cæruleus* g *Proteus: magnum qui piſcibus* h *æquor,*

& οἶνος κατακεκαυμένος *vinum aduſtum* imprimis pretioſum & delicatum, vide Strabonem lib. 13. de carchesio 5. Æneidos. v. 77.

*a* Libare eſt vinum in menſa Deo cupiam effundere cum hac verborum formula. *Macte hoc vino inferis eſto.*

*b* Homero Iliados 14. ὠκεανός θ᾽ ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. *Quippe eſt Oceanus cunctis generatio rebus.*

*c* Ter inquit, ardentem Veſtam. i. flammam nectare perfudit, ſiue pro vino nectar libauit, & in flammam effudit, ter flamma nectare perfuſa emicuit, & ad ſummum tecti elata eſt. *Ter, inquit, quia* — *numero Deus impare gaudet.* Veſtam pro flamma vſurpat. vnde Ouidius 6. Faſt

*Nec tu aliud Veſtam, quàm viuam intellige flammam.*

Cæterum, inquit Turnebus lib. 19. Aduerſ. cap. 28. Cum ſubitò vel ſponte flamma in ſacris & libamentis exiliebat, & ſurſum altiſſimè ſe efferebat, feliciſſimum erat augurium. Deinde hunc ipſum locum profert, & Ouid. 10. Metamorph.

*Flamma ter accenſa eſt, apicemque per aëra duxit.*

Idem in epiſt.

*Vt ſolet effuſo ſurgere flamma mero.*

*d* Elata. vide 3. Georg. v. 241. & eclogam 10 exeuntem.

*e* Omem propriè eſt præſagium quod è vocibus fortuitis hominum colligebant, quaſi *oremen*, vt auctor eſt Feſtus. frequenter tamen ad alia traducitur, vt hic ad pyromantiam ſiue diuinationem ex igne.

*f* Carpathos eſt inſula maris Aegei Pharo Alexandriæ vicina, vnde tractus ille maris Carpathium mare vocatur.

*g* Maritimus, à colore fluctuum marinorum.

*h* Seruius. *Equi enim marini prima parte equi ſunt, poſtremâ*

Proteus. *Et iuncto bipedum curru metitur equorum.*
*Hic nunc Emathiæ a portus, patriamque reuiſit*
*Pallenen, hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe*
*Grandæuus Nereus, nouit namque omnia vates,*
*Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox vẽtura trahãntur b,*
*Quippe ita Neptuno viſum eſt: immania cuius*
*Armenta c & turpes paſcit ſub gurgite phocas.*
*Hic tibi nate priùs vinclis capiendus, vt omnẽ*
*Expediat morbi cauſſam, euentuſque d ſecundet,*
*Nam ſine vi non vlla dabit præcepta, neque illum*
Proteus ligãdus. *Orando flectes: vim duram, & vincula capto*

*reſoluuntur in piſces.* Senſus eſt igitur. Proteus luſtrat & perambulat maria curru tracto ab equis marinis, qui ſimul piſces ſunt & equi bipedes, quia media duntaxat pars corporis habet ſpeciem equinam: poſterior verò deſinit in piſcem.

a Theſſaliæ, cuius pars Pallene, vnde Poëta vult Proteum fuiſſe oriundum.

b Magno iudicio Poëta trahendi verbum vſurpat. Eſt enim fatum præcedentium cauſſarum ſubſequentiúmque perplexio quædam, & catenæ more continentia, vt ſecundum *Stoicos*, definit Boetius in topica Cic. de quo vide notas noſtras in 2. Philipp. §. 1. Trahi dicuntur futuri rerum euentus, quia in illa ſerie nexúque cauſſarum ex æternitatte pendentium ita ſe conſequuntur, vt alius alium trahat.

c Ἓν διὰ δυοῖν. armenta & phocas. i. phocas ſiue vitulos marinos que ſunt armenta Neptuni immania. i. ingentia, vt 6. Æneid. v. 19. —*Poſuitque immania templa.*
Turpes autem quaſi corporis magnitudine deformes. ſic vernaculè res magnæ dicuntur *vilaines* vide 3. Georg. v. 53.
—*Cui turpe caput, cui plurima ceruix.*

d Seruius. *Duo enim requiruntur in oraculis, cauſſa mali & remedium, Euentus* autem *ſecundare* eſt remedium ſuggerere, quo adhibito conſilia noſtra ſecundos & proſperos exitus ſortiantur.

*Tende: doli circum hæc a demum frangentur inanes*
*Ipſa ego, te medios cùm ſol accenderit æſtus,*
*Cũ ſitiunt* b *herbæ & pecori iã gratior vmbra eſt,*
*In ſecreta ſenis ducam, quò feſſus ab vndis*
*Se recipit: facile vt ſomno aggrediare iacentem.*
*Verùm vbi correptum manibus, vincliſq; tenebis,*
*Tum variæ illudent* c *ſpecies, atque ora ferarum.* Protei artes & mutationes.
*Fiet enim ſubitò ſus horribus* d, *atráque* e *tigris,*
*Squamoſúſque draco & fulua* f *ceruice leæna:*
*Aut acrem flammæ ſonitum dabit: atq; ita vinclis*
*Excidet: aut in aquas tenues dilapſus abibit:*
*Sed quantò ille magis formas ſe vertet in omnes,*
*Tanto, nate, magis contende* g *tenacia vincla,*

a Circum hæc vincula, vimque omnes doli & fraudes euaneſcent, quibus Proteus è tuis manibus elabi fruſtra conabitur. Euaneſcent inquam & quaſi fluctus ad cautes illiſi frangentur, & in ſpumam abibunt.

b Areſcunt meridianis feruoribus. Perſius Sat. 3.

*——Siccas inſania canicula meſſes*
*Iamdudum coquit, & patula pecus omne ſub vlmo eſt.*

c Varias edet præſtigias, varias belluarum figuras induet, quibus tibi illudat, téque effaſcinet.

d Aper ſetis adſtantibus inhorreſcens. Licentius Hipponenſis apud Auguſtinum ep. 40.

*Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, ſibilat anguis.*

e Sæua & immanis, non enim tigris eſt atra colore, ſed potiùs varia & virgata.

f Sic 4. Æneidos v. 160. *Aut fuluum deſcendere monte leonem.* poſt Lucret. lib. 5. *——& corpora fulua leonum.* Gellius lib 2 noct. Attic. cap. 26. *Fuluus videtur de rufo atque viridi mixtus: in alijs plus viridis, in alijs plus rufi habere, &c. Flauus contra videtur ex viridi, & rufo, & albo concretus.* Quid porro hac fabula ſignificetur, Cerdanus multis exponit, qui conſulendus.

g Conſtringe, arctiùs liga. Notandum hic obiter orationis

*Deprênſis* a *olim* b *ſtatio* c *tutiſſima nautis,*
*Intus ſe vaſti Proteus tegit* d *obice ſaxi.*
*Hîc iuuenẽ in latebris auerſũ* e *a lumine Nympha*
*Collocat: ipſa procul nebulis obſcura receſſit.*
*Iam rapidus* f *torrens ſitientes Sirius* g *Indos,*

a *Surpris.* Verbum nauticum. Lucretius lib. 5.

*—— Quam freta circùm*
*Feruefcunt grauiter ſpirantibus incita flabris:*
*Et quæcunque in eo tum ſunt deprenſa tumultu.*
*Nauigia in ſummum veniunt vexata periclum.*

Catullus ep. 25. *Et inſolenter æſtuet, velut minuta magno.*
*Deprenſ. nauis in mari, veſaniente vento.*

Petronius Arbiter poëmate de bello ciuili.

*Præterea gemino deprenſam gurgite prædam*
*Fœnoris ingluuies v uſque exederat æris.*

b Particula quilibet tempori inſeruiens. vt 2. Georg.
*Tentatura pedes olim. ——*
& 5 Æneid. *—— tumidis quod tunditur olim Fluctibus.* & alibi paſſim.

c Seruius in 2. Æneid. v. 24. *Statio vbi ad tempus ſtant naues: portus vbi hyemant.*

d Proteus intra illam ſpeluncam ſe claudere ſolet ſaxi objectu.

e *Nympha* Cyrene, *hic* videlicet hoc ſpecu, *iuuenem* Ariſtæum filium ſuum collocat in latebris, ſiue in loco tenebroſo, *auerſum à lumine*, i. paululum obliquatum à lumine.

f Dies, inquit erant caniculares, & meridies, & ita ex duplici capite maximus erat æſtus. Iam rapidus Sirius ſiue canicula (quæ ſtella eſt in ore Leonis, & exortu ſuo calores intendit) ardebat in cœlo torrens & adurens Indos æſtu nimio ſitientes, qui quia viciniores ſunt zonæ torridæ, magis ſentiunt calorem quàm cæteræ nationes. Iam ſol feruentiſſimus & quaſi igneus medium orbẽ hauſerat, ſiue exhauſerat, id eſt, mediam partem circuitus diurni confecerat, & ad meridiem peruenerat, atque ita ex duplici cauſſa fiebat vt profunda flumina præ calore areſcerent, & ſolis radijs calefacta ad limum vſque coquerentur.

g Sirius dicitur vel à σειριάω, i. *areſacio*, *ſicco* vel quòd

*Ardebat cælo, & medium Sol igneus orbem*
*Hauſerat, arebant herbæ, & caua flumina ſiccis*
*Faucibus* a *ad limum radij tepefacta coquebant.*
*Cùm Proteus conſueta petens è fluctibus antra*
*Ibat: eum vaſti circum* b *gens humida* c *ponti*
*Exultans, rorem* d *latè diſpergit amarum.*
*Sternunt ſe ſomno diuerſo in littore* e *phocæ.*
*Ipſe (velut ſtabuli cuſtos in montibus olim*
*Veſper vbi è paſtu vitulos ad tecta reducit*
*Aristeus Proteũ prehendit.* *Auditiſque lupos acuunt* f *balatibus agni)*
*Conſedit ſcopulo medius, numerumque recenſet.*
*Cuius Ariſtæo quoniam eſt oblata facultas,*
*Vix defeſſa ſenem paſſus componere* g *membra,*
*Cum clamore ruit magno, maniciſque* h *iacentem*
*Occupat: ille* i *ſuæ contrà non immemor artis*
*Omnia transformat ſeſe in miracula* K *rerum,*

canes σειριᾶν i. *hiare* & præ ſiti *linguam extare* faciat, vel vt refert Euſtathius Odyſſ. κ. παρὰ τὸ σειρᾶν. quod ſignificat ἀστράπτειν, *fulgurare* φλεγμαίνειν. *inflammare.*

a Alueus. Plinius lib. 5 cap. 9. de Nilo *Multis faucibus in mare Ægyptium ſe euomit.*

b Circa Proteum  c Phocæ ſiue vituli marini.

d Aquas marinas, amaras propter ſalſedinem.

e Homerus 4. Odyſſ. de iiſdem εὐνάζοντο παρὰ ῥηγμῖνα θαλάσσης. Plinius cap. 7. lib. 9. Vituli marini, quos vocant phocas, ſpirant ac dormiunt in terra: diuerſum littus ait quia aliæ in littore continentis, aliæ in litotre ſaxi vicinarúmque inſularum dormiunt.

f Agni famem & auiditatem luporum acuunt, i. ſtimulant & proritant ſuis balatibus, qui à lupis audiuntur.

g Aptè ad capiendum ſomnum membra collocare. Porro, vt ait Seruius, *auiditatem exprimit tenere cupientis.*

h Vinculis manuum.  i Proteus ex altera parte recurrit ad ſuas artes & præſtigias.

K Tranſmutat ſe in res mirabiles.

*Ignémq; horribilémq; feram, fluuiumq; liquentem.*
*Verùm vbi nulla fugam reperit fallacia, victus* — Protei præſtigiæ.
*In ſeſe redit* a *atque hominis* b *tandem ore locutus*
*Nam quis* c *te iuuenum confidentiſſime, noſtras* — Proteus Ariſtæo.
*Iuſſit adire domos? quidue hinc petis? inquit: at ille*
*Scis Proteu, ſcis ipſe, neque eſt te fallere cuiquam;*
*Sed tu deſine velle* d, *Deûm* e *præcepta ſecuti*
*Venimus hinc laſſis quæſitum oracula rebus.*
*Tantum effatus: ad hæc vates vi denique multa*
*Ardentes oculos* f *intorſit lumine glauco,*
*Et grauiter fredens, ſic fatis ora reſoluit* g.
*Non te nullius exercent numinis iræ,*

*a* Reuertitur ad priſtinam figuram.

*b* Erat quidem ille deus, tamen hominis ore loqui dicitur, vel quia loquebatur more humano, verbiſque quæ ab homine poſſent intelligi: vel quia dijs ſpecies humana tribuitur

*c* Id eſt. Quiſnam inquit Seruius, hodie enim *nam* particula poſt ponitur, antea præponebatur. Terentius in Phormione *Nam quæ eſt hæc anus à fratre egreſſa meo*. Dici tamen poſt hoc loco *nam* particulam eſſe cauſſalem quæ exprimendæ admirationi inſeruiat ac proinde abruptam orationẽ ſic eſſe ſupplendam. Miror tuam confidentiam. Quis enim te, iuuenum audaciſſime, iuſſit ad meam ſpeluncam accedere

*d* Nemo poteſt te fallere, ô Proteu. Sed tu deſine alios velle decidere tuis iſtis præſtigijs, & transformationibus. Alii exponunt. Cùm omnia noueris, deſine aduentus mei cauſſam velle cognoſcere.

*e* Matris meæ Cyrenes, quæ eſt Dea iuſſis obtemperans huc venio, ad petendum oraculum, quod rebus meis peſſundatis & collapſis medeatur.

*g* Hæc ſunt ſigna furoris prophetici Vide 9. Æneidos à verſu 77.
Aperit ora & vaticinatur, fata prænuntians.

*Magna lues cõmiſſa* a*:tibi has miſerabilis Orpheus*
*Haud quaquam ob meritum* b *pœnas ( niſi fata reſiſtant)*
*Suſcitat : & rapta grauiter pro coniuge ſæuit.*
*Illa quidem dum te fugeret per flumina* c *præceps,*
*Immanem ante pedes hydrum* d *moritura* e *puella*

*Eurydice fugiẽs Ariſtæũ à ſerpente occiditur.*

a Quia tu magna commiſiſti,das pœnas, quas tibi Orpheus imprecatur, vt exponit Pomponius Sabinus. Alij interpretantur magna lues tuarum apuin commiſſa eſt, ſiue magna clades tuis apibus immiſſa eſt, magis placet expoſitio Sabini. Nam *committere luem* vix latinum : at *luere commiſſa* Virgilianum.1.Æneid v. 139. *Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.* Adde quòd *luere magna commiſſa* eſt Homericum. Odyſſ. τ' verſu 9:. ἔρδ' ὅς μέγα ἔργον ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις.

*Committens magnum opus quod tuo capite lues.*

Vide Ligarianam § 12. nota 3.

b Seruius ſic exponit *Non tales,quales mereris. Nam eius vxori cauſſa mortis fuiſti. Inferret enim digna ſupplicia niſi fata prohiberent, &c.* Sed verba videntur neſcio quid aliud ſonare. Orpheus has tibi pœnas ſuſcitat haud quaquam ob meritum. i. maiores quàm tu mereris. Etſi enim omnino culpa non careas, qui eius vxorem aſſectatus es, ei tamen cauſſa mortis non extitiſti, neque tu de inferenda illi morte cogitabas.

c Tibi grauiter iraſcitur propter Eurydicen coniugem ſuam immatura morte ereptam, hoc enim ſignificat vox rapta ἁρπασθεῖσα.

d Per ripam fluminis.

e Serpentem aquatilem ( ὕδωρ *aqua* ) ſeruantem ripas. i. in ripa manentem, vt 7. Æneid.v.50.

*Sola domum & tantas ſeruabat filia ſedes.*

f Serpentis illius morſu interitura. Obſeruat autem Seruius bono compendio prætermiſſam eſſe mortem, quia videlicet Ariſtæo, qui nonnullam eius occaſionem attulerat, moleſta fuiſſe huiuſmodi narratio. De quo artificio plura diximus ad Milonianam §. 29. nota 3. Ex Homero, Æſchylo, Lyſia, Demoſthene.

*Seruantem ripas alta non vidit in herba.*
*At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos* Inclius ob mortem Eurydices.
*Implerunt montes: flerunt Rhodopeiæ* a *arces* b,
*Altáque Pangæa & Rheſi* c *Mauortia tellus,*
*Atque Getæ* d, *atque Hebrus, atque Actias Orithyia* e.
*Ipſe caua ſolans ægrum* f *teſtudine amorem,*
*Te dulcis coniux, te ſolo* g *in littore ſecum,*

*a* Rhodope mons Thraciæ in Scythiam excurrens. Vide 3. Georg. verſu 351.

*b* Vertices, cacumina, & lib. 1. Georg. Riphæas arces, & 3. Æneid. *Cyclonis arces.* Valerius 1. Argonaut. Boream ita loquentem inducit.

*Pangæa quod ab arce nefas, ait Æole, vidi*

Sunt enim & ipſa Pangæa montes Thraciæ.

*c* De Rheſo Thraciæ Rege 1. Æneid. v. 473. eſt autem hic prolepſis, Nondum enim natus erat Rheſus cùm iſta dicerentur quem conſtat tempore belli Troiani floruiſſe: ſed loquitur Proteus, & vt vates futura præcedit, dicitur autem Tellus Mauortia, quia Mars in Thracia colebatur. vide 3. Æneidos. verſ. 13.

*d* Getæ populi Thraciæ finitimi, Hebrus eiuſdem Thraciæ Fluuius, de quo 1. Æneidos v. 321. & lib. 12 v. 331.

*e* Filia Ericthonij Athenienſium Regis, quam Boreas adamaſſe fingitur, & in Thraciam, vnde ille ſpirat, tranſtuliſſe. Actias vocatur, quaſi Attica ἀπὸ τῆς ἀκτῆς à littore ſiue acta. Fuit enim Attica παραθαλασσία & littoralis. vnde & Actæa nomiatur.

*f* Amor ipſe eſt animi ægritudo. Notus ille ſenarius.

*Medea animo ægra, amore ſæuo ſaucia.*

Cithara teſtudo vocatur, quod Mercurius è teſtudinis concha primam citharam confecerit, vt tum alij paſſim, tum potiſſimùm Homerus hymno Mercurij fabulatur: ſit ne autem inter lyram, citharam & chelim diſtinctio merito dubitat Blaſius Viginerius in iconem Philoſtrati, cui titulus *Amphion:* vide plura doctiſſimè congeſta.

*g* Deſerto. vt 5. Aeneid. *At procul in ſola ſecretæ Troades acta.* Illud autem *ſecum* magis etiam ſolitudinem oſtendit. vt 1. Georg. v 389. *Et ſola in ſiccâ ſecum ſpatiatur arenâ.*

*Orpheus deſcendit ad Inferos.*

*Te veniente die, te decedente canebat.*
*Tænarias* a *etiam fauces* b, *alta oſtia Ditis* c
*Et caligantem nigra formidine* d *lucum*
*Ingreſſus, manéſq;* e *adijt, regemq;* f *tremendum,*
*Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.*
*At cantu commotæ Erebi* g *de ſedibus imis*
*Vmbræ ibant tenues* h; *ſimulacraq; luce carentum.*

*Manes delectãtur eius cantu.*

*Quàm multa in ſyluis auium ſe millia condunt,*
*Veſper vbi, aut hybernus* i *agit* k *de montibus imber,*
*Matres, atque viri, defunctáque corpora vitâ*

*a* Tænarus promontiorum Laconiæ, Maleæ vicinum, de quo interpres Apollonij. 1. Argon. ex Pherecyde Ταιναρὸς ἀφ᾽ οὗ ταίναρον καλεῖται ἡ πόλις, ἡ ἄκρα, καὶ ὁ λιμήν. *Tænarus à* quo *urbs, promontorium & portus nomen accepit.* Ibi putabatur eſſe ingreſſus ad Inferos.

*b* Ingreſſus anguſtos. vt 1 Æneid. v. 524.
*——Tenuis quò ſemita ducit.*
*Anguſtæque ferunt fauces, adituſque maligni.*
Fauces igitur Tænariæ ſunt ipſa Ditis oſtia, ſiue aditus Inferorum.

*c* Dis eſt Pluto ſiue Deus Inferorum, Dis à diuitijs, Pluto ἀπὸ τοῦ πλούτου ab iiſdem diuitiis, quod aurum & diuitiæ ex imis terræ viſceribus & quaſi inferis eruantur.

*d* Enallage poëtica, pro —— *formidabili nigredine.*

*e* Manes propriè fuerunt animæ bonorum mortuorum, lemures, malorum: vide dicta in vatinianam §. 14. n. 8.

*f* Plutonem regem Inferorum

*g* Erebus eſt obſcuriſſimus Inferni locus

*h* Tenues ſine corpore vitas caua ſub imagine formæ volitantes. Vide 6. Æneid v.292. de vmbris & ſimulacris mortuorum. 2. Æneid. v.772. & lib. 4. v.654.

*i* Non hyemis tempore contingens, ſed procelloſus, & coortus ex tempeſtate.

*k* Fugat, expellit.

*l* Intellige non vera & ſolida corpora, ſed vmbras & ſimulacra corporum: vide dicta in lib 6. Æneid. v. 303.

*Magnanimum*

*Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,*
*Impoſitique rogis iuuenes ante ora parentum.*
*Quos circum limus niger, & deformis arundo* Cocytus, Styx.
*Cocyti* a *tardáque palus inamabilis* b *vnda*
*Alligat, & nouies* c *Styx interfuſa coërcet.*
*Quin ipſa ſtupuêre domus, atque intima Lethi* Furiæ.
*Tartara* d, *cæruleóſque implexa* e *crinibus angues*
*Eumenides: tenuitq;* f *inhians* g *tria Cerberus ora:* Cerberus.
*Atque Ixionei vento* h *rota conſtitit orbis.* Ixion.
*Iámque pedem referens* i *caſus euaſerat omneis,*
*Redditáque Eurydice ſuperas veniebat ad auras* Redditur Eurydice.
*Ponè ſequens (nāq; hāc dederat Proſerpina legem)*

a Cocytus fluuius, Styx palus inferorum.

b Alij legunt, *innabilis* parum refert.

c Vide 6. Æneidos v. 437.

d Carcer profundiſſimus inferorum de quo 6. Æneid. verſu 577.

e Tres Furiæ, Tiſiphone, Alecto, Megæra, dictæ per antiphraſin Eumenides, quòd minimè ſint εὐμενεῖς, ideſt, beneuolæ, habentes crines cæruleis anguibus implexos, ſiue implicatos.

f Canis triceps excubans ad ianuam inferni (6. Æneidos 417.) continuit tria ora, & latratum compeſcuit, inhians & admirans ſuauitatem cantus, quem edebat Orpheus.

g Admirans vt 7. Æneidos exeunte.

*Attonitis inhians animis* ——

& 2. Georg v. 463. *Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,* vulgo dicimus. *Regarder de la bouche & des yeux.*

h Cum vento Et illa rota cuius radiis diſtrictus in orbem *Voluitur Ixion, & ſe ſequiturque, fugitque* hæc, inquam rota conſtitit & quieuit Orphei cantibus ſtupefacta, ſimul cum ipſo vento qui illam verſabat. Ita Græci frequenter præpoſitionem σὺν ſubintelligunt vt ἀποτέμνειν αὐταῖς ταῖς ὠλέναις τὰ κρέα. *alas ipſis vlnis abſcindere*, ideſt, cum vlnis.

*Cùm ſubita incautum dementia cepit amantem,*
*Ignoſcenda quidem* a *, ſcirent ſi ignoſcere Manes.*
*Reſtitit, Eurydicénque ſuam iam luce ſub ipſa*
*Immemor heu! victúſq;animi* b *reſpexit: ibi omnis*
*Effuſus labor, atque immitis rupta tyranni* c
*Fœdera, terq; fragor* d *ſtagnis auditus Auernis* e.
*Illa* f *, quis & me, inquit, miſeram, & te perdidit Orpheu?*
*Quis tantus furor? en iterum crudelia retrò*
*Fata vocant: conditque natantia* f *lumina ſomnus.*

*Reſpectat Orpheus.*

*a* Vide quot excuſationes quærat, & Orpheì culpæ ignoſcendum fuiſſe contendat. Reſpexit quidem Orpheus retrò, contra mandatum Proſerpinæ reginæ Inferorum. Verùm reſpexit non ex contemptu legis aut temeritate, ſed cepit illum dementia, & quidem ſubita & improuiſa, cepit amantem, & incautum, & reſpexit non aliam, ſed ſuam Eurydicen, & non ſtatim reſpexit, ſed luce ſub ipſa, cum iam propè lucem attigiſſet, & ad itineris finem perueniſſet, reſpexit immemor legis datæ, è quibus excuſari debet, ſi victus animi nec continere ſe valens Eurydicen ſuam reſpexerit.

*b* Eadem Syntaxi 1. Georg. 250. *animi dubius*: 11. Æneid. v. 417. *Egregius animi: infelix animi*, 4. Æneid. v. 529. vbi ſupplendum *mente*.

*c* Plutonis.

*d* Seruius hunc fragorem plauſum interpretatur. *Quaſi exultarent vmbræ ob reditum Eurydices. Lucanus dicit in Orpheo strepitum factum redeunte Eurydice ob hoc, quia*

*—— gaudent à luce reductam*
*Eurydicen iterum ſperantes Orphea Manes.*

Et ſanè hunc fragorem ex lætitia contigiſſe ſignificat numerus ternarius.

*e* Vide 6. Æneid. v. 247. 6. Eurydice.

*f* Somnum mortis intelligit. vt.

*—— Olli dura quite oculos & ferreus vrget*
*Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.*

Sed cur *natantia*? commodè Noſter Cerdanus. Mors con-

*Iámque vale: feror ingenti circundata nocte,*
*Inualidáſque a tibi tendens, heu! non tua palmas.*
*Dixit: & ex oculis ſubito, ceu fumus in auras*
*Commiſtus tenues, fugit diuerſa* b, *neque illum*
*Prenſantem* c *necquiquam vmbras, & multa volentem,*
*Dicere præterea vidit: nec portitor* d *Orci*
*Amplius obiectam* e *paſſus tranſire paludem.*
*Quid faceret; quò ſe rapta bis coniuge ferret?*
*Quo fletu Manes, quæ numina voce moueret?*
*Illa* f *quidem Stygia nabat iam frigida cymba.*
*Septem illum* g *totos perhibent ex ordine menſes*
*Rupe ſub aëria, deſerti* h *ad Strymonis vndam*

*Eurydice rurſu amittitur.*

*Orphei luctus.*

dit oculos ſopitos madentéſque atque humore ſuffuſos. Videntur enim natare oculi vbi ſubita vi ingruente turbantur. Nam quemadmodum qui natant iam latent ſub vndis; iam emergunt, ſic in morte videtur lux oculorum errare nec firma conſiſtere, quem etiam loquendi modum, vt idem aduertit, Ouidius, Silius, Statius vſurpant.

a In vmbræ tenuitatem redactas, inquit Seruius. Homero dicuntur.

—— *νεκύων ἀμένηνα κάρηνα.*
—— *mortuorum inualida capita.*

b Aliò ſe diuertens 5. Æneid v. 166. *Quò diuerſus abis?*

c Apprehendere & amplecti conantem.

d Charon Inferni portitor & tranſuector animarum *πορθμεύς*. de quo 6. Æneid v. 298. Orcus vocatur ipſe Pluto. Cicero in Verrinis *vt alter Orcus veniſſe Ætnam, & non Proſerpinam, ſed ipſam Cererem rapuiſſe videatur.*

e Interpoſitam, quæ viam intercludebat.

f Eurydice iam in cymba Charontis nauigabat; & traijciebat Stygiam paludem.

g Orpheum ſeptem integros menſes *ex ordine* i. continuos & ſine intermiſſione aiunt fleuiſſe *rupe ſub aëria* i. tam alta vt mediam aëris regionem attingat

h Paulò ante v. 465. —— *Te ſolo in littore ſecum,* &c.

*Fleuiſſe, & gelidis hæc euoluiſſe* a *ſub antris,*
*Mulcentem tigres, & agentem* b *carmine quercus.*
*Qualis populeâ mærens philomela* c *ſub umbrâ*
Compa-ratio. *Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator*
*Obſeruans* d *nido implumes detraxit: at illa*
*Flet noctem* e, *ramoque ſedens miſerabile carmen*
*Integrat* f, *& mæſtis latè loca queſtibus implet.*
*Nulla Venus, nulliq; animum flexere Hymenæi,* g
*Solus Hyperboreas* h *glacies, Tanaimque niualem,*

Solitudinem enim captabat Orpheus & latebras, vt facere ſolent lugentes & melancholici: qualis Bellerophon ab Homero deſcribitur,

Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.
*Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.*

Strymon Thraciæ Fluuius,

a Hæc omnia quæ geſta fuerant animo retractauiſſe, luxiſſe, cithara ceciniſſe. Euoluere eſt explicare, exponere. Ennius 6. Annali.

*Quis potis ingentis oras euoluere belli.*

Ex quo noſter *Et mecum ingentes oras euoluite belli?*

Statius. 1. Theb. v. 2. —— *Sontéſque euoluere Thebas*
*Pierius menti calor incidit.* ——

b Feras & arbores ſe trahentem ſuauitate cantilenæ.

c Luſcinia, *le roſſignol* comparatio longè pulcherrima, qua Orpheus philomelæ, Pluto aratori, Eurydice pullis implumibus nido abſtractis, Orphei lamenta & cantilenæ gemitibus luſciniæ comparatur.

d Diligenter attendens quo loco philomela nidum ſuum congeſſerit.

e Totam noctem flendo & gemendo traducit.

f Identidem repetit, & reuocat ab initio.

g Hymenæus Deus nuptiarum. Orpheus perſuaderi non potuit vt aliam duceret vxorẽ *flexere*, i. mollinerunt vt 4. Æneid.

*Solus hic inflexit ſenſus animumque labantem impulit.* ——

h Aquilones: vt 4. Georg.

*Qualis hyperboreis Aquilo cùm denſus ab oris*
*Incubuit, Scythiæque hyemes, &c.*

*Aruáque Riphæis nunquam viduata a pruinis*
*Luſtrabat* b *: raptam Eurydicen, atque irrita Ditis*
*Dona querens, ſpretæ* d *Circonum* e *quo munere* f *matres* *à mulieribus laceratur.*
*Inter ſacra Deûm, nocturnique* g *Orgia Bacchi*
*Diſcerptum latos* h *iuuenem ſparsêre per agros.*

Tanais fluuius & Riphæi montes in Scythia frigidiſſima regione. Aduerte quàm commodè glaciem,niues,pruinas,coniunxerit. Pruina ros eſt glacie concretus. Riphæi montes ἀπὸ τοῦ ῥιπίζεσθαι *ventilari* quòd aſſiduis ventorum flatibus quatiantur.

*a* Priuata, deſtituta. Horatius.

*Et folijs viduantur orni.*

*b* Obibat, circuibat.

*c* Querens ſe perdidiſſe Eurydicen, & irrita fuiſſe dona Plutonis,quia frui non potuit vxore, quam rediuiuam à Plutone acceperat.

*d* Verbum amatorium, vt multis oſtendimus ad illa verba Cœlianæ §.36. *Cur huic, qui te ſpernit, moleſta es?* Nota 14.

*e* Cicones populi Thraciæ,quorum vrbs Iſmarus, vt conſtat è 9. Odyſſ. verſu. 40.

*f* Qua re,quo opere, quo negotio, videlicet abſtinentia coniugij & contemptu mulierum. Munus eſt opus τὸ ἔργον, Cic. in Timæo. *Is qui aliquid munus efficere molitur.* i. rem & negotium Turnebo interprete 3. de Orat. 117. *Méque ad meum munus penſumque reuocabo.* 3. Offic. 4 *Nulla tamen eius ingenij monumenta mandata litteris, nullum opus otij, nullum officij munus extat.* immo & Poëta hoc ipſo l. v. 40.

*Collectumque hæc ipſa ad munera gluten.*

i. ad hæc ipſa opera.

*g* Matronæ, vide Cœlianam parag. 22. Nota 2.

*h* Cùm noctu Bacchi feſta celebrarentur, vnde Bacchus Nyctelius, & ſacra illa νυκτέλια nomen habuerunt. Ouid. 1. de arte. *Nyctelium que Patrem, nocturnáque ſacra precare.*
Sed vide plura de Bacchi orgijs 4. Aeneid v. 300.

*i* Emphaſis qua innuitur Orpheus in multas particulas fuiſſe laceratus. vt 12. Æneid.

——— *Campique ingentes oſſibus albent.*

Caput in Hebrum mittitur.

*Tum quoq; marmorea* a *caput à ceruice reuulſum*
*Gurgite cùm medio portans Oeagrius* b *Hebrus*
*Volueret, Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,*
*Ah! miſeram Eurydicen, anima fugiente, vocabat:*
*Eurydicen toto referebant flumine ripæ.*
*Hæc Proteus* d: *& ſe iactu dedit æquor in altum:*
*Quáque dedit ſpumantem vndã ſub vertice torſit.*
*At non Cyrene* e: *námq; vltro* f *affata timẽtem:*
*Nate licet triſteis animo deponere curas,*
*Hæc omnis morbi cauſa* g: *hinc miſerabile Nymphæ,*
*Cum quibus illa choros lucis agitabat* h *in altis,*

a Candida, inſtar candentis marmoris læuigata 4. faſt.
*Aurea marmoreo redimicula demite collo.*

b *Oeagrus* (verba ſunt Seruij) *Fluuius eſt pater Orphei, de quo Hebrus naſcitur* Cùm igitur Hebrum vocat Oeagrium perinde eſt atque ſi dicat Orphei fratrem ex quo mirum in modum miſerationem inflammat, ſicut & à loco temporéque ſacro, *inter ſacra Deûm*, cædis indignitatem exaggerat.

c Moribunda extincto iam calore naturali & euaneſcentibus ſenſim ſpiritibus vitalibus. Notandum verò nomen Eurydices tertiò ſuauiſſimè repetitum.

d Hæc Proteus locutus eſt & deſiliens ſeipſum iecit in mare: quaque deſiluit, illic aquas contorſit & vorticem excitauit. Eſt autem vortex ſiue vertex vndæ circumactæ volutatio, vel potiùs illa foſſa & lacuna quæ in vndæ ſuperficie apparet, ſe torquens & circumagens, poſtquam corpus ſolidum in aquam proiectum eſt ſub quo vortice vnda ſpumans torquetur & conuoluatur, donec ad naturalem ſitum redierit, & ſuam ſuperficiem æquauerit.

e Subaudit. Diſceſſit ab Ariſtæo, ſicut Proteus diſceſſerat.

f Non rogata, non inuitata.

g Supple. Quam tibi Proteus expoſuit.

h Frequenter agebat & celebrabat.

*Exitium miſêre apibus: tu munera ſupplex*
*Tende a petens pacem & faciles venerare Napæas,*
*Namque dabunt veniam votis, iráſq; remittent,*
*Sed modus orandi qui ſit, priùs ordine dicam.*
*Quatuor eximios b præſtanti corpore tauros,*
*Qui tibi nunc viridis depaſcunt ſumma Lycæi c*
*Delige, & intacta d totidem ceruice iuuencas.*
*Quatuor his aras alta ad delubra e Dearum*
*Conſtitue & ſacrum iugulis demitte cruorem,*
*Corporáque ipſa boum frondoſo deſere luco.*
*Poſt, vbi nona f ſuos Aurora oſtenderit ortus,*

*a* Offer ſacrificia petens veniam. Napææ Nymphæ ſylueſtres νάπος νάπιος *receſſus montis herboſus.*

*b* Veratius apud Macrobium, lib. 3. cap. 5. ait *Eximias dictas hoſtias quę ad ſacrificium deſtinatæ eximantur à grege, vel quod eximiâ ſpecie quaſi offerendæ numinibus eligantur.* Vide 4. Æneidos verſu 57.

*c* Montis Arcadiæ.

*d* De more Ouid. 4. faſt.

*Tollit humo munus cęsâ priùs ille iuuencâ.*
*Quæ dederat nullo colla premenda iugo.*

Vid. 6. Æneid. 38.

*e Delubrum*, inquit, *Cornelius Fronto, in quo homines pericula ſua diluunt: ponunt enim vel pileum, vel ſcutum, vel alia ſuſcepta votis.* Aſconius in Diuinationem. *Alij delubra dicunt ea templa in quibus nunc ſunt labra corporum abluendorum, more Dodonęi Iouis aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodéſque viſuntur*: Sunt etiam qui delubra ligna delibrata, id eſt, decorticata pro ſimulacris Deorum more veterum poſita exiſtiment. Vide Vatinianam §. 10. nota 5.

*f* Alludit ad ſacrum nouendiale, de quo Porphyrion in illud Horatij Epodo vltimo, *Nouendialeis diſſipare pulueres*: *Nouendiale*, inquit, *dicitur ſacrificium quod mortuo fit nona die qua ſepultus eſt.* de quo vide dicta in 5. Æneid. v. 104. & in Piſonianam. §. 10 nota. 8.

*Inferias* a *Orphei* b *Lethæa* c *papauera mittes,*
*Et nigram* d *mactabis* e *ouem, lucúmque reuiſes,*
*Placatam* f *Eurydicen vitulâ venerabere caſa,*
*Haud mora; continuò matris præcepta faceſſit,*
*Ad delubra venit, monſtratas* g *excitat aras,*
*Quatuor eximios præſtanti corpore tauros*
*Ducit, & intacta totidem ceruice iuuencas,*
*Pôſt, vbi nona ſuos Aurora induxerat ortus,*
*Inferias Orphei mittit, lucumque reuiſit.*
*Hîc vero ſubitum* h, *ac dictu mirabile monſtrum*
*Aſpiciunt: liquefacta* i *boum per viſcera, toto*
*Stridere apes vtero, & ruptis efferuere coſtis,*

*Ariſtæus Orpheo parẽtat.*

*Apes è tauris generantur.*

a Vide 10. Æneid. v. 519.

*Viuentes rapit inferias quos immolet vmbris.*

Inferias itaque mittere, eſt iuſta mortuis ſoluere. Cicero pro Roſcio Amerino *hunc miſerum luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri iuſta ſoluiſſet nudum eiecit domo.*

b Tertius caſus, pro Orpheo: vide Ecloga 4. verſu 50.

—— *Huic mater quamuis, atque huic pater adſit*
*Orphei Calliopęa, Lino formoſus Apollo.*

c 1. Georg. v. 84.

—— *Lethæo perfuſa papauera ſomno.*

d De more diis enim inferis nigras, ſuperis candidas hoſtias immolabant. Lucretius lib. 3.

—— *Et nigras pecudes quas Manibus diuis*
*Inferias mittunt.*

Vide 5. Æneid v. 97. & 726. Item 6. Æneid. v. 143.

e Saqrificabis. Quid propriè ſit *mactare* vide in Vatinianã. 14.

f Seruius hypallagen hic agnoſcit pro *venerattam placabis.* Pierius autem non incommodè mutat ordinem, & hunc verſum ſuperiori anteponit.

g Quas Cyrene excitandas eſſe monſtrauerat.

h Commodè Seruius. *Res enim hæc ex improuiſo venit, vt apes ex bobus erumperent, nam præcepta Cyrenes tantùm ad placandum numina pertinebant.*

i Putrefacta, quæ iam tabe diffluxerant.

PVBLII

# VIR. MARONIS

## ÆNEIDOS,

*PARS PRIOR.*

Nauigatio Æneæ.

## OCTAVII AVGVSTINI IN VIRGILII ÆNEIDEM VERSVS.

*ERgone ſupremis potuit vox improba verbis,*
*Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes*
*Magnáque doctiloqui morietur Muſa Maronis?*
*Ah ſcelus indignum! ſoluetur littera diues,*
*Et poterunt ſpectare oculi? nec parcere honori,*
*Flamma ſuo? dudúmque operi ſeruabit amorem?*
*Pulcher Apollo veta, Muſæ prohibete Latinæ.*
*Liber, & alma Ceres ſuccurrite, veſter in armis*
*Miles erat, veſter docilis per rura colonus.*
*Nam docuit, quid ver ageret, quid cogeret æſtas.*
*Quid pater autumnus, quid bruma nouiſſima ferret,*
*Arbuti formauit, ſociauit vitibus vlmos.*
*Curauit pecudes, apibus ſua caſtra dicauit.*
*Hæc dedit vt pereant, ipſum ſi dicere fas eſt.*
*Sed legum eſt ſeruanda fides, ſuprema voluntas*
*Quod mandat fierique iubet, parere neceſſe eſt.*
*Frangatur potiùs Legum veneranda poteſtas.*

*Quàm tot congeſtos, noctéſque, diéſque labores*
*Hauſerit vna dies, ſupremáque verba parentis*
*Amittant vigilaſſe ſuum: ſi forte furentis*
*Errauit in morte dolor, ſi lingua locuta eſt,*
*Neſcio quid titubante animo; non ſponte, ſed altis*
*Expugnata malis, odio languoris iniqui.*
*Si mens cæca fuit, iterum ſentire ruinas*
*Troia ſuas, iterum cogetur reddere voces?*
*Ardebit miſeræ poſt vulnera vulnus Eliſæ?*
*Tam ſacrum ſoluetur opus? tot bella, tot enſes*
*In cineres dabit hora nocent, & perfidus error?*
*Huc hac Pierides date flumina cuncta ſorores.*
*Expirent ignes, viuat Maro doctus vbique,*
*Ingratuſque ſui, ſtudiorumque inuidus orbi,*
*Et factus poſt fata nocens. Quod iuſſerat ille,*
*Sic voluiſſe meum, ſatis eſt poſt tempora vitæ*
*Imo ſit æternum, tota reſonante Camœna,*
*Carmen, & in populo diu ſub numine nomen.*
*Laudetur, vigeat, placeat, religatur, ametur.*

# MODESTINI IVRISCONSVLTI in Primum Æneidos Librum.

## *ARGVMENTVM.*

Vir magnus bello, nulli pietate ſecundus
Aeneas odij Iunonis preſſus iniquæ,
Italiam quærens Siculis errauit in vndis,
Iactatus tandem Lybiæ peruenit ad oras.
Ignarúſque loci fido comitatus Achate
Indicio matris regnum cognouit Eliſæ.
Quin etiam nebula ſeptus peruenit ad vrbem,
Ereptoſque vndis ſocios cum claſſe recepit,
Hoſpitioque vſus Didonis cuncta benignæ.
Excidium Troiæ iuſſus narrare parabat.

# PVB. VIRGILII MAR. ÆNEID.

## PRINCIPIVM A TVCCA & Varo ſublatum.

*ILLE ego* a *qui quondam gracili modulatus auena*
*Carmen, & egreſſus ſyluis* b *vicina* c *coegi,*
*Vt quamuis auido parerent arua colono,*
*Gratum opus agricolis. At nunc horrentia Martis.*

a Ego ille Virgilius, qui olim adoleſcens, ſcripſi bucolica, ſiue eclogas tenui genere dicendi: qualia debent eſſe illa carmina quæ paſtores fiſtulis ex tenui culmo auenæ compactis cantant, & modulantur.

b Poſtquam abſolui eclogas, quaſi è ſyluis vbi verſantur paſtores, egreſſus ad arua ſyluis vicina me transtuli, ſcripſique quatuor Georgicorum libros, eáque agriculturæ præcepta dedi, quibus terra parere agricolæ quantumuis auido, eiuſque votis reſpondere cogeretur; ſine quibus præceptis cultus ager tantam frugum profunderet vbertatem, quantam maximam expetere poſſunt agricolæ.

c Obiter innuit mediocri genere dicendi ſiue temperato, quod vicinum eſt, ſcriptos fuiſſe Georgicorum libros.

# PVB. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER I.

Propoſitio.

*ARma virũq; cano Troiæ qui primus* b *ab oris*
*Italiam fato profugus* c *Lauináq;* d *venit*
*Littora, multum ille & terris iactatus & alto*
*Vi superûm ſæuæ memorem Iunonis ob iram.*
*Multa quoq; & bello paſſus, dũ conderet vrbem* e
*Inferrétque* f *deos Latio, genus* g *vnde Latinum,*

*a* Res ab Ænea bello præclare geſtas.

*b* Non ordine temporis, ſed dignitatis: ſi quidam iam ante ipſum Antenor Troianis ab oris ad Italiam acceſſerat. Vel vt interpretatur Seruius. Illo tempore quo Æneas ad Italiam, venit finis erat Italiæ vſque ad Rubiconem fluuium: ea autem regio ad quam venit Antenor, inter Alpes & Rubiconem ſita, non Italiæ, ſed Galliæ Ciſalbinæ nomen obtinebat.

*c* Expulſus à Græcis, & patriam fugiens non proditione & ignauia, ſed fato & voluntate Deorum, qui eum ad fundandum Romanum imperium deſtinabant.

*d* Ad eam Italiæ partem, vbi Æneas vrbem condidit, eamque de coniugis ſuæ nomine Lauinium nominauit de qua mox, *dum conderet vrbem.*

*e* Seruius de tribus vrbibus aii poſſe intelligi de Troia quam Æneas, cùm primùm in Italiam appulſus eſt.

*Caſtrorum in morem primis atque aggere cinxit.*

vt dicitur 7. Æneidos, & à Troia vetere Troiam vocauit, de Lauinio, de Roma, & particulam *dum* totidem modis interpretatur. *Dum conderet vrbem*, Troiam, id eſt quo tempore cõdebat, & à Turno infeſtabatur Irmis. Dum conderet, vrbem Lauinium: quo ad vſque Turnus occideretur, & adeſſet tempus condendi Lauinij: Dum conderet vrbem Romam: Tanti fuit Æneæ bello iactari, dummodo conderet Romam ciuitatem: vel clarius, non dubitauit Aeneas tot belli periculis caput obiectare, dummodo iaceret prima fundamenta imperij Romani: quia videlicet ſciebat in fatis eſſe, vt ex ipſius progenie Romulos & Cæſar naſcerentur.

*f* In Latium (quæ Italiæ pars eſt) transferret Deos Penates raptos è Troianæ ciuitatis incendio.

*g* A quo ænea Latinorum genus eſt propagatum, vel quòd

*Albanique [a] patres, atque altæ [b] mœnia Romæ.*
*Muſa mihi cauſſas memora, quo numine læſò*
*Quidue dolens regina [c] deûm tot voluere [d] caſus*
*Inſignem [e] pietate virum, tot adire labores*
*Impulerit, Tantæne animis cœleſtibus iræ.*
*Vrbs [f] antiqua fuit, Tyrij tenuêre [g] coloni*
*Carthago, Italiam [h] contra, Tyberinaque longe*
*Oſtia, diues opum, ſtudiiſque aſperrima belli,*
*Quam [i] Iuno fertur terris magis omnibus vnam*
*Poſthabita coluiſſe Samo. Hic illius arma,*

**Innocatio Muſæ.**

**Cauſa cur irata fuerit. Iuno Troianis.**

ab eius progenie deſcenderint, qui Latinis imperarunt vel quod Latinorum nomen moréſque retinuerit, cùm victoriæ iure mutare potuiſſet 12. Æneidos.

*a* A quo Reges Albani ſunt procreati ex Aſcanio, ſiue Iulo, de quo infra.

*Aſcanius Longam multa vi muniet Albam.*

*b* A quo natus eſt Romulus Romæ conditor.

*c* Iuno Saturni filia, Iouis & ſoror & coniux deorum regina.

*d* Hyppallage tot volui caſibus, tot infortuniis agitari.

*e* Aeneam inſignem pietate in deos Penates & patrem ſuum Anchiſem, quos ſuis humeris extulit, cum Troia à Græcis capta incendio deflagraret.

*f* Iuno Carthaginem diligebat; ſi Aeneas ad Italiam appuliſſet, præuidebat fore vt ab eius progenie Romani euerſores Carthaginis naſcerentur; ideo Aeneam ab ingreſſu Italiæ prohibebat.

*g* Coloni dicuntur ij qui ex vnica ciuitate ad alium locum colendum tranferuntur. Dido autem colonos ex vrbe Tyro deduxerat, qui Carthaginem in Africa condiderunt.

*h* Deſcribitur ſitus Carthaginis, ex aduerſo, è regione Italiæ, & oſtiorum Tiberis: oſtium autem locus eſt, in quo fluuius, vel in maiorem fluuium vel in mare deuoluitur.

*i* Ita Carthaginem Iuno diligebat, vt etiam Samum inſulam ipſi conſecratam poſt poneret, & minùs amaret quàm Carthaginem, hic enim, id eſt Cartagine erant illius arma; videlicet haſta, vnde Iuno Quiritis nominatur, & currus ſiue vehiculum ſacrum: thenſam vocabant.

*Hic currus fuit, hoc* a *regnum Dea gentibus eſſe*
*Si quâ* b *fata ſinant, iam tum tenditque, fouétq;*
*Progeniem* c, *ſed enim Troiano à ſanguine duci*
*Audierat, Tyrias olimquæ verteret arces*
Timor futuri. *Hic* d *populum latè regem, belloque ſuperbum*
*Venturum excidio Libyæ: ſic voluere* e *parcas.*
*Id metuens,* f *veteriſque* g *memor Saturnia belli,*
*Prima* h *quod ad Troiam pro caris geſſerat Argis,*
*Nec dum etiam cauſſæ irarum, ſæuique dolores*

a Iuno iam tum, id eſt ex illo tempore, quo iaciebantur fundamenta Carthaginis, omni ſtudio pertendebat, vt Carthago vniuerſi terrarum orbis imperium obtineret: eamque vrbem fouebat & complexu ſuo protegebat.

b Si quo pacto, fata permittant gentium imperium ad Cathaginem peruenire, vt Catthago ſit caput orbis terrarum.

c Sed audierat in fatis eſſe, vt à Troianis in Italiam appulſis Romani naſcerentur qui Carthaginem à Tyriis colonis fundierat fore victorem Africæ, quæ Lybia nuncupatur.

d Ex Troianorum progenie latè toto terrarum orbe dominantem & virtute bellica florentem populum Romanum audierat fore victorem Africæ, quæ Libya nuncupatur.

e Sic in fatis eſſe: Parcæ hominum fata nete dicuntur, & quaſi fuſo voluere: ſunt tres, Lacheſis, Clotho, Atropos: Lacheſis ἀπὸ τῦ λαγχάνειν quòd hominum fata ſortiatur. Clotho ἀπὸ τῦ κλώθειν quòd neat. Atropos, à particula priuatiua & τρέπω quòd ſit immobilis.

f Metuens ne Carthago euerteretur à Romanis.

g Prima iræ ſiue odij cauſſa: Iuno Saturni filia memor erat veteris illius belli quod ipſa greſſerat contra Troianos, ſtans à Græcorum partibus, qui Troiam obſidebant: quique ipſi erant chariſſimi propter Argos vrbem Græciæ ipſius nomini conſecratam.

h Seruius *Atqui Hercules*, inquit, *prior contra Troianos pugnauit: vnde modò prima principes accipiendum eſt*, prima itaque dicitur, quia cum Minerua, Neptunus, Vulcanus, & alij dij Græcis contra Troianos fauerent, ipſa inter eos principem locum obtinebat, erátque Troianis infenſior quàm alij dij.

*Exciderant animo. Manet* a *alta mente repoſtum* **Memoria præteriti.**
*Iudicium Paridis, ſpretæque iniuria formæ,*
*Et genus* b *inuiſum, & rapti* c *Ganymedis honores.*
*His accenſa ſuper iactatos æquore toto*
*Troas relliquias* d *Danaum atque immitis Achillis*
*Arcebat longè Latio, multóſque* e *per annos*
*Errabant acti* f *fatis maria omnia circum.*

*a* Profundè in animo repoſitum eſt, & altis defixum radicibus, iudicium illud quo Paris, pro Venere contra Iunonem & Mineruam iudicauit, eique pomum autem addixit quod dea Diſcordia (indignãs ſe ad nuptias Pelei & Thetidos cum cæteris diis vocatam non fuiſſe) in medium Dearum cœtum proiecerat, cum hac inſcriptione DETVR OMNIVM PVLCHERRIMÆ. Cæteris Deabus cedentibus, Venus, Iuno, Minerua ductæ ſunt ad Paridem, vt coram eo de formæ dignitate contenderent. Paris Venerem iudicauit earum eſſe pulcherrimam: eam ob cauſam Iuno contra Troianos iracundiæ facibus exarſerat, rata ſibi factam eſſe à Paride iniuriam.
*b* Per genus inuiſum intelligit Troianos, inuiſos Iunoni tum ob alias rationes, tum ob Dardanum Troiæ auctorem & conditorem, Iouis filium, quem Iupiter contra fidem matrimonij Iunoni datam ex Electra per adulterium ſuſceperat.
*c* Ganymedes fuit Tros Troianorum Regis filius, quem ob formæ dignitatem Iupiter amauit, in aquilam mutatus rapuit ad cœlum ſuſtulit, & ſic honorauit, vt eum inſtitueret pincernam Deorum ad infundendum nectar diis epulantibus & Heben Iunonis filiam, quæ prius nectar diis miſcebat, officio priuaret.
*d* Qui ſupererant è bello Troiano & euaſerant manus Græcorum & præcipuè Achillis qui plurimos Troianos crudeliter interemit, Danaos appellat à Danao Argiuorum Rege.
*e* Septem infrà —— *Nam te Iam ſeptima portat*
*Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.*
& lib. 5. *Septima poſt Troiæ excidium iam vertitur æſtas,*
*f* Fatali ira Iunonis, alibi *fatis Iunonis iniquæ.*

*Tantæ a molis erat Romanam condere gentem.*
*Vix b è conſpectu Siculæ telluris in altum*
*Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant.*
*Cum Iuno æternum ſeruans ſub pectore vulnus*
*Hæc ſecum. Méne incepto deſiſtere victam,*
*Nec poſſe Italia Teucrorum auertere c regem?*
*Quippe d vetor fatis. Palláſne exurere claſſem*
*Argiuûm e atque ipſos potuit ſubmergere ponto*
*Vnius ob noxam, & furias Aiacis f Oilei?*
*Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,*
*Diſiecitque g rates, euertitque æquora ventis.*

*Iuno indignans quod troiani pene ad Italiam peruenerint.*

a Epiphonema. vſque adeo difficile fuit condere Romanam ciuitatem. Videtur alludere ad ingentes illas lapidum moles quæ alte in fundamenta iaciuntur, cùm aliquod ædificium magnificum & ſublime debet excitari.

b Vix è Sicilia diſgreſſi eam inſulam abſconderant & è conſpectu amiſerant, læti ſibique gratulantes ob vicinitatem Italiæ,& nauigando ſpumantes maris ſalſi fluctus æratis nauium roſtris ſecabant, & eruebant, cùm Iuno vulnere animi ſiue dolore quem perpetuum retinebat, magis magiſque ſauciata ita ſecum locuta eſt.

c Æneam, quem inuidioſe Regem appellat.

d Argumentum à minori ad maius. Si enim fata obſtabant ne, quod volebat obtineret Iuno, nec Mineruæ quæ fuit inferior permitti debuit, vt quod volebat efficeret Aiax Oilei filius in Troiæ excidio, furioſo Caſſandræ amore correptus, eam ab adyris Mineruæ abduxerat. Indignans Minerua tempeſtatem in Græcos ex Aſia redeuntes excitauit, & fulmen à Ioue mutuata claſſem exuſſit. Aiacem ipſum fulmine tetegit, & transfixo pectore flammas expirantem, ad Caphaream rupem alliſit.

e Græcorum & Ab Argo Vrbe Græciæ clariſſima.

f Ad diſtinctionem, Aiaces enim duo fuerunt, alter Oilei filius, alter Telamonis.

g Abuſiue, inquit Conatus, naues: nam proprie rates ſunt connexæ inuicem trabes, quæ σχέδια Græce dicta ſunt.

*Illum expirantem tranſfixo pecto flammas*
*Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.*
*Aſt ego, quæ diuûm incedo regina, Iouiſque*
*Et ſoror & coniux, vna cum gente tot annos*
*Bella gero, & quiſquam numen Iunonis adoret*
*Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?*
*Talia* a *flammato ſecum Dea corde volutans*
*Nimborũ in patriam loca fœta* b *furentibus auſtris*
*Æoliam* c *venit hîc vaſto rex Aeolus antro* In Æoliam venit.
*Luctanteis* d *ventos, tempeſtateſque ſonoras*
*Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.*
*Illi indignantes magno cum murmure montis*
*Circum clauſtra fremunt, celſa ſedet Aeolus arce*
*Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras*
*Ni faciat,* e *maria, ac terras, cœlumque profundũ*
*Quippe ferant rapidi ſecum, verrantq; per* f *auras*
*Sed pater* g *omnipotens ſpeluncis abdidit atris*
*Hoc metuens molemque,* h *& montes inſuper altos*
*Impoſuit, regémque* i *dedit, qui fœdere certo.*

*a* Talia excandeſcente & æſtuante animo reputans Iuno.
*b* Plena, tranſlatio ducta à mulieribus grauidis ſiue prægnantibus.
*c* Inſulam vicinam Siciliæ.
*d* Iouitos & reluctantes.
*e* Niſi Æolus molliret ventorum animos, & eorum iram temperaret.
*f* Diſſiparent & diſpergerent, inſtar pulueris qui euerritur.
*g* Iupiter *diuûm pater atque hominum rex*.
*h* Immanem montium molem: vel ſignificat lapideam molem ventis iniectam fuiſſe, & inſuper id eſt ſuper hanc lapidum molem montes aggeſtos.
*i* Æolum ventis præfecit, qui certa quadam & æquabili viciſſitudine modò ventos contineret, modò liberos abire permitteret, equorum inſtar quibus habenæ laxantur.

*Preces Iunonis ad Æolum.*

*Et premere, & laxas ſciret dare iuſſus* a *habenas.*
*Ad quem tum Iuno ſupplex his vocibus vſa eſt*
*Aeole (namque tibi diuum pater atq; hominũ rex,*
*Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos)*
*Gens* b *inimica mihi Tyrrhenũ* c *nauigat æquor,*
*Ilium* d *in Italiam portans, victoſque* e *Penates.*
*Incute* f *vim ventis, ſubuerſáſq; obrue puppes,*
*Aut* g *age diuerſas, & diſiice corpora ponto.*
*Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ.*
*Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deiopeiam*
*Connubio* h *iungam ſtabili, propriámque* i *dicabo,*
*Omneis vt tecum meritis pro talibus annos*
*Exigat, & pulchrâ faciat te prole parentem.*

*a* Non ſuo ipſius arbitratu, Sed Iouis, reliquorúmque maiorum Deorum voluntati ob temperans.

*b* Troiani quibus ego ſum inimica: inuidioſè gentem ſibi inimicam vocat per hypallagen, vt Æolus ad indignationem excitetur in Troianos, quaſi illi diis ipſis bellum indixerint.

*c* Duo maria Italiam alluunt, alterum vocatur Tyrrhenum, Hetruſcum, Inferum, ad meridiem: in quo Troiani venientes è Sicilia nauigabant, alterum vocatur Adriaticum, ſiue Superum ad Septentrionem.

*d* Opes & diuitias Ilij ruinis & incendiis ereptas. Phrygia regio fuit, Troia ſiue Troas ciuitas, Ilium vrbs, Pergamus ſiue Pergama arx Troianæ ciuitatis

*e* Penates vrbis Gręcorum armis exciſę. Dicti Penates quòd vel penui præeſſent, vel quòd in penetralibus colerentur.

*f* Adde vim & impetum ventis, excita ventos.

*g* Diſſipa, diſperge naues, puppis pro naue pars pro toto.

*h* Seruius Diſcendo, *connubio*, oſtendit legitimam, dicendo *ſtabidi* longam promittit concordiam, id eſt quę diuortio caret dicendo *propriam*, adulterij remouet ſuſpicionem. Quod autem adiecit *dicabo*, obſequentem eam fore demonſtrat in vſu enim eſt vt dicamus Secerdos dicatus eſt numini, hoc eſt ad obſequium datus eſt.

*i* In matrimonio firmo & ſtabili collocabo.

*Æolus hæc contrà. Tuus a ô Regina quid optes* — *Æoli reſponſio.*
*Explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt.*
*Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu ſceptra, Iouemq;*
*Concilias, tu das epulis accumbere diuûm,*
*Nimborúmque facis, tempeſtatúmque potentem,*
*Hæc* b *vbi dicta, cauum conuerſa cuſpide montem*
*Impulit in latus, ac venti velut agmine facto,*
*Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.*
*Incumbere mari, totúmque à ſedibus imis*
*Vnâ* c *Euruſq; Notuſq; ruunt, crebérque procellis*
*Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus:*
*Inſequitur, clamorq; virûm, ſtridórq;* d *rudentum,* — *Tempeſtas.*
*Eripiunt ſubito nubes, cælúmque diémque*
*Teucrorum ex oculis, pònto nox incubat* e *atra.*
*Intonuere* f *poli, & crebris micat ignibus æther.*
*Præſentémque viris intentant omnia mortem.*

a Tuum eſt, ô Iuno, videre quid velis, & mihi iubere, meum eſt obedire.

b Vbi inter ſe locuti ſunt Aeolus & Iuno : Aeolus conuerſa ſceptri ſui cuſpide montem cauum percuſſit: & in latus deiecit, vt viam ventis erumpere volentibus aperiret. In terræ cauitatibus ventis generantur.

c Quatuor ſunt venti cardinales, à quatuor modi cardinibus ſpirantes. Eurus ab ortu; Notus à meridie, Africus ab occaſu Aquilo à ſeptentrione. Nunc omittit Aquilonem, qui fugat & diſpergit nubes Aquilo : & mox dicturus eſt. *Ponto nox incubat atra*, quia tamen cæteris eſt violentior, cum etiam inducet ad faciendum naufragium.

d Funium nauticorum.

e Seruius. *Incubat ideo dixit quod alienum tempus inuaſit : nam incumbere propriè dicitur per vim rem alienam retinere.*

f Pars pro toto, polus propriè eſt axis extremitas, ſuper quam tota vertitur ; in cælo duo ſunt poli: arcticus ad Septentrionem, ad meridiem antarcticus : æther autem hic pro aëre: ignes pro fulgetris ſiue fulguribus ignitis vſurpantur.

*Extemplo Æneæ ſoluuntur frigore membra:*
*Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas*
*Talia voce refert: O terque quaterque beati,*
*Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis*
*Contigit oppetere. O Danaûm fortiſſime gentis*
*Lamentatio.* *Tydide,* a *méne Iliacis occumbere campis*
*Non potuiſſe? tuáq; animã hanc effundere dextrâ*
*Sæuus* b *vbi Æacidæ* c *telo iacet Hector, vbi ingẽs*
*Sarpedon,* d *vbi tot Simois* e *correpta ſub vndis*
*Scuta virûm, galeáſque & fortia corpora voluit.*
*Talia* f *jactanti ſtridens Aquilone* g *procella,*
*Velum aduerſa ferit, fluctúſque ad ſidera tollit:*
*Franguntur remi, tum* h *proram auertit, & vndis*
*Dat latus, inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.*
*Hi ſummo in fluctu pendent, his vnda dehiſcens*
*Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.*
*Treis Notus abreptas in ſaxa latentia torquet.*

*a* Diomedes, dimus Tydides à patre Tydeo. Græcorum fortiſſimum appellat ad excuſationem: quia pede occiſus fuerat à Diomede; niſi Venus mater eum obiecto peplo ſiue capitis amiculo texiſſet, quod fuit à Diomede perforatum: & ipſa Venus in manu vulnerata.
*b* Generoſus & bellicoſus.
*c* Achillis, qui fuit filius Peleï, nepos Aeaci, Iouis pronepos.
*d* Rex Lyciorum, Iouis filius, qui Troianis ſuppetias ferens interemptus eſt à Patroclo.
*e* Duo fluuij Troiam alluebant: alter Simois dictus fuit, alter Xanthus ſiue Scamander.
*f* Dum hæc Aeneas inaniter loqueretur.
*g* Procella vis eſt ventorum pluuiæ permixta: Aenea aduerſa, propterea quòd Aquilo è Sicilia nauigantibus ad Italiam eſt contrarius.
*h* Anterior pars nauis in latus auertitur, & latus nauis procellæ venienti obiectat.

*Saxa* a *vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.*
*Dorſum immane mari ſummo, treis* b *Eurus ab alto*
*In breuia & ſyrteis vrget ( miſerabile ) viſu*
*Illiditque vadis, atque aggere cinxit arenæ.*
*Vnam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,*
*Ipſius ante oculos ingens* c *à vertice pontus,*
*In puppim ferit, extulitur, pronuſque magiſter* Naufragium.
*Voluitur in caput, aſt illam ter fluctus ibidem*
*Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.*
*Apparent* d *rari nantes in gurgite vaſto,*
*Arma virûm, tabulæq; & Troia gaza per vndas.*
*Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achates*
*Et quâ vectus Abas, & quâ grandæuus Alethes*
*Vicit hyems,* e *laxis* f *laterum compagibus omnes*

a Ordo verborum eſt: Itali vocant aras ſaxa quædam quæ ſunt in mediis fluctibus: hæc autem ſaxa ſunt ægades inſulæ, ſiue ſcopuli dorſi cuiuſdam immanis inſtar è ſummis mutis fluctibus eminentes: *quæ ſaxa ob hoc Itali aras vocant*, inquit Seruius *quòd ibi Afri & Romani primo Punico bello fœdus iniuerunt*: tunc autem vi tempeſtatis erant fluctibus cooperta.

b Eurus ſpirans ab oriente tres Troianorum naues protrudit in Syrtes vadoſas & breues ſiue auguſtas; de Syrtibus ita Saluſtius bello Iugurchino: *Duo ſunt ſinus prope in extrema Africa, impare magnitudine, pari natura: quorum pleraque præalta magnum eſſe & ſæuire ventis cœpit limum arenamque, & ſaxa ingentes fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis ſimul mutatur, Syrtes ab tractu nominata ἀπὸ τῦ συρᾶν.* Vnde & Seneca.

*Fluctuantes more turbari maris.*

c Ingens vndarum ex alto venientium cumulus.

d Sic omnes & naueæ vectores aquis ſorbentur, vt pauci enatent & in ſummis fluctibus appareant.

e Tempeſtas dicitur hyems quia tempeſtates hyberno tempore maxime excitantur.

f Apertis & hiantibus laterum commiſſuris.

Neptunus non poteſtatē aduertit.

*Accipiunt inimicum* a *imbrem, rimiſq;* b *fatiſcunt*
*Interea magno miſceri murmure pontum,*
*Emiſſamque hyemem ſenſit Neptunus, & imis*
*Stagna* c *refuſa vadis, grauiter commotus & alto*
*Proſpiciens, ſummâ placidum caput extulit vndâ.*
*Diſiectam Æneæ toto videt æquore claſſem,*
*Fluctibus oppreſſos Troas, cœlique* d *ruina:*
*Nec latuere doli fratrem* e *Iunonis & iræ*
*Eurũ ad ſe, Zephyrũque vocat, dehinc talia fatur.*

Ventos increpat

*Tantáne vos generis tenuit fiducia veſtri?*
*Iam cœlum, terramque meo ſine numine venti*
*Miſcere, & tantas audetis tollere* f *moles?*
*Quos* g *ego. Sed motos præſtat componere fluctus.*
*Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.*
*Maturate fugam, regique hæc dicite veſtro,*
*Non illi imperium pelagi, ſæuumq;* h *tridentem.*

*a* Imbrem pro fluctibus eleganter appellat: inimicum quaſi inteſtinum aduerſarium qui non iam externus erat, ſed in ipſis nauibus ſæuiebat.
*b* Rimas agunt, & affatim hiſcunt.
*c* Aquas quæ priùs in fundo mares immobiles & tranquillæ ſtagnabant, vi tẽpeſtatis excitatas, & ex imis vadis reuolutas.
*d* Tot pluuiis & fulminibus oppreſſos vt cœlum ipſum in eos ruiſſe videretur.
*e* Neptunus frater fuit Iunonis iiſdem parentibus Saturno & Rhea procreatus. Dolis vſa fuerat Iuno aduerſus Neptunum, quo inſcio fluctus concitarat: ſuccenſa ira contra Troianos.
*f* Ingentes fluctuum cumulos & quaſi montes excitare.
*g* Apoſiopeſis. Dicturus erat. Quos ego pro meritis puniam: ſed abrumpit orationem. Sed nunc præſtat tempeſtatem ſedare, quàm vobis ſupplicium minari. Poſt hac ſi quicquam tale feceritis, pœnas luetis grauiores.
*h* Tridens eſt ſceptrum Neptuni, ſiue ſuſcina tribus den-

*Sed mihi ſorte* a *datum, tenet ille immania ſaxa*
*Veſtras Eure domos, illa ſe iactet in aula*
*Aeolus, & clauſo ventorum carcere regnet.*
*Sic ait, & dicto citiùs tumida æquora placat,* Mare tranquillat.
*Collectaſque fugat nubes, ſolémque reducit.*
*Cymothoe* b *ſimul, & Triton adnixus acuto*
*Detrudunt naues ſcopulo, leuat ipſe tridenti,*
*Et vaſtas aperit* c *Syrteis, & temperat æquor,*
*Atque rotis ſummas leuibus perlabitur vndas:* Naues liberat.
*Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt*
*Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus.*
*Iamq; faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.*
*Tum pietate grauem, ac meritis ſi forte virũ quem*
*Conſpexere, ſilent, arctiſque auribus aſtant.*
*Ille* d *regit dictis animo, & pectora mulcet,*
*Sic cũctus* e *pelagi cecidet fragor, æquora poſtquã*
*Proſpiciens genitor, cæloque inuectus* f *aperto*
*Flectit equos, currúque volans dat lora ſecundo.*
*Defeſſi Æneadæ quæ proxima littora, curſu.*

tibus inſtructa. Sequum appellat, quaſi potentem, quia Neptunum terræ ipſius fundamenta tridenti concutere fabulantur.

*a* Iupiter, Neptunus, Pluto fratres, vt eſt in fabulis, mundi totius imperium in tres partes diſtributum ſorti cõmiſerunt. Iupiter cœlum, Pluto inferos, Neptunus mare ſortitus eſt.

*b* Nympha marina: dicta à fluctu & curſu κῦμα fluctus, θέω curro. Triton Neptuni tubicen.

*c* Illos arenæ cumulos aquis obrectos aperit, ne in illos naues per nautarum imprudentiam alliſiæ hæreant.

*d* Vir pietate grauis ac meritis.

*e* Non minutatim & per partes, ſed totus ſimul vndarum tempeſtate reſonantium fragor ſedatus eſt.

*f* Nullis ampliùs nubibus obuoluto, tranquillo & ſereno aëre.

*g* *Troianæ obſequenti,* vt interpretatur Seruius Danielis.

*Æneas cum ſeptem nauibus ad portum Africæ appellitur.*

*Contendunt petere, à Libyæ vertuntur ad oras:*
*Eſt* a *in ſeceſſu longo locus, inſula portum*
*Efficit obiectu laterum; quibus omnis ab alto,*
*Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos*
*Hinc* b *atq; hinc vaſtæ rupes, geminiq; minantur*
*In cœlum ſcopuli, quorum ſub vertice latè,*
*Æquora tuta ſilent, tum ſyluis ſcena coruſcis*
*Deſuper horrentiq; atrum nemus imminet vmbra*
*Fronte* c *ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrum*
*Intus aqua dulces, viuóque* d *ſedilia ſaxo*

*a* Portùs deſcriptio. Quidam locus eſt longè à mari in terram recedens & quaſi ſe in continentem inſinuans, ſiue eſt locus in ſinu ſecreto in quem ab alto mari ſeceditur: qui ſinus pone vndequaque concluditur. Nam inſula quædam obiectu laterum ſuorum ita claudit, vt ad eum duobus tantùm meatibus & anguſtis canalibus poſſit penetrari quo laterum obiectu portus efficitur & commodeſſimus, & tutiſſimus. Omnis enim vnda, quæ ab alto mari deuoluitur, his lateribus illiſa frangit impetum ſuum, & iam languidiore curſu delabens findit ſe in duos ſinus reductos & ſeparatos, per quos canales in illum interiorem ſinum aqua dimanat.
*b* Exntraque. Inſulæ partæ duæ ſurgunt rupes ingentes, & ſcopuli gemini ſiue altitudine pares, tam ardui vt ad cœlum vſque eminere, eique minari videantur. Super quos ſcopulos eſt ſcena ideſt, locus vmbroſus & opacatus, ſyluas habent coruſcas vel quia propter altitudinem crebra fulgurum coruſcatione reſplendent, vel quia ramis inter ſe coruſcantibus, ſéque mutuò collidentibus aſsiduè vibrantur, vel denique quia propter arborũ deuſitatem ſyluæ illæ coruſcant tantummodo deſuper ideſt in ramorũ faſtigio: nec poteſt ſol interius penetrare Atq; hi duo ſcopuli portum ita defendunt, vt ibi mare tutum ſit à ventis, nec vllus vndarũ fragor audiatur.
*c* In terra continenti, è regione inſulæ duorumque illorum ſcopulorum antrum eſt ſcopulis vndequaque præruptis, & quaſi medio aëre ſuſpenſis propter frequentes ciuitates.
*d* Sedilia non manu facta ſed è viuo & naturali ſaxo.

*Nympharum*

*Nympharũ domus, hic a feſſas non vincula naueis*
*Vlla tenent, unco non alligat ancora morſu.*
*Huc ſeptem Æneas collectis nauibus omni*
*Ex b numero ſubit, ac magno telluris amore*
*Egreſſi optata potiuntur Troes arena,*
*Et ſale c tabenteis artus in littore ponunt,*
*Ac d primum ſilicis ſcintillam excudit Achates,* Ignem excitat Achates.
*Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum*
*Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.*
*Tunc Cererem corruptã vndis, cerealiáq; arma,* Epulæ parantur.
*Expediunt feſſi rerum, frugéſque f receptas* Æneas in mare
*Et g torrere parant flammis, & frangere ſaxo.* Proſpicit.
*Æneas h ſcopulum interea conſcendit, & omnem*

a Cùm ille portus à parte continentis ſcopulis antri pendentibus, à parte inſulæ duabus rupibus contra ventorũ impetum muniatur: tanta eſt in eo tranquillitas, vt naues lõga nauigatione fatigatæ ſine ancoris & retinaculis in eo conquieſcant.

b Viginti nauibus Æneas mare conſcenderat, infrà

*Bis denis Phrygium conſcendi nauibus æquor.*

vna nauis Orontis ipſius ante oculos demerſa eſt: ipſe ſeptem collegit è naufragio: quare aliæ duodecim ab eo tempeſtate diſtractæ ſunt.

c Madefactos vndarum ſalſarum adſpergine.

d Achates Æneæ comes ſilicem feriens ignem ex eius colliſione elicuit, & ſcintillã excuſſit, ignémque expreſſum ſubiectis foliis excepit, & aridam materiam, quâ ignis aleretur, circumiecit, flammámq; ex ipſo fomite raptim accepit veritus ne flamma extingueretur, ſi paulò diutius cunctatus eſſet.

e Inſtrumenta quibus fruges moluntur, & panis conficitur.

f A tempeſtate ſeruatas.

g Seruius. *Quia apud maiores noſtros molarum vſus non erat: frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant & hoc erat genus molendi.*

h Seruat decorum: neque enim decebat Æneam fruges molere & manum operi admouere: ſed potius omnibus prouidere, quare dum alij panem faciunt, ipſe interea ſpeculatur an cæteri ſocij ad portum accedant.

*Proſpectum latè pelago petit. Antea a ſi quà*
*Iactatum vento videat, Phrygiáſque biremes,*
*Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caïci,*
*Nauim in conſpectu nullam, treis littore ceruos*
*Proſpicit errantes, hos tota armenta ſequuntur*
*A tergo & longum per valles paſcitur agmen.*
*Conſtitit hic, arcúmq; manu, celereiſque ſagittas*
*Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates,*
Ceruos in littore conficit. *Ductoreſque* b *ipſos primum capita alta ferenteis*
*Cornibus* c *arboreis ſternit, tum* d *vulgus & omnē,*
*Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.*
*Nec priùs abſiſtit, quàm ſeptem ingentia victor*
*Corpora fundat humi, & numerum cum nauibus æquet.*

Sociis diſtribuit. *Hinc portum petit, & ſocios partitur in omneis.*
*Vina bonus quæ deinde cadis onerarat* e *Aceſtes*
*Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,*

a Anteus, Capys, Caïcus, Troiani fuerunt, qui ſingulis nauibus præerant: ſolebant autem in puppibus inſignia quædam depingere, vt à reliquis dignoſci poſſent, vnde intelligas quæ ſint illa *in puppibus arma Caïci.* videlicet quædam inſignia *ſi qua* autem, id eſt, *ſi qua parte.*

b Tres illos ceruos omnium maximos.

c Vel hoc refertur ad Æneam, vel ad ceruos: ſi ad Æneam, hæc eſt ſententia, Æneas ſternit ceruos ſagittis ex cornu arbore factis, vnde alibi: ——*volat Itala cornus.*
Si ad ceruos, ſenſus eſt, cerui ferebant alta capita cornibus, arborum inſtar, ramoſis.

d Ceruos minores interimit ſine diſcrimine: nec priùs deſinit in eos iaculari quàm totidem ceruos occiderit, quot naues ad portum fuerant appulſæ.

e Aceſtes ex matre Troiana prognatus, in parte quadam Siciliæ regnans Troianos ad ſe venientes benignè exceperat, iiſque abeuntibus largitus fuerat multos vini cados in littore Trinacrio, id eſt Siculo. Sicilia enim à triplici promonto-

*Diuidit, & dictis mœrentia pectora mulcet*
*O ſocij (neque enim ignari ſumus ante malorum)*
*O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.*
*Vos & Scyllæam a rabiem, penituſque ſonanteis*
*Acceſtis ſcopulos, vos & b Cyclopea ſaxa*
*Experti, reuocate animos, mæſtúmque timorem*
*Mittite forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.*
*Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum*
*Tendimus in Latium, ſedes vbi fata quietas*
*Oſtendunt, illic fas regna reſurgere Troiæ.*
*Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.* Eos ſolatur, illi epulas inſtruunt.
*Talia voce refert, curiſque ingentibus æger*
*Spem vultu ſimulat, premit altum c corde dolorẽ.*
*Illi d ſe prædæ accingunt, dapibúſque futuris*
*Tergora diripiunt coſtis & viſcera nudant.*
*Pars in fruſta ſecant, verubúſq; trementia figunt.* Epulantur.
*Littore e ahena locant alij, flammáſque miniſtrãt.*
*Tum victu reuocant vires, fuſique f per herbam*

rio Trinacria nominatur: promontorium enim Græcis ἄκρον ſiue ἄκρα: hæc autem promontoria ſunt Pachynus, Pelorus, Lilybæum.

*a* Scylla tum ab Homero tum à Marone 3. Æneidos deſcribitur in obſcura quadam ſpelunca deliteſcẽs, & canibus ſuccincta latrantibus, ora ſubinde exertans & naues deuorans: hinc penitùs ſonantes, id eſt ex penitiſſimis ſpeluncæ receſſibus latratu canum reſonantes, appellat. *Acceſtis* eſt ſyncopa pro *acceſſiſtis*.

*b* Ætnam montem vidiſtis, vbi Cyclopes habitant immanes.

*c* Altè reconditum.

*d* Troiani accingunt ſe & parant ad extruendas epulas, & ceruos excoriant: pars diuidit in fruſta, & palpitantes adhuc carnes, verubus infigit.

*e* Non ad elixandas carnes, inquit Seruius; ſed ad ſe lauãdos. Heroicis enim temporibus carne non vtebantur elixa.

*f* Diſcumbentes & iacentes,

*Implentur veteris bacchi, pinguiſque ferinæ.* a
*Poſtquam exempta fames epulis, mẽſæq; b remotæ*
*Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt,*
Poſt epulas amiſſos ſocios requirunt.
*Spémque metúmq; inter dubij, ſeu viuere credant,*
*Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos,*
*Præcipuè pius Æneas, nunc acris Oronti,*
*Nunc Amyci caſum gemit, & crudelia ſecum* c
*Fata Lyci, fortémque Gyan, fortémq; Cloanthum.*
*Et iam finis erat cum Iuppiter æthere ſummo*
*Deſpiciens mare veliuolum, terraſque iacenteis,*
*Littoráque, & latos populos, ſic* d *vertice cæli*
*Conſtitit, & Libyæ defixit lumina regnis,*
Veneris ad Iouem pro Troianis oratio.
*Atque illum taleis iactantem pectore curas*
*Triſtior, & lacrymis* e *oculos ſuffuſa niteнteis*
*Alloquitur Venus. O qui res hominúmq; deúmque*
*Æternis regis imperiis, & fulmine terres,*
*Quid meus Æneas in te committere tantum?*
*Quid Troes potuere? quibus tot funera paſſis,*
*Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis,*
*Certè hinc Romanos olim voluentibus annis*
*Hinc fore ductores reuocato à* g *ſanguine Teucri*

a Carnium ferinarum, ſiue ceruorum.
b Seruius *apud maiores ipſas apponebant menſas pro diſcis vnde eſt, Et menſæ grata ſecundæ. Duas enim habebant menſas, vnam carnium alteram, poculorum* . malim *pomorum.*
c Gemebat Æneas tacitus & ſecum in corde, non auſus palam gemere propter ſocios, cum potius ſpem vultu ſimularet,
d Ita res humanas conſiderans.
e Subtriſtis, & nitidos oculos habens lacrymis ſuffuſos.
f Ne ad Italiam perueniant, toto orbe pelluntur.
g Troianis ad Italiam, vnde maiores eorum diſceſſerant, longo poſt tempore reuocatis. Porro Teucer non ex Italia, ſed ex Creta profectus eſt in Phrygiam, vt dicitur 3. Ænei.

*Qui mare, qui terras omni ditione tenerent*
*Pollicitus, quæ te genitor ſententia vertit?*
*Hoc equidem occaſum Troiæ, triſtéſque ruinas*
*Solabar, fatis* a *contraria fata rependens.*
*Nunc eadem* b *fortuna viros tot caſibus actos*
*Inſequitur: quem das finem, rex magne, laborum?*
*Antenor* c *potuit mediis elapſus Achiuis*
*Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus*
*Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timaui,* d
*Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis*
*It mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti.*
*Hic tamen ille vrbem Patauì, ſedéſque locauit,*

dos. Dicitur tamen ſanguis Teucri in Italiam reuocatus, quia Dardanus Iouis & Electræ filius ex Corytho Italiæ vrbe profectus venit in Phrygiam, & Teucri filiam ſibi in matrimonium adſciuit? quo pacto hæ duæ ſtirpes in vnam coaluerunt, & idem eſt ſanguis Teucri & Dardani.

*a* Proſperis Romanorum fatis contraria Troianorum fata compenſans, & Romanæ felicitatis conſideratione leniens dolorem è ruinis Troiæ perceptum.

*b* Quæ illos ante vexabat & Troiam incendio deleuit.

*c* Argumentum à minori. Si Antenor (quem aliqui putant fuiſſe Troiæ proditorem) potuit per Liburniam, & illyricum ad Venetos vſque penetrare, ibíque condere ciuitatem; negari non debet Æneæ vt ad Latium, quod Troiæ vicinius eſt, perueniat, ibique condat Lauinium. Liburnia autem & illyricum ſunt vltra mare Adriaticum, è regione Venetorum.

*d* Pompouius Mela lib. 2. *Proxima eſt à Tergeſto Concordia, interfluit Timauus nouem capitibus exurgens, vno oſtio emiſſus,* Seruius ex Varone dicit *hunc fluuium ab incolis mare nominari:* vnde vides cur *mare proruptum* ideſt magno impetu prorumpens à Virgilio vocetur. Placet his ex Valerio Meſſala lib. de progenie Auguſti quædam attexere.

*Teucrorum & genti* a *nomen dedit, armaq;* b *fixit*
*Troia,* c *nunc placida compoſtus pace quieſcit.*
*Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem,*
*Nauibus (infandum) amiſsis vnius ob iram*
*Prodimur, atque Italis longè diſiungimur oris.*
*Hic pietatis honos? ſic nos in ſceptra reponis?*
*Olli ſubridens, hominum ſator, atque deorum*
*Vultu quo cælum, tempeſtatéſque ſerenat,*
*Oſcula* d *libauit natæ, dehinc talia fatur.*
*Iouis ad Venerem reſponſio.* *Parce metu* e *Cytherea,* f *manent immota tuorũ*
*Fata tibi, cernes vrbem, & promiſſa Lauini*
*Mœnia, ſublimémque* g *feres ad ſidera cæli*
*Magnanimum Æneam, neq; me ſententia vertit.*
*Hic* h *(tibi fabor enim quãdo hæc te cura remordet*
*Longiùs & voluens fatorum arcana mouebo)*

a *Id eſt, vtramque gentem, Italicos ſcilicet & Phrygios, qui ea incoluerunt lo a, Troianos, vel vt alii tradunt, Antenoridas cognomina e ſtatui:.*
b *Hoc eſt, in templis arma. & inſignia armorum ſuſpendit: Nam poſt exactam militiam laboréſque militiæ, mos antiquus fuit in de rum templis ſuſpendere arma.* Horatius ſat. lib. 2. ſermonum.
*Veianius armis Herculis ad poſteis fixis.*
c *Troia fuit inter arma, templis affixa, armorum inſigne, quod nonnulli aſſerunt. Troia namque vulgò Italicè Latinéque ſcroph: vel ſus dicitur, cui vocabulo licentia ſui alluſit Poëta: quid animal, quia eius nomen verbo Troiæ cõgruebat, aureo vexillo inſigne armorũ ſtatuit Antenor, abſumptæ vrbis Troiæ memoria.* Hæc Meſſala. d Filiæ ſuæ Veneris oſcula decerpſit, & delibauit, ſiue vt loquuntur, efflorauit. e Metui ſiue timori.
f Venus, à Cythero inſula vbi Venus adorabatur.
g 12. Æneidos ita Iuppiter Iunoni loquens inducitur.
*Indigetem Æneam ſcis ipſa & ſcire fateris*
*Deberi cælo, fatiſque ad ſidera tolli*
h A Romanis enim Æneas inter Deos nomine Iouis indigetis colebatur.

*Bellum ingens geret Italia, populóſque a feroces,*
*Contundet, moréſque viris, & mœnia ponet.*
*Tertia dum* b *Latio regnantem viderit æſtas,*
*Ternáque tranſierint Rutulis hyberna ſubactis,*
*At puer Aſcanius ( cui nunc cognomen Iulo*
*Additur, Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno)*
*Triginta magnos voluendis menſibus* c *orbes* — Fata poſterorum Æneæ.
*Imperio explebit, regnúmque à ſede Lauini*
*Trãſferet, & Longam multa vi muniet* d *Albam.*
*Hîc iam tercentum totos regnabitur annos*
*Gente ſub Hectorea,* e *donec regina ſacerdos*
*Marte grauis, geminam partu dabit Ilia prolem.*
*Inde lupæ fuluo nutricis* f *tegmine lætus*
*Romulus excipiet gentem, & Mauortia* g *condet*
*Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.*

*a* Rutulos.
*b* Quoiſque per tres æſtates, totidémque hyemes, domitis Rutulis, in Latio regnauerit.
*c* Annos magnos orbes appellat, ad differentiam annorum lunarium ſiue menſium, qui comparatione annorum ſolarium parui anni nominantur.
*d* Mœnibus circundabit.
*e* In Alba Longa.
*f* Troiana, id eſt Reges à Troianis oriundi Albæ Longæ per trecentos annos regnum obtinebunt (ſi ratio habeatur temporis quod inter Albæ & Romæ fundationem interceſſit) donec Ilia ſiue Rhea filia Regis Numitoris, Veſtæ ſacerdos ex Marte grauida geminos filios pariet, Remum & Romulum. Poſtea Romulus pelle lupina indutus ſuccedet in regnum & iaciet Romæ fundamenta.
*g* Pelle illius lupæ quæ Remum & Romulum lactauit cùm infantes iuſſu Amulij auunculi, qui Numitorem fratrem regno eiecerat, ad Tiberim expoſiti fuiſſent.
*h* A Marte Romuli patre: vel quia Romani præ cæteris gentibus virtute bellica floruerunt.

*His ego, nec metas rerum, nec tempora pono.*
*Imperium ſine fine dedi, quin aſpera Iuno,*
Romani. *Quæ mare nunc, terráſq; metu, cœlumq; fatigat,*
*Conſilia in melius referet, mecúmque fouebit,*
*Romanos rerum dominos, gentémque togatam.*
*Sic placitum: veniet luſtris labentibus ætas,*
*Cum domus a Aſſaraci Phthiam claráſque Mycenas*
*Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.*
*Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar,*
Iul. Cæſar. *Imperium* b *Oceano, famam qui terminet aſtris,*
*Iulius, à magno demiſſum nomen Iulo.*
*Hunc tu olim cœlo ſpoliis* c *Orientis onuſtum*
*Accipies ſecura, vocabitur hic* d *quoque votis.*
*Aſpera tum* e *poſitis miteſcent ſecula bellis.*

*a* Cum Romani qui ab Aſſaraco Æneæ proauo & Rege Troianorum propagati ſunt. Græciam ſubiugabunt. Facit peculiarem Mycenarum & Phthiæ mentionem: non quòd eo tempore florerent cùm Græcia conceſſit in Romanorum ditionem: tunc enim erant admodum ignobiles, ſed quia Mycenas Agamemnon, Achilles Phthiam patriam habuerat, Venerem ſolatur aiens fore vt Troianorum poſteritas, in Achillis & Agamemnonis patriam dominetur. Agamemnon autem fuit maximus regum qui Troiæ bellum intulerunt, Achilles bello Troiano Græcorum omnium fortiſſimus.

*b* Qui Gallias domabit, & ad Oceanum vſque Britannicum fines imperij Romani propagabit.

*c* Iulius Cæſar vicit Pompeium qui populis ad Orientem vergentibus erat inſtructus.

*d* Etiam Iulius Cæſar, vt Æneas & Romulus, in deos referetur, & hominum votis inuocabitur.

*e* Poſtquam Iulius è viuit exceſſerit. Auguſtus Cæſar imperium obtinebit, & bellis ciuilibus finem imponet.

*Cana a fides, & Veſta, b Remo c cum fratre d Quirinus*
*Iura dabunt; diræ ferro & compagibus arctis*
*Claudentur belli e portæ. Furor impius intus*

*Sub Augusto, Pax cõſtituta.*

*a* Tempore Auguſti reſtituetur & reuocabitur in terras fides, religio, & concordia. Fidem canam appellat, quaſi priſcam, antiquam, & ipſa ſua ſenectute & canitie venerabilem: vel quia ei albo panno inuoluta manu ſacrificabatur, vt Liuius & alij tradiderunt.

*b* Vel religio, quia à Veſta ſacrificia ſolebant auſpicari: vel pudicitia, de qua grauiſſimas leges ſanxit Auguſtus, & præcipuè legem Iuliam de adulteriis.

*c* Hic in varia diſtracti ſunt interpretes. Donatus exponit *leges Romuli perdurabunt*. Seruius eò propendet vt dicamus Remo Agrippam Auguſti generum, ipſum Auguſtum Quirino denotari, vt in Georgicis *Victoriſque arma Quirini*. Et ſanè Senatum, aut ſaltem pleróſque Senatores aliquando cenſuiſſe vt Auguſtus Quirini nomen obtineret, auctores ſunt Tranquillus & Dio. Vidi qui nomine Fidei & Veſtæ forum Romanum, vbi earum dearum templa, nomine Quirini Capitolium, vbi auctore Cicerone, Remi & Romuli ſimulacrum fuit lupæ vbera ſugentium, intelligendum putarent, quaſi diceret fore, vt poſt Iulij Cæſaris necem, Auguſto rerum potiente, leges humanæ à foro Romano diuinæ à Capitolio peterentur. Quid? ſi de Caio & Lucio Cæſaribus interpretemur, quos, cùm hæc poëta ſcriberet, Auguſtus, ad imperium deſtinabat? Quid ſi nihil aliud voluit, quàm compoſitis omnibus bellis ciuilibus tantam ciuium fore concordiam, vt ſi Remus & Romulus renaſcerentur cõcordibus animis eſſent regnaturi. Quidam putant ad hiſtoriam alludi ſiquidem poſt Remi necem ortâ peſtilentiâ reſponſum ab oraculis, *placandos eſſe manes fratris extincti: ob quam rem ſella curulis cum ſceptro & corona & cæteris regni inſignibus ſemper iuxta ſancientem aliquid Romulũ ponebatur, vt pariter imperare videretur.* *d* Romulus dum inter viuos erat dictus, poſtquam è viuis exceſſit Quirinus.

*Siue quòd haſta curis, priſcis eſt dicta Sabinis.*

*e Iani Gemini, quæ bello aperiabantur, pace claudebantur.* Egregia verò fictione Furorem eo templo clauſum fremere dicit, quòd pacis tempore furori non ſit locus. Impium vo-

*Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis*
*Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.*
*Hæc ait, & Maia a genitum demiſit ab alto,*
*Vt terræ, vtque nouæ pateant Carthaginis arces,*
*Hoſpitio Teucris; ne b fati neſcia Dido*
*Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum*
*Remigio alarum, ac Libyæ citus aſtitit oris.*
*Et iam iuſſa facit, ponuntque ferocia Pœni*
*Corda volente Deo: in primis regina quietum*
*Accipit in Teucros animum mentémq; benignam.*
*At pius Æneas per noctem plurima voluens,*
*Vt primum lux alma data eſt exire, locoſque*
*Explorare nouos, quas vento acceſſerit oras*
*Qui teneant (nã inculta videt) hominéſne feræne*
*Quærere conſtituit, ſociiſque exacta c referre.*
*Claſſem in conuexo d nemorum ſub rupe cauata,*
*Arboribus clauſam circũ, atq; horrentibus vmbris*
*Occulit: ipſe vno graditur comitatus Achate,*
*Bina manu lato criſpans haſtilia ferro,*
*Cui e mater media ſeſe tulit obuia ſiluâ,*
*Virginis os, habitumq; gerens, & Virginis arma*
*Spartanæ, f vel qualis equos Threiſſa fatigat*
*Harpalice, g volucrémq; fugâ præuertitur h Hebrum.*

*Æneas it exploratum. occurrit venus ignota.*

cat, qui bellis ciuilibus filios etiam in parentes armauerat.
*a* Mercuriũ filium Iouis & Maiæ, vnus è ſeptem Pleiadibus.
*b* Voluntatis Deorum, & Iouis præſertim, qui Æneam Didonis hoſpitio excipi cupiebat.
*c* Exactè comperta & penitùs explorata.
*d* Curuo & montoſo loco: vt *Dum montibus umbræ Luſtrabunt conuexa.* *e* Æneæ filio Venus mater occurrit.
*f* Lacedæmoniæ. *g* Regina Amazonum.
*h* Fluuium Thraciæ.

*Nãq; a humeris de more habilē ſuſpenderat arcum*
*Venatrix, dederátque comas diffundere ventis,*
*Nuda genu, nodóque ſinus collecta fluenteis.*
*Ac prior, Heus, inquit, iuuenes, monſtrate mearum* Colloquuntur.
*Vidiſtis ſi quam hic errantem fortè ſororum*
*Succinctā pharetra, & maculoſæ tegmine lyncis,*
*Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.*
*Sic Venus, & Veneris contrà ſic filius orſus.*
*Nulla tuarum audita mihi, neque viſa ſororum,*
*O quam te memorē Virgo? nāmq; haud tibi vultus*
*Mortalis, nec vox hominem ſonat, ô Dea certè.*
*An Phœbi* b *ſoror, an Nympharū ſanguinis vna,*
*Sis felix, noſtrumque leues quæcumque laborem,*
*Et quo ſub cœlo tandem, quibus orbis in oris*
*Iactemur, doceas ignari hominúmque locorúmq;*
*Erramus, vento huc, vaſtis & fluctibus acti.*
*Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextrâ.*
*Tunc Venus, Haud equidem tali me dignor honore,*
*Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,*
*Purpureóque altè ſuras vincere cothurno,* c
*Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris* d *vrbē,*
*Sed fines Libyci, genus intractabile bello.*
*Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta*

a Venus, more venatorio humeris ſuis arcum ſuſpenderat, habilem & accommodatum ſexui; habilis aptus ad habendum vt. *Poſt quam habilis lateri clypeus, loricaque tergo.* crinéſque liberos fluitare permiſerat vt à ventis diffunderentur, & veſtis ſuæ ſinus, qui cætero quin ad talos defluebant in nodum collegerat.

b Diana; ſoror Apollinis, venationis Dea.

c Cothurnus eſt genus calceamenti altioris, quo tibiæ vinciuntur. d Carthaginem: Ab Agenore Rege Phœniciæ, patre Cadmi & Europæ, vno ex Didonis maioribus,

*Narrat Venus fugam Didonis*

*Germanum* a *fugiens, longa* b *eſt iniuria, longæ*
*Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.*
*Hic* c *coniux Sichæus erat, ditiſſimus agri*
*Phœnicum & magno miſeræ dilectus amore,*
*Cui* d *pater intactam dederat, primiſque iugarat*
*Ominibus, ſed regna Tyri germanus habebat*
*Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omneis.*
*Quos* e *inter medius venit furor, ille Sichæum*
*Impius ante aras, atque auri cæcus amore*
*Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus* f *amorum*
*Germanæ, factúmque diu celauit; & ægram,*
*Multa malus ſimulans vana ſpe luſit amantem.*
*Ipſa, ſed in ſomnis inhumati venit imago*
*Coniugis, ora modis attollens pallida miris.*
*Crudeleis* g *aras traiectáque pectora ferro*
*Nudauit, cæcúmque domus ſcelus* h *omne retexit:*
*Tum celerare fugam, patriáque excedere ſuadet,*
*Auxiliúmque viæ, veteres tellure recludit*
*Theſauros, ignotum argenti pondus, & auri.*

*a* Pygmalionem fratrem ſuum.

*b* Longa eſt iniuriæ Pygmalionis in Didonem narratio: longis eſſet opus verborum ambagibus & narrantionis circuitu, ſed præcipua quæque obiter attingam, & ea quæ magis appareant, tanquam faſtigia, verbis explicabo.

*c* Didoni.

*d* Sichæo Belus Rex Tyri, Didonis pater filiam ſuam adhuc virginem dederat, & primis nuptiarum auſpiciis coniunxerat, alludit ad morem veterum qui auſpices nuptiis adhibebant. Iuuenalis. *Veniet cum ſignatoribus auſpex.*

*e* Inter Pygmalionem & Sichæum inimicitiæ concitatæ ſunt.

*f* Nullam habens curā amoris quo Dido proſequitur Sichæū.

*g* Apud quas fuerat crudeliter interfectus.

*h* Et ſcelus omne, quod in familia clam & occultè patratum fuerat detexit & indicauit.

*His commota fugam Dido, ſocióſque parabat.*
*Conueniunt, quibus aut odium* a *crudele tyranni*
*Aut metus acer erat: naueis, quæ forte paratæ,*
*Corripiunt, onerántque auro. Portantur auari*
*Pygmalionis* b *opes pelago, dux fœmina facti.*
*Deuenêre locos, vbi nunc ingentia cernes*
*Mœnia, ſurgentémque nouæ Carthaginis arcem*
*Mercatique* c *ſolum facti de nomine Byrſam,* Byrſa.
*Taurino quantum poſſent circundare tergo.*
*Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris?*
*Quóue tenetis iter? Quærenti talibus ille*
*Suſpirans, imóque trahens à pectore vocem:*
*O dea, ſi primâ repetens ab origine* d *pergam*
*Et vacet annaleis noſtrorum audire laborum,*
*Ante diem clauſo componet Veſper Olympo*
*Nos Troiâ antiquâ (ſi veſtras forte per aures*
*Troiæ nomen iit) diuerſa per æquora vectos*
*Forte ſuâ Lybicis tempeſtas appulit oris.*

a Credulitate Pygmalionis excitatum.

b Quarum cupiditate cæcatus ſic iis inhiabat, ſic eas expectatione iam deuorauerat; vt putaret eſſe ſuas.

c Seruius. *Appulſa ad Lybiam Dido, cùm ab Hiarba pelleretur, petiit callidè, vt venderet tantum terræ, quantum poſſet corium bouis tenere. Quod cum ille permiſiſſet, coriũ in tenuiſſimas corrigias ſectum tetendit, occupauitque ſtadia viginti duo.* Hinc interior pars Carthaginis Byrſa nominatur. Βύρσα Græce eſt corrigia, ſiue potiùs tergus & corium, quod Virgilius tergum appellat. Aut vt ait Donatus, cùm eo tempore pecunia ex corio bubulo fieret, Hiarbas locum vendidit Didoni, eo pretio vt illius loci ambitum pecunia circundaret.

d De prima origine belli Troiani ſic Horatius.

*Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.*

Propior etiam origo fuit iudicium Paridis & raptus Helenæ.

e Clauditur olympus nocte ingruente: ſole oriente aperitur, veſper autem, id eſt ſtella quæ omnium prima apparet dici-

*Sum pius Æneas, raptos, qui ex hoſte Penates,*
*Claſſe veho mecum fama ſuper æthera notus*
*Italiam quæro a patriã, & genus ab Ioue ſummo:*
*Bis denis b Phrygium conſcendi nauibus æquor*
*Matre c Dea monſtrante viam, data fata ſequutus,*
*Vix ſeptem conuulſæ vndis, Euróque ſuperſunt.*
*Ipſe ignotus, egens, Lybiæ deſerta peragro*
*Europâ atque Aſia pulſus, nec plura querentem*
*Paſſa Venus, medio ſic inter fata dolore eſt.*
*Quiſquis es (haud credo inuiſus cæleſtibus auras*
*Vitales carpis, Tyriam qui adueneris vrbem)*
*Perge modo, atq; hic te Reginæ d ad limina perfer.*
*Namque tibi reduces ſocios, claßémque relatam*
*Nuncio, & in tutum verſis aquilonibus actam,*
*Ni fruſtra augurium vani docuere parentes.*
*Aſpice bis ſenos lætanteis agmine cycnos,*
Tugurium. *Æthereâ quos lapſa plagâ e Iouis f ales aperto*
*Turbabat cœlo, nunc terras ordine longo,*
*Aut capere, aut captas, iam deſpectare videntur.*
*Vt reduces illi ludunt ſtridentibus alis.*

tur diem componere: quaſi diem præparet ad ſepulturam dies enim tenebris quodammodo ſepelitur. Porro componi dicuntur cadauera, cùm linteis inuoluuntur, & ad ſepulturam præparantur.

*a* Quæro Italiam, & præſertim Corythum Tuſciæ ciuitatem, patriam Dardani, qui Iouis & Electræ filius fuit.

*b* Helleſpontum. *c* Varro, apud Seruium in ſecundo diuinarum dicit: *Ex quo Troia egreſſus eſt Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrũ Laurentinum veniret, in quo eam non vidit vlterius: quare cognouit terras eſſe fatales.*

*d* Didonis.

*e* Aquila Ioui conſectata: de qua Horatius.
*Qualem miniſtrum fulminis alitem, Cui rex Deorum regnum in aues vagas permiſit, expertus fidelem Iupiter in Ganymede flauo.*

*Et cœtu cinxere polum, cantúſque dedere:*
*Haud aliter, puppéſque tuæ, pubéſque a tuorum,*
*Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.*
*Perge modo & qua te ducit via dirige greſſum.*
*Dixit, & auertens roſea ceruice refulſit,*
*Ambroſiæque* b *comæ diuinum vertice odorem,*
*Spirauere, pedes veſtis defluxit ad imos,*
*Et vera inceſſu patuit Dea: ille vbi matrem*
*Agnouit, tali fugientem eſt voce ſecutus.*
*Quid natum toties* c *crudelis tu quoque falſis*
*Ludis imaginibus? cur dextræ iungere dextram,*
*Non datur? ac veras audire, & reddere voces?*
*Talibus incuſat, greſſumque ad mœnia tendit,*
*At Venus obſcuro gradienteis* d *aëre ſepſit,*
*Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu,*
*Cernere ne quis eos, neu quis contingere poſſet,*
*Moliriue moram, aut veniendi poſcere cauſſas.*
*Ipſa* e *Paphum ſublimis abit, ſedéſque reuiſit*
*Læta ſuas, vbi templum illi, centumque Sabæo* f
*Thure calent aræ, ſertiſque* g *recentibus halant.*

*Æneas obſcuri a nebula circundatus Carthaginem proficiſcitur.*

*a* Tui ſocij pubeſcente ætate florentes.
*b* Diuinæ, immortales. Ambroſia cibus deorum.
*c* Quid tu etiam Venus mea mater, etiam in me crudelis es vt cæteri dij, & filium tuum falſis imaginibus eludis, apparens aliena ſpecie.
*d* Æneam & Achatem Venus nebula circundedit: quod facere potuit, cùm eſſet dea.
*e* Ipſa Venus in vrbem Cypri ſibi conſecratam, nomine Paphum, per medias nubes deuolat, & templum ſuum reuiſit, læta propter honorem ſibi delatum.
*f* Sabæa regio Arabiæ felicis vndè thus exportatur.
*g* Floribus qui ſemper in Cypro recentes colliguntur, implexis & inſertis ſuauem odorem exhalant.

*Corripuere viam interea quà ſemita monſtrat.*
*Iamque aſcendebant collem, qui plurimus vrbi*
*Imminet, aduerſaſque aſpectat deſuper arces.*
*Miratur molem Æneas, magalia a quondam,*
Aedificatio Carthaginis. *Miratur portas, ſtrepitúmque, & ſtrata b viarum.*
*Inſtant ardentes Tyrij, pars ducere muros,*
*Molirique arcem, & manibus ſubuoluere ſaxa.*
*Pars optare locum tecto, & concludere c ſulco.*
*Iura magiſtratúſque legunt, ſanctúmq; ſenatum.*
*Hîc portus alij effodiunt, hîc alta theatris*
*Fundamenta locant alii, immaneiſque columnas,*
*Rupibus excidunt, ſcenis decora alta futuris.*
*Qualis apes æſtate noua per florea rura*
*Exercet ſub ſole labor, cùm gentis adultos*
*Educunt fœtus, aut cùm liquentia mella,*
*Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas,*
*Aut onera accipiunt venientũ, aut agmine ſacto*
*Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.*
*Feruet opus, redolentq; thymo fragrantia mella.*
*O fortunati, quorum iam mœnia ſurgunt!*
*Æneas ait, & faſtigia ſuſpicit vrbis.*
*Infert ſe ſeptus nebulâ (mirabile dictu,)*
*Per medios miſcetque viris, neque cernitur vlli.*
*Lucus in vrbe fuit media, lætiſſimus vmbra,*
*Quò d primum iactati vndis, & turbine Pœni*

a Domus ſunt ruſticanæ inſtar carinarum.

b Vias pauimento conſtratas.

c Foſsâ, videtur ad morem condendarum vrbium alludere, nam vrbis ambitum aratro circumducto deſignabant.

d Iuſtinus lib. 8. *In primis Carthaginis fundamentis caput bubulum inuentum eſt quod auſpicium quidem fructuoſæ terræ, ſed laborioſæ perpetuoque ſeruæ vrbis fuit: propter quod in alium locũ*

*Effodere loco ſignum, quod regia Iuno*
*Monſtrarat caput acris equi, ſic nam fore bello*
*Egregiam, & facilem* [a] *victu per ſæcula gentem.*
*Hic templum Iunoni ingens Sidonia* [b] *Dido*
*Condebat, donis opulentum, & numine diuæ,*
*Ære trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.*
*Hoc primùm in luco noua res oblata timorem*
*Leniit; hîc primùm Æneas ſperare ſalutem*
*Auſus, & afflictis melius confidere rebus.*
*Námque ſub ingenti luſtrat* [c] *dum ſingula templo,*
*Reginam opperiens,* [d] *dum quæ fortuna ſit vrbi,*
*Artificúmque manus inter ſe, operúmque laborem*
*Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,*
*Bellaque iam fama totum vulgata per orbem.*
*Atridas,* [e] *Priamúmq; & ſæuũ ambobus Achillem.*
*Cõſtitit, & lacrymãs; quis iã locus (inquit) Achate*
*Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?*
*En Priamus, ſunt hîc etiam ſua* [f] *præmia laudi.*
*Sunt lacrymæ rerũ, & mentem* [g] *mortalia tangunt.*

*Spectat Æneas in templo depictam belli Troiani hiſtoriam.*

*vrbs tranſlata. Ibi quoque caput equi repertum bellicoſum potentémque populum futurum ſignificans vrbi auſpicatam ſedem dedit.* Pœnos appellat Phœnicas.

*a* Cui victus copia abundaret, & facilè rebus omnibus ad victum pertinentibus frueretur. *b* A Sidone vrbe Phœniciæ.

*c* Omnia ſigillatim contemplatur & conſiderat.

*d* Expectans Didonis aduentum.

*e* Agamemnonem & Menelaum, filios Atrei, Priamum Regem Troiæ, Achillem iratum Atridi propter raptam Briſeidem, & hoſtem Priami quem obſidebat.

*f* Etiam hic virtuti iuſta & debita præmia tribuuntur, dum qui fortiter ſe geſſerunt, picturis honorantur.

*g* Miſeriæ quæ humanitùs contingunt miſeratione permouent hominum mentes, etiam barbarorum.

*Solue metum, feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.*
*Sic ait, atque animum pictura paſcit inani,*
*Multa gemens, largoq; humectat flumine vultum*
*Namque videbat vti bellantes pergama circùm*
*Hac fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus,*
*Hac Phryges, inſtaret curru criſtatus Achilles.*
*Nec procul hinc Rheſi a niueis tentoria velis*
Rheſus. *Agnoſcit lacrymans, primo quæ prodita ſomno*
*Tydides multa vaſtabat cæde cruentus,*
*Ardenteiſque auertit equos in caſtra priùs quàm*
*Pabula* b *guſtaſſent Troiæ, Xanthúmque bibiſſent.*
*Parte alia fugiens amiſſis Troilus armis*
Troilus. *Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli*
*Fertur equis, currúque hæret reſupinus inani,*
*Lora tenens tamen, hic ceruixq; comeq; trahuntur*
*Per terram, & verſa puluis inſcribitur haſta.*
*Interea ad templum non æquæ Palladis ibant,*
*Crinibus Iliades paſſis* c, *peplumque* d *ferebant*

*a* Rheſus Rex Thraciæ venit auxilio Troianis: ſed priuſquam vrbem ingrederetur, inſidiis Diomedis & Vlyſſis occiſus eſt, cùm ij noctu, dormientibus cuſtodibus, in caſtra irrupiſſent, & primus ſomnus Rheſum prodidiſſet. Vel id ad Dolonem Troianum referri debet, qui Rheſi aduentum Diomedi & Vlyſſi detexit, & ita dicitur caſtra prodidiſſe.

*b* In fatis erat, vt ſi equi Rheſi pabula guſtaſſent Troiæ; aquamque ex Xantho ſiue Scamandro Troiam præterfluente bibiſſent, Ilium incolume permaneret: ſed Diomedes eos auertit in caſtra Græcorum, & impediuit ne ad vrbem accederent.

*c* Panſis & diſperſis in ventũ. Senſus autem eſt cum Græci & Troiani inter ſe pugnarent, Troianæ mulieres ibant ad templum Mineruæ Troianis infenſæ propter iudicium Paridis & ſpretæ formæ iniuriam: & ad triſtitiæ maioris indicium crines ſpargebant vt eam miſericordia commouerent.

*d* Peplum, inquit Seruius, propriè eſt palla picta fœminea

*Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.*
*Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat.*
*Ter a circum Iliacos raptauerat Hectora muros,* Hectoris
*Ex animúmque auro corpus vendebat Achilles.*
*Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo,*
*Vt ſpolia, vt currus, vtque ipſum corpus amici,*
*Tendentemq; manus Priamum conſpexit inermeis,*
*Se quoq; b principibus permixtum agnouit Achiuis,*
*Eoaſque c acies, & nigri d Memnonis arma.* Memn.
*Ducit e Amazonidum lunatis agmina peltis*
*Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet,*

Mineruæ conſecrata: quam Athenienſes certis diebus, publicis ſupplicationibus deferebant, vt videre eſt apud Thucydidem & Herodotum. Plautus. *Numquam ad ciuitatem venis niſi cum infertur peplum*

*a* Achilles corpus Hectoris à ſe interfecti prefoſſis talis ad currum ſuum alligauit, & circa muros Ilij raptauit, & poſt expoſuit canibus & auibus laniandum: vt amici ſui Patrocli ab Hectore necati manes expiaret. Priamus Hectoris pater clàm ad Achillem ingreſſus filij cadauer redemit.

*b* Aeneas tam fortis erat & generoſus, vt in acie ſemper ad illam partem accederet, vbi fortiſſimi quique Græcorum principes verſabantur: ideo permixtus principibus depingitur: non propter proditionem, vt aliqui voluerunt.

*c* Ex oriente venientes.

*d* Et Memnonis Aethiopis, qui Auroræ & Tithoni filius fuit, arma à Vulcano fabricata: de quibus 8. Aeneidos.

*Te potuit lacrymis Tithonia flectere coniux.*

*e* Amazones mulieres bellicoſæ Hebrum fluuium incolentes dictæ vel quaſi ἅμα ζῶσαι quòd ſimul viuerent ſeparatæ à virorum conſortio, vel quaſi ἄνευ μαζοῦ ſine mamma, quòd dextram ſibi mamillam exurerent, ad arcum facilius adducendum. Lunatis peltis vtebantur: id eſt paruis quibuſdam ſcutis ad modum lunæ corniculatis: earum Regina fuit Pentheſilea Martis & Otteres filia: quam Achilles Troianis auxilium ferentem interemit.

*Aurea ſubnectens exertæ a cingula mammæ*
*Bellatrix, audétque viris concurrere Virgo.*
Dido ve- *Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,*
nit ad *Dum ſtupet, obtutúque hæret defixus in vno,*
tẽplum. *Regina ad templum formâ pulcherrima Dido*
*Inceſſit magna iuuenum ſtipante catervâ.*
*Qualis in Eurotæ b ripis, aut per iuga Cynthi* c
*Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ*
*Hinc atq; hinc glomerantur Oreades.* d *illa pharetrã*
*Fert humero; gradienſq; Deas ſupereminet omneis,*
*Latonæ* e *tacitum pertentant gaudia pectus.*
*Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat*
*Per medios, inſtans* f *operi, regniſque futuris.*
*Tum foribus diuæ media te ſtudine* g *templi*
*Septa armis, ſolióque altè ſubnixa reſedit.*
*Iura dabat, legéſque viris, operumque laborem*
*Partibus æquabat iuſtis, aut ſorte trahebat.*
*Cum ſubito Æneas concurſu accedere magno*
*Anthea, Sergeſtumq; videt fortémque Cloanthum*
*Teucrorúmque alios , ater quos æquore turbo*

a *nudatæ* inquit Seruius, *nudant enim quã aduſſerint mammam;* interpretari poſſemus etiam de integra mamilla ſiniſtra, quam exerebant & nudabant, faſciiſque auro implexis ſubligabant.
b Fluuij Laconiæ.
c Cinthus, mons Deli, in quo natam Dianam fabulantur.
d Seruius. *Nymphæ montium Oreades dicuntur,* ὄρος, ὄρεος, *mons.*
*Sylvarum Dryades,* δρῦς δρυός, quercus *quæ cum ſyluis naſcun-*
*tur & moriuntur Hymadryades* ab ἅμα & δρυός. *fontiũ Naiades.*
ἀπὸ τοῦ νάειν, quod manare & ſcaturire ſignificat: *maris vero*
*Nereides* e Latona Dianæ mater videns filiam ſuam ſuper
cæteras Deas eminere tacita gaudet in ſinu, ſibique ipſi gra-
tulatur, quòd talem filiam genuerit. f Vrgens ædificationem
vrbis in qua decreuerat regni ſui ſedem collocare.
g Camera incurua & fornicata, quæ cæli imaginẽ repræſentat,

*Diſpulerat, penitúſque a alias aduexerat oras,*
*Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates,*
*Lætitiaque, metuque, auidi coniungere dextras*
*Ardebant, ſed res animo b incognita turbat.*
*Diſsimulant, & nube caua ſpeculantur amicti,*
*Quæ fortuna viris, claſsem quo litore linquant,*
*Quid veniant, cunctis nam lecti nauibus ibant*
*Orantes c veniam, & templum clamore petebant.*
*Poſtquàm introgreſsi, & coràm data copia fandi,*
*Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit.*

Ilionei ad Didonem oratio.

*O regina nouam cui condere Iupiter vrbem,*
*Iuſtitiaque dedit gentes frenare ſuperbas.*
*Troës te miſeri, ventis maria omnia vecti*
*Oramus, prohibe infandos à nauibus ignes,*
*Parce pio generi & propiùs res aſpice noſtras,*
*Non nos aut ferro Lybicos populare Penates*
*Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.*
*Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.*
*Eſt locus, Heſperiam d Graij cognomine dicunt,*
*Terra antiqua, ponens armis, atque vbere e glebæ,*
*Oenotrij coluere viri, nunc fama minores*

a Longè in alias partes ab Aenea & ſeptem nauibus, quas ipſe ex omni numero collectas ad portum ſubduxerat.
b Lætitia propter ſocios à tempeſtate liberatos, metu propter populi concurſum, ne videlicet in vincula ducerentur.
c Orantes vt Troianis impunitas daretur, quòd in terram exſcenderant.
d Heſperiæ ſunt duæ, Italia, & Hiſpania, ſed Hiſpania cùm adiecto Heſperia vltima nominatur. Heſperia Græcis dicitur quaſi Occidentalis, à ſtella Heſpero, qui Latinis Veſper ſiue veſperugo.
e Vbertate & fœcunditate terræ.

*Italiam dixiſſe* a *ducis de nomine gentem,*
*Huc curſus fuit.*
*Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus* b *Orion*
*In vada* c *cæca tulit, penituſq; procacibus auſtris,*
*Pérque vndas ſuperante ſalo, pérque inuia ſaxa*
*Diſpulit, huc pauci veſtris adnauimus oris, (morē*
*Quod genus hoc hominũ? quæue hunc tam barbara*
*Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ.*
*Bella cient primáque* d *vetant conſiſtere terrâ*
*Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,*
*At ſperate Deo, mémores fandi atque nefandi.*
*Rex erat Aeneas nobis, quo iuſtior alter*
*Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis,*
*Quem ſi fata virum ſeruant, ſi veſcitur aurâ*
*Aethereâ, nec adhuc crudelibus occubat vmbris,*
*Non metus, officio nec te certaſſe priorem,*
*Pœniteat: ſunt & Siculis regionibus vrbes,*
*Armáque,* e *Troianoq; à ſanguine clarus* f *Aceſtes,*
*Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,*
*Et ſyluis aptare trabes, & ſtringere remos:* g

*a* Itali nomine Regis Siciliæ, qui venit in Italiam.
*b* Conſtellatio circa frontem Tauri, quæ ſuo exortu nimbos & tempeſtates excitat.
*c* In Syrtes vadoſas vi tempeſtatis fluctibus coopertas.
*d* Littorali, quòd è mari in terram exſcendentibus primo terrarum littus occurrat.
*e* Videntur armorum nomine intelligi Troiæ inſignia de quibus ſupra *Armáque fixit Troiæ.*
*f* 5. Æneidos *Troia Criniſo conceptum flumine mater. Quem genuit.*
*g* Secare lignum ad remos faciendos, vt in eclogis.
*Agricolæ ſtringunt frondes.*
1. Georgic. *Cum flauis meſſorem induceret aruis*
*Agricola, & fragili iam ſtringeret hordea culmo.*

*Si datur Italiam ſocii, & rege recepto*
*Tendere, vt Italiam læti, Latiumque petamus.*
*Sin abſumpta ſalus, & te pater optime* a *Teucrûm*
*Pontus habet Libyæ, nec ſpes iam reſtat Iuli:*
*At freta Sicaniæ* b *ſaltem, ſedéſque* c *paratas*
*Vnde huc aduecti, regémque petamus Aceſtem.*
*Talibus Ilioneus: cuncti ſimul ore fremebant*
*Dardanidæ.*
*Tum breuiter Dido vultum demiſſa profatur.*
*Soluite corde metum Teucri, ſecludite curas,*
*Res* d *dura, & regni nouitas me talia cogunt*
*Moliri, & latè fines cuſtode tueri.*
*Quis genus Aeneadum? quis Troiæ neſciat vrbem?*
*Virtutéſque, viróſque, aut tanti incendia belli?*
*Non* e *obtuſa adeo geſtamus pectora Pœni.*
*Nec tam auerſus equos Tyria ſol iungit ab vrbe.*
*Seu vos Heſperiam magnam, Saturniáque* f *arua,*
*Siue Erycis* g *fines, regémque optatis Aceſtem,*
*Auxilio tutos dimittam, opibuſque iuuabo.*
*Vultis & his mecum pariter conſidere regnis?*
*Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite* h *naueis.*

**Didonis ad Ilioneum reſponſio.**

*a* Æneas. *b* Siciliæ. c Ad nos recipiendos.
d Timor Hiarbæ & Pygmalionis fratris mei regniq; recens cōditi necdum ſat bene cōſtituti nouitas cogunt me cuſtodes apponere, qui prohibeāt peregrinos ad terrā exſcendere. e Nos Phœnices non ſumus adeò hebetes, nec tam obtuſum ingenium habemus vt bellum Troianū ignoremus; nec tam remoti ſumus ab vrbe Troiana (nam & Troia & Tyrus ſunt in Oriente) vt horum bellorum fama ad nos vſque non peruenerit. *f* Latium, vbi Saturnus habitauit. *Latiumque vocari Maluit his quoniam latuiſſet tutus in oris.* 8. Æneid.
g Siciliam vbi mons Erybinus, & templum Veneris Erycinæ: ab Eryce veneris filio. *h* E mari in terram educite.

Tros, Tyriúſque mihi nullo diſcrimine agetur.
Atque vtinam rex ipſe a Noto compulſus eodem,
Afforet Aeneas: equidem per littora certos
Dimittam, & Libyæ b luſtrare extrema iubebo.
Si quibus eiectus ſiluis, aut vrbibus errat.
His animum arrectus dictis, & fortis Achates
Et pater Æneas iamdudum erumpere nubem
Ardebant, prior Aeneam compellat Achates.
Nate dea quæ nunc animo ſententia ſurgit?
Omnia tuta vides, claſſem, ſocióſque receptos.
Vnus c abeſt, medio in fluctu quem vidimus ipſi
Submerſum, dictis reſpondent cætera matris d.
Vix ea fatus erat, cùm circumfuſa repente
Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.

Aeneas ex improuiſo apparet Didoni.

Reſtitit Æneas, claráque in luce refulſit,
Os, humeróſque Deo ſimilis: námque ipſa decoram
Cæſariem nato e genitrix, lumenque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariuſque f lapis circundatur auro:
Tum ſic reginam alloquitur, cunctíſque repente
Improuiſus ait: Coram quem quæritis, adſum
Troius Æneas, Libycis ereptus ab vndis.
O ſola infandos Troiæ miſerata labores

a Seruius *Aut quouis vento, aut reuera Noto, qui de Syrtibus Carthaginem ducit. Supra enim Ilioneus, Penitúſque procacibus auſtris, In vada cæca tulit.*
b Circuire, perſcrutari.
c Orontes dux Lyciorum.
d Quæ reduces Æneæ ſocios prædixerat.
e Æneæ Venus.
f Lapis candidiſſimus ab inſula Paro ſic nominatur.

*Quæ nos relliquias Danaûm, terræque mariſque,*
*Omnibus exhauſtos iam caſibus, omnium egenos* Iam alloquitur
*Vrbe, domo ſocias. Grates perſoluere dignas,*
*Non opis eſt noſtræ, Dido, neq; quidquid vbiq; eſt*
*Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa per orbem,*
*Dij tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid*
*Vſquàm iuſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,*
*Præmia digna ferant: quæ te tam læti tulerunt*
*Secula? qui tanti talem genuere parentes?*
*In freta dum fluuii current, dum mõtibus* a *vmbræ*
*Luſtrabunt, conuexa polus dum ſidera* b *paſcet.*
*Semper honos, noménque tuum, laudeſque manebunt,*
*Quæ mecúmque vocant terræ. Sic fatus amicum*
*Ilionea petit dextrâ, læuaque Sereſtum:* Reſpondet Dido
*Poſt alios, fortémque Gyan, fortémq; Cloanthum.*
*Obſtupuit* c *primo aſpectu Sidonia Dido,*
*Caſu deinde viri tanto, & ſic ore locuta eſt.*
*Quis te, nate Dea, per tanta pericula caſus*
*Inſequitur? quæ vis* d *immanibus applicat oris?*
*Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ*
*Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad vndã?*

*a* Dum vmbræ proiicientur à montibus quæ conuexas montium partes circumeunt.
*b* Alludit ad opinionem Stoicorum, qui dicebant ſidera eſſe animantes, quæ Oceani alerentur humoribus.
*c* Duas adfert admirationis cauſſas: altera eſt aſpectus tam improuiſus, aut etiam Æneæ pulchritudo? altera, quòd vir tantus tantis caſibus premeretur.
*d* Difficilibus, importuoſis, inacceſſis propter Syrtes & ſcopulos.

*Atque equidē Teucrum* [a] *memini Sidona* [b] *venire*
*Finibus expulſum patriis,* [c] *noua* [d] *regna petentē,*
*Auxilio Beli, genitor cum Belus opimam*
*Vaſtabat Cyprum: & victor ditione tenebat.*
*Tempore iam ex illo caſus mihi cognitus vrbis*
*Troianæ, noménque tuum, regéſque Pelaſgi* [e]*,*
*Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat:*
*Séque ortum antiqua Teucrorum à ſtirpe* [f] *volebat.*
*Quare agite ô tectis, iuuenes, ſuccedite noſtris.*
*Me quoque poſt multos ſimilis fortuna labores*
*Iactatam, hac demum voluit conſiſtere terrâ.*
*Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.*
*Sic memorat; ſimul Aenean in regia ducit*
*Tecta; ſimul Diuûm templis indicit honorem.* [g]
*Nec minùs interea ſociis ad littora mittit*
*Viginti tauros, magnorum horrentia centum*
*Terga ſuum, pingueis centum cum matribus agnos,*
*Munera, lætitiámque* [h] *Dei*

*a* Teucer è bello Troiano rediens receptus non eſt à patre Telamone: quia vltus non fuerat illatam à Græcis Aiaci fratri Teucri iniuriá. Græci ſi quidem Achillis interfecti arma Vlyſſi quàm Aiaci dare maluerunt; eam ob rem inſaniens Aiax ſibi ipſi mortem conſciuit.

*b* Vrbem Phœniciæ Tyro vicinam.

*c* Salaminijs Salamis inſula prope Atticam.

*d* In inſula Cypro, vrbem condidit, quam à nomine patriæ ſuæ ſalaminem nominauit.

*e* Græci à Pelaſgo Iouis & Lariſſæ filio.

*f* Filius erat Heſiones ſororis Priami; quam Telamon primo Troiæ excidio per Herculem illato, captiuam abduxerat.

*g* Supplicationes fieri iubet, ad gratias dijs agendas, quia Troiani acceſſerant; vel iubet victimas Dijs immolari quibus ipſi poſtea veſcerentur.

*h* Vinum mittit lætitiam Liberi Patris ſiue Bacchi, alij legunt *die* id eſt *die*, quaſi hæc ad vnius tantùm diei epulas & feſtiuitatem mitterentur.

*At domus interior regali ſplendida luxu* — *Conuiuium inſtruitur.*
*Inſtruitur, mediiſque* a *parant conuiuia tectis,*
*Arte laboratæ veſtes,* b *oſtroque ſuperbo,*
*Ingens argentum* c *menſis, cælatáque in auro*
*Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum,*
*Per tot ducta viros, antiqua ab origine gentis.*
*Aeneas (neque enim patrius conſiſtere mentem*
*Paſſus amor) rapidū ad naueis* d *præmittit Achatē,* — *Aſcanius cum muneribus reuocatur.*
*Aſcanio ferat* e *hæc, ipsúmque ad mœnia ducat.*
*Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis,*
*Munera præterea Iliacis erepta ruinis*
*Ferre iubet, pallam* f *ſignis, auroque rigentem,*
*Et circum textum* g *croceo velamen acantho.*
*Ornatus, Argiuæ* h *Helenæ, quos illa Mycenis*

*a* In atrijs, quæ aulæ fuerunt in ædium medio conſtitutæ infra *Vocemque per ampla volutant Atria.*
*b* Veſtes, ſtragulæ, tapetes & periſtromata artificioſè contexta, & purpurea: purpura eſt piſciculus oſtreo ſiue concha incluſus, vnde oſtrum pro purpura.
*c* Vaſa argentea magni ponderis ad fercula menſis inferenda: item vaſa aurea quibus inſculptæ erant res fortiter geſtæ à maioribus Didonis: quæ rerum geſtarum ſeries erat longiſſima: quippe quæ à Belo primo Aſſyriorum rege, vſque ad Belum patrem Didonis per multos Reges intermedios duceretur. *d* Properè mittit antequam conuiuium inſtruatur.
*e* Renuntiet quàm benignè excepti fuerint Troiani à Didone: & ipſum Aſcanium adducat Carthaginem.
*f* Veſtem talarem, ſignis & figuris aureis ita intextam vt rigeret, & quodam modo ſtaret, nec facilè complicari poſſet, aut rugas mutare.
*g* Et velamen, circa cuius extremas oras aureis filis intextus erat flos quidam crocei ſiue flaui coloris, qui acanthus vocatur.
*h* Helena Spartana fuit: Argiuam tamen appellat & Mycenis veniſſe dicit Poëta propter harum vrbium vicinitatem.

*Pergama cùm peteret, inconceſſoſque a Hymenæos,*
*Extulerat, matris* b *Ledæ mirabile donum,*
*Præterea ſceptrum, Ilione* c *quod geſſerat olim*
*Maxima natarum Priami, colloque monile* d
*Baccatum, & duplicem gemmis, auroque coronam.*
*Hæc celerans iter ad naues tendebat Achates.*
*At Cytherea* e *nouas artes, noua pectore verſat*
*Conſilia, vt faciem mutatus, & ora Cupido*
*Pro dulci Aſcanio veniat, doniſque furentem*
*Incendat Reginam, atque oſſibus implicet* f *ignem.*
*Quippe domum timet ambiguam,* g *Tyriòſque bilingues* h
*Vrit atrox* i *Iuno, & ſub noctem cura recurſat,*
*Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.*
*Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus:*
*Nate, patris* k *ſummi qui tela Typhoëa temnis,*

*Eius loco Venus mittit Cupidinem.*

*a* Nuptias, ab Hymenæo Deo nuptiarum inconceſſas, nuptias vocat: quia Paris Alexander contra ius faſque abduxit Helenam nuptam Menelao, & ſibi in matrimonium adſciuit.
*b* Quod munus Leda mater Helenæ filiæ ſuæ dederat: vel quod Leda à Ioue dono acceperat.
*c* Quæ nupſit Polymneſtori Thraciæ Regi.
*d* Torquis quædam collaris, gemmis & baccis margaritarum intexta & ideò duplex.
*e* Venus Dea inſulæ Cytheri.
*f* Infundat ardentem amorem.
*g* Domum, in qua habitat fœmina mutabilis, & dubiæ fidei.
*h* Perfidos, qui aliud in ore promptum aliud in pectore clauſum habent, vernaculè dicimus *qui ont leur dire & leur deſdire.*
*i* Iuno atrociter Aeneam inſectans, habet Venerem ſollicitam
*k* Qui tela & fulmina Iouis, quibus domitus eſt Tiphœus gigas, contemnis.

*Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.*
*Frater [a] vt Æneas pelago tuus omnia circum*
*Littora iactetur odiis Iunonis iniquæ,*
*Nota tibi, & noſtro doluiſti ſæpe dolore.*
*Nunc Phœniſſa [b] tenet Dido, blandiſque moratur*
*Vocibus, & vereor quò ſe Iunonia [c] vertant*
*Hoſpitia: haud [d] tanto ceſſabit cardine rerum.*
*Quocirca [e] capere ante dolis, & cingere flammâ*
*Reginam meditor, ne quo ſe numine mutet,*
*Sed magno Æneæ [f] mecum teneatur amore.*
*Quo facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentē.*
*Regius [g] accitu chari genitoris ad vrbem*
*Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,*
*Dona ferens pelago, & flammis reſtantia Troiæ.*
*Hunc ego ſopitum ſomno ſuper alta Cythera,*
*Aut ſuper Idalium [h] ſacrata ſede recondam,*
*Ne qua ſcire dolos, mediúſue occurrere poſſit.*
*Tu faciem illius noctem non amplius vnam*

*Veneris ad Cupidinem oratio.*

*a* Frater vterinus: vterque enim Veneris filius.
*b* Profecta Tyro, vrbe Phœniciæ.
*c* Carthaginienſia, in illa nimirum vrbe.

*Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam*
*Poſt habita coluiſse Samo.*

*d* Iuno nacta tam opportunam occaſionem non ceſſabit Aneę al quam nouam calamitatem arceſſere: occaſionem cardinem, appellat, quia vt ianuæ cardinibus, ita negotia occaſionibus vertuntur.
*e* Eam ob rem meditor Iunonem præuenire, & priùs Didonem amore Æneæ incendere, quàm Iuno quicquam contra Æneam moliatur.
*f* Tam ardenter amet Aeneam, quam ardenter eum amo.
*g* Aſcanius Regis Aeneæ filius euocatus à patre parat ire Carthaginē, quæ ab vrbe Phœniciæ Sidone Sidonia nuncupatur.
*h* Cypri nemus Veneri dedicatum, iuxta oppidulum Idaliam.

*Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus;*
*Vt cùm te gremio accipiet lætiſſima Dido*
*Regales inter menſas, laticémque Lyæum* a :
*Cum dabit amplexus, atque oſcula dulcia figet,*
*Occultu inſpires ignem* b *falláſque veneno.*
*Paret Amor dictis charæ genitricis, & alas*
*Exuit, & greſſu gaudens incedit Iuli.*
*At Venus Aſcanio placidam per membra quietem* c
*Irrigat & fotum* d *gremio Dea tollit in altos*
*Idaliæ, lucos, vbi mollis amaracus* e *illum*
*Aduentus Cupidinis ſub ementita Aſcanij ſpecie.* *Floribus, & dulci aſpirans* f *complectitur vmbra.*
*Iamque ibat dicto parens; & dona Cupido*
*Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate,*
*Cùm* g *venit, aulæis iam ſe Regina ſuperbis*
*Aurea compoſuit ſponda, mediamque* h *locauit.*
*Iam pater Aeneas & iam Troiana iuuentus*
*Conueniunt, ſtratóque ſuper diſcumbitur* i *oſtro.*

*a* Liquorem Bacchicum, id eſt vinum: Bacchus dicitur Lyæus ἀπὸ τοῦ λύειν quod ſoluat curas *Lyæum* pro *Lyæium*, vt ſuprà *typhæ* apro *typhæïa*.

*b* Amorem ardentem ignis inſtar, qui amòr etiam venenum nominatur: quòd vt venenum corporis, ita amor animi perturbat ſanitatem.

*c* Somnum infundit, cuius ea natura eſt vt corpus humectet.

*d* Interiore ſinu calefactum.

*e* Herba: vulgò *mariolaine*.

*f* Aſcanio ſuauis odoris auram inhalans.

*g* Dum aduenit Cupido, Dido Regina magnificis periſtromatis, ſiue veſtibus ſtragulis, in aurea lecti tricliniaris ſponda ſe collocauit.

*h* Apud Perſas in accubitu medius locus erat honoratiſſimus primus apud Græcos, medij thori infimus apud Romanos. Videtur Poëta ſecutus morem Græcorum vt Dido Aeneæ honòris cauſſa primum & ſupremum locum conceſſerit, ipſa medium occuparit, Aſcaniũ infra ſe, & in infimo collocarit.

*i* Purpureis tapetibus.

*Dāt a famuli manibus lymphas, Cererēq; caniſtris* Conuiuij deſcriptio.
*Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.*
*Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo*
*Cura penum* b *ſtruere & flammis* c *adolere Penates.*
*Centum aliæ, totidémque pares ætate miniſtri,*
*Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.*
*Nec non & Tyrij per limina læta frequentes*
*Conuenêre, thoris iuſſi diſcumbere pictis.*
*Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum* d
*Flagranteiſque dei vultus, ſimulatáque* e *verba,*
*Pallámque, & pictum croceo velamen acantho.*
*Præcipuè infelix peſti deuota* f *futuræ,*
*Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo*
*Phœniſſa & puero pariter, doniſque mouetur.*
*Ille vbi complexu Aeneæ, collóque pependit,*
*Et magnum falſi* g *impleuit genitoris amorem,*
*Reginam petit, hæc oculis, hæc pectore toto*
*Hæret, & interdum gremio fouet inſcia Dido.*

*a* Serui aquam manibus infundunt, & panem ad menſas expedite ferunt caniſtris ; adferunt etiam mantilia quæ villos minutos, & tonſos habebant.
*b* Fercula in penu ſtruere, quæ deinde menſis inferantur.
*c* Odores incendere, domum ſuffire, *adolere* vox ſacrorum vt mactare *verbenaſque adole pingues.*
*d* Cupidinem ementito Iuli habitu venientem. Quòd autem Tyrios ait iuſſos diſcumbere, innuit Carthaginenſes coram Regina diſcubituros non fuiſſe niſi ad maiorem illius diei lætitiam peculiari mandato iuſſi fuiſſent menſis accumbere.
*e* Aſcanij vocem imitantia.
*f* Infelix propter futurum caſum : quia amore Æneæ incenſa ſibi ipſi mortem conſciſcet, & iam illi peſti ſiue exitio tanquam victima eſt addicta, & morti deſtinata.
*g* Vel Æneæ, qui fallebatur, ratus ſe filium ſuum Aſcanium oſculari, cùm oſcularetur Cupidinem ; vel Æneæ qui reuera non erat pater, ſed falſo putabatur à præſentibus: qui putabant eſſe verum Aſcanium.

*Inſideat quantus miſeræ Deus: at memor* a *ille,*
*Matris Acidaliæ, paulatim abolere* b *Sichæum,*
*Incipit, & viuo tentat præuertere amore*
*Iampridem* c *reſides animos, deſuetáque corda.*
*Poſtquam prima quies epulis, ménſæque remotæ,*
*Crateras* d *magnos ſtatuunt, & vina* e *coronant:*
*Fit ſtrepitus tectis, vocémque per ampla volutant*
*Atria, dependent lychni* f *laquearibus* g *aureis*
*Incenſi, & noctem flammis funalia* h *vincunt.*
*Hic regina grauem gemmis, auróque popoſcit,*
*Impleuitq; mero pateram, quam* i *Belus & omnes*

*Poſt epulas diis offertur libatio.*

*a* At Cupido memor præceptorum quæ ipſi dederat Venus mater. Acidaliam appellat, *ab Acidalio fonte*, inquit Seruius *qui eſt in Orchomeno Bœotiæ ciuitate, in quo ſe Gratiæ abluunt, quas Veneri conſtat eſſe ſacratas.*

*b* Euellere & exſtirpare ex Didonis animo memoriam Sichæi priſtini coniugis, quæ penitus inoleuerat & inſederat: & eiuſdem Sichæi demortui amorem vehementiore Æneæ viuentis amore ſuperare, Eiuſdémque Didonis animum Æneæ amore præuenire & præoccupare: antequam Iuno Didonem ad Æneæ odium inflammet.

*c* Qui iampridem amoribus vacare deſtiterant, & propter amoris deſuetudinem reſidebant.

*d* Finitis epulis, gratias diis acturi crateras magnos: id eſt vaſa maiuſcula, vino plena in medio ſtatuebant, iiſque coronam è floribus contextam imponebant: è quibus crateribus vinum in pateras infunderent, & vini primitias libarent è pateris in menſam effunderent.

*e* Implent vſque ad marginem, vt parua quaſi corona relinqui videatur, Præſtat tamen ſimplicius interpretari, coronam imponunt crateri. 3. Æneid. *Magnum cratera corona*
*Induit, impleuitque mero, diuoſque vocauit.*

*f* Candelabra penſilia.

*g* Tabulatis auro laqueatis, & cameratis *de lambris dorés.*

*h* Faces è funibus inceratis compoſitæ, luce ſua perfundunt & diſſipant nocturnas tenebras.

*i* Quam Belus primus Aſſyriorum Rex, & omnes eius poſteri

*A Belo ſoliti. tum facta ſilentia tectis.*
*Iupiter (hoſpitibus nam te dare iura loquuntur)*
*Hunc lætum Tyriiſque diem, Troiáque profectis,*
*Eſſe velis, noſtróſque huius meminiſſe minores.*
*Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.*
*Et vos, ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.*
*Dixit,* a *& in menſá laticum libauit honorem,*
*Primáque libato ſummo tenus attigit ore:*
*Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hauſit*
*Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.*
*Poſt alij proceres: cithara crinitus Iopas* b
*Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.* c
*Hic canit errantē* d *lunā ſoliſq; labores,* e *(ignes*
*Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber &* *Cithara pulſatur.*

ſteri vſque ad Belum Didonis patrem, ſoliti ſunt implere vino ad libationes faciendas.

a Ita precata eſt Dido & illius liquoris ſiue laticis, ideſt vini primitias, quaſi honorarium munus diis obtulit, & in menſam effudit atque libauit. Primáque omnium, facta diis libatione: vinum quod in patera ſupererat, deguſtauit labris primoribus, & poſtquam deguſtauit Bitiæ tradidit pateram, increpitans & vrgens vt pateram penitùs exhauriret, arguénſque ſegnitiem tardè accipientis. Videtur autem Bitias non vnus fuiſſe ex Carthaginenſibus proceribus, ſed ille ipſe Bitias Æneæ ſocius, Germanus Pandari, ingentis magnitudinis, & fortaſſe bibacitatis adoleſcens, de quo plura 9. Æneidos: cui potiſſimum Dido porrexit exhauriendam pateram: quòd eum iam pridem aduerterat gnauiter id facientem.

b Didonis Citharœdus. Proceres, principes Troianorum, & Tyriorum. c Mauritaniæ Rex, Aſtrologiæ repertor, quem proinde fabulantur cœlum ſuis ceruicibus ſuſtinere: ab eo mons Atlas dictus, maximus & tam altes vt cœlum ipſum fulcire videatur. d Luna eſt vnus è ſeptem planetis, qui errones ſiue erratici vocantur, ad differentiam ſtellarum fixarum quæ eundem ſemper tenorem ſeruant, eandémque inter ſe diſtantiam. e Curſus tum annuos, tum diurnos, Bene *labores* appellat, quia cum ſol proprio motu feratur ab occaſu ad or-

*Arcturũ, a pluuiaſq; b Hyadas, geminóſq; c Triones*
*Quid d tantum Oceano properent ſe tingere ſoles*
*Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.*
*Ingeminant plauſum Tyrii, Troéſque ſequuntur,*
*Nec non & vario noctem ſermone trahebat*
*Infelix Dido, longúmque bibebat amorem,*
*Multa ſuper Priamo rogitãs, ſuper Hectore multa;*
*Nunc quibus e Auroræ veniſſet filius armis:*
*Nũc quales Diomedis f equi, nũc quãtus Achilles;*
*Imo age, & prima dic hoſpes origine nobis*
*Inſidias, inquit, Danaûm, caſuſque tuorum,*
*Erroreſque g tuos, nam te iam ſeptima portat*
*Omnibus errantem terris, & fluctibus æſtas.*

Nox eximitur variis ſermonibus.

tum, motu primi mobilis ſiue vniuerſi cõtra ſuam inclinationem rapitur ab ortu ad occaſum & ita laborat contra volutionem. Sphæræ Sunt qui per *labores* ſolis eclipſes intelligant.

a Stella eſt poſt caudam maioris vrſæ poſita in ſigno Bootæ quaſi ἀρκτοῦ οὐρὰ vrſæ cauda.

b Hyades ſtellæ ſunt in fronte tauri; quæ quoties naſcuntur pluuias creant. Pluuias appellat quaſi pluuioſas ſiue pluuiam afferentes dicta ἀπὸ τοῦ ὕειν pluere à latinis etiam ſuculæ, quaſi paruæ ſues. c Triones, inquit Seruius ſunt boues aratorij qui terram terunt: inde Triones ſtellæ quòd polum terant, geminos ait vel quòd inter ſe ſimiles ſunt, quamuis reuera ſeptẽ Triones ſint: vel duas arctos intelligit, quarum vrſa maior dicitur Helice, minor, Cynoſura. d Canit etiam Iopas cauſſas cur dies hiberni ſint adeo breues, longi autem æſtiui.

e Auroræ fuit filius Memnon qui venit ad Troiam cum armis vulcaniis, id eſt, ab ipſo Vulcano fabricatis.

f Equi illi quos Diomedes vaſtatis Rheſi tentoriis obtinuit.

*Ardentes auertit equos in caſtra, priuſquam*
*Pabula guſtaſſent Troiæ Xanthumque bibiſſent.*

Fuerunt autem nati ex eorum ſanguine quos Diomedes Thraciæ Rex humanis carnibus olim paſcebat, vt meritò de illis Æneam interrogarit Dido.

g Iter quod confeciſti *multùm & terris iactatus & alto.*

*FINIS.*

PVBLII

# VIR. MARONIS ÆNEIDOS

## LIBER II.

### MODESTINI IVRIS CONSVLTI in Secundum Æneidos Librum

### ARGVMENTVM.

Conticuere omnes, tunc ſi fortiſſimus herôs
Fata recenſebat Troiæ, caſúſque ſuorum,
Fallaces Graios, ſimulatáque dona Mineruæ,
Laocontis pœnam, & laxantem clauſtra Sinonem.
Somnum quo monitus acceperat Hectoris, atrum,
Iam flammas cæli, Troum, patriæque ruinas,
Et regis Priami fatum miſerabile ſemper,
Impoſitumque patrem collo, dextráque prehenſum
Aſcanium, fruſtra à tergo comitante Creüsâ.
Ereptam hanc fato, ſocios in monte repertos.

*Conticuêre omnes, intentique ora tenebant.* Narrat Æneas Troiæ excidium.
*Inde toro* a *pater Æneas ſic orſus ab alto,*
*Infandum Regina* b *jubes renouare dolorem,*
*Troianas vt opes, & lamentabile regnum*
*Eruerint Danai:* c *quæque ipſe miſerrima vidi,*

a Iam lib. 1. monuimus tum epulantium ordinem fuiſſe vt Dido, Æneas & Iulus eodem toro accumberent. & Æneas ſupremum, Dido medium, Iulus infimum lecti locum obtineret. vide Piſonianam parag. 67. Nota 13.

b Dido Regina Carthaginienſium.

c Græcia Danao Argiuorum Rege, qui cum quinquaginta

*Et quorum pars magna* a *fui. Quis talia fando*
Exordium *Myrmidonum,*b *Dolopúmue, aut duri miles Vlyſſei*
*Temperet a lacrymis? & iam nox humida cælo*
*Præcipitat, ſuadéntque cadentia ſydera ſomnos.*
*Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,*
*Et breuiter Troiæ ſupremum audire laborem,*
*Quamquam animus meminiſſe horret, luctúq; refugit*
*Incipiam. Fracti bello, fatiſque repulſi*
*Ductores Danaûm tot* d *iam labentibus annis,*
*Inſtar montis equum,* e *diuina Palladis* f *arte*

filias haberet, eas totidem filiis Ægypti fratris ſui tradidit vxores, iiſque imperauit vt prima nocte maritos ſuos occiderent.

*a* Qui magnæ rerum ibi geſtarum parti interfui, vel ad quem magna pars cladis & doloris peruenit: quippe qui in illo Troiæ excidio Creüſam coniugam meam amiſerim.

*b* Tanta fuit noſtra calamitas vt etiam poſſit hoſtium vel crudeliſſimorum lacrymas excitare. Trium populorum meminit, qui præ cæteris maximam cladem Troianis intulerunt: nam Achilles Myrmidonum, Pyrrhus ſiue Neoptolemus Dolopum, Vlyſſes Ithacenſium duces fuerunt, duo primi fortitudine & crudelitate, Vlyſſes calliditate cæteros Græcos anteibant.

*c* Nox terram rore humectans è cœlo præcipitatur, maxima noctis parte tranſacta, & ſidera ortu ſolis occidentia ſuadent vt cubitum diſcedamus.

*d* Decem annis à primo Græcorum in Phrygiam appulſu iam elapſis & euolutis.

*e* Seruius ex Hygino & Tuberone, *Machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur, vt aries, & teſtudo, quibus muri vi diſcuti, vel ſubrui ſolent, vnde eſt.*

*Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros.*

*Vt alii vel porta, quam eis Antenor aperuit, equum habuit pictum vel certe Antenoris domus, quo poſſet agnoſci, aut equeſtri prælio victa eſt Troia, aut à monte Hippio poſtquam ſe abſconderunt Græci, aut vere ea fuit quod Virgilius ſequitur.*

*f* Ingenioſè. Pallas enim ſiue Minerua ſapientiæ Dea.

*Ædificant, ſectáque intexunt abiete* [a] *coſtas.*
*Votum pro reditu* [b] *ſimulant: ea fama vagatur.*
*Huc delecta* [c] *virûm ſortiti corpora furtim,*
*Includunt cæco lateri, penituſque cauernas*
*Ingentes, vterumque armato milite complent.*
*Eſt in conſpectu Tenedos, notiſſima famâ*
*Inſula, diues opum, Priami dum regna manebant,*
*Nunc tantùm ſinus,* [d] *& ſtatio* [e] *maleſida carinis,*
*Huc ſe prouecti deſerto in littote condunt.*
*Nos abiiſſe rati* [f] *& vento petiiſſe Mycenas.* [g]
*Ergo omnis longo* [h] *ſoluit ſe Teucria* [i] *luctu:*
*Panduntur portæ: juuat ire & Dorica* [k] *caſtra*
*Deſertóſque videre locos, littúſque relictum:*
*Hîc Dolopum manus: hîc ſæuus, tendebat* [l] *Achilles*

Equus è ligno contexitur.

Græci ſe abſcondunt fugam ſimulantes.

Troiani egrediuntur ex vrbe.

*a* Abiete ſiue ſapino in aſſeres & trabes diſſectâ, equi latera contexunt.

*b* Simularunt Græci hunc equum à ſe ex voto fuiſſe fabricatum, vt huius voti religione Mineruam ſibi propitiam redderent & proſperum ab ea reditum impetrarent.

*c* Viros fortes ad ſortem delectos includunt in obſcuris equi lignei lateribus, & penitiſſimas ingentis ventris cauernas & receſſus complent militibus armatis.

*d* Nunc, ex quo tempore Græcorum armis vaſtata eſt, duntaxat reductus maris receſſus.

*e* Seruius. *Statio vbi ad tempus ſtant naues: portus vbi hyemant.*

*f* Nos arbitrati ſumus Græcos in Græ[illegible]m rediiſſe.

*g* Vrbs fuit Græciæ primaria, vbi Rex ſ[illegible]am Agamemnon habitauit.

*h* Qui decem ipſos annos durauerat.

*i* Regio Troiana à Teucro qui ex inſula Creta in Phrygiam venit.

*k* Campum in quo Græci caſtra metati fuerant, dicti Dores à Doro Neptuni filio.

*l* Tabernaculum fixerat, ſunt autem verba Troianorum inter ſe loquentium.

*Claſſibus* a *hîc locus: hîc acies certare ſolebant:*
*Pars ſtupet innuptæ* b *donum* c *exitiale Mineruæ,*
*Et molem mirantur equi; primuſque Thymœtes*
*Duci intra muros hortatur, & arce locari,*
*Siue dolo, ſeu iam Troiæ ſic fata ferebant.*
*At Capys, & quorum melior ſententia menti,*
*Aut pelago Danaûm inſidias, ſuſpectaque dona*
*Præcipitare iubent, ſubiectiſque vrere flammis:*
*Aut terebrare* d *cauas vteri, & tentare latebras.*
*Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.*
*Primus ibi ante omnes magna comitante caterua*
*Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce:*
*Et procul: ô miſeri, quæ tanta inſania, ciues?*
*Creditis auectos hoſtes? aut vlla putatis*
*Dona carere dolis Danaûm? ſic notus* e *Vlyſſes?*
*Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui,*
*Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,*
*Inſpectura domos, venturaque deſuper vrbi:*
*Aut aliquis latet error: equo ne credite Teucri,*
*Quicquid id eſt, timeo Danaos,* f *& dona ferentes*
*Sic fatus, validis ingentem viribus haſtam*

Equum ligneum alii recipi volunt.

Alii iubent eum incendi.

Laocoon Troianos increpat.

*a* Claſſis vel nauium multitudo, vel turmæ equitum, vel etiam inſtructus exercitus.
*b* Virginis.
*c* Equum ligneum, qui erat ad Troianæ vrbis incendium comparatus à Minerua, quæ Epeum artificem erudiuit vel equum qui fuerat Mineruæ votus & conſecratus.
*d* Per forare.
*e* An ignoratis Vlyſſem totum è verſutia fraudibúſque eſſe conflatum & conglutinatum, qui cùm Diomede Rheſum occidit, Palladium rapuit, vrbem in veſte ignota explorauit innumeras fraudes contra nos contexuit.
*f* Timeo Græcos etiam cùm dona ferunt.

*In latus, inque feri a curuam compagibus b aluum* Equum haſta percutit.
*Contorſit: ſtetit illa tremens, vteróque recluſo*
*Inſonuere cauæ, gemitúmque dedere cauernæ;*
*Et, ſi fata c Deûm, ſi mens non læua fuiſſet,*
*Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras:*
*Troiaq; nunc ſtares, Priamique arx alta maneres.*
*Ecce manus d iuuenem intereá poſt terga reuinctũ*
*Paſtores magno ad regem clamore trahebant*
*Dardanidæ, qui ſe ignotum venientibus vltro,* Sinon captiuus adducitur.
*Hoc ipſum vt ſtrueret, Troiámque aperiret Achiuis*
*Obtulerat, fidens animi, atque in vtrúmque paratus,*
*Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.*
*Vndique viſendi ſtudio Troiana iuuentus*
*Circumfuſa ruit, certántque illudere capto.*
*Accipe nunc Danaũ inſidias, & crimine e ab vno*
*Diſce omnes.*
*Namque, vt conſpectu in medio turbatur, inermis*
*Conſtitit, atque oculis Phygia agmina circũſpexit:*
*Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt*
*Accipere? aut quid iam miſero mihi denique reſtat?* Queritur ſimulatè.
*Cui neque apud Danaos vſquam locus: inſuper ipſi*
*Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt.*
*Quo gemitu conuerſi animi, compreſſus & omnis*
*Impetus: hortamur fari, quo ſanguine f cretus*

a Equi ſic 7. Æneidos de ceruo, *Pectebátque ferum*

b In ventrem equi compactis inter ſe & implexis trabibus contextum. Si voluntas Deorum non fuiſſet nobis contraria.

d Paſtores Troiani ad Regem Priamum trahebant iuuenem qui habebat manus poſt tergum reuinctas & religatas.

e Ab vna cauſſa, vt ait Seruius accipe nunc & audi Græcorum inſidias, & crimen: ab vno Sinone diſce omnes Græcos cognoſcere: ſunt enim omnes ſimiles iſti Sinoni.

f Quibus ſit ortus parentibus, nam Græcum eſſe conſtabat.

*Quidue ferat, memoret: quæ ſit fiducia* a *capto,*
*Ille hæc, depoſita tandem formidine* b *fatur.*
*Cuncta equidem tibi Rex fuerint quæcumque, fatebor,*
Sinonis oratio. *Vera, inquit: neque me Argolica* c *de gente negabo,*
*Hoc primùm: nec, ſi miſerum fortuna Sinonem*
*Finxit, vanum etiam mendacēq; improba finget.*
*Fando aliquid ſi fortè tuas peruenit ad aures*
*Belidæ* d *nomen Palamedis,* e *& inclyta famâ*
Palamedes. *Gloria, quem falsâ ſub proditione Pelaſgi*
*Inſontem, infando indicio, quia bella vetebat,*
*Demiſere neci, nunc caſſum* f *lumine lugent:*
*Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum,*
*Pauper arma pater primis huc miſit ab annis,*
*Dum ſtabat regno incolumis, regnúmque vigebat*

a Poſſit ne aliquid allegare, propter quod habeat fiduciá: an Troianos aliquando beneficiis affecerit, an aliquas detegere poſſit Græcorum inſidias propter quæ veniam mereatur.

b Non quam reuera habebat erat enim, *fidens animi atque in vtrumque paratus*; ſed quam ſe habere fingebat, vt Troianis imponeret.

c Græca, ab Argo ciuitate.

d Palamedes filius fuit Nauplij, ſeptimus à Belo, vt apud Seruium tradit Apollonius.

e Vlyſſes, ne ad bellum Troianum proficiſceretur, ſimulabat inſaniam & equo aſinóque iunctis ſterile littus excolebat, vt fraudem detegeret Palamedes filium Vlyſſis Telemachum obiecit aratro. Vlyſſes ne filium læderet, aratrum ſuſpendit. detecta fraude, ipſe ad bellum deductus eſt, ſed poſtea, vt Palamedem vlciſceretur ipſum proditionis inſimulatum fictis ad eum Priami litteris accuſauit & defoſſis in Palamedis tabernaculo pecuniis quas à Priamo miſſas aiebat: è quibus vides quid per falſam proditionem, quid per infandum indicium intelligat. Æſimus nomine, ait Thryphiodorus.

f Priuatum, carentem vitæ & lucis vſura.

*Conſiliis: & nos aliquod nomenque, decuſque*
*Geſſimus: inuidia* a *poſt quàm pellacis* b *Vlyſſis*
*(Haud ignota loquor, ſuperis conceſſit* c *ab oris,*
*Afflictus vitam in tenebris, luctúque trahebam,*
*Et caſum inſontis mecum indignabar amici.*
*Nec tacui demens,* d *& me fors ſi qua tuliſſet,*
*Si patrios vnquam remeaſſem victor ad Argos,*
*Promiſi vltorem,* e *& verbis odia aſpera moui.*
*Hinc* f *mihi prima mali labes, hinc ſemper Vlyſſes*
*Criminibus terrere nouis: hinc ſpargere voces*
*In vulgum ambiguas, & quærere conſcius arma,*
*Nec requieuit enim, donec Calchante miniſtro,*

Palamedes à Græcis occiſus. Sinon minatur vltionē. Vlyſſes inuidiā conflat Sinoni.

*a* Vlyſſes Palamedi inuidebat tùm quod Palamedes eſſet ingenioſiſſimus, & tabulas luſorias, ordines militares, aliquot litteras φ, χ, θ inueniſſet, tum quòd magnam vim frumenti aduexiſſet è Thracia, cùm Vlyſſes paucis antè diebus nihil aduehere potuiſſet.

*b* Verſuti, fallacis, fraudulenti, qui verborum offuciis auditores pellicit, & inducit in errorem.

*c* Diſceſſit è viuis & reliquit terram, quæ ſupera eſt reſpectu inferorum.

*d* Quia videlicet dementię eſt, imprudentiâ ſuâ & garrulitate ſibi perniciem arceſſere,

*e* Si qua ſe obtuliſſet vlciſcendi occaſio, minatus ſum fore vt mortem Palamedis vlciſcerer.

*f* Ex hac inuidia & odio contra me per imprudentiam concitato ductum eſt totius meæ calamitatis initium & incolumitas mea labefactari cœpit, & Vlyſſes ſibi metuens propter necem Palamedis, tanti ſceleris conſcientiâ preſſus, cœpit me apud imperitam multitudinem criminari, non apertè, quia nemo illi facilè contra me dicenti credidiſſet, ſed ambiguis quibuſdam vocibus, quæ mihi ſenſim inuidiam conflarent & ad dolos & verſutias quibus armis vti ſolet confugit, nec ceſſauit inſidiari donec Calchante Græcorum vate ſceleris adminiſtro (dicturus erat) me ſacrificio deſtinauit, ſed abrupit orationem ad audiendi cupiditatem magis & magis acuendam.

*Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata* a *reuoluo?*
*Quidue moror? ſi omnes vno ordine habetis Achiuos*
*Idque audire ſat eſt: iam dudum* b *ſumite pœnas.*
*Hoc Ithacus* c *velit: & magno mercentur Atridæ,*
*Tum verò ardemus ſcitari, & quærere cauſſas* d*,*
*Ignari ſcelerum tantorum, artiſque Pelaſgæ.* e
*Proſequitur pauitans, & ficto pectore fatur.*
*Sæpè fugam Danai Troiâ cupiere relictâ*
*Moliri, & longo* f *feſſi diſcedere bello:*
*Feciſſentque vtinam: ſæpe illos aſpera ponti*
*Interclusit hyems, & terruit Auſter* g *euntes:*
*Præcipuè cùm iã hic trabibus contextus acernis* h
*Staret equus: toto ſonuerunt æthere nimbi.*
*Suſpenſi* i *Eurypilum ſcitatum oracula Phœbi*
*Mittimus, iſque adytis hæc triſtia dicta reportat:*

*a* Nec iucunda vobis, nec mihi profutura.
*b* Quas iamdudum expetere debuiſtis.
*c* Rem Vlyſſi Ithacenſium Regi & Agamemnoni & Menelao, filiis Atrei gratiſſimam facietis, qui magnum ei pretium darent qui me occideret.
*d* Cureius à Græcis tantopere optaretur interitus.
*e* Græcanicæ, à quodam Pelaſgo Neptuni filio.
*f* Decennali, ſiue quod iam per decem annos durauerat.
*g* Profectionem adornantes Auſter ventus ſpirans ab incœpto deterruit.
*h* Equus durateus vocatur, id eſt ligneus, contextus autem fuit non tantùm ex àcere, ſed etiam ex abiete, ſectaque intexunt abiete coſtas, *aut etiam ex pino, & pinea furtim laxat clauſtra Sinon.*
*i* Solliciti & euentus expectatione ſuſpenſi communi conſilio mittimus Eurypilum ad conſulendum Apollinis oraculum, iſque ex penetralibus ſiue adytis ad quæ profanis fas non eſt adire, huiuſmodi refert oraculum *ad'υδν* quò penetrari non poteſt.

*Sanguine placaſtis ventos, a & virgine cæſa b,* Oraculum.
*Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:*
*Sanguine quærendi reditus, animáque c litandum*
*Argolica. Vulgi quæ vox vt venit ad aures,*
*Obſtupuere animi, gelidúſque per ima cucurrit*
*Oſſa tremor, cui fata parent, d quem poſcat Apollo,*
*Hîc Ithacus vatem magno Calchanta tumultu*
*Protrahit in medios: quæ ſint ea numina Diuûm*
*Flagitat, & mihi iam multi crudele e canebant*
*Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.*
*Bis quinos ſilet ille dies, tectúſque recuſat* Sinon ſacrificio deſtinatur.
*Prodere voce ſuâ quemquam, aut opponere morti.*
*Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus*
*Compoſitò f rumpit vocem, & me deſtinat aræ.*

a Græci cùm ſtatuiſſent bellum Troianis inferre venerunt in Aulidem, ibique iurarunt Gręcię principes ſe Troiam deleturos; interim Agamemnon ceruam Dianæ ſacram imprudens interemit, irata Diana & peſtilentiam Græcis immiſit, & ne naues loco moueri poſſent ventorum flatus compeſcuit, conſultum oraculum reſpondit, Agamemnonis ſanguine Dianam eſſe placandam: miſſus Vlyſſes qui Iphigeniam eius filiam prætextu nuptiarum cùm Achille contrahendarum in Aulidem adduceret. Cæterùm cùm iam admoueretur aris, ceruam ſuppoſuit Diana, eamque ad Tauricam regionem tranſtulit, & ſuo templo præfecit ſacerdotem.

b Non verè inquit Seruius, *ſed ut videbatur. & ſciendum eſt in ſacris ſimulata pro veris accipi, unde cùm de animalibus, quæ difficilè inueniuntur, eſt ſacrificandum, de pane vel de cera fiunt, & pro veris accipiuntur.*

c Græci vnius immolatione Deorum pacem exorare, litare enim eſt offerre ſacrificium diis acceptum.

d Cui fata præparent interitum.

e Multi mihi prædicebant fore vt Vlyſſes omnium ſcelerum architectus ſuis fallaciis efficeret vt ego eſſem victima & ſacrificio deſtinarer: multi etſi tacerent tamen futura prædicebant. f Ex pacto, & condicto erumpit in vocem quam decem diebus ſuppreſſerat, & me ſacrificandum eſſe dicit,

*Aſſenſère omnes* a *: & quæ ſibi quiſque timebat,*
*Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere.*
*Iámque dies* b *infanda aderat: mihi ſacra parari,*
*Et ſalſæ fruges,* c *& circum tempora vittæ.* d
*Eripui (fateor) letho me, & vincula rupi:*
*Limoſoque lacu per noctem obſcurus in vlua* e
*Delitui, dum* f *vela darent, ſi fortè dediſſent:*
*Nec mihi iam patriam antiquã ſpes vlla videndi,*
*Nec dulces natos, exoptatúmque parentem.*
*Quos illi fors* g *ad pœnas ob noſtra repoſcent*
*Effugia, & culpã* h *hanc miſerorũ* i *morte piabũt.*
*Quod te per ſuperos, & conſcia numina veri,*
*Per ſi qua eſt, quæ reſtat adhuc mortalibus vſquam,*
*Intemerata fides, oro miſerere laborum*

Abſcondis ſe.

vt inter ipſum & Vlyſſem conuenerat.

*a* Omnes cum ſinguli metuerent ſacrificio deſtinari, aſſenſerunt vt illud periculum in meum caput verteretur.

*b* Iamque dies illa mihi funeſta & ne nominanda quidem aderat; qua mihi ſacra parabantur.

*c* Seruius. *Sal & far, quod dicitur mola ſalſa: qua & frons victimæ (+) foci ſpergebantur & cultri: fiebat autem de horna fruge, & horno ſale id eſt de fruge & ſale illius anni*: hinc victimæ propriè dicitur immolari, cum mola ſalſa aſpergitur, & delibatur.

*d* Vitta imponebatur capiti victimarum, aut etiam infula. Lucretius de Iphigenia lib. 1.

*Infula virgineos circundata comptus*
*Ex vtraque pari malarum parte pependit.*

*e* Herba paluſtri.

*f* Quoad Græci nauigarent.

*g* Fortaſſe.

*h* Appoſite ad flectendos miſericordia animos ſuam fugam culpæ aſſignat; culpam hanc inquit, patris mei, & liberorum innocentium morte expiabunt, rati me piaculum admiſiſſe; quòd morti me & ſacrificio ſubtraxerim.

*i* Innocentium, vt interpretatur Aſconius.

*Tantorum, miſerere animi non digna ferentis,*
*His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus vltro.*
*Ipſe viro primus manicas* a *atquè arcta leuari*
*Vincla jubet Priamus, dictiſque ita fatur amicis:*
*Quiſquis es, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios,*
*Noster eris, mihique hæc ediſſere* b *vera roganti.*
*Quò* c *molem hanc immanis equi statuêre? quis auctor?*
*Quidue petũt? quæ religio? aut quæ machina belli?*
*Dixerat; ille dolis inſtructus, & arte Pelaſga,*
*Suſtulit exutas vinclis ad ſydera palmas:*
*Vos æterni ignes, & non violabile vestrum*
*Teſtor numen, ait, vos aræ, enſeſque nefandi,*
*Quos fugi, vittæque* e *Deûm, quas hostia geſſi:*
*Fas mihi Graiorum ſacrata* f *reſoluere iura:*
*Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras,*
*Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus vllis.*
*Tu modo promiſſis maneas, ſeruataque ſerues,*
*Troia fidem, ſi vera feram, ſi magna rependam.* g

Sinoni manicæ demuntur.

Priamus ad Sinonem

a Manuum ligamenta.
b Narra & explana.
c Quem ad finem hunc ingentem equum fabricati ſunt Græci. d Solem & ſidera teſtes inuocat, quæ ſunt igneæ naturæ.
e Vittis ornabantur capita victimarum, vt *& circum tempora vittæ.* Item deorum ſimulacra: mox.

*Corripuêre ſacram effigiem, manibuſque cruentis*
*Virgineas auſi Diuæ contingere vittas*

Item ſacerdotes vt Laocoon. *Perfuſus ſanie vittas.*
f Seruius. *Vt non incidat in ſacramenti pœnam, nam miles legibus ſacramentorum rogabatur, ut exiens ad bellum iuraret ſe nihil contra Remp. facturum.* Sed de militari ſacramento fuſe quotquot res Romanas attigerunt.
g Si pro ſalute à Troianis accepta, iis mercedis loco retribuam ſalutem, ea annuntians, è quibus pendet ſalus ciuitatis.

*Omnis ſpes Danaûm, & cœpti fiducia belli*
*Palladis auxiliis ſemper ſtetit: impius ex quo*
*Tydides, a ſed enim, ſcelerúmq; inuentor Vlyſſes;*
*Fatale b aggreſſi ſacrato auellere templo*
Palladium. *Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,*
*Corripuere ſacram effigiē, manibúſque cruentis c,*
*Virgineas auſi Diuæ contingere vittas.*
*Ex illo fluere, d ac retro ſublapſa referri*
*Spes Danaûm: fractæ vires, auerſa Deæ mens.*
*Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia e monſtris.*
*Vix poſitum caſtris ſimulacrum, arſere coruſcæ*
*Luminibus flammæ arrectis, f ſalſuſque per artus*
*Sudor iit, terque ipſa ſolo (mirabile dictu)*
*Emicuit parmámq; ferens, haſtámque trementem*

*a* Diomedes Tydei filius.

*b* In fatis erat vt Ilium non caperetur, quamdiu Palladium id eſt quædam Mineruæ effigies, quam de cœlo delapſam eſſe dicebant, in arce remaneret. Diomedes & Vlyſſes per cloacas aut cuniculos in vrbem nocte ſubrepſerunt, & cæſis arcis cuſtodibus Palladium ſuſtulerunt. Quidam aiunt eam effigiem à quodam artifice qui Vranus dicebatur, ex oſſibus Pelopis fuiſſe fabricatam.

*c* Nefas erat è bello digreſſis & cæde recenti attrectare ſacra, donec ſe flumine viuo abluiſſent, vt infrà dicetur.

*d* Ex illo tempore ſpes Græcorum in deterius ire cœpit.

*e* Manifeſtis ſignis & prodigiis iram ſuam teſtata eſt. Minerua dicitur Tritonia vel à Tritone amne Bœotiæ, vel à Tritonide palude Africæ iuxta quam nata proditur, vel quòd τρίτη tertia data fuerit poſt Dianam & Apollinem: vel quòd è Iouis capite nata ſit. Attici enim τριτὼνα caput appellant teſte Suida. Eam alij Pallantis & Nymphæ Tritonidis filiam fuiſſe fabulantur.

*f* Auctor eſt Seruius multa ſimulacra facta fuiſſe ſimilia Palladio: verum tamen Palladium dignoſci haſtæ oculorumque mobilitate, quo fortaſſe Poëta luſerit.

*g* Exilit 6. Æneidos: *Iuuenum manus emicat ardens Littus in Heſperim.*

*Extemplo tentanda fugâ* a *canit æquora Calchas,*
*Nec poſſe Argolicis* b *exſcindi Pergama telis,*
*Omina nî repetant* c *Argis, numénque* d *reducant*
*Quod pelago & curuis ſecum aduexere carinis.*
*Et nunc, quòd patrias vento petiêre Mycenas,*
*Arma, Deoſque parant comites, pelagóq; remenſo,*
*Improuiſi aderunt, ita digerit omnia Calchas.*
*Hanc pro Palladio moniti, pro numine læſo*
*Effigiem* e *ſtatuere, nefas quæ triſte piaret.*
*Hanc tamen* f *immenſam Calchas attollere molem,*
*Roboribus textis, cœlóque educere iuſſit,*
*Ne recipi portis, aut duci in mœnia poſſit.*
*Neu populum antiqua* g *ſub relligione tueri:*
*Nam ſi veſtra manus violaſſet dona* h *Mineruæ,*

*a* Calchas vates ſtatim atquê vidit illud prodigium monuit, vt quoniam in terrâ certa nobis pernicies immineret, tentaremus mare & experiremur, nec tamen auſus eſt proſperam nauigationem promittere.

*b* Nec poſſe Troianam arcem Græcorum armis euerti.

*c* Alludit ad morem Romanorum, vt aduertit Seruius, nam ſi egreſſi malè pugnaſſent, reuertebantur ad captanda rurſus auguria.

*d* Cum eodem Deorum fauore, iiſdémque auſpiciis reuertantur quibus primùm ad Troiam acceſſerant: vel legendum auexere, hoc ſenſu, niſi numen Mineruæ ſiue Palladium quod ſecum modo auexerunt, repetitis auſpiciis reducant ad obſidionem Ilii redeuntes.

*e* Equi ligneum ſimulacrum excitauerunt, ad ſacrilegium Vlyſſis & Diomedis expiandum.

*f* Etſi nulla eſt magnitudinis proportio inter equum naturalem, & hanc effigiem: tamen certo conſilio facta eſt hæc effigies tantæ magnitudinis, vt nullâ menſura comprehendi poſſet, ſed ad cœlum vſque propemodum attolli videatur.

*g* Sub qua religione Palladium prius tuebatur Troianam ciuitatem.

*h* Hanc effigiem & donarium Mineruæ conſecratum.

*Tum magnum exitium ( quod Dij prius omen in ipſum,*
*Conuertant ) Priami imperio, Phrygibúſq; futurum:*
*Sin manibus veſtris veſtram aſcendiſſet in vrbem,*
*Vltro Aſiam* a *magno Pelopeia* b *ad mœnia bello*
*Venturam, & noſtros ea fata manere nepotes.*
*Talibus inſidiis, periurique arte Sinonis*
Troiani Sinoni fidem adhibent *Credita res, captique dolis, lacrymiſque coacti* c,
*Quos neque Tydides,* d *nec Lariſſæus* e *Achilles,*
*Non anni domuere decem, non mille carinæ.*
*Hîc aliud maius miſeris, multóque tremendum*
*Obiicitur magis, atque improuida pectora turbat:*
Laocon *Laocoon ductus Neptuno ſorte* f *ſacerdos*
*Solemnes* g *taurum ingentem* h *mactabat ad aras:*
*Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta*
*( Horreſco referens ) immenſis orbibus* i *angues*

*a* Troianos in Aſia minore habitantes.
*b* Ad vrbes Peloponeſi vt Argos, Mycenas, Lacedæmonem. Pelopeia vocat, à Pelope auo Agamemnonis.
*c* Legit Seruius *coactis*, duriore quidem compoſitione, ſed ſenſu commodiore: quaſi dicat, Sinonis lacrymas fuiſſe ſimulatas, & vi expreſſas: ſic Terentius. *una lacrymula*
*Quam oculos terendo miſerè vix vi expreſſerit*
*d* Diomedes Tydei filius.
*e* Phthiâ fuit oriundus dicitur, tamen Lariſſæus ob vicinitatem. Phthia enim & Lariſſa vrbes Theſſaliæ,
*f* Troiani ſacerdotem Neptuni lapidibus occiderant, quòd precibus ſuis non prohibuiſſet Græcos accedere. Soluta obſidione cùm vellent ſacrificare Neptuno, ſorte ſacerdotem elegerunt, ea ſors obuenit Laocoonti.
*g* Anniuerſario ſacrificio religioſas.
*h* Seruius. *In victimis enim iſta requiruntur, vt certis numinibus certæ ætatis animalia mactentur.*
*i* In immenſam ſpiram ſe colligentes.

k Criſtæ,

*Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:*
*Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæque* a
*Sanguineæ exuperant vndas, pars cætera pontum*
*Ponè* b *legit, ſinuátque immenſa volumine terga.*
*Fit ſonitus ſpumante ſalo, iamque arua tenebant,*
*Ardentéſque oculos ſuffecti* c *ſanguine, & igni,*
*Sibila* d *lambebant linguis vibrantibus ora.*
*Diffugimus viſu exangues: illi agmine* e *certo*
*Laocoonta petunt, & primùm parua duorum*
*Corpora natorum ſerpens* f *amplexus vtérque*
*Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.*
*Pòſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem*
*Corripiunt, ſpiriſque* g *ligant ingentibus: & iam*
*Bis medium amplexi, bis collo ſquamea* h *circum*
*Terga dati, ſuperant capite, & ceruicibus altis.*
*Ille ſimul manibus tendit diuellere nodos,*
*Perfuſus ſanie vittas* i*, atróque veneno.*

Duo ſerpentes in Laocoontem immiſſi.

Filios eius inuadunt.

a Criſtæ.
*b* Reliqua pars corporis infrâ pectus retrò in mari natat, & ingenti volumine ſinuatur, ſiue in varias ſpiras inflectitur.
c Oculos habebant ardentes & ita ſanguine infectos, vt ignem ex oculis eiicere viderentur. *d* Sibilantia.
e Certo & determinato impetu, non aberrantes.
*f* Aduerte verborum proprietatem ſuprà, cùm in aquis natabant angues nominauit. Nunc vbi ad terram venerunt, ſerpentes appellat: mox poſtquàm ad templum confugerint, dracones vocabit.
*g* Flexibus & voluminibus corporum.
*h* Squamis cooperta, ſquamoſa, vt nemora frondea, id eſt, frondoſa. *Iam collo circum terga dati*: eſt, ſerpentes habentes terga Laocoonti circundata, ſiue Laocoontis collum tergis ſuis circundantes.
i Sacerdotales vittas habens ſanie & corrupto ſanguine perfuſas.

*Clamores ſimul horrendos ad ſydera tollit:*
*Quales mugitus, a fugit cùm ſaucius aram*
*Taurus, & incertam* b *excuſſit ceruice ſecurim.*
*At gemini lapſu delubra* c *ad ſumma dracones*
*Effugiunt, ſæuæque petunt Tritonidis arcem:*
*Sub pedibuſque Deæ,* d *clypeiq; ſub orbe teguntur:*
*Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis*
*Inſinuat* e *pauor, & ſcelus expendiſſe* f *merentem*
*Laocoonta ferunt: ſacrum qui cuſpide robur* g
*Læſerit, & tergo* h *ſceleratam intorſerit haſtam.*
*Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandáque Diuæ*
*Numina conclamant.*
Muri diuiduntur *Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis:*
*Accingunt* i *omnes operi, pedibuſque rotarum*
*Subiiciunt lapſus,* l *& ſtupea vincula collo*
*Intendunt: ſcandit fatalis machina muros*

a Supple. *tollitur, auditur.*
b Dubiè illiſam: quæ non habet mortis effectum.
c Ad templum quòd erat in arce Troiana Mineruæ conſecratum.
d Seruius. *Vt maxima pars in ſpiram collecta ante pedes ſit, colla verò cum capitibus erectis poſt clypeum, id eſt, inter ſcutum, & ſimulacrum Deæ latebant, vt eſt in templo vrbis Romæ.*
e Inſinuatur, inſinuat ſe.
f Meritas ſceleris pœnas luiſſe, *tractum*, inquit Seruius: *à pecunia, nam apud maiores pecuniarias pænas conſtat fuiſſe. cùm adhuc rudi ære pecunia ponderaretur.*
g Equum è robore contextum, Mineruæ dedicatum,
h Suprà dixerat in latus & aluum percuſſiſſe, ſed fieri poteſt vt Laocoon plures ictus inflixerit.
i Præparant ſe ad opus, eò quòd qui volunt aliquid agere ſuccingunt veſtem ne lacinia defluens laborantes impediat.
l Rotas pedibus equi lignei ſubdunt vt faciliùs labatur & funes è ſtupa contextos alligant collo.

Equus ligneus in vrbem inducitur.

*Fœta a armis; circùm pueri, b innuptæque puellæ*
*Sacra canunt, funémq; manu contingere gaudent:*
*Illa ſubit, mediæque minans illabitur vrbi.*
*O patria, ô Diuûm domus Ilium, & inclyta bello*
*Mœnia Dardanidû? quater ipſo in limine c portæ*
*Subſtitit, atque vtero ſonitû quater arma dedere.*
*Inſtamus tamen immemores, cæcique d furore,*
*Et monſtrum infelix ſacratâ ſiſtimus arce.*
*Tunc etiam e fatis aperit Caſſandra futuris*
*Ora, Dei iuſſu, non vnquam credita Teucris.*
*Nos delubra f Deûm miſeri, quibus vltimus eſſe*
*Ille dies, feſtâ g velamus fronde per vrbem,*
*Vertitur intereà cœlum, & ruit Oceano nox,*
*Inuoluens vmbrâ magnâ terrámque polúmque,*
*Myrmidonumque dolos: fuſi per mœnia Teucri*
*Conticuere: ſopor feſſos complectitur artus.*
*Et iam Argiua phalanx inſtructis nauibus ibat*
*A Tenedo tacitè per amica ſilentia Lunæ.*

Caſſandra prædicit exitium Troiæ.

a Plena militibus armatis.

b Alludit ad mortem Romanûm; nam pueri patrimi & puellæ matrimæ quibuſdã ſupplicationibus ſacros Hymnos canebãt.

c Ea fuit porta Scæa. d Non aduertentes illum armorum ſonitum, & mala quæ imminebant.

e Tunc etiam, vt iam ante frequenter, vrbis cladem Caſſandra Priami filia prædixit, cui iuſſu Apollinis Troiani nunquam crediderunt. Apollo Caſſandram amans ei futurorum ſcientiam dederat: ſed cum poſtea ab ea ſperneretur effecit vt Caſſandræ vaticinanti nemo fidem adhiberet.

f Cornelius fronto. *Delubrum in quo homines piacula ſua diluũt.* Vide Aſconium in Diuinationem. Feſtus *Delubrum dicebant fuſtem delibratum, quem venerabantur pro Deo,* qua de re fuſiùs agitur in Vatinianam parag. 10. nota.

g Quæ diebus feſtis ſolet adhiberi, vt laurus, oliua, cedrus, ſicut contra ſunt arbores infelices, quæ funeribus adhibentur vt Cypreſſus, &c.

*Littora nota* a *petens, flammas* b *cum regia puppis*
*Extulerat, fatiſque* c *Deûm defenſus iniquis*
*Incluſos vtero Danaos, & pinea furtim*
*Laxat clauſtra Sinon. Illos patefactus ad auras,*
*Reddit equus: lætique cauo ſe robore promunt*
*Therſādrus,* d *Sthenelúſq; duces, & dirus Vlyſſes*
*Demiſſum lapſi per funem* f *Athámaſq; Thoaſq;* g
*Pelidéſque* h *Neoptolemus, primuſque Machaon* i,
*Et Menelaus, & ipſe doli* K *fabricator Epeus* l:
*Inuadunt vrbem ſomno, vinóque ſepultam.*
*Cæduntur vigiles* m, *portiſq; patentibus omnes*
*Accipiunt ſocios, atq; agmina conſcia* n *iungunt.*

*Nomina Græcorū principum qui ex equo Troiano, prodierunt.*

*a* In quibus per decem annos verſati fuerant Græci.

*b* E naui Agamemnonis fax elata fuerat, vel vt eam naues aliæ ſequerentur, vel vt Sinon equum aperiret, cum flammam vidiſſet.

*c* Voluntate Deorum Troianis infeſta.

*d* Polynicis & Argiæ filius.

*e* Capanei & Euadnes.

*f* Tanta quippe erat equi altitudo, vt deſcendere non poſſent niſi per funem demiſſum laberentur.

*g* Athamantis nullā facit Homerus mentionem. Tryphiodorus Aſtamantem Theſei filium numerat inter principes equo incluſos. Thoas fuit Dux Ætolorum filius Andræmonis.

*h* Filius Achillis de quo poſtea.

*i* Filius Æſculapij medicus inſignis eam ob rem dici videtur primus, quaſi multis aliis æquiparandus.

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
*Nam medicus multis eſt equiparabilis vnus.*

vt de hoc ipſo Machaone, dicitur Iliados λ

k Equi lignei ad dolos & inſidias comparati.

*l* Fuit Pylius, qui poſt Troiæ excidium *tempeſtate diſtractus à duce ſuo Neſtore Metapontum condidit vt ſcribit Velleius.*

*m* Vigiles arcis: nam vt paulo poſt dicetur, portarum vigiles aliquamdiu poſtea reſtiterunt.

*n* Milites egreſſi ex equo Troiano coniunguntur aliis, qui à nauibus veniebant, erantque omnes inter ſe conſcij & coniurati:

*Tempus erat, quo prima a quies mortalibus ægris*
*Incipit, & dono Diuûm gratiſsima ſerpit.*
*In ſomnis ante oculos mæſtiſsimus Hector*
*Viſus adeſſe mihi: largóſque effun dere fletus,*
*Raptatus bigis, b vt quondam, aterque cruento* Hector
*Puluere, perque pedes c traiectus lora tumentes,* in ſomnis
*Hei mihi qualis erat, quantùm mutatus ab illo* apparet
*Hectore, qui redit exuuias d indutus Achillis,* Æneæ.
*Vel Danaûm e Phrygios iaculatus puppibus ignes:*
*Squalentem barbam, & cõcretos ſanguine crines,*
*Vulneráq; illa gerẽs, quæ circum plurima f muros,*

*a* Operæ pretium eſt ſingula verba ſuis momentis expendere: incipiebat quies fatigatis & quies *prima*, quæ arctiore ſomno mortales complectitur & incipiebat mortalibus, quos mirum non eſt aliquid humanitùs pati & in errorem induci, & mortalibus ægris, id eſt ad miſeriam natis & ſua natura imbecillis: & illa quies datur munere deorum quam proinde nefas eſt reiicere & contemnere: & eſt gratiſſima, & proindè homines ſua iucũditate prolectat, eorumque ſenſus vt ſic loquar, effaſcinat, & ſerpit ſiue clanculùm obrepit, quare facilè vitari non poteſt. Eſt ita ſingulis verbis Troianos excuſat, quòd indormierint, nec Græcorum inſidias vitauerint.

*b* Ita videbatur Hector puluere & ſanguine conſperſus vt fuerat illo die quo ab Achille primùm occiſus eſt; deinde ad bigas eiuſdem Achillis loris per pedes traiectis alligatus, & circum muros Ilij ter raptatus eſt.

*c* Habens lora traiecta per pedes qui vulnère tumeſcebant.

*d* Achilles, cùm iratus Agamemnoni pugnare nollet, oranti Patroclo arma ſua commodauit. Patroclum adiuuante Apolline & Euphorbo Hector occidit, & ſpoliauit & Achillis armis indutus quaſi triumphans in vrbem reuerſus eſt: vide Iliadem. ϱ. v. 55.

*e* Hector in Græcorum naues ignem iniecerat.

*f* Et ſi vnam ab Achille plagam lethalem accepit, tamen reliqui Græci ad eius cadauer cõuolantes, pluribus id vulneribus perfoderunt, multis etiam partibus eſt laceratum idem cadauer cum citra muros Ilij per ſaxa & vepres raptatum eſt.

*Accepit patrios, vltro flens ipſe videbar*
*Compellare virum, & mœſtas expromere voces:*
*O lux Dardaniæ, ſpes ô fidiſsima Teucrûm,*
*Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris*
*Expectate venis? vt te poſt multa tuorum*
*Funera, poſt varios hominúmque, vrbiſq; labores*
*Defeſsi aſpicimus? quæ cauſa indigna ſerenos*
*Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?*
*Ille nihil, nec me quærentem vana a moratur:*
*Sed grauiter gemitus imo de pectore ducens,*
*Heu fuge nate Deâ, téque his, ait, eripe flammis.*
*Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troia:*
*Sat patriæ Priamoque datum: ſi pergama dextra*
*Defendi poſſent, etiam hac* c *defenſa fuiſſent.*
*Sacra ſuoſque tibi commendat Troia penates:*
*Hos cape fatorum comites, his mœnia quære*
*Magna, pererrato ſtatues quæ denique ponto.*
*Sic ait, & manibus vittas,* d *Veſtâq;* e *potentem,*
*Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*
*Diuerſo interea miſcentur mœnia luctu:*
*Et magis atq; magis (quamquam ſecreta* f *parentis*

a Superflua & nihil profutura.
b Fili Veneris.
c Mea dextra.
d Quibus vittis ornata erant Deorum ſimulacra.
e Deam ignis, de qua Ouidius.

*Nil aliud veſtam quam viuam intellige flammam.*

cui virgines Veſtales ignem æternum ſeruabant, & nouam ſemper materiam ſuggerebant, ne extingueretur.

f Et ſi domus Anchiſæ patris in qua habitabam, longè remota eſſet ab aliis, amœnis quibuſdam arboribus circumdata quæ tum alias eius partes, tum maxime veſtibulum patulis diffuſæ ramis opacabant, tamen iam clare audiebatur flammarum

*Anchiſæ domus, arboribuſque obtecta receſsit)*
*Clareſcunt ſonitus, armorumque ingruit horror:*
*Excutior ſomno,* a *& ſummi faſtigia tecti*
*Aſcenſu ſupero, atque arrectis auribus aſto.*
*In ſegetem* b *veluti cùm flāma furentibus Auſtris*
*Incidit, aut rapidus montano flumine torrens*
*Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores,*
*Præcipitéſque trahit ſyluas, ſtupet inſcius alto*
*Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.*
*Tum verò manifeſta fides, Danaûmque pateſcunt*
*Inſidiæ: iam Deiphobi dedit ampla ruinam*
*Vulcano* d *ſuperante domus, iam proximus ardet*
*Vcalegon:* e *Sigea* f *igni freta lata* g *relucent.*—

crepitus, & horribilis quidam armorum fluctus magis & magis ingruebat. *a* Excitor à ſomno non placidè & quietè, vt fieri ſolet cùm natura dormiendi cupiditatem expleuit, ſed turbatè & violenter, propter horrorem, quo me ſomnium illud perfuderat. Videri tamen vult non fuiſſe illud merum ſomnium: ſed reipſa Deos Penates & ignem Veſtæ è penetralibus prolatum ſibique commendatum ab Hectore fuiſſe. *b* Ita ſtupebam reſpiciens vrbem deflagrantem è domus paternæ faſtigio, ignorans quo pacto id contigiſſet. Quemadmodum ſtupet paſtor reſpiciens ex altæ rupis cacumine, cum flammas incenſa ſagete crepitantes, aut repentinum torrentem è montibus magno fragore decurrentem audit, ignorans cauſſam incendij aut eluuionis.

*c* Segetes vberes & fœcundas, & agros boum labore exaratos.

*d* Incendio per Metonymiam, Vulcanum Deum ignis eſſe fabulantur, vt Cererem frumenti, Bacchum vini. Deiphobus Priami filius poſt necem Alexandri Paridis Helenam duxit vxorem, & à Menelao proditione Helenæ occiſus eſt.

*e* Domus Vcalegontis ædibus Deiphobi vicina. Rurſus eſt metonymia poſſeſſor pro re poſſeſſa.

*f* Seruius. *Duo ſunt Troiæ promōtoria Rhæteū, & Sigæum quod dictū eſt propter Herculis taciturnitatē, qui prohibit⁹ hoſpitio Laomedōtis ſimulauit abſceſſum, & inde Troiā per ſiletia venit quod σιγη.*

*g* Idem. *Incendij magnitudinem voluit ſignificare non hoc quidem*

*Exoritur clamorque virûm, clangorq; tubarum.*
*Arma amens capio, nec ſat rationis in armis,*
*Sed glomerare* [a] *manum bello, & concurrere in arcem*
*Cum ſociis ardent animi: furor, iráque mentem*
*Præcipitant, pulchrúmq;* [b] *mori ſuccurrit in armis.*
*Ecce autem telis Panthus elapſus Achiuûm,*
*Panthus Otriades arcis, Phœbique ſacerdos,*
*Sacra manu victóſq; Deos, paruumque nepotem*
*Ipſe trahit, curſuque amens ad littora* [c] *tendit.*
*Quo res ſumma loco Panthû? quã prẽdimus* [d] *arcẽ?*
*Vix ea fatus eram, gemitu cùm talia reddit,*
*Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus*
*Dardaniæ, fuimus Troës,* [e] *fuit Ilium & ingens*
*Gloria Teucrorum, ferus omnia Iuppiter Argos* [f]

*deſcribere : lata autem ideo quia anguſtiæ Pontici oris, illic ſe dilatant vt Saluſtius dicit.*

*a* Ictibus temerariis pugnare & manum non ex arte verſare ac rotare.

*b* Venit in mentem pulchrum eſſe & honeſtum pugnando mortem oppetere, & patriæ ruinis inuolui, etiamſi patriæ labenti morte mea non ſubuenirem.

*c* Vel in maris littus, quod faciebat per amentiam, non reputans ſe non poſſe per fluctus exequi fugam, & euadere. Legit Seruius *ad limina* ideſt ad Æneæ domum cuius fidei & religioni committebat ſacra, Deos Penates, ſuum nepotem. Quo ſenſu dicendum erit Penates non reuera ab Hectore in ſomnis apparente fuiſſe delatos, ſed tantum deferri viſos, victos appellat Deos vt lib. 1. *victoſque Penates.*

*d* In quo ſtatu verſatur ſumma Reipublicæ? quid nobis ſpei reſtat ad ſalutem tuendam, ad quam arcem confugimus?

*e* Periimus, non ſumus amplius. Troianum nomen extinctum eſt, ſicut cùm dicitur *vixit* pro *mortuus eſt.*

*f* Iuppiter Troianis infeſtus omnem eorum felicitatem tranſtulit ad Græcos.

*Tranſtulit, incenſa Danai dominantur in vrbe,*
*Arduus armatos mediis in mœnibus aſtans*
*Fundit equus, victorque Sinon incendia miſcet*
*Inſultans: portis alii bipatentibus* a *adſunt*
*Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis.*
*Obſedere alii telis anguſta* b *viarum*
*Oppoſiti, ſtat ferri acies mucrone coruſco*
*Stricta,* c *parata neci: vix primi prælia tentant*
*Portarum Vigiles, & cæco Marte reſiſtunt.*
*Talibus Otriadæ* d *dictis, & numine Diuûm*
*In flammas, & in arma feror, quò triſtis Erynnis* e,
*Quò gemitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.*
*Addunt ſe ſocios Ripheus & maximus armis*
*Iphitus, oblati per Lunam* f *Hypaniſq; Dymáſque*
*Et lateri agglomerant noſtro, iuueniſq; Chorœbus*
*Mygdonides,* g *illis qui ad Troiam fortè diebus*
*Venerat inſano* h *Caſſandræ incenſus amore,*
*Et gener auxilium Priamo, Phrygibuſque ferebat*

*a* Apertis vtrinque valuis quæ geminæ ſunt, vrbem ingrediuntur. Accommodatè autem ad affectum animi dicit plures Græcos in vrbem graſſari, quam ex Græcia nauigarint. Qui enim vehementi timore perturbati ſunt, ea etiam quæ nec ſunt, neque fieri poſſunt, ſibi vera eſſe perſuadent.

*b* Vicorum vrbis anguſtias obſident armati.

*c* Stant & inhorreſcũt gladij nudati & vaginis educti ad necem inferendã, & ęgre primi excubitores portarũ certamen ineũt, & confuſa nocturnaq; pugna reſiſtunt Gręcis irrumpentibus.

*d* Panthei ſacerdotis, qui Otrei filius fuit.

*e* Furia: illò ibam quò me furor & inſania rapiebat & vbi maximus erat clamor pugnantium, & maximum periculum & maior oppetendæ mortis occaſio.

*f* Mihi conſpecti ad lunæ ſplendorem.

*g* Filius Mygdonis Regis Mygdoniæ.

*h* Tam efflictim & ardenter amans Caſſandram Priami filiam vt inſanire videretur.

*Infelix, qui non ſponſæ* a *præcepta furentis*
*Audierat.*
*Quos vbi confertos audere in prælia vidi,*
*Incipio ſuper his:* b *Iuuenes* c *fortiſsima, fruſtra*
*Pectora (ſi vobis audentem extrema cupido*
*Certa ſequi, quæ ſit rebus fortuna videtis,*
*Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis,*
*Dij, quibus imperiũ hoc ſteterat) ſuccurritis vrbi*
*Incenſæ; moriamur, & in media arma ruamus.*
*Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.*
*Sic animis iuuenum furor additus, inde, lupi* d *ceu*

*a* Caſſandræ Chorœbo deſponſatæ quæ Apollinis furore inſtincta vaticinabatur Troiam perituram incendio & chorœbum mouebat vt abiret, nec fruſtra vrbi perituræ ſuccurreret.

*b* Inſuper incipio illos hortari, & currẽtes, vt dicitur excitare.

*c* Senſus perturbatus eſt, & perſonæ perturbatæ conueniens oratio. Ordo verborum eſſe poteſt, iuuenes fortiſſima pectora, ideſt, qui eſtis animo fortiſſimi, videtis quæ ſit rebus fortuna: omnes dij, quibus hoc imperium ſteterat, exceſſere adytis ariſque relictis. Fruſtra ſuccurritis vrbi incenſæ, ſi vobis cupido certa eſt me ſequi audentes extrema, in media arma ruamus, & moriamur, vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem. Quod Donatus ſic exponit, iuuenes quidem eſtis fortiſſimi, & de fiducia virtutis in bellum prompti cupitis vniuerſi patriæ ſubuenire: ſed auxilium veſtrum incenſæ vrbi quid proderit. Non eſt igitur fruſtra laborandum vel maximè in ea tuenda, quam dij ſui deſeruerunt, qui eius imperium tuebantur: & quoniam in omnibus præuenti ſumus, moriamur ſi non pro ipſa, vel poſt eius interitum, & in armatos ruamus voluntate promptiſſima.

*d* Aptiſſima comparatio cùm lupis rapacibus, lupi atra in nebula: Troiani in noctis caligine graſſantur, lupos improba & importuna fames è ſyluis exegit & expulit periculi ſui non prouidentes: Troiani ſanguinem hoſtium ſitientes ſuis domibus egreſſi: lupos expectant catuli relicti in ſyluis eſurientes ſiccis faucibus: Troiani liberos ſuos domi reliquerant, pro quorum vel ſalute, vel vltione dimicabant.

*Raptores atra in nebula, quos improba ventris*
*Exegit cæcos rabies, catulíque relicti*
*Faucibus expectant ſiccis: per tela, per hoſtes*
*Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus*
*Vrbis iter, nox atra cauâ* a *circumuolat vmbra.*
*Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
*Explicet? aut poßit lacrymis æquare labores:*
*Vrbs antiqua ruit, multos dominata* b *per annos,*
*Plurima pérque vias ſternuntur inertia* c *paſsim*
*Corpora, pérque domos & relligioſa Deorum*
*Limina: nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri:*
*Quondam etiam victis redit in præcordia virtus:*
*Victoréſque cadunt Danaï, crudelis vbique*
*Luctus,* d *vbique pauor & plurima mortis imago.*
*Primus ſe Danaûm magna comitante caterua*
*Androgeos offert nobis, ſocia agmina* e *credens,*
*Inſcius, atque vltrò verbis compellat amicis:*
*Feſtinate viri:* f *nam quæ tam ſera moratur*

*a* Obſcura: quia fumus ex aliis vrbis partibus aſcendens lunæ ſplendorem obtegebat: & lux incendiorum nondum illuſtrabat eum vicum in quo tunc eramus, propter altitudinem tectorum & vici anguſtias. Cauam vmbram appellat; quia loca caua ſunt obſcuriora.

*b* Cuius regnum multis annis floruit.

*c* Omnis ſenſus expertia, iam inutilia ad bellum. Aduerte quo pacto cladem exaggeret, cadaueribus opplentur & ciuiũ ſanguine redundant vici, domus priuatæ, publica Deorũ templa.

*d* Quocunque inciderant oculi, ſolæ res lugendæ, & timendæ cædes ciuium ſe videndas offerebant.

*e* Credens nos eſſe Græcos.

*f* Donatus. *Nos confecimus bellum, nos prædas agimus de hoſtibus victis & incenſa omni ciuitate Troianas opes in noſtrum lucrum conuertimus: & vos tanquam nihil interea geſtum ſit, nunc primũ*

*Segnities? alij rapiunt incenſa, feruntque*
*Pergama: vos celſis nunc primùm à nauibus itis,*
*Dixit,* a *& extẽplo (neque enim reſponſa dabãtur*
*Fida ſatis) ſenſit medios delapſus in hoſtes.*
*Obſtupuit, retróque pedem cum voce repreſſit.*
*Improuiſum* b *aſpris veluti qui ſentibus anguem*
*Preſſit humi nitens, trepidaſque repentè refugit*
*Attollentem iras, & cærula colla tumentem:*
*Haud ſecus Androgeos viſu tremefactus abibat.*
*Irruimus* c *denſis & circunfundimur armis,*
*Ignaróſque loci paſſim, & formidine captos*
*Sternimus: aſpirat* d *primo fortuna labori.*
*Atque hîc exultans ſucceſſu animiſque Chorœbus:*
*O ſocij, quo prima, inquit, fortuna ſalutis*
*Monſtrat iter, quaq; oſtẽdit ſe dextra* e *ſequamur,*
*Mutemus clypeos, Danaumque inſignia* f *nobis*

*venitis, moris omnibus implicati.*

a Idem Donatus: *Cùm hæc, dixiſſet, neque reſponſum acciperet (conſulto enim tacitum eſt, ne diſſimilitudo linguarum eius corrigeret errorem) intellexit ſeſe in manus hoſtium incidiſſe. Denique ſtupefactus, cùm ſe ſubtrahere niteretur, non valuit, cùm eſſet noſtro circundatus cœtu.*

b Androgeos fugere conabatur inſtar illius, qui repẽte fugit, qui ſerpentem in vepribus & ſpinetis latentem ex improuiſo calcauit, pedes in terram apprimens, cuius ſerpentis collum veneno intumeſcit. Seneca, *Inflantur iratis colla ſerpentibus.*

c *Cùm vidiſſemus errore captos hoſtes, metu & ignoratione loci confuſos irruimus, in circulum fundimur & omnes occidimus,* ait. Donatus.

d Fortuna fauet & obſecundat noſtris primis conatibus, ſed paulò pòſt in contrarium mutata eſt.

e Sequamur fortunã qua dextera & proſpera ſe nobis oſtẽdit

f Abiiciamus noſtros clypeos, & Græcorum clypeos certis quibuſdam picturis inſignitos capiamus.

*Aptemus: dolus, an, virtus, quis in hoſte requirat?*
*Arma dabunt ipſi: ſic fatus deinde comantem*
*Androgei galeam, clypeique inſigne decorum* a
*Induitur, a lateriq; argiuum accommodat enſem.*
*Hoc Ripheus, hoc ipſe Dymas, omniſque iuuentus*
*Læta* b *facit, ſpoliis ſe quiſque recentibus armat.*
*Vadimus immixti Danais, haud numine noſtro,* c
*Multáque per cæcam congreſſi prælia noctem*
*Conſerimus, multos Danaûm dimittimus Orco.* d
*Diffugiunt alii ad naueis, & littora curſu*
*Fida* e *petunt: pars ingentem formidine turpi*
*Scandunt rurſus equũ* f, *& nota cõduntur in aluo.*
*Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis,*
*Ecce trahebatur* g *paſſis* h *Priameia virgo*
*Crinibus à templo Caſſandra, adytiſque Mineruæ,*
*Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra,*
*Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.*
*Non tulit hanc ſpeciem* i *furiata mente Chorœbus,*

**Induũt Troiani Græcorum arma.**

**Rapitur Caſſandra.**

a Seruius. *Quia multa inerant in ſcuto lora, quibus manum inſerebant*, ſiue induebant, vt *Clypeoque ſiniſtram inſertabam aptans.*
b Alacris & ſperans hac arte ſe victoria potituram.
c Seruius. Aut diis contrariis, hoc eſt haud noſtro, non nobis vtili, aut quia ſcutis Græcorum Neptunus, Troianorum fuerat Minerua depicta.
d Occidimus, mittimus ad inferos.
e Quibus Græci confidebant; tanquam tuto receptaculo.
f Vnde paulò ante deſcenderant, & omnes alui latebras perſpectas habebant.
g Ab Aiace Oilei filio, qui ex adytis & penetralibus Mineruæ Caſſandram Priami filiam abſtraxit, vnde & paulo poſt fulmine percuſſus eſt.
h Expanſis & diffuſis, ſiue diſperſis.
i Hanc ſpeciem iniuriæ quam Græci Caſſandræ ſponſæ inferebant.

*Et ſeſe medium iniecit moriturus in agmen.*
*Conſequimur cuncti, & denſis incurrimus armis.*
*Hic primum ex alto delubri culmine telis*
*Noſtrorum obruimur,* a *oriturq; miſerrima* b *cædes*
*Armorum facie, & Graiarum errore iubarum.*
*Tum Danai gemitu, atque ereptæ* c *virginis ira,*
*Vndique collecti inuadunt, acerrimus Aiax,* d
*Et gemini Atridæ,* e *Dolopúmq;* f *exercitus omnis.*
*Aduerſi rupto* g *ceu quondam turbine venti*
*Confligunt, Zephyrúſq; Notuſq; & lætus Eois*
*Eurus equis, ſtridunt ſyluæ, ſæuitque tridenti*
*Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.*
*Illi etiam, ſi quos obſcura nocte per vmbram*
*Fudimus inſidiis, totáque agitauimus vrbe,*
*Apparent, primi clypeos, mentitaque* h *tela*

*a* Troiani: qui ex templi faſtigio pugnabant, & tela iaciebant cum viderent nos Græcanicis armis indutos, rati nos eſſe Græcos telis obruunt, decepti ſpecie armorum, & criſtarum.

*b* Quia miſerum à ſuis ciuibus per errorem interfici.

*c* Caſſandræ, quæ ex eorum manibus erepta fuerat.

*d* Aiax Oilei. Nam, Aiax filius Telamonis ſibi mortem conſciuerat.

Agamemnon & Menelaus Atrei filij.

*f* Dolopes milites fuerunt Pyrrhi ſiue Neoptolemi, qui cum de inſula Scyro ſecuti fuerant.

*g* Ita cum Græcis confligimus ſicut confligunt & deprælian-tur inter ſe venti è contrariis partibus flantes, Zephyrus ab occidente, Notus à meridie, Eurus ab Oriente: quo tempore ſyluæ ſtrident ramis arborum ſe collidẽtibus, & Nereus Deus maris ſpumis coopertus fuſcinam ſiue fucram tribus dentibus inſtructam minaciter quatiens, ex imo fundo fluctus maris excitat, & emolitur.

*h* Illi quos paulo ante fuderamus, omnium primi agnoſcunt clypeos & arma quæ falsò nos Græcos videri faciebant, & quaſi mentiebantur: iidem aduertunt nos à Græcis linguam habere diuerſam, cùm non Græce ſed barbare loqueremur.

*Agnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.*
*Ilicet obruimur numero, primuſque Chorœbus,*
*Peneleï dextra diuæ* a *armipotentis ad aram,*
*Procumbit, cadit & Ripheus* b *iuſtiſſimus vnus,*
*Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſſimus æqui,*
*Diis aliter viſum,* c *pereunt Hypaniſq; Dymáſque* Strages Troianorum.
*Confixi à ſociis,* d *nec te tua plurima Pantheû*
*Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.*
*Iliaci cineres,* e *& flamma extrema meorum,*
*Teſtor, in occaſu veſtro nec tela, nec vllas*
*Vitauiſſe vices* f *Danaûm: & ,ſi fata fuiſſent*
*Vt caderem, meruiſſe* g *manu: diuellimur inde,*
*Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo*
*Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyſſis.* h
*Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.*

*a* Mineruæ quam & armorum & ſcientiarum Deam eſſe fabulantur.
*b* Dij non iudicauerunt Ripheum eſſe omnium iuſtiſſimum, cum eum paſſi ſunt interfici.
*c* Qui armorum ſpecie decepti Græcos eſſe credebant.
*d* Infula inſigne ſacerdotis. l. 10. *Phœbi Triuiæque ſacerdos*
*Infula cui ſacra redimibat tempora vitta.*
Vbi notat Seruius eſſe faſciam in modum diadematis à qua vittæ ab vtraque parte dependent quæ plerúmque lata eſt plerúmque tortilis de alba & cocco: fuit & inſigne victimarum. 3. Georg. *Stans hoſtia ad aras,*
*Lanea dum niueâ circundatur infula vittâ.*
Lucretius lib. 1. de Iphigenia ad ſacrificium deſtinata,
*Quoi nunc infula virgineos circundata comptus,*
*Ex vtraque pari malarum parte profuſa eſt.*
*e* Obteſtatio ad deprecandam ſuſpicionem ignauiæ.
*f* *Pugnat, quia per viciſſitudinem pugnabatur,* vt docet Seruius ex Saluſtio, quod etiam paſſim apud Homer. videri poteſt.
*g* Tam fortiter dimicaſſe, vt mererer occidi.
*h* Quod Vlyſſes inflixerat.

*Hîc vero ingentem pugnam, ceu cætera nuſquam*
*Bella forent, nulli tota morerentur in vrbe:*
*Sic Martem indomitum, Danaóſque in tecta ruentes*
*Cernimus, obſeſſúmque actâ teſtudine* b *limen.*
*Hærent parietibus ſcalæ, poſtéſque ſub ipſos*
*Nituntur gradibus,* c *clypeoſque ad tela ſiniſtris*
*Protecti obiiciunt, prenſant faſtigia dextris.*
*Dardanidæ contra turres, ac tecta* d *domorum*
*Culmina cõuellũt, (his ſe, quando vltima* e *cernũt,*
*Extrema iam in morte parant defendere telis:)*
*Auratáſq; trabes, veterum decora alta parentum*
*Deuoluunt: alij ſtrictis* f *mucronibus imas*
*Obſedêre fores: has ſeruant agmine denſo,*
*Inſtaurati animi* g *regis ſuccurrere tectis;*

Græci agunt teſtudinem.

a Ita tota vis pugnæ incubuerat in Regiam vt totus belli impetus videretur eò ſe contuliſſe, quaſi in aliis vrbis patribus non pugnaretur.

b *Teſtudo eſt ſcutorum cõnexio curuata in teſtudinis morẽ,* inquit Iſidorus: de qua Liuius lib. 44. *Sexageni fere iuuenes, interdum plures, &c. quadrato agmine facto, ſcutis ſuper capita dẽſatis, ſtantibus primis ſecundis ſubmiſſioribus, tertiis magis & quartis poſtremis etiam genu nixis faſtigiatã, ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant.* Hac teſtudine & corpora ſua protegebant, & milites ei impoſiti attollebantur, vt inde poſſent ad hoſtium muros adſcendere. Vide Lipſium lib. 1. poliorceticon cap. 5. de teſtudine, & cap. ſequenti de variis ſcalarum generibus.

c Magno conatu aſcendunt gradibus ſcalarum quas admouerant. d Tegulis cooperta domorum faſtigia.

e Quoniam vident ſe in extremo verſari diſcrimine.

f Donatus. *Qui in ſuperioribus fuerant, iaciebant ponderoſos ictus, vt ſcutorum teſtudinem rumperent: qui autem fores interius obſederant. obſeruabant paratis ad necem mucronibus, vt ſi hoſtes aditum perforaſſent, in ipſis ingreſſibus mactarentur.*

g Animus nobis renouatus & reparatus, qui iam propemodum defecerat.

*Auxilióque leuare viros, vimque addere victis.*
*Limen erat, cæcæque fores,* a *& peruius vſus*
*Tectorum inter ſe Priami, poſtéſque relicti*
*A tergo: infelix quà ſe, dum regna manebant,*
*Sæpius Andromache* b *ferre incomitata ſolebat*
*Ad ſoceros,* c *& auo* d *puerũ Aſtyanacta trahebat.*
*Euado ad ſummi faſtigia culminis, vnde*
*Tela manu miſeri iactabant irrita* e *Teucri.*
*Turrim in præcipiti* f *ſtantem, ſummiſq; ſub aſtra* Troiani Turrim in Græcos deiiciunt.
*Eductam tectis, vnde omnis Troia videri,*
*Et Danaûm ſolitæ naues, & Achaica caſtra,*
*Aggreſſi ferro circum, quà ſumma* g *labantes*
*Iuncturas tabulata dabant, conuellimus altis*
*Sedibus, impulimuſque: ea* h *lapſa repentè ruinam*
*Cum ſonitu trahit, & Danaûm ſuper agmina latè*
*Incidit: aſt alij ſubeunt:* i *nec ſaxa, nec vllam*
*Telorum interea ceſſat genus.*

*a* Poſticum ſiue ianuæ quædam abſconditæ, quibus ex vna ad alteram ædem Priami poterat vltro citróque commeari.
*b* Coniux Hectoris, nurus Priami, mater Aſtyanactis.
*c* Ad Priamum & Hecubam parentes Hectoris mariti.
*d* Priámum auum Aſtyanactis.
*e* Non profutura.
*f* In loco excelſo, & in præcipitio.
*g* Seruius. *Olim ſanè domus de tabulis fiebant: vnde hodie in ædificiis ſurgentibus primum & ſecundum tabulatum dicimus: ſumma autem eſt, quod tectum ſuſtinet.* Vulgo dicimus *Le premier, le ſecond, le troiſiéme eſtage.* Prima, ſecunda, tertia contignatio: ſenſus eſt igitur bipennibus & aliis ferramentis aggredimur, circunquaque turrim excindere, qua parte ſuprema contignatio labantibus tabularum iuncturis ſiue commiſſuris, fatiſcebat, & facilis erat ad ſolutionem.
*h* Turris.
*i* Alij Græci ſuccedunt in eorum locum, qui fuerant ruina turris interempti.

*Veſtibulum ante ipſum, à primoque in limine Pyrrhus*
*Exultat telis, & luce coruſcus* b *ahena:* *(ſtus.*
*Qualis, c vbi in lucē coluber mala gramina* d *pa-*
*Frigida ſub terra tumidū quem bruma* e *tegebat,*
*Nunc poſitis nouus exuuiis, nitidúſque iuuenta,*
*Lubrica* f *conuoluit ſublato pectore terga,*
*Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis:*
*Vnà ingens Periphas, & equorum agitator Achillis*
*Armiger Automedon, vnà omnis Scyria pubes*
*Succedunt tecto & flammas ad culmina jactant.*
*Ipſe inter primos correpta dura bipenni*

*Comparatio. Pyrrhi cum colubre renouato.*

*a* Veſtibulum eſt ſpatium relictum inter vicum & atrium ſiue aulam quæ primò occurrit, *La court de la maiſon*, dictum veſtibulum quod ibi ſtarent clientes qui ad patronos, ſalutandi cauſſa veniebant, antequam in atrium admitterentur.

*b* Collucens armis æreis valdè ſplendentibus.

*c* Qualis coluber herbis venenoſis paſtus prodit in lucem poſtquam hyberno tempore tumidus & inflatus veneno ſub terra latuit: vere appetente, veteri pelle depoſita nouarum ſquamarum fulgore quodammodo iuueneſcit & multiplici lapſu & erratico ſerpit, pectus attollens & ſolis radiis exponens, & linguam frequentibus criſpationibus micantem tam celeriter vibrat, vt non vna lingua, ſed tres linguæ, ſiue lingua triſulca & trifida eſſe videatur.

*d* Expoſui *herbis venenoſis*, cum Seruio, id eſt, quæ venenum ſerpenti indiderunt: vel appellat *mala gramina* quia ſerpens hic graminibus paſtus nocentior & peior euadit. Nicander in Theriacis.

Μαράθῳ δ' ἀνήχυτος ὕρπηξ
Βοσκηθεὶς ὠκύς τε καὶ αὐγμένος τίθησι... Redditur
*Fœniculo paſtus velox nitiduſq; iuuenta*

*e* Bruma propriè ſolſtitium hybernum, quo tempore dies eſt totius anni breuiſſimus.

*f* Lubricum eſt: quod teneri non poteſt, ſed è manibus apprehendentibus elabitur.

*Limina perrumpit* a *poſtéſque à cardine vellit*
*Æratos, iámque exciſa trabe, firma cauauit*
*Robora, & ingentem lato dedit ore feneſtram,*
*Apparet domus intus,* b *& atria longa pateſcunt:*
*Apparent Priami, & veterum penetralia regum,*
*Armatoſque* c *vident ſtantes in limine primo.*
*At domus interior gemitu, miſeroque tumultu*
*Miſcetur: penituſque cauæ plangoribus ædes*
*Fœmineis vlulant: ferit aurea ſydera clamor.*
*Tum pauidæ tectis matres ingentibus errant,*
*Amplexæque tenent poſtes,* d *atque oſcula figunt.*
*Inſtat vi patria* e *Pyrrhus: nec clauſtra, nec ipſi*
*Cuſtodes ſufferre valent; labat ariete crebro*
*Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes.*

***Irrumpunt in arcem Troiæ Græci***

*a* Bipenni ſiue ſecuri properanter raptâ perrumpit fores robuſtas, bipennis ſecuris eſt vtrimque habens aciem.

*b* Aduerte numeri rationem, qua oſtenditur atriorum longitudo, vt iſte verſus nullis cęſuris retinetur, ſed vſque ad finem excurrit. *c* Eos qui interius fores obſederant ſtrictis mucronibus, vt Græcos irrumpentes occiderent.

*d* Turnebus lib. 26. cap. 23. Qui domum deſerebant in perpetuum limina ſalutare ſolebant, ideo poſtes amplectuntur & oſculantur mulieres quæ ſe in captiuitatem abreptum iri ſuſpicantur ſeque procul auectum iri in Græciam, ac Troiam in perpetuum relicturas. Plautus Mercatore.

*Limen ſuperum, & inferum ſalue, ſimul autem vale.*
*Hunc hodie poſtremum extolle mea domo patria pedem.*

*e* Inſtat & vrget negotium Pyrrhus eadem violentiâ & impetu, quo pater ipſius Achilles olim Troianos inſectabatur, adeo vt nec oſtia nec cuſtodes poſſint eius impetum ſuſtinere, ſed primo frequentibus arietationibus ianua concuſſa probefactatur, deinde poſtes è ſuis cardinibus ianua concuſſa lacũbunt, & terræ affliguntur. Collapſis poſtibus, Græci magno impetu in regiam irrumpunt; eoſque perimunt qui armati fores interiùs obſederant, & in atrio, totoque veſtibulo diſponunt militum cateruas.

*Quinquaginta illi thalami, a ſpes tanta nepotum,*
*Barbarico poſtes b auro, ſpolijſque ſuperbi*
*Procubuêre; tenent Danai, quà deficit ignis.*
*Forſitan & Priami fuerint quæ fata, requiras.*
*Vrbis vbi captæ caſum, conuulſaque vidit*
*Limina tectorũ, & mediũ in penetralibus hoſtem,*
*Arma diu ſenior deſueta trementibus æuo*
*Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum*
*Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtes.*
*Ædibus in mediis, nudóque ſub ætheris c axe* *Armatur Priamus.*
*Ingens ara fuit, iuxtáque veterrima laurus*
*Incumbens aræ, atque vmbra complexa d penates.*
*Hîc Hecuba, & natæ nequicquã e altaria circum*
*Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ*
*Condenſæ, & diuûm amplexæ ſimulachra tenebãt.*
*Ipſum autem ſumptis Priamum iuuenilibus armis*
*Vt vidit: Quæ mens tam dira f miſerrime coniux*
*Impulit his cingi telis? aut quò ruis, inquit.*
*Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis*
*Tempus eget: non ſi ipſe meus nũc afforet Hector.*
*Huc tandem concede, hæc ara tuebitur omnes.*

*a* Conclauia quinquaginta in quibus ſingulis erans lecti geniales totidem Priami filiorum. Vide Iliad. 5.
*b* Poſtes Regiæ aureis Barbarorum ſpoliis ſplendidiſſimè decorati de more veterum, qui ſolebant arma & ſpolia hoſtium in veſtibulis appendere. Alij interpretantur, Auro Phrygio alij multo & copioſo, quia barbarorum, opera ſunt magis auro ſiue materia, quam artificio pretioſa.
*c* Sub dio, ſub aëre nullis ædificiis impedito, in area patenti.
*d* Tam patulis diffuſa ramis, vt totam aream & pene totam domum inumbraret.
*e* Fruſtra, ſi quidem ab altaribus abſtractæ ſunt.
*f* Tibi à diis iratis immiſſa.

*Supplicis erubuit, corpuſque exangue ſepulchro*
*Reddidit Hectoreum, méque in mea regna remiſit.*
*Sic fatur ſenior, telumque imbelle ſine ictu*
*Coniecit, rauco quod protinus ære repulſum,*
*Et ſummo clypei nequicquam vmbone* a *pependit:*
*Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuncius ibis*
*Pelidæ* b *genitori: illi mea triſtia facta,*
*Degeneremq; Neoptolemum* c *narrare memento.*
*Nunc morere, hæc dicens altaria ad ipſa trementē*
*Traxit, & in multo lapſantem* d *ſanguine nati:*
*Implicuitque comam læua, dextraque coruſcum* Cædes.
*Extulit, ac lateri capulo* e *tenus abdidit enſem.* Priami.
*Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum*
*Sorte* f *tulit, Troiā incenſam, & prolapſa videntē*
*Pergama, tot quondam populis, terriſque ſuperbum*
*Regnatorem Aſiæ: iacet ingens littore* g *truncus,*

vſque ad vrbem Troiam eſt comitatus. Mentiebatur igitur Pyrrhus ſe ab eo genitum fuiſſe, cùm nihil indolis paternæ retineret. Homerus tamen aliter narrat.

*a* Vmbo clypei & quaſi vmbilicus, ſiue pars quędam in medio clypeo tumens & extuberans Sed quomodo pependit, ſi repulſum eſt? *vel nequicquam pependit eſt non pependit*, ait Seruius, vel cùm ille clypeus eſſet corio coopertus telum ad æs clypei penetrans inde repulſum eſt quidem, ſed pependit è corio.

*b* Achilli Pelei filio, patri meo.

*c* Pyrrhus dictus Νεοπτόλεμος quaſi νέος πολεμιστὴς, vel etiam πολεμιστὴς quia iuuenis admodum & pene puer ad bellum Troianum profectus eſt.

*d* Fallente & lubricante veſtigio in ſanguine Polytæ filij modo à Pyrrho interempti.

*e Iuſques à la garde.*

*f* Fatali neceſſitate, quam ſortem appellat, quia Iupiter dicitur fata ſortiri. g Manilius lib. 5.

*Priamum eisque in littore truncum, cui nec Troia rogus.*

*Auulſumque humeris caput & ſine nomine corpus;*
*At me tuum primùm ſæuus circumſtetit horror.*
*Obſtupui, ſubiit* a *chari genitoris imago,*
*Vt regem æquæuum crudeli vulnere vidi*
*Vitam exhalantem: ſubiit deſerta Creüſa,*
*Et direpta domus, & parui caſus Iuli.*
*Reſpicio: & quæ ſit me circum copia,* b *luſtro.*
*Deſeruêre omnes defeſſi, & corpora ſaltu*
*Ad terram miſere, aut ignibus ægra dedere.*

Duos & viginti, qui ſequuntur verſus quidam ceu non genuinos hoc loco omittunt.

*Iámque adeò ſuper vnus eram, cùm limina Veſtæ*
*Seruantem, & tacitam ſecreta in ſede latentem*
*Tyndarida* c *aſpicio: dant clara incendia lucem*
*Erranti, paſſimque oculos per cuncta ferenti.*
*Illa ſibi infeſtos euerſa ob Pergama Teucros*
*Et pœnas Danaûm, & deſerti coniugis* d *iras*
*Permetuens, Troiæ, & patriæ communis Erynnis,*
*Abdiderat ſeſe, atque aris inuiſa* e *ſedebat.*
*Exarſere ignes animo: ſubit ira cadentem*
*Vlciſci patriam, & ſceleratas* f *ſumere pœnas.*
*Scilicet hæc Spartã* g *incolumis patriáſq;* h *Mycenas*

**Æneas cogitat de occidenda Helena.**

*a* In mentem venit.
*b* Circumſpicio copias & militum turbam, ſi qui ſuperſint.
*c* Helenam filiam Ledæ priuignam Tyndari. Tyndarus enim Ledam duxerat vxorem.
*d* Menelai quam Helena deſeruerat, vt Paridem Priami filium ſequeretur, vnde bellum inter Græcos & Troianos exarſit, & Helena tanquam peſtis quædam & lues ſiue furia Græciæ & Troiæ communis, vtramque magnis cladibus affecit.
*e* Sic abſcondita vt penè non videretur.
*f* Sumere pœnas ab Helena ſcelerata.
*g* Lacedæmonem vbi regnabat Menelaus prior Helenæ maritus. *h* Mycenæ vrbe Peloponeſi.

*Aſpiciet? partóque ibit Regina triumpho?*
*Coniugiumque, domúmque, partes, natoſque videbit*
*Iliadum* a *turba, & Phrygiis comitata miniſtris?*
*Occiderit ferro Priamus? Troia arſerit igni?*
*Dardanium toties ſudarit ſanguine littus?*
*Non ita: namque etſi nullum memorabile nomen*
*Fœminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem:*
*Extinxiſſe nefas* b *tamen & ſumpſiſſe merentis*
*Laudabor pœnas, animumque expleſſe iuuabit*
*Vltricis flammæ,* c *& cineres ſatiaſſe meorum.*
*Talia iactabam, & furiata mente ferebar:*
*Cùm mihi ſe, non ante oculis tam clara videndam*
*Obtulit, & pura per noctem in luce refulſit*
*Alma parens,* d *confeſſa deam qualiſque videri*
*Cœlicolis, & quanta ſolet, dextráque prehenſum* Apparet
*Continuit, roſeoque hæc inſuper addidit ore:* Æneæ
*Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?* mater Venus
*Quid furis?* e *aut quonam noſtri tibi cura receſſit?*
*Non prius* f *aſpicies, vbi feſſum ætate parentem*
*Liqueris Anchiſen? ſuperet* g *coniuxne Creüſa,* Eum ad
*Aſcaniuſque puer? quos omnes vndique Graiæ* domus curam reuocat.

*a* Troianarum captiuarum multitudine ſtipata.
*b* Mulierem nefariam de medio ſuſtuliſſe.
*c* Expleuiſſe animum meum, qui ardet & inflammatur deſiderio vltionis.
*d* Mater mea Venus.
*e* Furioſum eſt non de ſua ſalute & ſuorum, ſed tantum de vltione inimicorum cogitare.
*f* Nonne multo ſatius eſt ſaluti & incolumitati patris, coniugis filij tui prouidere, quam inutiliter iraſci, & tantumodo de vlciſcendis hoſtibus cogitare.
*g* Viuátne adhuc & ſuperſit.

*Circum errant acies, & nî mea cura reſiſtat,*
*Iam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit* a *enſis.*
*Non tibi Tyndaridis* b *facies inuiſa Lacænæ,*
*Culpatuſue Paris, verùm inclementia Diuûm*
*Has euertit opes, ſternitque à culmine Troiam:*
*Aſpice (namq; omnem,* c *quæ nunc abducta tuenti*
*Mortales hebetat viſus tibi, & humida circùm*
*Caligat, nubem eripiam, tu ne qua parentis*
*Iuſſa time, neu præceptis parêre recuſa)*
*Hîc, vbi diſiectas* d *moles, auulſaque ſaxis*
*Saxa vides, miſtoq; vndantem* e *puluere fumum,*
*Neptunus muros,* f *magnóque emota tridenti*
*Fundamenta quatit, totámque à ſedibus vrbem*

*Parid. n & Helenam excuſat Venus.*

*Oſtendit illi deos excidii Troiæ auctores*

a Sic alibi, *Per tunicam ſqualentem auro latus hauſit apertum* quaſi deglutierit, deuorarit. Sic Hebræi dicunt *in ore gladij percutere* Græci ἀφύειν. Homerus. Iliados 13.

ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσ

*Inteſtina hauſit gladius*

b Non eſt quod Helenæ Tyndari priuignæ, vxoris Menelai Regis Laconum ſiue Lacedæmoniorum: non eſt, inquam, quod Helenæ facies & pulchritudo tibi ſit inuiſa aut odioſa quaſi cauſſa fuerit Troiani incendij. Non eſt etiam quod in Paridem Alexandrum Helenæ raptorem culpam conuertas. Non enim illi excidio Troiano cauſſam attulerunt, ſed deorum crudelitas: qui voluerunt hanc vrbem euertere.

c Seruius. Ordo eſt, omnem tibi nubem eripiam quæ humida circum caligat, id eſt circa te offundit caliginem: & mortales habebat viſus intuenti. Tu autem noli timere, ſed aſpice confidenter. Non enim Deorum aſpectu cæcaberis, alioquin id tibi non ſuaderem, cùm ſim mater tua, ſi huiuſmodi periculum immineret.

d Laxis lapidum cõmiſſuris à ſe inuicem diuulſas & ſeparatas

e Fumum vndatim ſe conuoluentem, qui ex incendio vrbis excitatur, mixto puluere qui oritur ex ædium ruinis.

f Neptunus & Apollo dicuntur muros Troianos condidiſſe. Quare merito dicitur eius fundamenta concutere: vocatur etiam ἐνοσίχθων & ἐννοσίγαιος terræ quaſſator. Iuno tente

*Eruit, hîc Iuno Scæas ſæuiſſima portas*
*Prima tenet, ſociúmque furens à nauibus agmen*
*Ferro accincta vocat.* Hortatur ad fugam.
*Iam ſummas arces Tritonia (reſpice) Pallas*
*Inſedit, Nimbo effulgens & Gorgone* a *ſæua:*
*Ipſe pater* b *Danais animos, vireſque ſecundas*
*Sufficit, ipſe Deos in Dardana ſuſcitat arma,*
*Eripe, nate, fugam* c *finémque impone labori,*
*Nuſquam abero,* d *& tutum patrio te limine ſiſtã.*
*Dixerat & ſpiſſis noctis ſe condidit* e *vmbris.*
*Apparent* f *diræ facies, inimicáque Troiæ*
*Numina magna Deûm.*
*Tum verò* g *omne mihi viſum conſidere in ignes*
*Ilium & ex imo verti Neptunia* h *Troia.*

Scæas portas per quas equus Troianus in vrbem inductus eſt. Mineruа arces obtinet. *Pall s quas condidit arces, Ipſa colat* de Tritonidis appellatione dictum hoc libro. Verſu 171.

*a* Vide 8. Æneid. *Ipſamque in pectore diuæ Gorgona.*

*b* Ipſe Iupiter pater meus Græcis animos ſubminiſtrat, & vires ſecundas ſiue proſperas; quibus videlicet ipſe pugnę euentus obſecundat: cùm ne Troianis quidem deſinit vires, ſed nullum euentum proſperum ſortiuntur. Ipſe hortatur reliquos deos contra Troianorum arma.

*c* Rapim & feſtinanter in fugam te coniice.

*d* Tibi ſemper adero donec ſaluus & incolumis ad domum paternam perueneris.

*e* Suſtulit ſe ab Æneæ conſpectu notiſque tenebris ſe circumfudit, ita tamen vt ab Æneæ latere non diſcederet.

*f* Ego iuſſu matris aſpiciens video facies horribiles iratorum Deorum.

*g* Donatus. *Qua do non tantum G æcos, verùm etiam p tiores de s vidi n ſtris ebus infeſtos, tunc magis probani illa quoque quæ ſupe erant eſſe peritura.* Ita Troiæ culmina apparuerunt conſterni, vt ignes conſidere viderentur. Ita fundamenta concuti: vt ex imo verti viderentur.

9. Æneidos. *An non viderunt mœnia Troiæ Neptuni fabricata manu conſidere in ignes.*

*Ac veluti* a *ſummis antiquam in montibus ornũ*
*Cùm ferro acciſam, crebriſque bipennibus inſtant*
*Eruere agricolæ certatim, illa vſque minatur,*
*Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat,*
*Vulneribus donec paulatim euicta ſupremùm*
*Congemuit, traxitque jugis auulſa ruinam.*
*Deſcendo: ac ducente* b *Deo* c *flammam inter, & hoſtes,*
*Expedior, dant tela locum flammæque recedunt.*
*Aſt vbi iam patriæ* d *peruentum ad limina ſedis,*
*Antiquáſq; domos: genitor, quem tollere* e *in altos*

Æneas repetit domum paternam.

a Comparat *antiquam ornum* cum antiqua Troia, illa *ferro acciſa*: Troia longo bello attenuata *agricolæ*. Græci ſunt, aut potiùs ipſi dij. Illa ornus minatur ruinam, & vſque, & tremefit, & nutat vertice concuſſo ita Neptunus vrbis *fundamenta quatit* & alij dij vrbem labefaciunt: ornus paulatim euincitur: Troiani aliquandiu reſtiterunt; ſunt tamen paulatim euicti, ornus labens ſupremum congemit, ictibus reſpondens ſuo ſonitu; Troia cadens reſonat mulierum & puerorum vlulatu, ornus traxit iugis ruinam: Troia cadens Phyrges, Myſos, Dardanos eadem ruina ſecum inuoluit.

b Legit Donatus. *Deſcendo abducente Deo* quaſi non deſcenſurus fuerit, & à pugna ſe ſubducturus, niſi Venere abſtrahente, & abducente, vimque faciente, vt ab armis diſcederet.

c Deus pro Venere Dea, vt 7. Æneidos de Alecto.

*Nec dextræ erranti Deus abſuit*

Licinius Caluus à Pomponio Sabino citatus.

*Pollentémque Deum Venerem.*

hinc Cretenſes barbatam venerem coluerunt.

d Vides vbique paternæ domus, nuſquam propriæ fieri mentionem. Videtur ad Romuli legem alludere, qua lege patres in liberos omnimodam poteſtatem habuerunt: nec ſolum in bona, ſed etiam in vitam & libertatem liberorum habuerunt, adeo vt liberos magiſtratibus etiam functós vendere poſſent, & eorum libertatem addicere.

e Quem ante alia omnia cupiebam à Troiæ ruinis ſubducere & ad montem Idam ad tuta deferre, negauit ſe velle viuere

Optabam primùm montes, primumque petebam,
Abnegat exciſa vitam producere Troia,
Exiliumque pati. Vos ô a quibus integer æui
Sanguis ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me, ſi cælicolæ voluiſſent ducere vitam,
Has mihi ſeruaſſent ſedes: ſatis vna, b ſuperque
Vidimus excidia, & captæ ſuperauimus vrbi.
Sic, ô ſic poſitum c affati diſcedite corpus:
Ipſe manu d mortem inueniam, miſerebitur hoſtis,
Exuuiáſque petet: facilis iactura ſepulchri eſt.
Iam pridem inuiſus Diuis, & inutilis annos

*Vult patrem a lexilio liberare*

*Pater Vult cũ patria interire*

poſt excidium Troiæ, faciens comparationem præſentium & futurorum, meliúſque eſſe diſſerens in cineribus patriæ mori quam vitam in exilio & extra patrium ſolum diutius propagare.

a Donatus *Fugiant quibus offert iuuentus ſuffragium, & longum viuendi ſpatium ſpirant, qui laborem ferre non alienis adminiculis poſſunt.* Integer ſanguis iuuenum, qui ſenibus minuitur.

b Sufficere mihi debet quòd ſemel vidi Troiam euerſam ab Hercule, & ſuperſtes fui, ſuperuixique Troiæ ſemel captæ *ſatis ſuperque* eſt, ſufficit & pluſquam ſufficit.

c Nihil eſt cauſſæ cur me amplius inter viuos numeretis: iam enim nihil ſum aliud quàm ſpirans mortis ſimulacrum: quare cadauer iſtud, potiùs quàm hominem *ſic poſitum*, id eſt temere & vt caſus tulerit pedibus ad ianuam verſis de more collocatum poſtremâ ſalutatione allocuti diſcedite. Pomponius Sabinus. *Præſtate mihi funebre officium, & vbi affati eritis vltima illa verba quæ dici ſolent mortuis, diſcedite,* Vale, vale, vale, *ſunt vltima verba & inde* ilicet *clamat ſacerdos*, ſic, id eſt temerè, tumultuarie Græcis αὐτως.

d Ego ipſe manu propria mortem mihi conſciſcam; aut hoſtium aliquis miſericordia motus, me interficiet vt doloribus & ærumnis meis finem imponat, aut ſaltem interimet eo fine vt me ſpoliet occiſum, & pro nihilo reputabo ſi fuero inſepultus.

*Demoror:* a *ex quo me Diuûm pater, atque hominum rex*
*Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.:*
*Talia perſtabat memorans fixúſque manebat:*
*Nos contra effuſi* b *lacrymis: coniuxque Creuſa,*
*Aſcaniuſque, omniſque domus,* c *ne vertere ſecum*
*Cuncta pater fatoque vrgenti incumbere* d *vellet,*
*Abnegat, incœptoque, & ſedibus hæret in iiſdem,*
*Rurſus in arma feror, mortémque miſerrimus opto.*
*Nam quod conſiliũ, aut quæ iam fortuna dabatur?*
*Méne efferre pedem genitor te poſſe relicto*
*Speraſti; tantumque* e *nefas patrio excidit ore?*

**Æneas deflet patris obſtinationem.**

a Seruius *Quaſi feſtinantes diu viuendo detines.* Porro Anchiſem afflatum fulminis halitu & de cœlo tactum fuiſſe fabulantur, quod Veneris coniugio ſe iactaret.

b Effuſi in lacrymas, ingentem vim lacrymarum vbertim profundentes.

c Omnis familia: omnes ſerui & ancillæ, hic Donatus. *Flebamus ne ille in eadẽ ſententia perdurans, cõſentire aduerſæ fortunæ, & ſe & omnes nos faceret interire. Ex illius igitur voluntate ſalutis omnium ſtatus ratioque pendebat: cum ipſo enim fuerat moriendum, quem dimittere non licebat, ſed ille quem fixum tenuerat vna ſententia, qui conſentiebat fatis noſtris in extrema vergentibus, voluntate ſua noſtra iuuabat aduerſa, non mei non nurus ſuæ Creuſæ, non nepotis* Aſcanij, *non omnium largiſſimis fletibus flexus in ea mentis obſtinatione permanſit, negauitque ſe velle viuere poſt excidium Troiæ.*

d Videtur ducta tranſlatio ab iis qui in gladium incumbunt vt ſibi mortem accerſant: quare *fato vrgenti incumbere*, eſt in ipſum fatum premens vltroque ad perniciem properans, tanquam in gladium ex aduerſa parte vibratum ſe iniicere, & immittere, & quodammodo ictum occupare.

e Donatus. *Potuitne tibi venire in mentem tam dirum tamque impium nefas? Potuiſti cogitare, quod abhorret à moribus meis? Potuiſti ore paterno promere quod me faceres parricidam?* eſſem enim parricida & immane nefas admitterem, ſi te relicto diſ-

*Si nihil ex* a *tanta ſuperis placet vrbe relinqui,*
*Et ſedet hoc animo, perituræque addere Troiæ*
*Teque, tuoſque iuuat, patet iſti ianua letho.*
*Iamq; aderit multo* b *Priami de ſanguine Pyrrhus*
*Natum ante ora patris;* c *patrem qui obtruncat ad aras:*
*Hoc ne erat alma parens, quòd me per tela, per ignes*
*Eripis? vt mediis, hoſtem in penetralibus, vtque*
*Aſcaniumque, patremque meum, iuxtáq; Creuſam*
*Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam?*
*Arma viri, ferte arma, vocat lux vltima victos,*
*Reddite me Danais, ſinite inſtaurata* d *reuiſam*
*Prælia: numquam omnes hodie moriemur inulti.*
*Hic ferro accingor rurſus clypeóque ſiniſtram*
*Inſertabam* e *aptans, meque extra tecta ferebam.*
*Ecce autem complexa pedes in limine coniux*
*Hærebat, paruumque patri* f *tendebat Iulum:*

*Ad pugnam vult reuerti.*

*cederem.* Bene, inquit, Seruius, *excuſat patrem dicere* excidit, *& ipſam obiurgationem temperat.*

*a* Si hoc ſuperis placuit, vt nullæ de magna vrbe reliquiæ ſupereſſent, idque & tu probas viſque Troiæ ruinis te iam tuorúmque necem adiicere, non deerit occaſio moriendi.

*b* Ex recenti cæde Priami, & ſanguinis effuſione, qua non ſolum Priamus, ſed etiam Polites Priami filius occiſus eſt, quo pacto quaſi bis ſanguinem fudit Priamus.

*c* His rebus merito terret Anchiſen, qui mortem propriam non timebat.

*d* Inſtar priorum certaminum renouata: permittite vt denuo pugnem, vt initio pugnare occœperam.

*e* Loris & vinculis inſertoriis clypeum ſiniſtræ religabam, & ſimul extra limen exibam, hoc enim properationis neceſſitas exigebat, vt non ſtans, ſed ambulans armarer.

*f* Donatus. Non dixit, *mihi*, ſed *patri*, vt ſi maritum non flecteret precibus ſuis, patrium tamen moueret affectum.

*Si periturus abis, & nos rape in omnia a tecum:*
*Sin aliquam expertus ſumptis ſpem ponis in armis,*
*Hanc primùm tutare domum, cui b paruus Iulus:*
Creuſæ precatio *Cui pater & coniux quodam tua dicta, c relinquor.*
*Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,*
*Cùm ſubitum, dictúq; oritur mirabile monſtrum,*
Ignis à vertice Iuli accenditur. *Námque manus inter, mœſtorumque ora parentũ,*
*Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli*
*Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli*
*Lambere flamma comas, & circũ tempora paſci:*
*Nos pauidi e trepidare metu, crinemq; flagrantẽ*

a Pericula, exitia.

b Si tu à nobis diſceſſeris, cui filium, patrem, coniugem relinquos? quis nos in tam præſenti ſalutis periculo defendet.

c Et ſi dolor & deſperatio ſic animum tuum efferant, vt videaris omnem maritalem affectum exuiſſe, memento tamen prioris affectus, ego ſum illa Creüſa quam olim coniugem tuam nominabas.

d Dum ego & Creuſa coniux filium communem Aſcanium amplecteremur & oſcularemur, dolentes & mœſti quòd eum ſubitò cum parentibus interiturum eſſe putaremus, ecce ex improuiſo ignis inſtar apicis cuiuſdam acuminatus viſus eſt de ſummo capite filij noſtri lumen emittere & flamma circum pueri tempora ſic ſerpebat, vt paſci quodammodo videretur, inſtar pecudum quæ paſcentes circa ſe herbas carpunt. Libet hic Seruii verba exſcribere. *Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus ſacerdotes vtuntur, apicem, tutulum, galerum, ſed apicem pileum ſubtile, circa medium virga eminente: tutulum pileum lanatum metæ figura: galerum, pileum ex pelle hoſtiæ cæſæ eſt: apex propriè dicitur in ſummo Flaminis pileo virga lanata, hoc eſt in cuius extremitate modica lana eſt quòd primum conſtat apud Albam Aſcanium ſtatuiſſe, modò autem ſummitatem pilei intelligimus.*

e Hoc viſo prodigio, nos pauidi metu trepidauimus, flammam è crinibus excuſſimus, ignes illos diuinitus accenſos ac proinde ſacros & religioſos aquis fontanis extinximus.

a Theocritus

*Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.*
*At pater Anchiſes oculos* a *ad ſydera lætus*
*Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit:*

Anchiſæ precatio.

*Iupiter omnipotens, precibus ſi flecteris vllis,*
*Aſpice nos, hoc tantùm:* b *&, ſi pietate meremur,*
*Da deinde auxiliũ pater, atq; hæc omina* c *firma.*
*Vix ea fatus erat ſenior: ſubitóque fragore*
*Intonuit læuum:* d *& de cælo lapſa per vmbras*

Tonitrua læua.

*Stella, facem ducens* e *multa cum luce cucurrit:*
*Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti,*
*Cernimus idæa* f *claram ſe condere ſyluâ,*
*Signantémque vias, tum longo limite ſulcus*

Stella delabens.

*Dat lucem, & latè circùm loca ſulphure fumant.*

a Theocritus tamen & alij Anchiſen cæcum fuiſſe prodiderunt. *b* Hoc tantùm à te peto vt nos reſpicias: quia Deus eos iuuat quos reſpexerit, & ipſe diuinus aſpectus eſt auxilium. c Seruius *Secundum Romanum morem petit vt viſa firmentur, non enim vnum augurium vidiſſe ſufficit, niſi confirmetur ex ſimili. Nam ſi diſſimilia ſint poſteriora, ſoluuntur priora.* Silius lib. 4. *Adſis ò firméſque tuæ pater alitis omen.*

d Siniſtra fulmina & fulgura ſunt dextris auſpicatoria, qui enim auguria captant conuertunt ſe ad Orientem, & proindè Septentrionem à ſiniſtris habent, à dextris Meridiem, cùm autem polus Arcticus ſiue Septentrio polo Antarctico ſiue Auſtrali credatur eſſe præſtantior, & nobis ſemper appareat, inde meritò fulgura & tonitrua quæ à Septentrione & læua parte proueniunt auſpicatiora creduntur, vt ſcribit Dionyſius Halic. lib. 2. Adde quòd dij putantur vultus ſuos ad eos qui auguria captant, obuertere, & proinde ſolis occaſum ſpectare & à dextris Septentrionem habere: quare Septentrionalia fulgura à deorum dextris proueniunt, quæ ſunt ſiniſtra hominibus auguria captantibus.

e Cometa caudam luminoſam trahens inſtar facis ardentis.

*f* Ida mons vicinus Troianæ ciuitati.

g Scintillas ſpargentem & longo flammarum tramite notantem vias quas inſiſtere deberemus ad vitandum periculum;

*Hic verò victus* a *genitor ſe tollit ad auras,*
*Aſſaturque Deos, & ſanctum ſydus adorat:*
*Iam iam nulla mora eſt, ſequor: & qua ducitis, adſum*
*Dij patrij* b *ſeruate domum, ſeruate nepotem,*
*Veſtrum hoc auguriũ veſtróq; in numine Troia eſt.*
Cedit Anchiſes tot prodigijs *Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuſo.*
*Dixerat ille: & iam* c *per mœnia clarior ignis*
*Auditur, propiúſque æſtus incendia voluunt.*
*Ergo age chare pater, ceruici imponere noſtræ,*
*Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte grauabit.*
*Quò res cunque cadent,* d *vnum & commune periclum,*
*Vna ſalus ambobus erit: mihi paruus* e *Iulus*
*Sit comes, & longè ſeruet veſtigia coniux.*
*Vos famuli, quæ dicam, animis aduertite veſtris.*
*Eſt vrbe egreſſis* f *tumulus, templúmq; vetuſtum*
*Deſertæ Cereris, iuxtáque antiqua cupreſſus,*
*Relligione patrum multos ſeruata per annos:*
*Hanc ex diuerſo ſedem veniemus in vnam.*

& quaſi ignis rima & ſulcus diuidit noctis caliginem.

*a* Hoc cœleſti prodigio conuictus pater Anchiſes exurgit obſtinatione depoſita.

*b* Dij domeſtici familiæ noſtræ præſides.

*c* Flammarum crepitãtium ſonitus iam clarius auditur è propinquo, & propiùs noſtram domum incẽdia voluunt & glomerant flammas æſtuantes, vel venire incendia æſtus grauiſſimi nuntiabant.

*d* Quæcunque fuerit fortuna, mihi tecum communis erit.

*e* Legit Donatus, *mihi ſolus Iulus*, &c. & exponit: conſilij fuit vt turior fieret fuga: ſi enim plurimi congregarentur, non facile latere potuiſſent.

*f* Eſt extra vrbem colliculus, & templum deſertum Cereris

*Tu genitor cape ſacra a manu, patrióſque Penates;*
*Me bello è tanto digreſſum, b & cæde recenti,*
*Attrectare nefas, donec me flumine viuo*
*Abluero.*
*Hæc fatus latos humeros, ſubjectáque colla*
*Veſte ſuper, fuluique inſternor pelle leonis,*
*Succedóque oneri: c dextræ ſe paruus Iulus*
*Implicuit, d ſequiturq; patrem non paßibus æquis:*
*Ponè ſubit e coniux: ferimur per opaca locorum,*
*Et me, quem dudum non vlla injecta mouebant*
*Tela, neque aduerſo glomerati f ex agmine Graij,*
*Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis*
*Suſpenſũ, & pariter comitique g oneriq; timentẽ.*
*Iámque propinquabam portis, omnémq; videbar*

*Aeneas Anchiſem defert ceruicibus.*

a Vel ſacra ſunt ipſi Penates, vel, ſi diſtiuguuntur, vittas peplá, vela quædam & alia eiuſmodi intelligit. Penates, vt ait Dionyſius Halicarnaſſeus Dij ſunt qui à Græcis θεοὶ πατρῷοι, γενέθλιοι, κτήσιοι, μύχιοι, ἑρκεῖοι, nominatur. Timæus dicebat nihil aliud eſſe quàm κηρύκια σιδηρᾶ, καὶ χαλκᾶ, καὶ κέραμον τρωϊκόν. *Caducea ferrea & ærea Troianamque teſtam fictilem.* Dionyſius lib. 1. dicit fuiſſe duos iuuenes haſtatos, habitu ſedentium admodum antiqui operis. Calliſtratus & Satyrus aiunt fuiſſe imagines Samothraciorum deorum.

b Donatus. *Docet homines Poeta, quomodo ſe purgent ſi cæde hominis, aut alio genere fuerint forcè polluti, ſimul etiã excuſat Æneam ne patrem ſuum ſuperfluis videretur onerare.*

c *Et non plebeios luctus teſta & cupreſſus.*

d Filius meus Aſcanius puerili timore perterritus ita ſe dextræ meæ applicuit & inhæſit, vt mea veſte ſe inuoluerit, vt faciunt puſiones cùm ſe gremio nutricum inuoluunt: neque tamen lateri poterat inhærere, ſed poſterior fuit.

e Retrò ſequitur coniux Creuſa.

f Confertim & glomeratim conglobati.

g *Comiti* Iulo dextræ meæ implicito, *oneri* Anchiſæ impoſito meis ceruicibus.

Euaſiſſe viam, ſubitò cum creber ad aures
Viſſus adeſſe pedum ſonitus : genitórq; per vmbrā
Proſpiciēs, Nate, exclamat, fuge nate: propinquāt,
Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.
Hîc mihi neſcio quod trepido malè numē amicū
Confuſam eripuit mentem: namque auia a curſu
Creuſa amittitur.
Dum ſequor, & nota excedo regione viarum,
Heu miſero conjux fato ne erepta Creüſa
Subſtitit, errauitne via, ſeu laſſa reſedit?
Incertum : nec pòſt oculis eſt reddita noſtris,
Nec priùs amiſſam reſpexi, animumue reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris, b ſedemque ſacratam,
Venimus : hîc demum collectis omnibus vna
Defuit, & comites, natumque, virumq; c fefellit.
Quem non incuſaui amens hominumq; Deorumq;
Aut quid in euerſa vidi crudelius vrbe?
Aſcaniū, Anchiſénque patrem, Teucróſq; Penates
Commendo ſociis, & curua valle recondo.
Ipſe vrbem repeto, & cingor fulgentibus d armis.
Stat caſus renouare omnes, omnémque reuerti
Per Troiam, & rurſus caput objectare periclis.
Principio muros, obſcuraque limina portæ,

*a* Dum hoſtium ingruentium vicinitate perterritus à via deflecto.

*b* Quò famulis meis condixeram, vt conuenirent.

*c* Qui ſperaueramus eam eſſe venturam.

*d* Sic inſaniebam præ dolore amiſſæ coniugis, vt parum eſſet ad priſtinum periculum redire, ſed ſumpſerim quoque arma fulgentia, quæ me in tenebris cateruis hoſtium proderent; potiùs quàm tutum, & defenſum præſtarent, ſumo ſcutum ſine quo exiueram.

*Quà greſſum extuleram, repeto: & veſtigia retro*
*Obſeruata a ſequor per noctem & limine* b *luſtro.* Æneas urbem repetit ad requirendam Creuſdm
*Horror vbique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.*
*Inde domum ſi fortè pedem ſi fortè tuliſſet, (bant.*
*Me refero, irruerant Danai, & tectũ omne tene-*
*Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento*
*Voluitur: excuperant flammæ, furit æſtus ad auras.*
*Procedo ad Priami ſedes arcemque reuiſo:*
*Et iam porticibus* c *vacuis Iunonis Aſylo*
*Cuſtoaes lecti Phœnix* d *& dirus Vlyſſes*
*Prædam aſſeruabant, huc vndique* e *Troia gaza*
*Incenſis erepta adytis, menſæque* f *Deorum,*
*Cratereſque auro ſolidi, captiuáque veſtis*
*Congeritur: pueri & pauidæ longo ordine matres*
*Stant circùm.*
*Auſus quin etiam voces* g *jactare per vmbram,*
*Impleui clamore vias mæſtúſque Creuſam*
*Nequicquam ingeminans, iterúmque, iterúmque*
*vocaui.*
*Quærenti, & tectis vrbis ſine fine furenti,*

a Eadem via regredior qua diſceſſeram, relegẽs mea veſtigia.
b Vel lunæ, vel incendij.
c Donatus. *Inuenio ſeruari iam prædam in porticibus vacuis, id eſt à bello immunibus.* Quæ porticus erant Iunoni dedicatæ, quod templum erat Aſylum Iunonis id eſt; locus inuiolabilis & ſacer, ad quod confugientibus, dari ſolet impunitas.
d Fuerat hic Achillis pædagogus.
e In hoc Aſylum congeruntur, & coaceruantur Troianorum diuitiæ ereptæ ex adytis ſiue penetralibus ardentibus. Gaza propriè theſaurum regum Perſarum ſignificat.
f Menſæ diis conſecratæ iuxta altaria.
g Quæ contrariæ erant latere cupienti.

*Creuſæ imago ei appar.t.*

*Infelix ſimulacrum,* a *atque ipſius vmbra Creuſæ*
*Viſa mihi ante oculos, & nota maior imago.*
*Obſtupui, ſteteruntq; coma, & vox faucibus hæſit.*
*Tum ſic affari & curas his demere dictis.*
*Quid tantum inſano* b *iuuat indulgere labori,*
*O dulcis coniux? non hæc ſine numine diuûm*
*Eueniunt, nec te hinc comitem aſportare Creüſam*
*Fas: haud ille ſinit ſuperi regnator Olympi.*
*Longa tibi exilia, & vaſtum maris æquor arandum.*

*Et prædicit regnum & nuptias Lauiniæ.*

*Ad terram Heſperiam venies: vbi Lydius* d *arua*
*Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.*
*Illic res lætæ, regnúmque & regia coniux*
*Parta tibi: lacrymas dilectæ pelle Creuſæ.*
*Non ego Myrmidonum ſedes, Dolopumue ſuperbas*
*Aſpiciam, aut Graiis ſeruitum matribus ibo.*

*a* Seruius. ***Per ſimulachrum apotheoſin oſtendit, quia ſimulacra deorum ſunt vmbræ inferorum.*** Qui autem in deos referebantur, etiam ſuas vmbras in inferis dicuntur habuiſſe, vt Homerus de Hercule fabulatur: fuit autem illud infelix ſimulacrum, quia infelici dolorem & mæſtitiam afferebat.

*b* Magno; vel ſine ratione ſuſcepto.

*c* Donatus. Erit tibi inquit, perueniendi ad Italiam labor immenſus & pelagi prolixa tranſmiſſio: ſed laboribus tuis læta ſuccedent.

*d* Vbi Tyberis è montibus Hetruriæ à Lydis habitatæ promanans, leni aquarum tractu inter terras fertiles & opimas elabitur. In Italia ſiue Heſperia expectat te iam parata felicitas; & regnum Latinorum, & coniux Lauinia filia Regis Latini. Quare noli flere meam abſentiam: non enim captiua abducar ad Theſſaliam Mirmydonum, aut Scyrum inſulam Dolopum ſedes, aut Græcis matronis famulabor: quod eſt plane indignum, cùm ſim à Dardano oriunda & nurus Veneris.

*Dardanis*, a *& diuæ Veneris nurus* b
*Sed me magna Deûm genitrix* c *his detinet oris:*
*Iamque vale, & nati ſerua* d *communis amorem.*
*Hæc vbi dicta dedit, lacrymantem, & multa volentem*
*Dicere deſeruit, tenueſque receſſit* e *in auras:*
*Ter conatus ibi collo dare brachia* f *circum:*
*Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,*
*Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.*
*Sic demum ſocios conſumpta nocte reuiſo:*
*Atque hîc ingentem comitum affluxiſſe nouorum,*
*Inuenio admirans numerum,* g *matréſque,* h *viróſque,*
*Collectam exilio pubem* i *miſerabile vulgus,*

**Æneas fruſtra Creuſam conatur amplecti**

*a* Laus à maioribus.
*b* Laus ab affinitate.
*c* Amphibologia vel enim ſenſus eſt. Sed me terra quæ eſt deorum mater me his oris detinet inhumatam: vel, ſed me Cybele Deorum moter, quæ in Phrygra colitur, in Idæos famularum ſuarum choros allegit, & me immortalitate donauit.
*d* Cùm tibi quæſiueris vxorem Lauiniam in Italia, & filio tuo nouercam, noli propterea priſtinum amorem, quo hactenus Aſcanium filium, qui tibi mecum communis eſt, proſecutus es, ex animo deponere.
*e* Euanuit. Videtur dici *dare circum* pro circundare: & eſſe hypallage pro, *Ter conatus ſum brachiis collum circundare*, & ceruices amplecti, ter ſum fruſtratus, manúſque meæ ſibi concurrerunt, cùm non eſſet medium corpus quod tenere poſſem, ſed imago quædam euanida, quæ inſtar venti aut ſomnij fugiebat, meque in mediis amplexibus deſerebat.
*g* Dares Phrygius numerat ter mille quadringentos.
*h* Matronas.
*i* Adoleſcentes, qui iam ad annos pubertatis peruenerant, pueros & puellas omittit, ſed facile poſſunt intelligi.

*Vndique conuenêre, animis,* a *opibúſque parati,*
*In quaſcunque velim pelago deducere terras.*
*Iamque iugis* b *ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,*
*Ducebátque diem: Danaique obſeſſa tenebant*
*Limina portarum, nec ſpes opis vlla dabatur:*
*Ceßi, & ſublato montem genitore petiui.*

*a* Illi ad me ſe ipſos & ſua omnia detulerunt, fortunáſque ſuas mihi commiſerunt, parati me ſequi quocúmque vellem eos deducere.

*b* Iam ſtella Lucifer diem antecedens, nobis Troianis ad radices montis Idæi conſtitutis, è iugis Idæ ſurgere videbatur. *Illinc enim*, ait, Seruius, *oriri, vel occidere putantur ſidera, vnde videri, vel incipiunt vel deſinunt.* Iam vt notat Pomponius Sabinus, *Cùm ſol in ariete eſt, tunc videtur oriri è cacumine Idæ montis, ergo & menſe Martio direpta fuit Troia.* Quod ſanè innui videtur initio lib. 3.

*—— Vix prima inceperat æſtas,*
*Et pater Anchiſes dare fatis vela iubebat.*

Quamuis Dionyſius Halicarnaſſeus aliter ſenſiſſe videatur, ſed non eſt præſentis operæ locum excutere. Vide noſtrum Petauium parte ſecunda de doctrina temporum. Quod ſpectat ad ſolis exortum ex Idæo monte, notatu dignum quod refert Pomponius Mela. lib. 1. *Ex ſummo vertice eius ſpeculantibus penè à media nocte ſparſi ignes paſſim micare, & vt lux appropinquat, ita coire ac ſe coniungere videntur, donec magis magiſque collecti, pauciores ſubinde, & vnà ad poſtremum flamma ardeant. Ea cùm diu clara & incendio ſimilis effulſit, cogit ſe ac rotundat, & fit ingens globus. Diu is quoque grandis, & terris adnexus apparet, deinde paulatim decreſcens, & quanto decreſcit, eo clarior fugat nouiſſimè noctem, & cum die iam ſol factus attollitur.* Lucret. l. 5.

*Quod genus Idæis fama eſt in montibus altis*
*Diſperſos ignes orienti lumine cerni,*
*Inque coire globum quaſi in vnum & conficere orbem.*

FINIS.

PVBLII

# VIR. MARONIS

## ÆNEIDOS

### LIBER III.

MODESTINI IVRISCONSVLTI in Tertium Æneidos Librum

*ARGVMENTVM.*

Poſt euerſa Phrygum regna, vt fuga cœpta moueri,
Vtque ſit in Thracem primo deuectus, ibique
Mœnia condiderit, Poly dori cæde piata
Regis & hoſpitium, & Phœbi reſponſa canebat.
Cœptum iter in Creten, rurſus noua fata reperta,
Naufragus vt fuerit Strophadas compulſus ad Vndas.
Inde fugam, atque iterum enarrat præcepta Celæno,
Liquerit vtque Helenum perceptis ordine fatis.
Supplicem Achæmenidem Polyphemo vrgente recepit,
Amiſſumque patrem Drepani, atque hic deinde quieuit.

*Poſtquam res Aſiæ,* a *Priamiq; euertere gentem*
*Immeritam viſum ſuperis, ceciditq; ſuperbum*
*Il.um, & omnis humo* b *fumat Neptunia* c *Troia:*

a Poſtquam placuit diis, vt euerteretur Imperium Troianum quod erat in Aſia minore.
b Troia cuius muros ipſe Neptunus fabricauerat, ita funditus exuſta eſt, vt ipſum Troiæ ſolum, ſiue humus eodem incendio conflagrarit, & deletis reliquiis terra peruſta copioſum fumum emiſerit 9. Æneidos.

*——An non viderunt mœnia Troiæ*
*Neptuni fabricata manu conſidere in ignes.*

c Dicuntur Neptunus & Apollo Troiana mœnia condidiſſe

*Circum errant acies, & nî mea cura reſiſtat,*
*Iam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit* a *enſis.*
*Non tibi Tyndaridis* b *facies inuiſa Lacænæ,*
Parid. n & Helenam excuſat Venus. *Culpatuſue Paris, verùm inclementia Diuûm*
*Has euertit opes, ſternitque à culmine Troiam:*
*Aſpice (namq; omnem,* c *quæ nunc abducta tuenti*
*Mortales hebetat viſus tibi, & humida circùm*
Oſtendit illi deos excidii Troiæ auctores *Caligat, nubem eripiam, tu ne qua parentis*
*Iuſſa time, neu præceptis parêre recuſa)*
*Hîc, vbi diſiectas* d *moles, auulſaque ſaxis*
*Saxa vides, miſtoq; vndantem* e *puluere fumum,*
*Neptunus muros,* f *magnóque emota tridenti*
*Fundamenta quatit, totámque à ſedibus vrbem*

*a* Sic alibi, *Per tunicam ſqualentem auro latus hauſit apertum* quaſi deglutierit, deuorarit. Sic Hebræi dicunt *in ore gladij percutere* Græci ἀφύειν. Homerus. Iliados 13.

ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσε
*Inteſtina hauſit gladius*

*b* Non eſt quod Helenæ Tyndari priuignæ, vxoris Menelai Regis Laconum ſiue Lacedæmoniorum: non eſt, inquam, quod Helenæ facies & pulchritudo tibi ſit inuiſa aut odioſa quaſi cauſſa fuerit Troiani incendij. Non eſt etiam quod in Paridem Alexandrum Helenæ raptorem culpam conuertas. Non enim illi excidio Troiano cauſſam attulerunt, ſed deorum crudelitas: qui voluerunt hanc vrbem euertere.

*c* Seruius. Ordo eſt, omnem tibi nubem eripiam quæ humida circum caligat, id eſt circa te offundit caliginem: & mortales habebat viſus intuenti. Tu autem noli timere, ſed aſpice confidenter. Non enim Deorum aſpectu cæcaberis, alioquin id tibi non ſuaderem, cùm ſim mater tua, ſi huiuſmodi periculum immineret.

*d* Laxis lapidum cõmiſſuris à ſe inuicem diuulſas & ſeparatas.

*e* Fumum vndatim ſe conuoluentem, qui ex incendio vrbis excitatur, mixto puluere qui oritur ex ædium ruinis.

*f* Neptunus & Apollo dicuntur muros Troianos condidiſſe. Quare merito dicitur eius fundamenta concutere: vocatur etiam ἐνοσίχθων & ἐννοσίγαιος terræ quaſſator. Iuno tente

*Eruit, hîc Iuno Scæas ſæuiſſima portas*
*Prima tenet, ſociúmque furens à nauibus agmen*
*Ferro accincta vocat.* Hortatur ad fugam.
*Iam ſummas arces Tritonia (reſpice) Pallas*
*Inſedit, Nimbo effulgens & Gorgone* a *ſæua:*
*Ipſe pater* b *Danais animos, vireſque ſecundas*
*Sufficit, ipſe Deos in Dardana ſuſcitat arma,*
*Eripe, nate, fugam* c *finémque impone labori,*
*Nuſquam abero,* d *& tutum patrio te limine ſiſtã.*
*Dixerat & ſpiſſis noctis ſe condidit* e *vmbris.*
*Apparent* f *diræ facies, inimicáque Troiæ*
*Numina magna Deûm.*
*Tum verò* g *omne mihi viſum conſidere in ignes*
*Ilium & ex imo verti Neptunia* h *Troia.*

Scæas portas per quas equus Troianus in vrbem inductus eſt. Minerua arces obtinet. *Pall s quas condidit arces, Ipſa colat* de Tritonidis appellatione dictum hoc libro. Verſu 171.

a Vide 8. Æneid. *Ipſamque in pectore diuæ Gorgona.*

b Ipſe Iupiter pater meus Græcis animos ſubminiſtrat, & vires ſecundas ſiue proſperas; quibus videlicet ipſe pugnę euentus obſecundat: cùm ne Troianis quidem deſinit vires, ſed nullum euentum proſperum ſortiuntur. Ipſe hortatur reliquos deos contra Troianorum arma.

c Raptim & feſtinanter in fugam te coniice.

d Tibi ſemper adero donec ſaluus & incolumis ad domum paternam perueneris.

e Suſtulit ſe ab Æneæ conſpectu notiſque tenebris ſe circumfudit, ita tamen vt ab Æneæ latere non diſcederet.

f Ego iuſſu matris aſpiciens video facies horribiles iratorum Deorum.

g Donatus. *Qua do non tantum G æcos, verùm etiam p tiores de s vidin ſtris ebus infeſtos, tunc magis probani illa quoque quæ ſupe erant eſſe peritura.* Ita Troiæ culmina apparuerunt conſterni, vt ignes conſidere viderentur. Ita fundamenta concuti: vt ex imo verti viderentur.

9. Æneidos. *An non viderunt mœnia Troiæ Neptuni fabricata manu conſidere in ignes.*

*Ac veluti* a *ſummis antiquam in montibus ornū*
*Cùm ferro acciſam, crebriſque bipennibus inſtant*
*Eruere agricolæ certatim, illa vſque minatur,*
*Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat,*
*Vulneribus donec paulatim euicta ſupremùm*
*Congemuit, traxitque iugis auulſa ruinam.*
*Deſcendo: ac ducente* b *Deo* c *flammam inter & hoſtes,*
*Expedior, dant tela locum flammæque recedunt.*
*Aſt vbi iam patriæ* d *peruentum ad limina ſedis,*
*Antiquáſq; domos: genitor, quem tollere* e *in altos*

*Æneas repetit domum paternum.*

*a* Comparat *antiquam ornum* cum antiqua Troia, illa *ferro acciſa*: Troia longo bello attenuata *agricolæ*. Græci ſunt, aut potiùs ipſi dij. Illa ornus minatur ruinam, & vſque, & tremefit, & nutat vertice concuſſo ita Neptunus vrbis *fundamenta quatit* & alij dij vrbem labefaciunt: ornus paulatim euincitur: Troiani aliquandiu reſtiterunt; ſunt tamen paulatim euicti, ornus labens ſupremum congemit, ictibus reſpondens ſuo ſonitu; Troia cadens reſonat mulierum & puerorum vlulatu, ornus traxit iugis ruinam: Troia cadens Phyrges, Myſos, Dardanos eadem ruina ſecum inuoluit.

*b* Legit Donatus. *Deſcendo abducente Deo* quaſi non deſcenſurus fuerit, & à pugna ſe ſubducturus, niſi Venere abſtrahente, & abducente, vimque faciente, vt ab armis diſcederet.

*c*. Deus pro Venere Dea, vt 7. Æneidos de Alecto.

*Nec dextræ erranti Deus abfuit*

Licinius Caluus à Pomponio Sabino citatus,

*Pollentémque Deum Venerem.*

hinc Cretenſes barbatam venerem coluerunt.

*d* Vides vbique paternæ domus, nuſquam propriæ fieri mentionem. Videtur ad Romuli legem alludere, qua lege patres in liberos omnimodam poteſtatem habuerunt: nec ſolum in bona, ſed etiam in vitam & libertatem liberorum habuerunt, adeovt liberos magiſtratibus etiam functós vendere poſſent, & eorum libertatem addicere.

*e* Quem ante alia omnia cupiebam à Troiæ ruinis ſubducere & ad montem Idam ad tuta deferre, negauit ſe velle viuere

*Optabam primùm montes, primumque petebam,*
*a Abnegat exciſa vitam producere Troia,*
*Exiliumque pati. Vos ô a quibus integer æui*
*Sanguis ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,*
*Vos agitate fugam.*
*Me, ſi cœlicolæ voluiſſent ducere vitam,*
*Has mihi ſeruaſſent ſedes: ſatis vna, b ſuperque*
*Vidimus excidia, & captæ ſuperauimus vrbi.*
*Sic, ô ſic poſitum c aſſati diſcedite corpus:*
*Ipſe manu d mortem inueniam, miſerebitur hoſtis,*
*Exuuiáſque petet: facilis iactura ſepulchri eſt.*
*Iam pridem inuiſus Diuis, & inutilis annos*

poſt excidium Troiæ, faciens comparationem præſentium & futurorum, meliúſque eſſe diſſerens in cineribus patriæ mori quam vitam in exilio & extra patrium ſolum diutius propagare.

a Donatus *Fugiant quibus offert iuuentus ſuffragium, & longum viuendi ſpatium ſpirans, qui laborem ferre non alienis adminiculis poſſunt.* Integer ſanguis iuuenum, qui ſenibus minuitur.

b Sufficere mihi debet quòd ſemel vidi Troiam euerſam ab Hercule, & ſuperſtes fui, ſuperuixique Troiæ ſemel captæ *ſatis ſuperque* eſt, ſufficit & pluſquam ſufficit.

c Nihil eſt cauſſæ cur me amplius inter viuos numeretis: iam enim nihil ſum aliud quàm ſpirans mortis ſimulacrum: quare cadauer iſtud, potiùs quàm hominem *ſic poſitum*, id eſt temere & vt caſus tulerit pedibus ad ianuam verſis de more collocatum poſtremâ ſalutatione allocuti diſcedite. Pomponius Sabinus. *Præſtate mihi funebre officium, & vbi affati eritis vltima illa verba quæ dici ſolent mortuis, diſcedite,* Vale, vale, vale, *ſunt vltima verba & inde* Ilicet *clamat ſacerdos,* ſic, id eſt temerè, tumultuarie Græcis αὔτως.

d Ego ipſe manu propria mortem mihi conſciſcam; aut hoſtium aliquis miſericordia motus, me interficiet vt doloribus & ærumnis meis finem imponat, aut ſaltem interimet eo fine vt me ſpoliet occiſum, & pro nihilo reputabo ſi fuero inſepultus.

*Vult patrem a lexitio liberare*

*Pater Vult cũ patria interire*

*Demoror:* a *ex quo me Diuûm pater, atque hominum rex*
*Fulminis afflauit ventis, & contigit igni:*
*Talia perſtabat memorans fixúſque manebat:*
*Nos contra effuſi* b *lacrymis: coniuxque Creuſa,*
*Aſcaniuſque, omniſque domus,* c *ne vertere ſecum*
*Cuncta pater fatoque vrgenti incumbere* d *vellet,*
*Abnegat, incœptoque, & ſedibus hæret in iiſdem,*
*Rurſus in arma feror, mortémque miſerrimus opto.*
*Æneas deflet patris obſtinationem.* *Nam quod conſiliũ, aut quæ iam fortuna dabatur?*
*Mene efferre pedem genitor te poſſe relicto*
*Speraſti; tantumque* e *nefas patrio excidit ore?*

a Seruius *Quaſi feſtinantes diu viuendo detineo.* Porro Anchiſem afflatum fulminis halitu & de cœlo tactum fuiſſe fabulantur, quod veneris coniugio ſe iactaret.

b Effuſi in lacrymas, ingentem vim lacrymarum vbertim profundentes.

c Omnis familia: omnes ſerui & ancillæ, hic Donatus. *Flebamus ne ille in eadẽ ſententia perdurans, cõſentire aduerſæ fortunæ, & ſe & omnes nos faceret interire. Ex illius igitur voluntate ſalutis omnium ſtatus ratioque pendebat: cum ipſo enim fuerat moriendum, quem dimittere non licebat, ſed ille quem fixum tenuerat vna ſententia, qui conſentiebat fatis noſtris in extrema vergentibus, voluntate ſua noſtra iuuabat aduerſa, non mei non nurus ſuæ Creuſæ, non nepotis* Aſcanij, *non omnium largiſſimis fletibus flexus in ea mentis obſtinatione permanſit, negauitque ſe velle viuere poſt excidium Troiæ.*

d Videtur ducta tranſlatio ab iis qui in gladium incumbunt vt ſibi mortem accerſant: quare *fato vrgenti incumbere*, eſt in ipſum fatum premens vltroque ad perniciem properans, tanquam in gladium ex aduerſa parte vibratum ſe iniicere, & immittere, & quodammodo ictum occupare.

e Donatus. *Potuitne tibi venire in mentem tam dirum tamque impium nefas? Potuiſti cogitare, quod abhorret à moribus meis? Potuiſti ore paterno promere quod me faceret parricidam?* eſſem enim parricida & immane nefas admitterem, ſi te relicto diſ-

*Si nihil ex* a *tanta ſuperis placet vrbe relinqui,*
*Et ſedet hoc animo, perituræque addere Troiæ*
*Teque, tuoſque iuuat, patet iſti ianua letho.*
*Iamq; aderit multo* b *Priami de ſanguine Pyrrhus*
*Natum ante ora patris,* c *patrem qui obtruncat ad aras:*
*Hoc ne erat alma parens, quòd me per tela, per ignes*
*Eripis? vt mediis, hoſtem in penetralibus, vtque*
*Aſcaniumque, patremque meum, iuxtáq; Creuſam*
*Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam?*
*Arma viri, ferte arma, vocat lux vltima victos,*
*Reddite me Danais, ſinite inſtaurata* d *reuiſam*
*Prælia: numquam omnes hodie moriemur inulti.*
*Hic ferro accingor rurſus clypeóque ſiniſtram* *Ad pugnam vult reuerti.*
*Inſertabam* e *aptans, meque extra tecta ferebam.*
*Ecce autem complexa pedes in limine coniux*
*Hærebat, paruumque patri* f *tendebat Iulum:*

*cederem.* Bene, inquit, Seruius, *excuſat patrem dicendo* excidit, *& ipſam obiurgationem temperat.*

a Si hoc ſuperis placuit, vt nullæ de magna vrbe reliquiæ ſupereſſent, idque & tu probas viſque Troiæ ruinis tuam tuorúmque necem adiicere, non deerit occaſio moriendi.

b Ex recenti cæde Priami, & ſanguinis effuſione, qua non ſolum Priamus, ſed etiam Polites Priami filius occiſus eſt, quo pacto quaſi bis ſanguinem fudit Priamus.

c His rebus merito terret Anchiſen, qui mortem propriam non timebat.

d Inſtar priorum certaminum renouata: permittite vt denuo pugnem, vt initio pugnare occœperam.

e Loris & vinculis inſertoriis clypeum ſiniſtræ religabam, & ſimul extra limen exibam, hoc enim properationis neceſſitas exigebat, vt non ſtans, ſed ambulans armarer.

f Donatus. Non dixit, *mihi*, ſed *patri*, vt ſi maritum non fleſteret precibus ſuis, patrium tamen moueret affectum.

*Si periturus abis, & nos rape in omnia* a *tecum:*
*Sin aliquam expertus ſumptis ſpem ponis in armis,*
*Hanc primùm tutare domum, cui* b *paruus Iulus?*
*Cui pater & coniux quodam tua dicta,* c *relinquor.*
*Creuſæ precatio* *Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,*
*Cùm ſubitum, dictúq; oritur mirabile monſtrum,*
*Ignis à vertice Iuli accenditur.* *Namque manus inter, mœſtorumque ora parentũ,*
*Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli*
*Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli*
*Lambere flamma comas, & circũ tempora paſci:*
*Nos pauidi* e *trepidare metu, crinemq; flagrantẽ*

a Pericula, exitia.

b Si tu à nobis diſceſſeris, cui filium, patrem, coniugem relinquos? quis nos in tam præſenti ſalutis periculo defendet.

c Et ſi dolor & deſperatio ſic animum tuum efferant, vt videaris omnem maritalem affectum exuiſſe, memento tamen prioris affectus, ego ſum illa Creüſa quam olim coniugem tuam nominabas.

d Dum ego & Creuſa coniux filium communem Aſcanium amplecteremur & oſcularemur, dolentes & mœſti quòd eum ſubitò cum parentibus interiturum eſſe putaremus, ecce ex improuiſo ignis inſtar apicis cuiuſdam acuminatus viſus eſt de ſummo capite filij noſtri lumen emittere & flamma circum pueri tempora ſic ſerpebat, vt paſci quodammodo videretur, inſtar pecudum quæ paſcentes circa ſe herbas carpunt. Libet hic Seruii verba exſcribere. *Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus ſacerdotes vtuntur, apicem, tutulum, galerum, ſed apicem pileum ſubtile, circa medium virga eminente: tutulum pileum lanatum metæ figura: galerum, pileum ex pelle hoſtiæ cæſæ eſt: apex propriè dicitur in ſummo Flaminis pileo virga lanata, hoc eſt in cuius extremitate modica lana eſt quòd primum conſtat apud Albam Aſcanium ſtatuiſſe, modò autem ſummitatem pilei intelligimus.*

e Hoc viſo prodigio, nos pauidi metu trepidauimus, flammam è crinibus excuſſimus, ignes illos diuinitus accenſos ac proinde ſacros & religioſos aquis fontanis extinximus.

a Theocritus

*Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.*
*At pater Anchiſes oculos* a *ad ſydera lætus*
*Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit:* Anchiſæ precatio.
*Iupiter omnipotens, precibus ſi flecteris vllis,*
*Aſpice nos; hoc tantùm:* b *&, ſi pietate meremur,*
*Da deinde auxiliũ pater, atq; hæc omina* c *firma.*
*Vix ea fatus erat ſenior: ſubitóque fragore*
*Intonuit læuum:* d *& de cœlo lapſa per vmbras* Tonitrua læua.
*Stella, facem ducens* e *multa cum luce cucurrit:*
*Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti,*
*Cernimus idæa* f *claram ſe condere ſyluâ,* Stella delabens.
*Signantémque vias, tum longo limite ſulcus*
*Dat lucem, & latè circùm loca ſulphure fumant.*

*a* Theocritus tamen & alij Anchiſen cæcum fuiſſe prodiderunt. *b* Hoc tantùm à te peto vt nos reſpicias: quia Deus eos iuuat quos reſpexerit, & ipſe diuinus aſpectus eſt auxilium. *c* Seruius *Secundum Romanum morem petit vt viſa firmentur, non enim vnum augurium vidiſſe ſufficit, niſi confirmetur ex ſimili. Nam ſi diſſimilia ſint poſteriora, ſoluuntur priora.* Silius lib. 4. *Adſis ò firméſque tuæ pater alitis omen.*

*d* Siniſtra fulmina & fulgura ſunt dextris auſpicatoria, qui enim auguria captant conuertunt ſe ad Orientem, & proinde Septentrionem à ſiniſtris habent, à dextris Meridiem; cùm autem polus Arcticus ſiue Septentrio polo Antarctico ſiue Auſtrali credatur eſſe præſtantior, & nobis ſemper appareat, inde meritò fulgura & tonitrua quæ à Septentrione & læua parte proueniunt auſpicatiora creduntur, vt ſcribit Dionyſius Halic. lib. 2. Adde quòd dij putantur vultus ſuos ad eos qui auguria captant, obuertere, & proinde ſolis occaſum ſpectare & à dextris Septentrionem habere: quare Septentrionalia fulgura à deorum dextris proueniunt, quæ ſunt ſiniſtra hominibus auguria captantibus.

*e* Cometa caudam luminoſam trahens inſtar facis ardentis.

*f* Ida mons vicinus Troianæ ciuitati.

*g* Scintillas ſpargentem & longo flammarum tramite notantem vias quas inſiſtere deberemus ad vitandum periculum;

*Tu genitor cape ſacra* a *manu, patrióſque Penates;*
*Me bello è tanto digreſſum,* b *& cæde recenti,*
*Attrectare nefas; donec me flumine viuo*
*Abluero.*

*Hæc fatus latos humeros, ſubjectáque colla* *Aeneas Anchiſem defert ceruicibus.*
*Veſte ſuper, fuluique inſternor pelle leonis,*
*Succedóque oneri:* c *dextræ ſe paruus Iulus*
*Implicuit,* d *ſequiturq; patrem non paſſibus æquis:*
*Ponè ſubit* e *coniux: ferimur per opaca locorum,*
*Et me, quem dudum non vlla injecta mouebant*
*Tela, neque aduerſo glomerati* f *ex agmine Graij,*
*Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis*
*Suſpenſũ, & pariter comitique* g *oneriq; timentẽ.*
*Iámque propinquabam portis, omnémq; videbar*

*a* Vel ſacra ſunt ipſi Penates, vel, ſi diſtiuguuntur, vittas pepla, vela quædam & alia eiuſmodi intelligit. Penates, vt ait Dionyſius Halicarnaſſeus Dij ſunt qui à Græcis θεοὶ πατρῷοι, γενέθλιοι κτήσιοι, μύχιοι ἕρκειοι, nominatur. Timæus dicebat nihil aliud eſſe quàm κηρύκια σιδηρᾶ, ϗ χαλκᾶ, ϗ κέραμον τρωϊκόν. *Caducea ferrea & ærea Troianamque teſtam fictilem.* Dionyſius lib. 1. dicit fuiſſe duos iuuenes haſtatos, habitu ſedentium admodum antiqui operis. Calliſtratus & Satyrus aiunt fuiſſe imagines Samothraciorum deorum.
*b* Donatus. *Docet homines Pœta, quomodo ſe purgent ſi cæde hominis, aut alio genere fuerint forcè polluti, ſimul etiã excuſat Æneam ne patrem ſuum ſuperfluis videretur onerare.*
*c* *Et non plebeios luctus teſta à cupreſſus.*
*d* Filius meus Aſcanius puerili timore perterritus ita ſe dextræ meæ applicuit & inhæſit, vt mea veſte ſe inuoluerit, vt faciunt puſiones cùm ſe gremio nutricum inuoluunt: neque tamen lateri poterat inhærere, ſed poſterior fuit.
*e* Retrò ſequitur coniux Creuſa.
*f* Confertim & glomeratim conglobati.
*g* *Comiti* Iulo dextræ meæ implicito, *oneri* Anchiſæ impoſito meis ceruicibus.

Quà greſſum extuleram, repeto : & veſtigia retro
Obſeruata a ſequor per noctem & limine b luſtro. Æneas vrbem repetit ad requirendam creuſam
Horror vbique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.
Inde domum ſi fortè pedem ſi fortè tuliſſet, (bant.
Me refero, irruerant Danai, & tectū omne tene-
Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Voluitur: excuperant flammæ, furit æſtus ad auras.
Procedo ad Priami ſedes arcemque reuiſo:
Et iam porticibus c vacuis Iunonis Aſylo
Cuſtodes lecti Phœnix d & dirus Vlyſſes
Prædam aſſeruabant, huc vndique e Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque f Deorum,
Crateréſque auro ſolidi, captiuáque veſtis
Congeritur: pueri & pauidæ longo ordine matres
Stant circùm.
Auſus quin etiam voces g jactare per vmbram,
Impleui clamore vias mæſtúſque Creuſam
Nequicquam ingeminans, iterúmque, iterúmque
vocaui.
Quærenti, & tectis vrbis ſine fine furenti,

a Eadem via regredior qua diſceſſeram, relegēs mea veſtigia.
b Vel lunæ, vel incendij.
c Donatus. *Inuenio ſeruari iam prædam in porticibus vacuis, id eſt à bello immunibus.* Quæ porticus erant Iunoni dedicatæ, quod templum erat Aſylum Iunonis id eſt; locus inuiolabilis & ſacer, ad quod confugientibus, dari ſolet impunitas.
d Fuerat hic Achillis pædagogus.
e In hoc Aſylum congeruntur, & coaceruantur Troianorum diuitiæ ereptæ ex adytis ſiue penetralibus ardentibus. Gaza propriè theſaurum regum Perſarum ſignificat.
f Menſæ diis conſecratæ iuxta altaria.
g Quæ contrariæ erant latere cupienti.

Creuſæ imago ei appar.t.

*Infelix ſimulacrum, a atque ipſius vmbra Creuſæ*
*Viſa mihi ante oculos, & nota maior imago.*
*Obſtupui, ſteteruntq; coma, & vox faucibus hæſit.*
*Tum ſic affari & curas his demere dictis.*
*Quid tantum inſano b iuuat indulgere labori,*
*O dulcis coniux? non hæc ſine numine diuûm*
*Eueniunt, nec te hinc comitem aſportare Creüſam*
*Fas: haud ille ſinit ſuperi regnator Olympi.*
*Longa tibi exilia, c & vaſtum maris æquor arandum.*

Et prædi.it regnum & nuptias Lauiniæ.

*Ad terram Heſperiam venies: vbi Lydius d arua*
*Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.*
*Illic res lætæ, regnúmque & regia coniux*
*Parta tibi: lacrymas dilectæ pelle Creuſæ.*
*Non ego Myrmidonum ſedes, Dolopumue ſuperbas*
*Aſpiciam, aut Graiis ſeruitum matribus ibo.*

a Seruius. *Per ſimulachrum apotheoſin oſtendit, quia ſimulacra deorum ſunt vmbræ inferorum.* Qui autem in deos referebantur, etiam ſuas vmbras in inferis dicuntur habuiſſe, vt Homerus de Hercule fabulatur: fuit autem illud infelix ſimulacrum, quia infelici dolorem & maſtitiam afferebat.

b Magno; vel ſine ratione ſuſcepto.

c Donatus. Erit tibi inquit, perueniendi ad Italiam labor immenſus & pelagi prolixa tranſmiſſio: ſed laboribus tuis læta ſuccedent.

d Vbi Tyberis è montibus Hetruriæ à Lydis habitatæ promanans, leni aquarum tractu inter terras fertiles & opimas elabitur. In Italia ſiue Heſperia expectat te iam parata felicitas; & regnum Latinorum, & coniux Lauinia filia Regis Latini. Quare noli flere meam abſentiam: non enim captiua abducar ad Theſſaliam Mirmydonum, aut Scyrum inſulam Dolopum ſedes, aut Græcis matronis famulabor: quod eſt plane indignum, cùm ſim à Dardano oriunda & nurus Veneris.

*Dardanis*, a *& diuæ Veneris nurus* b
*Sed me magna Deûm genitrix* c *his detinet oris:*
*Iamque vale, & nati ſerua* d *communis amorem.*
*Hæc vbi dicta dedit, lacrymantem, & multa volentem*
*Dicere deſeruit, tenueſque receſſit* e *in auras:*
*Ter conatus ibi collo dare brachia* f *circum:*
*Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,*
*Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.*
*Sic Demum ſocios conſumpta nocte reuiſo:*
*Atque hîc ingentem comitum affluxiſſe nouorum,*
*Inuenio admirans numerum,* g *matréſque,* h *viróſque,*
*Collectam exilio pubem* i *miſerabile vulgus,*

*Æneas fruſtra Creuſam conatur amplecti*

*a* Laus à maioribus,
*b* Laus ab affinitate.
*c* Amphibologia vel enim ſenſus eſt. Sed me terra quæ eſt deorum mater me his oris detinet inhumatam: vel, ſed me Cybele Deorum mater, quæ in Phrygra colitur, in Idæos famularum ſuarum choros allegit, & me immortalitate donauit.
*d* Cùm tibi quæſiueris vxorem Lauiniam in Italia, & filio tuo nouercam, noli propterea priſtinum amorem, quo hactenus Aſcanium filium, qui tibi mecum communis eſt, proſecutus es, ex animo deponere.
*e* Euanuit. Videtur dici *dare circum* pro circundare: & eſſe hypallage pro, *Ter conatus ſum brachiis collum circundare*, & ceruices amplecti, ter ſum fruſtratus, manúſque meæ ſibi concurrerunt, cùm non eſſet medium corpus quod tenere poſſem, ſed imago quædam euanida, quæ inſtar venti aut ſomnij fugiebat, meque in mediis amplexibus deſerebat.
*g* Dares Phrygius numerat ter mille quadringentos.
*h* Matronas.
*i* Adoleſcentes, qui iam ad annos pubertatis peruenerant, pueros & puellas omittit, ſed facile poſſunt intelligi.

*Vndique conuenêre, animis,* a *opibúſque parati,*
*In quaſcunque velim pelago deducere terras.*
*Iámque iugis* b *ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,*
*Ducebátque diem: Danaique obſeſſa tenebant*
*Limina portarum, nec ſpes opis vlla dabatur:*
*Ceſſi, & ſublato montem genitore petiui.*

a Illi ad me ſe ipſos & ſua omnia detulerunt, fortunáſque ſuas mihi commiſerunt, parati me ſequi quocúmque vellem eos deducere.

b Iam ſtella Lucifer diem antecedens, nobis Troianis ad radices montis Idæi conſtitutis, è iugis Idæ ſurgere videbatur. *Illinc enim*, ait, Seruius, *oriri, vel occidere putantur ſidera, vnde videri, vel incipiunt vel deſinunt.* Iam vt notat Pomponius Sabinus, *Cùm ſol in ariete eſt, tunc videtur oriri è cacumine Idæ montis, ergo & menſe Martio direpta fuit Troia.* Quod ſanè innui videtur initio lib. 3.

*—— Vix prima incœperat æſtas,*
*Et pater Anchiſes dare fatis vela iubebat.*

Quamuis Dionyſius Halicarnaſſeus aliter ſenſiſſe videatur, ſed non eſt præſentis operæ locum excutere. Vide noſtrum Petauium parte ſecunda de doctrina temporum. Quod ſpectat ad ſolis exortum ex Idæo monte, notatu dignum quod refert Pomponius Mela. lib. 1. *Ex ſummo vertice eius ſpeculantibus penè à media nocte ſparſi ignes paſſim micare, & vt lux appropinquat, ita coire ac ſe coniungere videntur, donec magis magiſque collecti, pauciores ſubinde, & vna ad poſtremum flamma ardeant. Ea cùm diu clara & incendio ſimilis effulſit, cogit ſe ac rotundat, & fit ingens globus. Diu is quoque grandis, & terris adnexus apparet, deinde paulatim decreſcens, & quanto decreſcit, eo clarior fugat nouiſſimè noctem, & cum die iam ſol factus attollitur.* Lucret. l. 5.

*Quod genus Idæis fama eſt in montibus altis*
*Diſperſos ignes orienti lumine cerni,*
*Inque coire globum quaſi in vnum & conficere orbem.*

FINIS.

PVBLII

# VIR. MARONIS ÆNEIDOS

## LIBER III.

### MODESTINI IVRISCONSVLTI in Tertium Æneidos Librum

### *ARGVMENTVM.*

Poſt euerſa Phrygum regna, vt fuga cœpta moueri,
Vtque ſit in Thracem primo deuectus, ibique
Mœnia condiderit, Poly dori cæde piata
Regis & hoſpitium, & Phœbi reſponſa canebat.
Cœptum iter in Creten, rurſus noua fata reperta,
Naufragus vt fuerit Strophadas compulſus ad Vndas.
Inde fugam, atque iterum enarrat præcepta Celæno,
Liquerit vtque Helenum perceptis ordine fatis.
Supplicem Achæmenidem Polyphemo vrgente recepit,
Amiſſumque patrem Drepani, atque hic deinde quieuit.

*Poſtquam res Aſiæ,* a *Priamiq; euertere gentem*
*Immeritam viſum ſuperis, ceciditq; ſuperbum*
*Il.um, & omnis humo* b *fumat Neptunia* c *Troia:*

a Poſtquam placuit diis, vt euerteretur Imperium Troianum quod erat in Aſia minore.

b Troia cuius muros ipſe Neptunus fabricauerat, ita funditus exuſta eſt, vt ipſum Troiæ ſolum, ſiue humus eodem incendio conflagrarit, & deletis reliquiis terra peruſta copioſum fumum emiſerit 9. Æneidos.

*——An non viderunt mœnia Troiæ*
*Neptuni fabricata manu conſidere in ignes.*

c Dicuntur Neptunus & Apollo Troiana mœnia condidiſſe

*Diuerſa exilia, & deſertas* a *quærere terras*
*Auguriis* b *agimur diuûm, claſſémque ſub ipſa* c
*Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ* d,
Troiani naues fabricãt *Incerti quò fata ferant,* e *vbi ſiſtere detur,*
*Contrahimúſque viros: vix prima incœperat æſtas,*
*Et pater Anchiſes dare fatis vela* g *iubebat,*
*Littora tum patriæ lacrymans, portúſque relinquo,*
Patri. m vel'n- quunt. *Et campos vbi Troia fuit: feror exul in altum*
*Cum ſôciis, natóque, penatibus, & magnis* h *Diis,*

quia Laomedon pecuniam horum Deorum ſacrificiis deſtinatum interuerterat, & ad vrbem mœnibus cingendam conuerterat. Proprie autem Ilium eſt vrbs: Troia, regio: Pergamus, arx.

*a* Vacuas cultoribus; Nam cùm adhuc eſſemus incerti, quò fata nos vocarent, vix audebamus ſperare ſedem in regionibus quas aliæ gentes occuparant,

*b* Variis portentis, vt flammâ innoxiâ in capite Aſcanij, ſtella facem ducente, dictis Creuſæ.

*c* Antandro vrbi Phrygiæ duo montes imminebant, alter dictus Alexandria vbi Paris Alexander, de Mineruę, Iunonis, & Veneris forma iudicauerat, & Venerem prætulerat reliquis duabus, alter dictus Aſpaneus τὸ ὑλοτόμιον τῆς ἰδαίας ὕλης: *Vbi cædebatur ex idæa ſylua materies*, vt auctor eſt Strabo li. 13. E quibus vides & cur Æneas eo potiſſimùm loco naues conſtruxerit, & cur addiderit *ipſâ* plane ἐμφατικῶς quaſi dicat vt bene notat noſter Ludouicus de la Cerda: claſſem ædificamus ſub Antandro, ſub ipſa, inquam, Antandro quæ nobis parens extitit calamitatis & initium doloris propter iudicium Paridis. *d* Ad diſtinctionem; fuit enim & Ida Cretenſis.

*e* Atqui Creuſa conceptis verbis prædixerat fore vt Æneas ad Italiam perueniret: incerti tamen erant, vt videtur, quia alia reſponſa Deorum acceperant ambigua, & quæ viderentur ſibi ipſis eſſe contraria.

*f* Conſcribimus nouos milites ad augendum numerum eorum qui primo affluxerant quater mille quingenti.

*g* Iubebat Anchiſes vt fatis & voluntati Deorum vela committeremus quamuis incerti quis curſus teneretur.

*h* Vel Panates & Magni Dij ſunt iidem. Vel magnos Deos

*Terra procul vaſtis colitur Mauortia* a *campis,*
*Thraces arant, acri* b *quodam regnata Licurgo,*
*Hoſpitium* c *antiquum Troiæ, ſocijque penates,* *Perueniunt in Tracia & vrbē ædificant.*
*Dum fortuna fuit: feror huc, & littore curuo*
*Mœnia prima* d *loco, fatis ingreſſus iniquis,*
*Æneadáſque meo nomen de nomine fingo.*
*Sacra Dionææ matri, diuiſque* f *ferebam* *Aeneas] matri*
*Auſpicibus cœptorum operum: ſuperoq;* g *nitentem*
*Cælicolûm regi mactabam in littore taurum.*
*Forte fuit iuxtà tumulus, quo cornea ſummo*
*Virgulta, & denſis haſtilibus* h *horrida myrtus,* *Veneri ſacrificat.*

intelligit illos præcipuos de quibus Ennius.

*Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars.*
*Mercurius, Ioui, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

a Marti dicata. Mars enim in Thracia colebatur, & putabatur Geticis aruis præſidere.

b Qui Bacchas flagellis acerrime cecidit; ipſum Bacchum conatus eſt occidere: & cùm vites propria manu ſucciderет, furore inſtinctus ſibi ipſi crura ſuccidit.

c Vetuſta ſocietate & hoſpitio coniuncti erant Thraces cum Troianis, quandiu res Troianæ floruerunt.

d Dionyſus Halicarnaſſeus lib. 1. καὶ πόλιν αἰνείαν ἔκτισαι. *& vrbem Æniam condiderunt.* Ita etiam appellat Liuius lib. 40. Plinius & alij Ænum maluerunt.

e Veneri quam alij è ſpuma maris ortam, alij Iouis & Diones filiam fuiſſe fabulantur, alij duas Veneres fuiſſe dicunt alteram πάνδημον id eſt popularem, Diones filiam, alteram οὐρανίαν ſiue cœleſtem, natam è ſanguine cœli in mare defluentis.

f Seruius. *Ioui qui auctor Deus eſt; Apollini propter anguria, Liberi propter libertatem.*

g Candidum taurum Ioui ſacrificabam; contra ritum vt notant Seruius & Macrobius, nam, vt ait Atteius Capito *Ioui tauro, Verre, ariete immolari non licet.* Sed Æneas ſacrificio non litauit, vt ſequentibus verbis oſtenditur.

h Myrtus inhorreſcens denſis ramis aptis ad facienda haſtilia vel oblongis inſtar haſtilium. Myrtus autem Veneri ſacra vnde & myrto Veneris aras volebat inumbrare.

Ramos colligit.

*Acceſſi viridémque ab humo conuellere ſyluam*
*Conatus, ramis tegerem vt frondentibus aras:*
*Horrendum, & dictu video mirabile monſtrum:*
*Nam, quæ prima ſolo ruptis radicibus arbos*
*Vellitur, huic atro liquuntur* a *ſanguine guttæ,*

Sanguis manat.

*Et terram tabo maculant: mihi frigidus horror*
*Membra quatit* b *gelidúſq; coit formidine ſanguis.*
*Rurſus & alterius* c *lentum conuellere vimen*
*Inſequor, & cauſas penitus tentare latenteis:*
*Ater & alterius ſequitur de cortice ſanguis,*
*Multa mouens animo* d, *Nymphas venerabar agreſtes,*
*Gradiuúmq; patrem, Geticis* e *qui præſidet aruis,*
*Ritè ſecundarent viſus,* f *oménque leuarent,*
*Tertia, ſed poſtquàm maiore haſtilia* g *nixu*
*Aggredior, genibúſque aduerſæ obluctor arenæ:*
*(Eloquar, an ſileam?) gemitus lacrymabilis imo*

*a* Ex illo ramo diſtillant guttæ atri cruoris, & terram maculant ſanie ſiue ſanguine corrupto.

*b* Totis artubus contremiſco, & omnis ſanguis præ formidine vnum in locum confluit, & circa cor meum conglobatur.

*c* Rurſus inſto alterius arboris flexilem ramum conuellere, & perſcrutari penitúſque rimari cauſſas illius cruoris, quæ me latebant.

*d* Reputans apud me ne fortè offendiſſem Nymphas, aut Martem ipſum, eos Deos venerabar, eóſque obſecrabam ne ob eam cauſſam mihi eſſent offenſi. *Gradiuus* dicitur quaſi gradiens & exiliens in prælia, vel quaſi grauis Deus.

*e* Thraciis. Nam Thraciæ partem olim Getæ tenuerunt, auctore Thucydide.

*f* Vt proſpera facerent viſa, & omen illud in bonum conuerterent.

*g* Frutices myrteos, qui ex iaculis in eum locum coniectis in arbores excreuerant.

*Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures.*
*Quid miſerũ Ænea laceras? iam parce ſepulto:*
*Parce pias ſcelerare manus* a *: non me tibi Troia*
*Externum tulit* b*: haud cruor hic de ſtipite manat.* Vox auditur è tumulo.
*Heu fuge crudeles terras* c*, fuge littus auarum,*
*Nam Polydorus ego: hîc confixum ferrea texit*
*Telorum ſeges, & iaculis increuit* d *acutis.*
*Tùm verò ancipiti mentem formidine preſſus*
*Obſtupui, ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit.*
*Hunc Polydorũ auri quondam cum pondere magno*
*Infelix Priamus, furtim mandarat alendum*
*Threicio regi,* e *cùm iam diffideret armis* Polydorus.
*Dardaniæ, cingique vrbem obſidione videret.*
*Ille vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna receſsit,*
*Res Agamemnonias, victriciáque arma ſecutus,*
*Fas omne abrumpit* f *: Polydorum obtruncat, & auro*
*Vi potitur: quid non mortalia pectora cogis*
*Auri ſacra* g *fames? Poſtquàm pauor oſſa reliquit,*
*Delectos populi ad proceres, primumque parentem*

*a* Tu qui adeò pius es vt, & Deos Penates tecum abſtuleris & patrem tuis ceruicibus impoſitum è Troiano incendio liberaris; noli manus tuas meo ſanguine contaminare.
*b* Ordo eſt: Me Troia tulit & genuit; non externum tibi, ſed cognatum & propinquum.
*c* Terras ab hominibus crudelibus, & auaris habitatas.
*d* Reuiruit.
*e* Polymneſtori Regi Thraciæ genero Priami Ilionæ marito Omnia affinitatis & hoſpitij iura violat.
*f* Dira, deteſtanda, execrãda pecuniarum cupiditas: vel diis, inferis deuota & conſecrata; tanquam victima piacularis.
*g* Vide in Piſonem parag. 16. & 85.

*Monſtra Deûm refero, & quæ ſit ſententia poſco:*
*Omnibus idem animus ſcelerata excedere terra,*
*Linquere pollutum hoſpitium, & dare claſſibus* a *Auſtros.*
*Ergo inſtauramus* b *Polydoro funus: & ingens*
*Aggeritur tumulo tellus* c *: ſtant manibus* d *aræ*
*Cæruleis mæſtæ vittis* e*, atráque cupreſſo* f*:*
*Et circum Iliades crinem de more* g *ſolutæ.*
*Inferimus tepido ſpumantia cymbia* h *lacte,*
*Sanguinis & ſacri* i *pateras: animámq; ſepulchro*

*a* Hypallage pro claſſem ventis committere, & adſpirante auſtro nauigare.

*b* Polydori ſepulchrum renouamus, quod ego imprudens deieceram.

*c* Seruius id ab Ænea factum fuiſſe dicit, *vt oſtenderet verum tumulum ne forte aliquis alius illud errore violaret.*

*d* Eriguntur aræ Manibus, qui nam autem ſint Manes fuſe dicitur ad parag. 14. Vatinianæ, Not. 8.

*e* Seruius. *Cato ait depoſita veſte purpurea, fœminas vſas cerulea cùm lugerent, &c. Vittæ autem cæruleæ in acerbo funere præcipuè filiorum familias adhiberi ſolebant*, & ideò adhibitæ in funere Polydori: eam ob rem Theocritus in Epitaphio Adonidis Venerem Cyanea ſtola indutam, ad lugendam eius mortem inuitat. Aras autem & ſepulchra vittis reuinciebant, vt lib. 4. de templo id eſt ſepulchra, Sichæi. *Velleribus niueis & feſta fronde reuinctum.*

*f* Seruius *Inferis conſecrata eſt, quia cæſa nunquam reuiréſcit, &c. Moris autem Romæ fuerat, ramum cupreſſi ante domum funeſtã poni, ne quiſquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingreſſus.* Solebat in nobilium funeribus adhiberi Lucanus lib. 3.

Et non plebeios luctus teſtatâ cupreſſus.

*g* Troianæ mulieres erant circa tumulum Polydori crinibus ſolutis & paſſis de more gentis tot luctibus aſſuetæ aut ſimpliciter de more plangentium.

*h* Vaſa habentia figuram cymbarum vernacule *des gondoles.* lac tepidum eſt nouum & recens expreſſum.

*i* Sanguinis victimarum quæ fuerant ad tumulum immolatæ. Putabant autem mortuorum animas ſiue manes ſangui-

*Condimus* a, *& magna ſupremum voce ciemus* b.
*Inde vbi prima fides* c *pelago, placatáque venti*
*Dant maria, & lenis crepitans vocat Auſter in altum,*
*Deducunt ſocij naues* d, *& littora complent* e
*Prouehimur portu, terræque vrbéſque recedunt* f. Thracia relinquunt.
*Sacra* g *mari colitur medio gratiſſima tellus*
*Nereidum matri, & Neptuno Ægæo:*
*Quam pius Arcitenens* h *oras, & littora circum*
*Errantem Mycone celſa, Gyaroque reuinxit:* Delos.

ne delectari, vt eo guſtato veſcerentur. Vide Homerum in νεκρομαντεία

*a* Per ſepulchrum, ſiue ſepeliendo corpus Polydori, facimus vt eius anima trãſnatet ſtygiam paludem, & quaſi recondenda in interioribus inferis recipiatur à Charonre qui priùs eam à ſua cymba ſubmouebat: quia prohibetur inſepultorum animas tranſmittere. Vide 6. Æneidos à verſu 326.

*b* His verbis. *Salue æternum Polydore, æternum que vale*, tertio repetitis. Vide 11. Æneid. verſu 97.

*c* Cùm primùm potuimus ſecure nauigare, mari vitam noſtram concredere.

*d* Naues à portu in mare machinis quibuſdam trahunt & promouent: cui contrarium eſt *ſubducere* id eſt è mari in portum appellere.

*e* Non nauibus: eas enim à littore deduxerant, ſed ſua ipſorum multitudine ad portum affluente, vt inde pontibus quibuſdam naues conſcenderent.

*f* Videntur recedere, cùm reuera non illæ, ſed nos ipſi recedamus.

*g* Deſcribit Delon inſulam, maris Ægæi, natalem Apollinis eique ſacram. Thetys ſiue Doris mater quinquaginta Nereidum, ex patre Nereo.

*h* Apollo quem Homerus paſſim ἑκήβολον ἑκατήβολον *longè iaculantem*, ἀργυρότοξον *argenteo arcu inſtructum* appellat *Pius*, quia Delon patriam ſuam priùs errantem, & temere fluctuantem ſtabiliuit, & duabus vicinis inſulis in eodem Ægæo mari poſitis Mycone, & Gyaro religauit, ne ampliùs fluctuaret.

*Immotámque coli dedit, & contemnere ventos.*
*Huc feror, hæc feſſos tuto placidiſſima portu*
*Accipit: egreſſi veneramur Apollinis vrbem* a
*Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; ſacerdos*
*Vittis* b, *& ſacra redimitus tempora lauro*
*Occurrit, veterem Anchiſen agnoſcit amicum,*
*Iungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.*
*Templa Dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto:*
*Da propriam Tymbræe* c *domum, da mœnia feſſis,*
*Et genus, & manſuram vrbem, ſerua altera Troiæ*
*Pergama, relliquias Danaũ, atq; immitis Achillis,*
*Quem ſequimur? quóue ire iubes? vbi ponere ſedes?*
*Da pater auguriũ* d *atq; animis illabere* e *noſtris.*
*Vix ea fatus eram, tremere omnia viſa repentè,*
*Limináque, laurúſque Dei* f, *totúſque moueri*

*Æneas Apollinem inuocat.*

*a* Delon. Apollinis natalem, & ei conſecratam.
*b* Vittati Sacerdotes vt iam videmus libro. 2. adde Ouidium, *Euinctus vitta crines albente ſacerdos:* & noſtrum lib. 10. *Triuiæque ſacerdos. Infula cui ſacra redimibat tempora vitta:* vitta igitur fuit redimitus, vt ſacerdos lauro, vt Apollinis ſacerdos, ea enim arbor eſt Apollini dedicata.
*c* Tymbra locus agri Troiani Apollini dicatus, à quo maluit Apollinem quàm à Delo ipſa nominare: quaſi dicat. Tu Phœbe qui patrius es nobis Deus, cui apud Tymbræum noſtrę ditionis locum templum ereximus, vt precibus & donis perpetua religione colereris, da nobis domum propriam ſiue perpetuò manſuram, &c.
*d* Oraculum eſt catachreſis.
*e* Seruius. *Quia Apollinis reſponſa ſemper obſcura ſunt: vera tamen; vnde intelligentia oraculum poſtulat.*
*f* Laurus Apollini dicata. In templis Apollinis iuxta aras videtur fuiſſe laurus, vnde oracula promerentur, Lucretius.

*Pythia quæ tripode ex Phœbo lauroque profatur.*

Audiendus hoc loco Seruius Danielis. *Hoc augurium iuxta*

*auguralem*

*Mons a circum, & mugire adytis cortina* b *reclusis.*
*Submiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures:*
*Dardanidæ* c *duri* d, *quæ vos a ſtirpe parentum*
*Prima tulit tellus, eadem vos vbere* e *læto*
*Accipiet reduces, antiquam exquirite matrem* f *Apollinis oraculum.*
*Hic* g *domus Æneæ cunctis dominabitur oris,*
*Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.*
*Hæc Phœbus mixtoque ingens exorta tumultu*
*Lætitia, & cuncti quæ ſint ea mœnia, quærunt:*
*Quò Phœbus vocet erranteis, iubeatque reuerti.*

*auguralem diſciplinam dictum eſt, quod appellatur tripudium ſoninium id eſt à Sono, ad quod pertinet, arbor ſponte radicibus cadat, ſi terra tremat, &c.*

a Cynthus vndo Cynthius Apollo.

b Penetralibus apertis viſa eſt cortina mugitum edere propter magnitudinem vocis qua reddebatur oraculum. Cortina fuit vel ipſe tripus cui inſidebat Pythia, vel potiùs quoddam tripodis operculum, ſiue potiùs vmbraculum, inſtar earum vmbellarum, quæ lectis aut carrucis impoſitę vulgo *imperiales* nominantur, aut etiam *cæli*, quòd tholus vmbellæ cælum videatur imitari: vnde vice verſa & Varro l. 6. de lingua Latina exponens neſcio quem antiquum poëtam *Caua cortina*, inquit *dicta, quod eſt inter terram & cælum, ad ſimilitudinem cortinæ Apollinis: ea à corde, quòd inde ſortes primùm æſtimatæ.* Quemadmodum autem Pythia & cur tripodi inſideret dictum in notis ad Sextianam parag. 23. Nota. 3.

c Dardanidas vocat, non Teucridas, vt indicet petendam eſſe Italiam, vnde profectus Dardanus in Phrygiam peruenerat.

d Vel laborioſi, vel duro ingenio, quippe qui intellecturi non fuerant oraculum.

e Fœcunditas terræ ſignificatur, per quam homines frugum copiâ, vt infantes & beſtiolæ matrum vberibus lacte tumentibus aluntur.

f Terram, ex qua maiores veſtri profecti ſunt, & veſtrum genus tanquam à ſtirpe propagatum eſt.

g In illa regione vnde maiores veſtri venerunt.

*Hinc mater cultrix Cybele* a, *Corybantiáq;* b *æra,*
*Idæumque nemus* c, *hinc fida ſilentia* d *ſacris,*
*Et iuncti currum dominæ ſubiere leones.*
*Ergo agite, & Diuûm ducunt quà iuſſa ſequamur:*
*Placemus ventos, & Gnoſſia* e *regna petamus:*
*Nec longo diſtant curſu (modò Iuppiter adſit)*
*Tertia lux claſſem Cretæis* f *ſiſtet in oris.*
*Sic fatus meritos aris mactauit honores:*
*Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo,*
*Nigrã Hyemi pecudẽ* g, *Zephyris felicibus albam.*

Ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον πολυπιδάκου Ἴδης.
*Irriguæ ſed adhuc habitabant vallibus Ideæ*

*a* Ex inſula Creta venit in Phrygiam: regio Magnæ Matris Deorum Cybeles, quæ in Idæo monte creditur habitare: ideo cultrix tanquam Idæ incola nominatur. Seruius legit *Cultrix Cybeli*, aitque Cybelum eſſe Prhygiæ montem, à quo Cybele nomen acceperit.

*b* Saturnus cùm in fatis eſſe ſciret, vt à filiis regno pelleretur filios in lucem editos deuorabat: Rhea coniux (quæ & Ops & Cybele vocatur, Iouem ſubtraxit, & pro eo lapidem vorandum Saturno exhibuit: iuſſitque vt Corybantes, Dactyli & Curetes circa Iouis cunas ſaltitarent, clypeos colliderent, cymbalis, & tympanis perſonarent, ne audiretur vagitus infantis; hinc Pyrrhica ſaltatio: hinc etiam in ſacris Cybeles cymbala, aliáque id genus ærea Corybantum crepitacula tinniebant. Minutius Felix. *Quæ Iouis ſacra ſunt, nutrix capella eſt & auidus patri ſubtrahitur infans, ne voretur: & Corybantum cymbalis ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.*

*c* Ex Ida monte Cretenſi Ida mons Phrygiæ nomen accepit.

*d* Ex Creta mons in Phrygiam peruenit, vt ſummo ſilentio celebrarentur Magnæ Matris myſteria, quæ his ſacris initiati tam fideliter tegunt, vt nefas putent ea profanis reuelare. De leonibus vide 10. Æneidos verſu 157.

*e* Cretenſia, à Gnoſſo ciuitate.

*f* Poſt tertium diem in Cretenſe littus anchoram iaciemus.

*g* Diis inferis aut infelicibus immolabant nigras victimas ne nocerent. Superis aut felicibus, albas, vt iuuarent.

*Fama volat pulſum regnis ceſsiſſe paternis*
Deferunt inſulam Delon. *Idomenea ducem, a deſertaque littora Cretæ,*
*Hoſte vacare domos, ſedéſque adſtare relictas.*
*Linquimus Ortygiæ b portus, pelagoque volamus,*
*Bacchatámque iugis Naxon c viridémque d Donyſam,*
*Olearon, niueámque e Paron, ſparſaſque per æquor*
*Cycladas, f & crebris legimus freta concita g terris.*
*Nauticus exoritur vario certamine clamor h:*
*Hortantur ſocij Cretam, proauoſque petamus.*
Cretam perueniunt. *Proſequitur i ſurgens à puppi ventus euntes.*

*a* Idomeneus à ſuis expulſus, quòd cùm in tempeſtate vouiſſet ſe ſacrificaturum, quod primum occurriſſet, filium qui primus occurrit, vel immolauit, vel voluit immolare; vnde peſtilentia exorta eſt.

*b* Vt Delos primo Ortygia diceretur factum à coturnice quæ Græcè ὄρτυξ dicitur.

*c* Euphorion auctor eſt dictã Naxon ἀπὸ τοῦ νάξαι, id eſt bacchari, quò fortaſſe Virg. alluſerit. Seruius interpretatur: *aut vitibus conſitam, aut celebratam à Bacchis, aut vbi Bacchus ex Indis aut vt alii volunt, poſt deuictos gigantes, egit triumphum.*

*d* Vel à colore marmoris, vel hederis abundantem, vel nemoroſam.

*e* Multis candidi marmoris lapidicinis opulentam. 1. Æneid.
*Argentum, parjuſue lapis circundatur auro.*

*f* Cyclades *circa Delum in orbem ſitæ, vnde & nomen traxere* inquit Plinius ἀπὸ τοῦ κύκλου vel vt maluit Seruius, *quod longè ordine eas circuire neceſſe eſt* Sparſas, ait, quia ab aliquibus etiam σποράδες uominantur.

*g* Alij legunt *conſita*, quaſi mare illis inſulis conſeratur: alij *concita*: quia freta tot inſulis interiecta crebris vndarum in ſe reciprocantium æſtibus concitantur, *legere* autem freta, eſt præterire.

*h* Nautarum è portu ſoluentium ſéque inuicem hortantium clamor κέλευσμα vocatur.

*i* Ventis obſecundantibus, & à poſteriori nauis parte proſequentibus vela complentur.

*Et tandem a antiquis Curetum allabimur oris.*
*Ergo auidus muros optatæ molior vrbis,* Vrbem condunt.
*Pergameámq; voco: & lætam cognomine gentem*
*Hortor amare focos* b, *arcémque attollere tectis.*
*Iámque ferè* c *ſicco ſubductæ littore puppes,*
*Connubiis, aruiſque nouis operata iuuentus:*
*Iura, domoſq;* d *dabam, ſubito cùm tabida mẽbris* Graſſatur peſtis
*Corrupto cœli tractu, miſerandáque venit*
*Arboribúſque, ſatiſque lues, & lethifer annus.*
*Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant*
*Corpora* e; *tum ſteriles exurere Sirius agros:*
*Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.*
*Rurſus ad oraclũ Ortygiæ* f, *Phœbúmq; remenſo*
*Hortatur pater ire mari, veniámque precari:*
*Quem feſſis finem rebus ferat: vnde laborum*
*Tentare auxilium iubeat: quò vertere curſus.*
*Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat,*
*Effigies ſacræ Diuûm, Phrygiique penates,*
*Quos mecum à Troia, mediiſque ex ignibus vrbis*

a Secunda admodum tranquilláque nauigatione peruenimus ad Cretam, non quidem diu, ſed tamen ita multis votis expetitam vt vna dies anno longior eſſe videretur.
b Hortor vt domos conſtruant (vbi foci lareſque familiares) & arcem domibus ſuperimponant.
c Iamque ferè omnes naues erant in ſiccum littus ſubductæ, cùm iuuentus ſacris cœpit operari, vt propitiatis ante Diis agros coleret & connubia celebraret: *operari* ſiue *facere* τὸ ῥέζειν eſt ſacrificare. Horat. *Audiat iuſtis operata diuis.* Virg. 1. Georg.

*Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis.*

d Dicebam quo iure eſſe deberet, & ſpatium ædificandi, habita cuiuſque ratione, ſingulis aſſignabam.
e Canicula ſiue Procyon agros exurens, eos ſteriles faciebat.
f Oraculum Delij Apollinis.

Dii penates in ſomnis monent Æneam petendã eſſe Italiam.

*Extuleram, viſi ante oculos aſtare iacentis*
*In ſomnis, multo manifeſti lumine, quà ſe*
*Plena per inſertas* a *fundebat Luna feneſtras:*
*Tum ſic affari, & curas his demere dictis.*
*Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo eſt,*
*Hic canit: & tua nos, en vltro ad limina mittit,*
*Nos te Dardania incenſa, tuaque arma ſecuti:*
*Nos tumidum* b *ſub te permenſi claſſibus æquor,*
*Iidem* c *venturos tollemus in aſtra nepotes,*
*Imperiumque vrbi* d *dabimus: tu mœnia magnis*
*Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.*
*Mutandæ ſedes: non hæc tibi littora ſuaſit*
*Delius, aut Cretæ iuſſit conſidere Apollo.*
*Eſt locus, Heſperiam* e *Graii cognomine dicunt,*
*Terra antiqua potens armis, atque vbere glebæ,*
*Oenotrii coluère viri, nunc fama, minores*
*Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem:*
*Hæ nobis propriæ ſedes, hinc* f *Dardanus ortus,*

*a* Per feneſtras inſertis lunæ radiis traiectas & penetratas: quo ſenſu Lucretius lib. 2.

*Contemplator item cùm ſolis lumina, cùmque*
*Inſertim fundunt radios per opaca domorum:*

quo ſenſu feneſtras diſſectas appellat Martianus, de aurora,

*Surgens feneſtras diſſecaret lumine.*

*b* Vndis tumeſcentibus procelloſum.

*c* Nos iidem qui te ſumus ſecuti.

*d* Vrbi Romæ quæ à poſteris tuis condetur, dabimus imperium orbis vniuerſi.

*e* Horum quatuor verſuum explicationem quære libro 1. verſu 534.

*f* Ex Coryto vrbe Herturiæ, orti ſunt Dardanus & Iaſius ex Electra matre, à quo Dardano principe genus Troianorum eſt propagatum: quare præſtat verba *Iaſiúſque pater* parentheſi includere.

*( Iaſiuſque pater ) genus a quo principe noſtrum.*
*Surge age & hæc lætus longæuo dicta parenti*
*Haud dubitanda refer : Coritum* a *terráſque require*
*Auſonias : Dictæa* b *negat tibi Iuppiter arua.*
*Talibus attonitus viſis, ac voce Deorum.*
*( Nec ſopor illud erat, ſed coram agnoſcere vultus,*
*Velatáſque comas* c, *præſentiáque ora videbar:*
*Tum gelidus toto manabat corpore ſudor)*
*Corripio è ſtratis corpus, tendóque ſupinas*
*Ad cælum cùm voce manus, & munera* d *libo*
*Intemerata focis : perfecto lætus honore*
*Anchiſen facio certum, rémque ordine pando.*
*Agnouit prolem ambiguam, geminóſque parentes,*
*Séque nouo veterum deceptum errore locorum.*
*Tum memorat : Nate Iliacis exercite fatis,*
*Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.*
*Nunc repeto hæc generi portendere debita noſtro,*

a Vrbem, vel vt alij malunt, montem Hetruriæ.
b Cretenſi à Dictæo monte Cretenſi.
c Vittis ſiue teniis & infulis redimitas. Vittæ enim fuerunt Deorum, ſacerdotum, hoſtiarum Senſus igitur eſt. Nec fuit illud ſomni vanum ludibrium, ſed reuera mihi viſi ſunt dij, cum infulis & vittis, & vt Donatus interpretatur. Non pleno ſomno hæc videbam: ſed cùm nec plenè vigilarem, nec plenè dormirem. Accedebat eò quòd ſic venerant manifeſti, vt dubitatio nulla poſſet exiſtere.
d Munera ſunt vinum & thus, mola ſalſa, quæ focis inferebant, libare eſt infundere. *Temerare*, autem, vt ſcribit Paulus ex Feſto eſt, *violare ſacra & contaminare, dictum videlicet à temeritate*, Munera igitur intemerata, ſunt ſacrificia ritè perfecta & abſoluta, *vt ſi leniter fundendum vinum eſt*, inquit Seruius, *aut mola inijcienda, ſic fiant, vt ratio exigit ſacrificii : aliter ſi fiant, temerata & turbata ſunt ſacra.*

*Et ſæpe Heſperiam, ſæpe Itala regna vocare.*
*Sed quis ad Heſperiæ venturos littora Teucros*
*Crederet* a? *aut quem tum vates Caſſādra moueret?*
*Cedamus Phœbo, & moniti meliora ſequamur.*
*Sic ait: & cunctis dictis paremus ouantes* b
*Hanc quoq;* c *deſerimus ſedem: pauciſque relictis*
*Vela damus, vaſtúq; caua* d *trabe currimus æquor.*
*Poſtquàm altū tenuêre rates, nec iam amplius vllæ*
*Apparent terræ, cælum vndiq; & vndiq; pontus,*
*Tum mihi cæruleus ſupra caput aſtitit imber*
*Noctem, hyemémque ferens: & inhorruit vnda tenebris.*
*Exoritur tempeſtas.*
*Continuò venti voluunt mare, magnaque* e *ſurgūt*
*Æquora: diſperſi iactamur gurgite vaſto.*
*Inuoluêre diem nimbi, & nox humida* f *cælum*
*Abſtulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.*
*Excutimur curſu, & cæcis erramus in vndis.*

a Apollo Caſſandræ quidem præſcientiam futurorum indulſerat, effecerat tamen vt ei nemo fidem adhiberet.
b Nobis ipſis gratulantes quod compertam haberemus ſedem nobis deſtinatam.
c Cretam deſerimus, ſicut priùs deſerueramus Thraciam.
d Claſſe è trabibus contexta celeriter nauigamus.
e Maria quæ priùs æquata fuerant & tranquilla, magnis fluctibus attolluntur, & intumeſcunt. Magna dicit iactata, procelloſa. Lucretius lib. 2.

*Suaue mari magno iactantibus æquora ventis,*
*E terra, magnum alterius ſpectare laborem.*

Salluſtius bello Iugurthino. *Vbi mare magnum eſſe, & ſæuire ventis cœpit.* ſic Homerus frequenter.

——— πέρααν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.
—— *Magnos pelagi tranſmittere fluctus.*

f Nubes caligino ſæ cæli conſpectum noſtris oculis abſtulerunt, fulgura duplicantur.

*Ipſe diem, noctémque a negat diſcernere cælo,*
*Nec meminiſſe viæ media Palinurus in vnda.*
*Treis adeò incertos cæca caligine ſoles*
*Erramus pelago; totidem ſine ſydere noctes.*
*Quarto terra aie primùm ſe attollere* b *tandem*
*Viſa, aperire procul montes, ac voluere fumum.*
*Vela cadunt,* c *remis inſurgimus: haud mora, nautæ*
*Adnixi torquent ſpumas* d*, & cærula verrunt.*
*Seruatum ex vndis Strophadum me littora primùm*
*Accipiunt: Strophades* e *Graio ſtant nomine dictæ*
*Inſulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,*

*Appellunt Troiani ad inſulas Strophadum*

*a* Tanta erat nubium circumfuſarum obſcuritas, vt diceret claſſis gubernator ſe non poſſe diem à nocte diſcernere, incertus de die ob caliginem, incertus de nocte, quia nullum ſidus.
*b* Seruius naturaliter dixit, quoties enim propinquamus littoribus, exurgere terra videtur, & fumum emittere.
*c* Vela dimittimus & complicamus, ne nos ventus in aliquem ſcopulum impingat, & exſurgentes remigamus, remiſque naues ad terram promouemus.
*d* Poſt Catullum. *Tortáque remigio ſpumis incanuit vnda.*
*e* Strophades inſulæ ſunt maris Ionij, quæ cùm priùs Plotæ dicerentur, vocatæ ſunt Strophades ἀπὸ τοῦ στρέφειν, *à reuertendo*, quia cùm Calais & Zetes Boreæ filij, iuuenes alati Harpyias è domo Phinei Bithyniæ regis expellerent, iuſſu iouis ex illo loco redierunt. Phineus filios ſuos occiderat: iratus Iupiter optionem ei dedit; vt vel cæcaretur, vel vitam amitteret. Maluit ille ſolis adſpectum, quàm vitam amittere. Sol iratus Harpyias miſit quæ Phineum fame torquerent, epuláſque eius menſæ appoſitas aut raperent aut contactu ſuo fœdarent odore teterrimo: ad Phineum venerunt Argonautæ & Calais & Zetes Boreæ filii, à Phinei domo Harpyias expùlerunt. Vide fabulam fuſiùs apud Euſtathium Homeri interpretem, Apollonium eiuſque Scholiaſtem, Seruium alióſque Maronis interpretes. Quod ad Harpyias ſpectat ita Seruius. *Sane apud inferos Furiæ dicuntur. & canes: apud ſuperos diræ & aues, vt ipſe in iis oſtendit. In medio verò Harpyiæ dicuntur,*

*Harpyiæque colunt aliæ, Phineia poſtquàm*
*Clauſá domus, mensáſque metu liquêre priores.*
*Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla*
*Peſtis & ira deûm Stygiis ſeſe extulit vndis,*
*Harpyiæ.*
*Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris*
*Proluuies* a *: vncæque manus, & pallida ſemper*
*Ora fame.*
*Huc* b *vbi delati portus intrauimus: ecce*
*Troiani boues occidunt Epulantur.*
*Læta* c *boum paſſim campis armenta videmus,*
*Caprigenumque pecus, nullo cuſtode per herbam.*
*Irruimus ferro, & diuos, ipſumque vocamus*
*In prædam partemq; Iouem* d *: tunc littore* e *curuo*
*Extruimuſque toros* f *dapibúſq; epulamur opimis.*
*Harpyiæ dapes diripiunt.*
*At ſubita horrifico lapſu de montibus adſunt*
*Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,*

*a* Alui profluuium. Græcis διάῤῥοια, id eſt vt exponit hunc locum Donatus. Nihil in interioribus ſuis morari patiuntur, effundunt enim ſtatim quicquid victûs cauſſa receperint.

*b* Ad Strophadas inſulas.

*c* Pinguia, vt ipſo ſuo aſpectu nos hilararent.

*d* Vocamus Iouem in partem prædę, ſiue Ioui nos prædæ partem daturos vouemus. Seruius. *Romani moris fuit, vt bella geſturi de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur. adeo vt Romæ fuerit templum Iouis Prædatoris: non quòd prædæ præeſſet, ſed quòd ei aliquid ex præda debeatur*, Notat Turnebus l. 4. cap. 22. *in partem vocare*, eſſe verbum iuris pro, *participem facere*, vel partiarium admittere. Cicero pro Cęcina: *mulieres in partem vocatæ ſunt.* Xenophon de venatione. καὶ δεξάμενοι τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ τῇ Ἀρτέμιδι μεταδοῦναι τῆς θήρας. *Apolline & Diana Venatrice in partem prædæ vocatis.*

*e* ἀκτάζειν *in littore verſari*, vt ait Plut. l. 4. conuiualium quæſtionum, probl. 4. τὸ παρ' ἀκτῇ δεῖπνον ἥδιστον, *cœnam in littore iucundiſſimam*, ſignificat.

*f* Ex torta herba lectos ſiuę ſtibadia quædam extruimus ad epulandum.

*Diripiúntque dapes, contactúque omnia fœdant*
*Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.*
*Rurſum in ſeceſſu longo ſub rupe cauata,*
*Arboribus clauſi circum, atq; horrentibus vmbris*
*Inſtruimus menſas, ariſque reponimus* a *ignem,*
*Rurſum ex diuerſo cœli* b, *cæciſque latebris*
*Turba ſonans prædam pedibus circonuolat vncis,*
*Polluit ore dapes: ſociis tunc arma capeſſant*
*Edico, & dira* c *bellum cum gente gerendum:*
*Haud ſecus ac iuſſi faciunt, tectoſque per herbam* Troiani arma capiunt.
*Diſponunt enſes, & ſcuta latentia condunt.*
*Ergo vbi delapſæ ſonitum per curua dedere*
*Littora, dat ſignum ſpecula Miſenus* d *ab alta*
*Aere* e *cauo: inuadunt ſocii, & noua* f *prælia tentant,*
*Obſcænas* g *pelagi* h *ferro fœdare volucres.*
*Sed neque vim plumis* i *vllam, nec vulnera tergo*
*Accipiunt, celerique fuga ſub ſydera lapſæ,*

*a* Ioui qui fuerat in prædæ partem vocatus ſacrificium de integro renouamus. *Sane* inquit Seruius, *iteratione hac fieri ſecũdũ ritum ſacrorũ, nam diſplicuiſſe prima ex prodigiis indicatur.*
*b* Ex diuerſo cœli tractu, ex diuerſa aëris regione.
*c* Seruius. *Sabini & Vmbri quæ nos mala, dira appellant.*
*d* Tubicen, de quo 6. Æneid. v. 164.
*e* Tubâ æreâ.
*f* Inuſitata, quibus non erant aſſueti.
*g* Vel immundas, vel infauſtas malique ominis. Marius apud Varronem.

*Obſcæni inter res, funeſtique ominis augur.*

*h* Vel quòd eas in Inſulis habitare, vel quòd Ponti filias eſſe fabulantur.
*i* Vulnerari non poterant Harpyiæ, quia & plumæ præ mollitudine gladios fallebant, & terga ſiue tergora præ duritie aciem ferri reſpuebant.

*Sed Harpyias vulnerare non poſſunt. Harpyiarum dira prædictio.*

*Semeſam prædam, & veſtigia fœda* a *relinquunt.*
*Vna in præcelſa conſedit rupe Celæno* b,
*Infelix vates: rupitque* c *hanc pectore vocem:*
*Bellum etiam pro cæde boum, ſtratiſq; iuuencis*
*Laomedontiadæ* d *bellumne* e *inferre paratis?*
*Et patrio* f *inſontes Harpyias pellere regno?*
*Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.*
*Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus* g *Apollo*
*Prædixit: vobis Furiarum ego maxima pando:*
*Italiam curſu petitis, ventiſque* h *vocatis*
*Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.*
*Sed non antè datam* i *cingetis mœnibus vrbem,*
*Quam vos dira fames, noſtræque* k *injuria cædis*
*Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.*
*Dixit, & in ſyluam pennis ablata refugit.*

a Seruius. *Vel pedum ſigna, vel indicium ſordium, quibus epulas diſcedentes polluebant.*

b Tres ſunt Harpyiæ *Celæno*, quaſi *nigra. Ocypete* quaſi, *celeriter volans. Aello*, quaſi *procelloſa.*

c Infelicitatis prænuntia: infauſta nobis denuntians.

d Cum indignatione & ſtomachatione locuta eſt.

e Troiani, quorum Rex fuit Laomedon periurus, qui Deos fefellit.

f Ex inſulis Strophadibus, quæ in patris noſtri Ponti ſunt ditione.

g Phœbus eſt epitheton Apollinis, quod plerunque nominis vicem ſupplet *purus, impollutus.* Græci frequenter φοῖβος Ἀπόλλων, vt πάλλας Ἀθήνη.

h Cùm immolaueritis.

*Nigram Hyemi pecudem, Zephiris felicibus albam.*

i Fatis conceſſam, vobiſque in Italia deſtinatam. vide. 7. Æneid. à v. 109.

k Quam nobis inferre voluiſtis.

*Troianorum pauor.*

*At ſociis ſubita gelidus* a *formidine ſanguis*
*Diriguit, cecidêre animi, nec iam amplius armis,*
*Sed votis, precibúſque iubent expoſcere pacem:*
*Siue deæ, ſeu ſint diræ, obſcœnæque volucres.*
*At pater Anchiſes* b *paſſis* c *de littore palmis*
*Numina magna vocat, meritóſq; indicit honores.*

*Preces Anchiſe.*

*Dij prohibete minas: dij talem auertite caſum*
*Et placidi ſeruate pios, tum littore funem*
*Diripere,* d *excuſſóſque jubet laxare rudentes* e*:*
*Tendunt vela Noti* f*, fugimus ſpumantibus vndis,*

*Fugiunt Troiani*

*Qua curſum, ventúſque, gubernatórq; vocabant.*
*Iam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos,*

*Inſula maris Ionii.*

*Dulichiumque* g*, Saméque, & Neritos ardua ſaxis:*
*Effugimus ſcopulos Ithacæ, Laertia* h *regna:*
*Et terram altricem ſæui execramus Vlyſſis.*

*a* Sanguis in venis congelatus eſt præ formidine.
*b* Socij quidem iubebant Harpyiarum pacem expoſcere: At Anchiſes, non Harpyias inuocat, ſed ipſum Iouem & Apollinem à quibus Harpyiæ id acceperãt, quod nobis nunciabant.
*c* Apertis, à pandendo.
*d* Commodè Cerdanus. Soluentium celeritatem aduerte. Funis diripitur, non ſoluitur: laxantur & excutiuntur rudentes, tenduntur vela, fit fuga puncto temporis; non conſiderant quo ituri: ſed ventis, ſed Palinuro commiſſi in incertum abeunt.
*e* Funes naucitos explicare & immittere, ſiue relaxare vt vela pandantur, & vento compleantur, ſic frequenter apud Græcos. πάντα κάλων ἀνασείειν *omnem rudentem excutere.*
*f* Vela ſic inflantur complenturque ventis, vt contendantur & rigeſcant.
*g* Inſulæ maris Ionij.
*h* Vbi Laertes pater Vlyſſis regnat: notant interpretes per irriſionem vocari regna, quæ ſcopulos nominarat. v. 1. Æneid. *illa ſe iactet in aula, &c.*

*Mox & Leucatæ* [a] *nimboſa* [b] *cacumina montis,*
*Et formidatus nautis aperitur* [c] *Apollo.*
*Hunc petimus feſſi, & paruæ* [d] *ſuccedimus vrbi.*
*Anchora de prora iacitur: ſtant littore puppes.*
*Ergo inſperata tandem tellure potiti*
*Luſtramurque* [e] *Ioui: votiſque* [f] *incendimus aras:*
*Actiáque Iliacis celebramus littora ludis.*
*Exercent patrias oleo labente palæſtras*

Luſtra-tur Ioui

celebrãs. Ludos

*a* Leucates promontorium Epiri: iuxta Ambraciam dictum à lapidum candore λευκὸς: *album* ſignificat.

*b* Leucatæ cacumen, aliis cæli partibus ſerenis, pene ſemper nubibus eſt opertum. In eo templum Apollinis Actij: quaſi littorali ἀκτὴ enim eſt littus præruptum. Dicitur *formidatus nautis*, quia locus hoſtilis, inquit Seruius, vel quia ſaxoſus, vel quia aliquis vectorum qui illuc appulſi fuerant, ſolitus immolari, quod poſtremum refert non ex ſua, ſed ex aliquorum ſententia.

*c* Nauticum verbum incipit apparere; cuius contrarium eſt *abſcondere.*

*d* Ad comparationem maioris vrbis alludit, quam ibi poſteà condidit Auguſtus & Nicopolim nominauit ob Actiacam victoriam.

*e* Expiamur propter admiſſum piaculum ſiue in Thracia vbi Ioui taurum præter conſuetudinem mactaui, cui iuuencus immolatus, ſiue in Strophadibus inſulis, vbi Iouem in partem prædæ vocauimus, quod acceptum Ioui non fuit vt conſtat è cladibus inſecutis. Quod ait, *luſtramur*, videtur ad ludos quinquennales alludere, qui ſolebant ſingulis luſtris ſiue quinquenniis celebrari, ex Auguſti inſtituto. Suetonius in eius vita. cap. 18. *Quoque Actiacæ victoriæ* de Cleopatra & Antonio relatæ, *memoria celebratior in poſterum eſſet, urbem Nicopolin apud Actium condidit, ludoſque illic quinquennales conſtituit.*

*f* Victimas ſacrificamus, quas nos ſacrificaturos eſſe voueramus, & in Actiaco littore ludos celebramus, ſociique mei luctas exercent nudati, & oleo liquido perque membra diffluente delibuti. Palæſtræ luctæ ἀπὸ τοῦ παλάιειν *luctari.* Nudati quia ſolebant athletæ nudi in arenam procedere.

*Nudati ſocii: iuuat euaſiſſe tot vrbes*
*Argolicas, medióſque fugam tenuiſſe per hoſtes.*
*Interea magnum* a *ſol circumuoluitur annum:*
*Et glacialis hyems Aquilonibus aſperat vndas.*
*Aere cauo clypeum magni geſtamen Abantis* b
*Poſtibus aduerſis figo & rem carmine ſigno:*
*Aeneas hæc de Danais victoribus arma.*
*Linquere tum portus iubeo, & conſidere trāſtis* c.
*Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.*
*Protinus aerias Phæacum* d *abſcondimus arces,*
*Littoráque Epeiri legimus* e *portúque ſubimus* **Iterum nauigant.**

Vnde gymnici agones, & gymnaſia γυμνὸς nudus. Huic gymnico certamini Lacedæmonij præfuerunt, vt auctor eſt Strabo lib. 7. qui, vt ſcribit Thucydides lib. primo primi nudauerunt corpora, & oleo vngi cœperunt in palæſtris. Barbari autem vt auctor eſt Plato de rep. nudari turpe iudicabant: exercent igitur Troiani palæſtras non ſuo & Barbarorum more, ſed patrias, id eſt ſecundum illius patriæ inſtitutum.

*a* Ad differentiam menſis, qui annus lunaris, & paruus annus interdum nominatur. Non ait autem annum iam eſſe penitus euolutum: ſed circumuolui: quia nondum annus à Troiæ excidio planè effluxerat, vere enim, aliquot ante æquinoctium vernum diebus captum eſt Ilium, cœptumque ineunte æſtate ab Ænea nauigari.

*b* Græci cuiuſdam, vt videtur, quem Æneas occiderat & ſpoliarat bello Troiano. Vide Seruium Danielis, affigebant autem ad templorum poſtes & diis conſecrabant arma, quæ refigere non licebat.

*c* Tranſtra, remigum ſedilia.

*d* Altiſſimos Corcyræ montes è conſpectu amittimus. Phæaces olim dicebantur, qui poſteà dicti ſunt Corcyræi. ***Abſcondere***, verbum nauticum. Seneca epiſt. 7. ***In hoc curſu rapidiſſimi temporis primùm pueritiam abſcondimus***: arces pro montibus in Georg. ***Mundus vt in Scythiam Riphœaſque arduus arces.***

*e* Nauticum verbum: prætcrimus & radimus oram Epiri & in portum Buthrotium intramus: Chaonium appellat, quia

*Vt me conſpexit venientem & Troïa circùm*
*Arma amens vidit: magnis exterrita monſtris*
*Diriguit viſu in medio, calor oſſa reliquit:*
*Labitur & longo vix tandem tempore fatur.*
*Verane te facies* a, *verus mihi nuntius affers*
*Nate dea? viuis ne? aut, ſi lux alma receſſit,*
*Hector vbi,* b *dixit: lacrymáſque effudit, & omnem* Æneæ & Andromaches colloquium
*Impleuit clamore locum: vix pauca furenti* c
*Subiicio, & raris turbatus vocibus hiſco* d.
*Viuo equidem, vitámque extrema per omnia duco:*
*Ne dubita: nam vera vides.*
*Heu quis te caſus deiectam coniuge tanto*
*Excipit* e*? aut quæ digna ſatis* f *fortuna reuiſit.*

*certè illud reſpicit, nam inferi pari gaudent numero, vt*
*Ecce duas tibi Daphni.* ——
*Superi verò impari, vt*
—— *numero Deus impare gaudet.*
*vel geminas Diti Patri & Proſerpinæ.*

a Ordo verborum turbatus eſt, vt perſonæ turbatæ conueniat oratio: ordo eſt. *O Nate Dea, afferens te, mihi vera facies, verus nuntius?* Id eſt veniſne ad me verus homo, viuens & ſpirans: an vmbra & ſimulacrum ſiue idolum hominis mortui? poteſne mihi vera de Hectore nuntiare?

b Si tu mortuus es, & me Hectoris manes vocante, ad tumulum dapéſque libatas accedis, vbi eſt Hector? quare te non comitatur? quare mihi non apparet? cùm præſertim tanta fuerit inter vos animorum conſenſio dum viueretis, vt alter ab altero vix diſcederet.

c Inſolabiliter & impatienter dolenti.

d Donatus. *Perturbatione mentis hiabam potiùs, quàm loquebar: raræ ſunt enim voces, cùm ob aliquam cauſam continuæ eſſe non poſſunt.*

e Seruius. Signatè locutus, eſt quia deiectam dixerat: excipiuntur enim quæ cadunt.

f Qua nunc fortuna vteris quæ priſtinæ tuæ felicitati, &

*Hectoris Andromacho, Pyrrhin, connubia ſeruas?*
*Deiecit vultum* a, *& demiſſa voce locuta eſt:*
*O felix* b *vna ante alias Priameia virgo,*
Polyxena. *Hoſtilem ad tumulum, Troiæ ſub mœnibus altis*
*Iuſſa* c *mori: quæ ſortitus non pertulit vllos,*
*Nec victoris heri tetigit captiua cubile.*
*Nos patriâ incenſâ diuerſa per æquora vectæ*
*Stirpis Achillææ faſtus* d *iuuenémque ſuperbum*
*Seruitio enixæ tulimus: qui deinde ſecutus*
*Ledæam Hermionē* e *Lacedæmonióſq; Hymenæos,*
*Me famulā famulóq; Heleno tranſmiſit habendam.*
*Aſt illum* f *ereptæ magno inflammatus amore*

illuſtri Hectoris matrimonio reſpondeat? An manes vidua poſt amiſſum Hectorem? an Pyrrho nupſiſti, eiúſque connubium ſeruas adhuc, & retines? an quod audiui quidem, ſed credere non poſſum Heleno nupſiſti?

*a* Pudore confuſa, quòd videret ſibi de nuptiis cum Pyrrho contractis eſſe confitendum.

*b* O vtinam priùs mortua fuiſſem, mihique contigiſſet illud, quod Polyxenæ contigit, Priami filiæ, quæ cùm adhuc eſſet virgo, iuſſa eſt ad Achillis tumulum immolari, quæ ſorti ſubiecta non fuit, vt ei domino in concubinatum addiceretur, cui ſors obtigiſſet.

*c* Iuſſa eſt mori à ſpectro ſiue vmbra ipſius Achillis, quæ Græcis poſt excidium Troianum redire volentibus, in eius tumulo apparuit & Polyxenam mactari poſtulauit.

*d* Ego Pyrrhum, ſiue Neoptolemum, filium Achillis, adoleſcentem faſtuoſum & ſuperbum perferre coacta ſui: vtitur numero multitudinis ad tegendum pudorem: minorem enim pudorem adfert quod cum aliis videtur eſſe commune. Enixam autem ſe dicit quia ex Pyrrho Moloſſum peperit ſiue enixa eſt in ſeruitute.

*e* Hermione filia Menelai Lacedæmoniorum Regis, & Helenæ. Helena filia Iouis & Ledæ, vnde ab auiæ nomine Lædea Hermione nominatur.

*f* Velleius de Oreſte, *Se etiam à Pyrrho Achillis filio virtute vindicauit. Nā quòd pactæ eius Menelai atque Helenæ filiæ Hermiones*

*Conjugis, & ſcelerum furiis agitatus* a *Oreſtes,*
*Excipit incautum* b *patriáſq;* c *obtruncat ad aras.*
*Morte Neoptolemi, regnorum reddita* d *ceſſit*
*Pars Heleno, qui Chaonios* e *cognomine campos,*
*Chaoniámque omnem Troiano* f *à Chaone dixit,*

*Pyrrhus ab Oreſte occiſus.*

*nuptias occupauerat, Delphis eum interficit.*

*a* Oreſtes Agamemnonis filius, patris, qui à Clytemneſtra vxore necatus fuerat, vlciſcendi cauſſa, matrem ſuam occiderat eius ſcelelis conſcientia ſic agitatus fuit, vt à Furiis ipſis eum iactatum fabulentur, quæ ipſum vbique ſequerentur cum tædis ardentibus.

*b* Adoritur ex inſidiis non cogitantem.

*c* Vel ad aras Apollinis Delphici qui & communis erat patriæ vniuerſæque Græciæ deus & πατρῷος nominatur: vel ad aras Apollinis; ad cuius aras Achilles Neoptolemi pater occiſus fuerat à Paride, Apolline ipſo Paridis manum & telum dirigente. Vel quia in templo Delphico erant quædam aræ quæ Patriæ dicerentur: Vel quia Pyrrhus dolens patrem ſuum Achillem auxilio Apollinis interemptum fuiſſe, in contumeliam numinis aras patri ſuo iuxta aras Apollinis excitauit: iuxta quas occiſus eſt.

*d* Quia regnum Epiri pro regno Troiæ videbatur Heleno reſtitutum, ideo non datam, ſe redditam ait regni partem quia ab eo ipſo Troiani regnum nouum acceperunt, per quem præcipuè vetus amiſerunt. Ceſſit autem regnum Heleno; per priuignum Moloſſum; quem Pyrrhus ex Andromache ſuſceperat. *e* Helenus Campos Epiri populos, Chaonios cognominauit à Chaone Troiano, vt exponit ſeruius Danielis, vel, vt ipſe innuit, hos populos ita Chaonios nominauit, vt iis Camporum cognomen adieceri. Et ſanè montoſa potiùs eſt Epirus quam campeſtris & plana ὡς τραχεῖα, καὶ ὀρῶν πλήρης *aſpera, & montibus plena*, inquit Strabo lib. 7 adde quòd ſuperfluè dixiſſet campos Chaonios, & Chaoniam. Aut nunc videtur eſſe hæc ſententia. Helenus tum illos Chaonios qui Campi cognominantur, tum reliquam omnem Chaoniam à Troiano Chaone cognominauit.

*f* Vel à fratre quem Helenus imprudens in venatione occiderat; vel Chaonem hoc honore affecit: quòd ille ſiue ad auertendam peſtilentiam: ſiue ad ſedandam tempeſtatem vitandúmque naufragium ſponte ſe victimam obtuliſſet.

Helenus in Epiro regnat.

*Pergamáq; Iliacámq; iugis hanc addidit arcem,*
*Sed tibì cui curſum venti, quæ fata dedêre?*
*Aut quis te ignarum noſtris deus appulit oris?*
*Quis puer Aſcanius? ſuperátne* a, *& veſcitur aura?*
*Quem tibi iam Troia* b.
*Ecquæ iam puero eſt amiſſæ cura parentis* c?
*Ecquid in antiquam virtutem, animóſque viriles*
*Et pater Æneas, & auunculus* d *excitat Hector?*
*Talia fundebat lacrymans, longóſque ciebat*
*Incaſſum fletus, cum ſeſe à mœnibus heros*
*Priamides multis Helenus comitantibus offert,*
*Agnoſcitque ſuos, lætúſque ad mœnia ducit:*
*Et multùm lacrymas verba inter ſingula fundit.*
*Procedo, & paruam Troiam ſimulataque magnis*
*Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum*
*Agnoſco: Scææque amplector* e *limina portæ.*

Helenus occurrit Troianis.

a Eſtne adhuc in viuis? eſtne ſuperſtes: vt.
*captæ ſuperanimus vrbi.*

b Abrumpit orationem nondum finitâ ſententiâ, ex affectu vehementi, Troiæ nomine prolato. Ineptè ſupplent aliqui
*—— peperit fumante Creuſa.*
Alij propriùs ad mentem Poëtæ, ſed inſulsâ compoſitione verborum. *Quem tibi iam Troiâ obſeſſa eſt enixa Creuſa.*

c Vel Patriæ, quæ eſt communis parens, vt interpretatur Seruius: vel Creuſæ, quam Andromache audire potuit amiſſam priuſquam Græci è Phygiâ diſcederent.

d Creuſam aiunt Priami filiam fuiſſe & ita Hector Aſcanij fuit auunculus.

e De more: nam & poſtes & limina domorum amplecti ſolebant qui vel exulatum ibant, vel peregrinatum diu abfuturi, vt dictum eſt lib. 2. verſu 490. iidem etiam reduces eadem oſculari & amplecti ſolebant, vt probant Turneb. ex Valerio Flacco lib. 1. Argonaut. *Patriæque amplector limina portæ.*

*Nec non & Teucri ſocia ſimul vrbe fruuntur.* Et eos excipit.
*Illos porticibus rex accipiebat in amplis.*
*Aulai* a *in medio libabant* b *pocula Bacchi,*
*Impoſitis auro dapibus, pateráſque tenebant.*
*Iámque dies, altérque dies* c *proceſſit, & auræ*
*Vela vocant, tumidóq;* d *inflatur carbaſus* e *Auſtro.*
*His vatem aggredior dictis, ac talia quæſo,*
*Troiugena interpres diuûm,* f *qui numina Phœbi* g*,*
*Qui tripodas,* h *Clarÿ* i *lauros,* l *qui ſydera ſentis,*

a In aulæ medio. *Aula autem*, inquit Seruius, *propriè dicitur, quæ concluditur porticibus quatuor, unde ſuperiùs* porticibus *dixit*, Vide notas in Milonianem, parag. 13. diſgreſſione *de atriis*, Græci αὐλὴν appellant; in qua exceptos hoſpites, lectóſque ibidem iis ſtratos frequenter dicit Homerus in Odyſſ.

*b* Ante conuiuium, de vino libabant, vel Baccho, vel Ioui Hoſpitali.

c Iam multi dies proceſſerant; vt interpretantur Scaliger, & Cerdanus.

*d* Vento qui ſpirans & vela inflans, ea tumere faciebat.

e Velum carbaſinum.

*f* Augur. Orator 13. Philipp. *Augurium Iouis Opt. Max. cuius interpretes, internuntiique ſumus.*

g Duo ſunt potiſſimùm diuinationis genera: nam alij mentis incitatione & diuino furore inſtincti futura præſagiunt, alij ex rebus externis futura coniectant. Vtrumque diuinationis genus Heleno tribuit Æneas Nam & numina Phœbi & tripodas, & Apollinis Clarij lauros ſentiebat: id eſt diuinabat Apollinis afflatu, ſedens in tripode, & lauro, quæ eſt Apollini dicata; coronatus, & ex ſiderum aſpectu ſiue aſtrologia iudiciaria, & ex auium volatu, & garritu futura noſcebat.

*h* Tripus fuit ſedile quoddam perforatum cui inſidebat Pythia, reddens oracula, ſic dictus quod tribus pedibus niteretur, alij aliter, communior eſt iſta ſententia.

i Apollo dictus Clarius à Claro luco vel, vt alij dicunt, oppido prope Colophonem, de quo Plinius li. 2. cap. 103. *Colophone in Apollinis Clarij ſpecu lacuna eſt cuius potu mira redduntur oracula*, k Vide ſuprâ verſu 91. Adde lauro coronatos fuiſſe qui

Æneas Helenum conſulit.

*Et volucrũ linguas* a *& præpetis* b *omina* c *pennæ.*
*Fare age (námq; omnẽ curſũ mihi proſpera* d *dixit*
*Relligio, & cuncti ſuaſerunt numine diui*
*Italiam petere, & terras tentare repoſtas* e
*Sola nouum, dictúque nefas Harpyia Celæno*
*Prodigium canit, & triſtes denuntiat iras,*
*Obſcœnamque famem* f *) quæ prima pericula vito?*
*Quidue ſequens tantos poſſim ſuperare labores?*
*Hic Helenus cæſis primùm de more iuuencis,*
*Exorat pacem Diuûm, vittáſque* g *reſoluit*
*Sacrati capitis: méque ad tua limina, Phœbe,*

reddebant oracula, ad quod alluſit Ariſtophanes in Pluto.

Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων

*Quos è corona Phœbus emiſit ſonos.*

*a* Hinc dicti augures, quod ex auium garritu futura præſentiant.

*b* Seruius. *Præpetes ſunt quæ ſecundo auſpicio ante eum volant qui auſpicatur: aues autem aut oſcines ſunt aut præpetes: oſcines quæ ore futura prædicunt: præpetes quæ volatu augurium ſignificant, cum ſunt proſpera.*

*c* Abuſio vocis proprie enim omen petebatur è vocibus humanis fortuito prolatis. Vide Piſonian. parag. 31. Nota. 3.

*d* Hypallage pro: *omnis religio mihi dixit proſperum curſum.* id eſt omnia auſpicia & Deorum oracula mihi prædixerunt fore vt ad Italiam proſpere nauigarem.

*e* Repoſitas, & longe remotas.

*f* Vide ſuprà, à verſu 245. ad 258.

*g* Vittati erant vates. Valerius Flaccus lib. 4. Argon. de Phineo.

—— *Vittas laurumque capeſſit.*
*Numina magna ciens.* ——

Helenus igitur vittas capitis ſui Phœbo dicati reſoluit fecitque vt vittæ, quæ priùs nexæ erant in capite, penderent, & maiori cum decôre fluitarent, ſeque vndatim explicarent.

*Ipſe manu multo ſuſpenſum* [a] *numine ducit.*
*Atque hæc deinde canit diuino ex ore ſacerdos.*
*Nate dea ( nam te maioribus* [b] *ire per altum*
*Auſpiciis manifeſta fides, ſic fata Deûm rex*
*Sortitur, voluitque vices, is vertitur* [c] *ordo)*
*Pauca tibi è multis, quo tutior hoſpita* [d] *luſtres*
*Æquora, & Auſonio* [e] *poſſis conſidere portu,*
*Expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ*
*Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.*
*Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam*
*Vicinóſque ignare paras inuadere portus,*
*Longa procul longis via diuidit inuia* [f] *terris.*

Heleni monita & prædictiones.

*a* Sacro quodam horrore perfuſum ob præſentiam numinis, & oraculi reddendi expectatione ſollicitum, atque ſuſpenſum.

*b* Commodè de la Cerda noſter hoc loco. Maiora ſunt tua auſpicia, videlicet petita ex cœleſti numine & ductu, non vt ab aliis captantur auſpicia ex garritu auium, aut volatu, vt dicat Helenus, Maiora ſunt auſpicia tua quam illæ linguæ volucrum & præpetis omina pennæ, quorum me peritum eſſe dixiſti.

*c* Commodè. Nam fatum eſt ordo quidam & ſeries ſiue viciſſitudo cauſſarum ſecundarum inter ſe connexarum, prout à diuina prouidentia dependent quaſi mutua concatenatione diuinctæ. Vide ſecundam Philipp. parag. 6. Nota. 1.

*d* Vt tutiùs obire & circuire poſſis maria, in quibus non remanebis, ſed tanquam hoſpes & peregrinus verſaberis.

*e* Laurentino, qui portus eſt in Italia.

*f* Ante omnia mouendus es Italiam non eſſe tam vicinam, quàm tu eſſe exiſtimas, & ignarus viarum longitudinis, paras inuadere portus Italiæ vicinos: etſi enim inter Ceraunia Epiri promontorium, & Lacinium promontorium Italiæ tam breuis traiectus eſt, vt inter vtrumque ſit ſeptuaginta quinque duntaxat milliariorum diſtantia, tamen inter Epirum & Laurentinum portum, eámque partem Italiæ, quæ fato tibi debetur magnum eſt interuallum, vt via propemodum inuia eſſe videatur.

*Ante & Trinacriâ* a *lentandus* b *remus in vnda:*
*Et ſalis Auſonij luſtrandum nauibus æquor,*
Inſula Circes. *Infernique lacus,* c *Ææque* d *inſula Circes,*
*Quam tutâ poſſis vrbem componere terrâ.*
*Signa tibi dicam, tu condita mente teneto,*
*Cum tibi ſollicito* e *ſecreti ad fluminis vndam*
*Littoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus,*
Sus alba. *Triginta capitum fœtus enixa iacebit,*
*Alba ſolo recubans, albi circum vbera* f *gnati:*
*Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.*
*Nec tu menſarum morſus* g *horreſce futuros.*
*Fata viam inuenient* h*: aderitque vocatus* i *Apollo.*
*Has autem terras,* k *Italique hanc littoris oram,*

*a* In mari Siculo, dicta Trinacria ἀπὸ τῶν τριῶν ἄκρων ἀ tribus *Promontoriis* Peloro, Pachyno, Lilybæo.

*b* Tam fortiter remigandum vt remi flectantur & incuruentur. Catullus Nuptiis Pelei & Thetidos.

*Quiue fugit lentos incuruens gurgite remos.*

*c* Seruius, Lucrinum & Auernum dicit: inter quos eſt ſpelunca, per quam ad inferos deſcendebatur.

*d* De circe Solis filia vide 7. Æneid. à verſu 10. Dicitur Ææa ab inſula Colchidi vicina, fuit enim ſoror Æetæ Colchorum Regis.

*e* De ſollicitudine Æneæ 8 Æneid. verſu 18. de ſue alba, eodem lib. verſu 4 & 18

*f* Seruius. *Varro dicit etiam hoc ſigni fuiſſe, quod cùm etiam alterius coloris porci in fœtu huius porcæ fuerint, albi tantummodo circum vbera ſint reperti.*

*g* De quibus hoc ipſo libro, verſu 256.

*h* Vide lib. 7. verſu 109.

*i* Cuius nomine nominata fuerat. Celæno.

*k* Noli naues tuas appellere ad Calabriam: quæ regio Italiæ nobis proxima eſt, & Epirotici maris vndis æſtuantibus perfunditur: noli, inquam, ad illam Italiæ partem nauigare: quia Græci nomini Troiano infeſti in omnibus Calabriæ vrbibus habitant: vnde & Magna Græcia nominatur.

*Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,* **Magna Græcia.**
*Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graÿs,*
*Hic* a *& Narycij poſuerunt mœnia Locri:*
*Et Salentinos obſedit milite campos*
*Lyctius Idomeneus* b *: hic* c *illa ducis Melibœi*
*Parua Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.*
*Quin* d *vbi trāſmiſſæ ſteterint trās æquora claſſes,*
*Et poſitis aris iam vota in littore ſolues:*
*Purpureo velare comas adopertus amictu:*

*a* In Calabria. Porro duo genera Lucrorum fuerunt in Aiacis Oilei comitatu: alij Epizephyrij, alij Ozolei. Poſt naufragium ad Caphaream rupem, de quo primo libro à verſu 13. Epizephyrij ad Italiam, Ozolei ad Libyam naues appulerunt. Epizephyrij vrbem Locros Epizephyros dictam in Italia condiderunt. Narycij à Naryce Locrorum oppido

*b* Idomeneus Creta expulſus, vt viſum eſt ſuprà verſu 121. Salentinos Calabriæ campos occupauit. Dictus Lyctius à Lycto Cretæ ciuitate.

*c* In eadem Italiæ parte Philoctetes, Pæantis filius, comes Herculis, ortus è Melibœa Theſſaliæ ciuitate, tempeſtate disjectus in Italiam condidit Petiliam, vel ſaltem mœnibus ſepſit. Nam apud Seruium, *ait Cato à Philoctete condita iampridem ciuitate, murum tantum factum.* Paruam appellat, quaſi rationem reddens cur Petilia nominetur. *Petilus* enim apud antiquos erat *paruus*: vnde & vernaculè *petit*. Lucilius apud Nonium. *Inſigni varis cruribus & petilis*

*d* Narrat Seruius Diomedem, cum variis cladibus affligeretur, iuſſum fuiſſe oraculo, Palladium olim à ſe ſubreptum, reſtituere Troianis: *quod cùm ille vellet implere, Æneam inuenit, ſacrificantem, qui ſacrificij ordinem non rupit, & Palladium Nautes accepit.* Hæc eſt igitur huius loci ſententia: Dixit tibi vitandam eſſe eam Italiæ partem quæ à Græcis tuis hoſtibus habitatur, quinetiam cùm littus Laurentinum perueneris, debes velari, ſiue habere velatas comas amictu purpureo, ne tibi ſacrificanti Græcus aliquis occurrat, quod & ſacrificium turbaret, & inauſpicatum eſſet, infeliciſque præſagij.

Capite uelato ſacrificandum

*Nequa inter ſanctos ignes in honore deorum*
*Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.*
*Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto:*
*Hac caſti* a *maneant in relligione* b *nepotes.*
*Aſt vbi diſgreſſum Siculæ te admouerit oræ*
*Ventus, & anguſti* c *rareſcent clauſtra* d *Pelori:*
*Læua tibi tellus, & longo læua petantur*
*Æquora circuitu* e*: dextrum fuge littus & vndas,*
*Hæc loca* f *vi quondam & vaſtâ conuulſa ruinâ,*
(Tantum *æui longinqua valet mutare vetuſtas)*

a Pij & religioſi, lib. 6. *Quique ſacerdotes caſti.*

b Plutarchus Quæſtionibus Romanis, τοὺς δ᾽ θεοὺς οὕτω προσεκύνουν ἐπιφύοντις ἑαυτοὺς τῇ ἐπικαλύψει τῆς κεφαλῆς, &c. *Deos ſic adorabant, vt hac obiectione capitis ſeipſos demitterent* Iam dixerat de Ænea καὶ τοῦ Διομήδους παρεξιόντος ἐπικαλυψάμενος τὴν θυσίαν ἀπετέλεσε. *Diomede prætereunte, caput velauit, & ſacrificium abſoluit.* Ne videlicet ſacrificãti hoſtilis facies occurreret. Quod ad omnium perturbationem ſpectat, notandum illud εὐλαβούμενοί τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν δυσχερὴς ἀπαίσιον καὶ δύσφημον ὦχει τὴν ὤτων ἂν ἀμβαινον τὸ ἱμάτιον *Verentes ne qua vox mali ominis foris accideret: vſque ad aures, veſtem ſurſum attrahebant. Velare comas,* id eſt, velare ſecundum comas: vel habere comas velatas.

c Inter columnam Rhegiam Italiæ, & Pelorum Siciliæ promontorium, tantæ ſunt maris anguſtiæ, vt vix ſit ter mille paſſuum intercapedo.

d Seruius. *venientibus de Ionio propter curuaturam littorum, clauſæ videntur anguſtræ, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur,* quod noſter ait *rareſcere.*

e Cùm ad Pelorum accedes dextram relinque, ne ad Latium tendens cogaris illas anguſtias quæ ſunt inter Scyllã & Charybdin penetrare: ſed ad ſiniſtram inflectens longo circuitu totam Siciliam circumluſtra.

f Salluſtius in fragmentis. *Italiam coniunctam Siciliæ conſtat fuiſſe: ſed medium ſpatium aut per humilitatem abruptum eſt aquis, aut propter anguſtiam ſciſſum.*

*Diſſiluiſſe ferunt, cùm protinus* a *vtraque tellus* Sicilia ac Italiæ finibus diuiſa.
*Vna foret: vênit medio vi pontus & vndis*
*Heſperiũ Siculo latus abſcidit* b*: aruáq; & vrbes*
*Littore diductas* c *anguſto* d *interluit æſtu* e*,*
*Dextrum Scylla* f *latus, læuũ implacata Charybdis*
*Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos* Charybdis.
*Sorbet in abruptum fluctus* g*, rurſúſque ſub auras*
*Erigit alternos, & ſydera verberat vnda.*
*At Scyllam* h *cæcis cohibet ſpelunca latebris* Scylla.
*Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem,*
*Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo*
*Pube tenus: poſtrema immani corpore Piſtrix,*
*Delphinum caudas, vtero commiſſa luporum.*

*a* Conjunctim, cùm Sicilia & Italia vnam faceret continentem.
*b* Siciliæ latus ab Italiæ latere ſeparauit.
*c* Diuulſas, diſtractas, ſeparatas.
*d* Freto tribus paſſuum millibus non latiore.
*e* Seruius. *Æſtum poëtæ maris anguſtiis arctati ideo appellant, quòd ibi commotione reciproci curſus mare videatur æſtuare.*
*f* Commode Cerdanus. Nauigantibus ex Epiro Italia dextra eſt, Sicilia læua: eſt verò Scylla in Italia prope Rhegium, ac proinde ad dextram: Charybdis in Sicilia prope Zanclen, ac proinde ad læuam.
*g* Charybdis imo profundi maris gurgite vaſtos fluctus ſorbet in abruptam voraginem, eoſdemque rurſus alterna vomitione ita eructat, vt ad cœlum propè eos emittere videatur, *alternos*, quia accipit vt vomat, rurſus vomit vt accipiat.
*h* Scylla eſt mõſtrum marinum incluſum in ſpeluncâ latebroſa, os frequenter exerens, & naues ad ſe trahens. Cui monſtro eſt facies humana: eſtque virgo vſque ad vmbilicum: poſtrema verò pars corporis deſinit in piſtricem, ſiue piſtrin, id eſt in cetum marinum, ſiue balænam: quæ piſtrix habet vterum voracem & lupinum, commiſſum ſiue coniunctum caudis delphinum; ſiue cuius vtero lupino commiſſæ ſunt, & velut aſſutæ caudæ delphinorum.

*Præſtat a Trinacrij metas luſtrare Pachyni*
*Ceſſantem,* b *longos & circumflectere curſus,*
*Quàm ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro*
*Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa.*
*Præterea, ſi qua eſt Heleno prudentia vati,*
*Si qua fides, animum ſi veris implet Apollo:*
*Vnum illud tibi nate dea, præque omnibus vnum*
Placanda Iuno. *Prædicam, & repetens iterúmq; iterúmq; monebo.*
*Iunonis magnæ primùm prece numen adora,*
*Iunoni cane* c *vota libens, dominámque potentem*
*Supplicibus ſupera donis* d *: ſic denique victor* e
*Trinacriâ* f *fines Italos mittêre relictâ*
*Huc vbi delatus, Cumæam acceſſeris vrbem,*
*Diuinóſque lacus* g, *& Auerna ſonantia* h *ſyluis,*

*a* Melius eſt totam Siciliam circuire, & quemadmodum in circo & curuli certamine currus circum metam flectuntur, ita circa Pachynum Siciliæ promontorium flecti, quàm Scyllam videre canibus ſuccinctam latrantibus.
*b* Plus temporis in itinere conſumentem.
*c* Seruius. *Cane* autem de hiſtoria eſt; nam & bello Punico matrimi & patrimi cantauerunt Iunoni, & benetria poſuit, quæ ad religionem pertinent, *prece, voti, donis.*
*d* Donis ſuppliciter oblatis, eam vel inuitam & reluctantem obliga, vt tibi ſit mitis.
*e* Propoſiti effector.
*f* Ouidius 13. metamorph.

*Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli*
*Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant*
*Sicaniam, tribus hæc excurrit in æquora linguis,*
*E quibus imbriferos verſa eſt Pachynus ad auſtros:*
*Mollibus expoſitum Zephyris Lilybæon: ad arctos*
*Æquoris expertes ſpectat, Boreámque Pelorus.*

hinc dicta Trinacria à tribus promontoriis, quæ Naſo linguas appellat. *g* Lucrinum & Auernum Diti conſecratos.
*h* Reſonantia non ſuo murmure, ſed propter ſyluas vento crepitantes.

*Inſanam vatem* a *adſpicies: quæ rupe* b *ſub ima*
*Fata canit, foliiſque notas, & nomina* c *mandat:*
*Quæcunque in foliis* d *deſcripſit carmina virgo,*
*Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit:* Sibilla.
*Illa manet immota locis, neque ab ordine cedunt.*
*Veràm eadem, verſo tenuis cùm cardine ventus*
*Impulit, & teneras turbauit janua frondes:*
*Nunquam deinde cauo volitantia prendere ſaxo,*
*Nec reuocare ſitus* e*, aut jungere carmina curat.*
*Inconſulti* f *abeunt, ſedémque odêre Sibyllæ.*

a Sibyllam Apollinis furore inſtinctam & futura prædicentem. Vide notas in Sextianã parag. 23. *Vaticinari atq; inſanire.*

b Iuſtinus Martyr cohortatione priore ad Græcos exeunte. Reſponſa dedit in vrbe, cui Cumæ nomen eſt, ſexto à Baiis (qui locus thermas Campanas habet) lapide. Vidimus ſane, ea in vrbe cùm eſſemus; locum quemdam, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξεσμένην λίθου ἐγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον, καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν, &c. *Vbi baſilicam ingentem vno exciſum ſaxo conſpeximus: rem profectò maximam, & admiratione omni digniſſimam, vbi oracula eam ediſſe, &c.* aiebant vide.

c Foliis palmarum (vt ait Varro) inſcribit nomina, id eſt, verba ſiue oracula notis quibuſdam cõtractioribus ad maius ſcripturæ compendium comprehenſa, videtur ad notas Tironis alludere; quæ & extant à Lipſio editæ.

d Donatus. *Sumit inquit folia, illic reſponſa conſcribit, ordinat, & dimittit* ſecluſa & à ſe inuicem ſeparata; *veniunt homines conſiderant folia, & futura cognoſcunt. Sed hic habet mos ipſe cõtrariũ quippe ſi ventus impulerit fores, & ordinationem foliorum turbauerit, pereunt conſulta, & dubij remeant, qui inſtructi fuerant redituri.* Præclare omnia, niſi quòd melius dixiſſet pro *ſi ventus impulerit fores*, ſi ventus, apertâ ianuâ, hanc foliorum inſcriptorum ſeriem & contextum ſiue carmina impulerit.

e Seriem & ordinem foliorum reſtituere, & in priſtinum ſitum reuocare.

f Nullo accepto oraculo diſcedunt.

*Hic tibi ne qua moræ* a *fuerint diſpendia tanti,*
*(Quamuis increpitent ſocij, & vi curſu in altum*
*Vela vocet, poſſiſque ſinus* b *implere ſecundos)*
*Quin adeas vatem, precibúſque oracula poſcas,*
*Ipſa canat* c *vocémque volens, atque ora reſoluat,*
*Illa tibi Italiæ populos, venturáque bella*
*Et quo quemque modo fugiáſq; feráſq; laborem,*
*Expediet, curſuſque dabit venerata ſecundos.*
*Hæc ſunt, quæ noſtra liceat te voce moneri.*
**Helenus munera donat. Ænea** *Vade age & ingentem factis fer ad æthera Troiã* d.
*Quæ poſtquàm vates ſic ore effatus amico eſt,*
*Dona dehinc auro grauia, ſectóque elephanto* e
*Imperat ad naues ferri, ſtipatque* f *carinis*
*Ingens argentum, Dodonæóſque lebetas.*

*a* Ne tanti æſtima celeritatem nauigationis, vt tempus inutiliter conſumptum putes, quòd conſultandæ Sibyllæ impenderis, & ex hoc mora diſpendio credas aliquod detrimentum redundare.

*b* Quamuis ventis ſecundis poſſis velorum ſinus implere, & Feliciter nauigare.

*c* Non in foliis oracula deſcribat; ſed viua voce futura prædicat.

*d* Hunc locum multis exponit Meſſala Coruinus libello, de Auguſti progenie, de ſcropha alba & triginta porcellis diſſerens, *Hinc ſcrophæ ſignum*, inquit *Troianis ortum quidam tradidere ſeu ob iniecti fundamenti regiæ ſedis memoriam, ſeu quia quietis genti ſcropha ſignum dederat, ſeu ob æternum inſignè nominis Troiæ, quæ huius vocabulo animalis vulgo Italicè includitur.* Paulo poſt. *Quare elatum ſcrophæ vexillum*, & hunc ipſum verſum explicans: *Troiam*, inquit, *id eſt, inſigne Troianorum*. Vide dicta ad primum Æneidos verſu 252.

*e* Ebore, dente elephanti Homerus. πριστοῦ ἐλέφαντος.

*f* Condenſat, & coaceruat confertim.

*g* Lebetes factos ex ære Epirotico, à Dodona vrbe Epiri, vbi & lebetum tinnitu reddebatur oraculum, de quo Suidas fuſè,

*Loricam conſertam hamis* a, *auroque trilicem* b,
*Et conum* c *inſignis galeæ, criſtáſque comantes,*
*Arma Neoptolemi, ſunt & ſua* d *dona parenti.*
*Addit equos, addit que duces.*
*Remigium ſupplet* e *: ſocios ſimul inſtruit armis.*
*Interea claſſem velis aptare iubebat* — Helenus Anchiſæ.
*Anchiſes, fieret vento mora ne qua ferenti* f.
*Quem Phœbi interpres* g *multo compellat honore,*
*Coniugio Anchiſa Veneris dignate* h *ſuperbo,*

*a* Lipſius lib. 3. de militia dial. 6. θώρακας ἁλυσιδωτοὺς vertit *loricas hamatas*: quod ad verbum eſſet *loricas catenatas*, quia circuli & catenæ nexæ hamuli ſpeciem dimidiatæ referebant: aut quia & hami catenulas iungebant. Sidonius Paneg. ad Anthemium.

—*Nec futilis illi*
*Circulus impactis, Loricam texuit hamis.*

vernaculè, *une cotte de mailles.*

*b* Silius lib. 2.

—*textam nodis, auroque trilicem Loricam*—

Turnebus lib. 29. cap. 35. *Trilices loricæ ex eo videntur appellatæ, quod cùm eſſent hamis vel ſquamis ferreis confectæ, præterea tribus erant liciis ornatæ, per eas currentibus.*

*c* Conus, inquit Varro lib. 4. de ling. dictus *quod cogitur in cacumen.* Iſidorus: *Conus eſt curuatura quæ in galea prominet, & ſupra quam criſtæ ſunt.* Euſtachius χαλὸς id eſt conos ὀχεῖα τινα *fiſtulas aut tubulos quoſdam,* in quos criſtæ immittuntur. Statius.

—*Criſta nitenti Inſurgens cono*—

*d* Ærati illius conuenientia.

*e* Subdit alios remiges in eorum locum quia in inſula Creta peſte perierant, vſus eſt verbo militari alludens ad ſupplementa legionum. Remigum turbam peſte exhauſtam & diminutam ſupplet nouis remigibus.

*f* Fauenti & ſecundo. vt lib. 4.

*Expectes facilémque fugam ventoſque ferentes.*

*g* Helenus vates.

*h* Qui dignus inuentus es, cui Venus matrimonio iungeretur.

*Cura deûm, bis* a *Pergameis erepte ruinis,*
*Ecce tibi* b *Auſoniæ tellus, hanc arripe velis.*
*Et tamen hanc pelago præterlabare neceſſe eſt.*
*Auſoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo,*
*Vade ait, ô felix nati pietate, quid vltra*
*Prouehor* c, *& fando ſurgentes demoror Auſtros.*
*Nec minùs Andromache digreſſu mæſta ſupremo*
*Fert picturatas auri ſubtemine* d *veſtes:*
*Et Phrygiam* e *Aſcanio chlamydem, nec cedit* f *honori,*
*Textilibuſque onerat donis, ac talia fatur*
*Accipe & hæc, manuum tibi quæ monimẽta mearũ*
*Sint puer, & longum Andromaches teſtentur amorem*

Andromaches munera.

Andromache Aſcanio

a Semel cùm Troiam cœpit Hercules, iterum cùm Agamemnon. Pergamus arx Troianæ ciuitatis.

b Ecce tibi in propinquo eſt Italia. In illam exſcende: cùm tamen in ea Iunoni ſacrificaueris, iterum eſt nauigandum, & longo circuitu petenda pars illa Italiæ, quæ Troianis eſt deſtinata.

c Quid plura loquor? metaphora à re nautica. Vide notas in Cœlianam parag. 51. *Prætervecta ſcopulos videtur oratio.*

d Cerdanus interpretatur, pictas arte textoria. Eſt enim, inquit, ſubtemen filum illud quod per ſtamina, id eſt per ſtantia in longum fila hinc inde percurrit alterna ſublatione & depreſſione, quo facto vtrumque pariter & ſtamen & ſubtemen addenſantur percuſſione pectinis, ac demum omnia formata in telam conuoluuntur iugo: porro picturatas veſtes Plautus & alij à variis animalium figuris belluatas appellant.

e Acu Phrygionica pictam: vnde & Phrygiones.

f Munus illud non cedit perſonæ, cui oblatum eſt, honori & dignitati: vel: Si Andromache non ſuperat liberalitatem Heleni, ſaltem æquat, & non illi cedit honoraria munera ſuis hoſpitibus offerendo.

Prout

*Coniugis Hectoreæ: cape dona extrema tuorum.*
*O mihi ſola mihi ſuper Aſtyanactis* a *imago:*
*Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,*
*Et nunc æquali tecum pubeſceret æuo.*
*Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis.*
*VIVITE felices quibus eſt fortuna peracta* *Æneas vale dicis Heleno & Andromache.*
*Iam ſua* b: *nos alia ex aliis in fata vocamur.*
*Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum:*
*Arma neque Auſoniæ ſemper cedentia* d *retrò*
*Quærenda: effigiem Xanthi, Troiamque videtis,*
*Quam veſtræ fecêre manus, melioribus opto*
*Auſpiciis, & quæ fuerit minùs obuia Graiis.*
*Si quando Tyberim, vicináque Tybridis arua*
*Intraro, gentique meæ data mœnia cernam:*
*Cognataſque vrbes olim, populóſque propinquos*
*Epiro, Heſperia, quibus idem Dardanus author,*
*Atque idem caſus, vnam faciemus vtramque* f

a Filij mei qui ab Vlyſſe de turri deiectus eſt, nequis ex Hectoris progenie ſupereſſet.

b Pro *Iam veſtra,* ſic Naſo 1. de remedio.

*Ad me decepti iuuenes præcepta venite*
*Quos ſuus ex omni parte fefellit amor.*

c Pulchrè Nonnius in Dionyſiacis nauigationem cum agricultura comparat.

Ναυτίλος ἀγρονόμος, δρόμος, αὔλακες, ὁλκὰς ἐχέτλη.
*Nauta, colonus, curſus, ſulci, oneraria, ſtiua*
vel *Agricola eſt remex, ſulci, via, puppis aratrum.*

d Quæ iam pridem ſequimur, nec vnquam poſſumus apprehendere, ſic lib 6.

*Vix tandem Italiæ fugientis prendimus oras.*

e Quam fuerint auſpicia veteris Troiæ quæ bis armis Græcorum exciſa eſt. f E duabus vrbibus cognatis & conſanguineis ab eadémque metropoli deductis, quarum alteram tu feciſti in Epiro, ego alteram facturus ſum in Italia, vnam Troiam animis & concordia faciemus.

Troiam animis: maneat noſtros ea cura nepotes.
Prouehimur pelago vicina Ceraunia a iuxta:
Nauigant. Troiani. Vnde iter Italiam curſúſque breuiſsimus b vndis.
Sol ruit interea, & montes vmbrantur opaci,
Sternimur optatæ gremio telluris ad vndam
Sortiti remos c: paſsimque in littore ſicco
Corpora curamus, feſſos ſopor irrigat artus.
Palinuri ſolertia. Nec dum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, d & omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat,
Sydera cuncta notat tacito e labentia cœlo.
Arcturum f, pluuiáſque Hyadas, geminóſque Triones g:
Armatumque h auro circunſpicit Oriona,

a Altiſſimos Epiri montes Chaoniæ vicinos, dictos Ceraunia ſiue Acroceraunia ἀπὸ τῦ κεραυνῦ, quia crebris fulminibus feriuntur.

b Traiectus ſeptuaginta quinque milliariorum, vt notat Plinius.

c Seruius. *Per ſortem diuiſi ad officia remigandi, quis eſſet proreta, quis pedem teneret.*

d Præcipuus totius claſſis gubernator.

e Vel ſereno cùm nulli ventorum flatus obſtrepunt, vel nocturno cum animalia conticeſcunt

f Vide primum Æneidos verſu 748.

g Duas illas conſtellationes, quæ terunt polum, id eſt aſſiduè circa polum verſantur. Triones quaſi teriones propriè boues aratores dicuntur. Harum conſtellationum alteram Helicen vocant, ſiue vrſam maiorem, alteram minorem vrſam, ſiue Cynoſuram.

h Aureo fulgore coruſcantem: armatum ait, quia enſifer. Ouidius. *Enſifer Orion adſpiciendus erit.* Aratus.

—— ὠρίων ξίφεος γὲ μὲν ἶφι πεποιθώς.

—— *Orion gladij quoque robore fretus.*

& alij quam plurimi.

*Poſtquàm cuncta videt cœlo conſtare a ſereno,*
*Dat clarum è puppi ſignum: nos caſtra mouemus:*
*Tentamúſque viam, & velorum pandimus alas.*
*Iámque rubeſcebat ſtellis aurora fugatis* b,
*Cum procul obſcuros colles, humilémque videmus*
*Italiam: Italiam primus conclamat Achates;*
*Italiam læto ſocii clamore ſalutant.*
*Tum pater Anchiſes magnum cratêra* c *coronâ*
*Induit* d, *impleuitque mero: diuóſque vocauit* e

*Videns Italiam & ſalutant.*

*Anchiſes libat diis marinis.*

a Palinurus aduertens omnia ſigna ſerenitatis eſſe & cōſtantiæ, claſſicum canit, & profectionem denuntiat: nos ſoluimus è portu, nóſque mari committimus, & vela, quæ ſunt quaſi quædam nauium alæ, ventis captandis expandimus.

b Obſcuratis ſolis propinquantis aduentu. Statius.

—— *Et moto leuiter fugat aſtra flagello*

c Quid ſit crater, videri poteſt ex Heſiodo in operibus.

Μηδέποτ᾽ οἰνοχόον τιθέμεν κρατῆρος ὕπερθεν.

*Nec tu vnquam calicem crateri imponere debes.*

Quem in verſum Scholiaſtes κρατὴρ γὰρ ἀγγεῖόν τι ἦν, ὥσπερ λέβης, τιθέμενον ἐν τοῖς συμποσίοις, καὶ πληρούμενον οἴνου κεκερασμένου· οἰνοχόον δ᾽ ἐστὶ κύλιξ, ἥτις δι᾽ ἧς ἐκ τοῦ κρατῆρος ἀρύοντες ἔπινον. *Crater enim vas quoddam fuit lebetis inſtar, in conuiuiis poſitū, & vino temperato plenum. Oenochoë verò vt calix, aut aliud einſmodi, quo è cratere haurientes bibebāt.* Hom. Odyſ. 9. verſ. 10

Μέθυ δ᾽ ἐκ κρατῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι

—— *Inferat hauſtum.*
*E cratere, ſcyphis fundens pincerna Lyæum.*

Vide etiam primum Iliados verſu 470. ne te à viris doctis in fraudem induci patiare, qui hoc loco nomine crateris poculum interpretantur, & ad magnos herorum ſcyphos alluſum putant ex Athenæo.

d De more apud Homerum frequenter κρατῆρας ἔπες, ἔφαστον crateras coronarunt. Vide primum Æneid. verſu 734.

e De more, nā vt ait Thucydides l. 6. Nauigantes. εὐχὰς τὰς νομιζομένας, &c. ἐποιοῦντο, κρατῆρας τε κεράσαντες καὶ πώμασι χρυσοῖς τε καὶ ἀργυροῖς οἵ τε ἐπιβάται, καὶ οἱ ἄρχοντες σπένδοντες

*Stant celſa in puppi:*

*Dii maris, & terræ, tempeſtatumque potentes,*
*Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.*
*Crebreſcunt optatæ auræ* a*: portúſque pateſcit*
*Iam propior* b*: templúmque apparet in arce* c *Mineruæ.*
Templũ Mineruæ.
*Vela legunt* d *ſocii & proras ad littora torquent,*
*Portus* e *ab Eoo fluctis curuatur in arcum:*
*Obiectæ ſalsâ, ſpumant aſpergine cautes*
*Ipſe latet: gemino dimittunt brachia muro*
*Turriti ſcopuli: refugitque* f *â littore templum.*
*Quatuor hîc, primum omen,* g *equos in gramine vidi*

*Solennes preces faciebant, & crateras mero implentes, poculis aureis & argenteis vectores duceſque libabant.*

a Venti ſecundi ex voto noſtro crebriùs aſpirant.

b Portus qui elongiquo ſpectantibus clauſus videbatur, & latebat poſt cautes obiectas, iam incipit pateſcere, & latior videtiè propinquo.

c Hoc templum tradit Seruius *Caſtrum* etiam fuiſſe dictum bene *in arce*: quia Minerua dicitur arcibus præeſſe. Virg.

— *Pallas quas condidit arces,* *Ipſa colat.* —

Catullus de eadem — *Retinens in ſummis vrbibus arces.*

d Socij vela colligunt, & remis contiſque ſubigunt naues ad littus.

e Portus in orientem obuerſus in ſimilitudinem arcus inflectitur: latens ſiue abſconditus poſt cautes, ſiue rupes ipſi obiectas, ad quas fluctus aquæ ſalſæ alliſi in ſpumam reſoluuntur: ſuper ſcopulis ædificatæ ſunt turres, & duo muri magnitudine pares, brachiorum inſtar, per ſcopulorum decliuia porriguntur: templum Mineruæ in ſummo promontorij faſtigio poſitum longiùs à littore remouetur.

f Seruius *Ædificia vicina litteribus longe intuenti videntur in mari quæ accedentibus quaſi recedere, & retrò ſe agere putantur: vel quia ſitum eſt in colle qui ſenſim creſcit à littore.*

g Augaria etiam à pedeſtribus, ſiue quadrupedibus petie

*Tondentes* a *campum latè candore niuali.*
*Et pater Anchiſes, Bellum ô terra hoſpita* b *portas* Omen equorum
*Bello* c *armãtur equi, bellũ hæc armenta minantur.*
*Sed tamen iidem olim curru ſuccedere ſueti*
*Quadrupedes, & fræna iugo concordia ferre.* Troiani
*Spes eſt pacis, ait, tum numina ſancta precamur* precantur
*Palladis armiſonæ, quæ prima accepit ouantes.* Mineruam.
*Et capita* d *ante aras Phrygio velamur amictu,*
*Præceptiſque Heleni, dederat quæ maxima, ritè*
*Iunoni Argiuæ* e *iuſſos adolemus* f *honores.* Iunoni
*Haud mora, continuò perfectis ordine votis* ſacrificant.
*Cornua* g *velatarum obuertimus antennarum,*
*Graiugenúmque domos* h, *ſuſpectáque linquimus arua.*
*Hinc ſinus Herculei* i *( ſi Vera eſt fama,) Tarenti* Tarentum.

*a* Depaſcentes.
*b* In qua verſamur vt hoſpites & perigrini, non vt ciues & inquilini.
*c* Ad bellum.
*d* Vel Græcis fauenti, & proindre Troianis inimicæ, vel quæ Argis colebatur. Certe Solinus cap. 8. Iunoni Argiuæ templum in his Italiæ tractibus ab Iaſone conditum fuiſſe teſtatur. f Vide lib. 1. verſu 713.
*g In Antenna*, inquit Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem, *quæ crucis pars eſt extremitates cornua vocantur.* Autumna igitur ſiue antenna, eſt ſuprema pars mali, vel potiùs tranſuerſum lignum, quod velis obuoluitur.
*h* Magnam Græciam, de qua ſuperiùs.
—— *Cuncta malis habitantur mœnia Graiis.*
*i* Vel quia Taras Herculis filius id oppidum cendidit: vel quia Phalantus octauus ab Hercule Lacedæmonius eò coloniam deduxit Lacedæmoniorum, qui quòd tempore belli Meſſenici, parentibus incertis nati eſſent, vocabantur Parthenij quaſi nati ex virginibus. Horatius.
—— *& regnata petam Laconi Rura Phalanto.*

*Cernitur: attollit ſe diua Lacinia* a *contra* b,
Lacinia. *Caulonisque arces* c, *& nauifragum* d *Scylacæum.*
*Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:*
*Et gemitum ingentem pelagi, pulſatáque ſaxa*
*Audimus longè, fractáſque* e *ad littora voces:*
*Exultántque vada* f, *atque æstu miſcentur arenæ.*
*Et pater Anchiſes: Nimirum hæc illa Charybdis,*
*Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.*
*Eripite* g *ô ſocii, paritérque inſurgite remis.*
*Haud minùs, ac iuſſi faciunt, primuſq; rudentē* h
*Contorſit læuus* i *proram Palinurus ad vndas.*
*Læuum cuncta cohors remis, ventiſque petiuit.*
*Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem*

a Templum Iunonis in Lacinio promontorio poſitum, ſinui Tarentino reſpondet è regione. *In hoc templo*, inquit Seruius *illud miraculi fuiſſe dicitur, vt ſi quis in tegula templi ſuum ipſius nomen incideret, tandiu illa ſcriptura maneret, quamdiu is homo viueret, qui illud ſcripſiſſet.* Scribit etiam Plinus l. 2. cap. 170. *In Laciniæ Iunonis ara ſub Dio ſita cinerem immobilem eſſe perflantibus vndique procellis.*

b Sinus Tarentinus, auctore Plinio lib. 3. cap. 11. abeſt C. XXXVI. M. *paſſuum à Lacinio promontorio aduerſam ei Calabriam in peninſulam emittens.*

c Promontorium, vbi Plinius lib. 3. & 10. *veſtigia oppidi Caulonis* agnoſcit.

d Promontorium periculoſum nauibus appulſis: videtur dictum. ἀπὸ τῶν σκυλακῶν *à catulis*, quorum latratum vndæ reſonantes videntur imitari.

e Sonitum aquarum quę ad littus & ſcopulos alliſæ reſonant. Horatius. *Fractiſque rauci fluctibus Adriæ.*
eſt que Scyllæ deſcriptio.

f Atque ex imis vadis excitantur & reſiliunt, & arenæ miſcentur vndis æſtuantibus, & vorago Charybdis diſcribitur.

g Claſſem ab inſtanti periculo liberare.

h Reſonantem aquarum impulſu.

i Verſus Siciliam.

*Subductâ* a *ad manes imos deſcendimus vndâ:*
*Ter ſcopuli* b *clamorem inter caua ſaxa dedêre,*
*Ter ſpumam eliſam* c, *& rotantia vidimus aſtra.*
*Interea feſſos ventus cum ſole reliquit,*
*Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.*
*Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens* Ætna.
*Ipſe, ſed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis.*
*Interdúmque* d *atram prorumpit ad æthera nubem*
*Turbine fumantem piceo* e, *& candente fauilla:*
*Attollitque globos flammarum, & ſydera lambit:*
*Interdum ſcopulos, auulsáque viſcera montis*
*Erigit eructans: liquefactáque ſaxa ſub auras*
*Cum gemitu glomerat, fundóque exæſtuat imo.*
*Fama eſt Enceladi* f *ſemiuſtum fulmine corpus*

*a* Nos iidem qui fluctibus alte intumeſcentibus elati fueramus aqua ſe ſubtrahente, ad imum maris fundum, & quaſi ad ipſos inferos deſcendimus, ob vicinitatem Charybdis.

*b* Videntur ſcopuli è fluctibus eminere; ſaxa verò aquis eſſe cooperta vt ſuprà *ſaxa cæca*. dixit quæ, vt ibi ex Donato monuimus à nautis *Subaquanea* vocantur.

*c* Aquas ex alliſione ad ſcopulos in ſpumam reſolutas: ſiue ſpumam alliſione expreſſam, quæ tam alte attollebatur vt videretur ipſum cœlũ adſpergere, propter Scyllæ vicinitatem.

*d* Mons Ætna interdum tantam fumi nigrantis & fauillâ mixti copiam proruptè emittit, vt inſtar nubis in nigrum turbinem conuolutæ & fulgetris horridæ, cœlum ipſum obtexat: tam alte flammarum globos attollit, vt cœlum lambere videantur: interdum ſcopulos eructat, & ſaxa in calcem præ nimio calore reſoluta glomeratim eiicit, & imo cauernarum fundo flammis exæſtuat.

*e* Nigro, inſtar arboris piceæ, cuius liquor exuſtus atrum fumum emittit. 9. Æneidos.

*Piceum fert fumida lumen* *Tæda.*

*f* Gigantis qui diis Bellum intulit, & Iouis fulmine percuſſus eſt.

*Ante & Trinacria* a *lentandus* b *remus in vnda:*
*Et ſalis Auſonij luſtrandum nauibus æquor,*
Inſula Circes. *Infernique lacus,* c *Ææque* d *inſula Circes,*
*Quam tutâ poſſis vrbem componere terrâ.*
*Signa tibi dicam, tu condita mente teneto,*
*Cum tibi ſollicito* e *ſecreti ad fluminis vndam*
*Littoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus,*
Sus alba. *Triginta capitum fœtus enixa iacebit,*
*Alba ſolo recubans, albi circum vbera* f *gnati:*
*Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.*
*Nec tu menſarum morſus* g *horreſce futuros.*
*Fata viam inuenient* h*: aderitque vocatus* i *Apollo.*
*Has autem terras,* k *Italique hanc littoris oram,*

*a* In mari Siculo, dicta Trinacria ἀπὸ τῶν τριῶν ἄκρων à tribus *Promontoriis* Peloro, Pachyno, Lilybæo.

*b* Tam fortiter remigandum vt remi flectantur & incuruentur. Catullus Nuptiis Pelei & Thetidos.

*Quiue fugit lentos incuruens gurgite remos.*

*c* Seruius, Lucrinum & Auernum dicit: inter quos eſt ſpelunca, per quam ad inferos deſcendebatur.

*d* De circe Solis filia vide 7. Æneid. à verſu 10. Dicitur Ææa ab inſula Colchidi vicina, fuit enim ſoror Ætæ Colchorum Regis.

*e* De ſollicitudine Æneæ 8 Æneid. verſu 18. de ſue alba, eodem lib. verſu 4. & 18

*f* Seruius. *Varro dicit etiam hoc ſigni fuiſſe, quod cùm etiam alterius coloris porci in fœtu huius porcæ fuerint, albi tantummodo circum vbera ſint reperti.*

*g* De quibus hoc ipſo libro, verſu 256.

*h* Vide lib. 7. verſu 109.

*i* Cuius nomine nominata fuerat. Celæno.

*l* Noli naues tuas appellere ad Calabriam: quæ regio Italiæ nobis proxima eſt, & Epirotici maris vndis æſtuantibus perfunditur: noli, inquam, ad illam Italiæ partem nauigare: quia Græci nomini Troiano infeſti in omnibus Calabriæ vrbibus habitant: vnde & Magna Græcia nominatur.

*Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,* **Magna**
*Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graÿs,* **Græcia.**
*Hic* [a] *& Narycij poſuerunt mœnia Locri:*
*Et Salentinos obſedit milite campos*
*Lyctius Idomeneus* [b] *: hic* [c] *illa ducis Melibœi*
*Parua Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.*
*Quin* [d] *vbi trãſmiſſæ ſteterint trãs æquora claſſes,*
*Et poſitis aris iam vota in littore ſolues:*
*Purpureo velare comas adopertus amictu:*

*a* In Calabria. Porro duo genera Lucrorum fuerunt in Aiacis Oilei comitatu: alij Epizephyrij, alij Ozolei. Poſt naufragium ad Caphaream rupem, de quo primo libro à verſu 13. Epizephyrij ad Italiam, Ozolei ad Libyam naues appulerunt. Epizephyrij vrbem Locros Epizephyros dictam in Italia condiderunt. Narycij à Naryce Locrorum oppido

*b* Idomeneus Creta expulſus, vt viſum eſt ſuprà verſu 121. Salentinos Calabriæ campos occupauit. Dictus Lyctius à Lycto Cretæ ciuitate.

*c* In eadem Italiæ parte Philoctetes, Pæantis filius, comes Herculis, ortus è Melibœa Theſſaliæ ciuitate, tempeſtate diſjectus in Italiam condidit Petiliam, vel ſaltem mœnibus ſepſit. Nam apud Seruium, *ait Cato à Philoctete condita iampridem ciuitate, murum tantum factum.* Paruam appellat, quaſi rationem reddens cur Petilia nominetur. *Petilus* enim apud antiquos erat *paruus*: vnde & vernaculè *petit*. Lucilius apud Nonium. *Inſigni varis cruribus & petilis*

*d* Narrat Seruius Diomedem, cum variis cladibus affligeretur, iuſſum fuiſſe oraculo, Palladium olim à ſe ſubreptum, reſtituere Troianis: *quod cùm ille vellet implere, Æneam inuenit, ſacrificantem, qui ſacrificij ordinem non rupit, & Palladium Nautes accepit.* Hæc eſt igitur huius loci ſententia: Dixit tibi vitandam eſſe eam Italiæ partem quæ à Græcis tuis hoſtibus habitatur, quinetiam cùm littus Laurentinum perueneris, debes velari, ſiue habere velatas comas amictu purpureo, ne tibi ſacrificanti Græcus aliquis occurrat, quod & ſacrificium turbaret, & inauſpicatum eſſet, infelicisque præſagij.

Capite uelato ſacrificandum

*Nequa inter ſanctos ignes in honore deorum*
*Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.*
*Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto:*
*Hac caſti* a *maneant in relligione* b *nepotes.*
*Aſt vbi diſgreſſum Siculæ te admouerit oræ*
*Ventus, & anguſti* c *rareſcent clauſtra* d *Pelori:*
*Læua tibi tellus, & longo læua petantur*
*Æquora circuitu* e*: dextrum fuge littus & vndas,*
*Hæc loca* f *vi quondam & vaſtâ conuulſa ruinâ,*
(Tantum *æui longinqua valet mutare vetuſtas*)

a Pij & religioſi, lib. 6. *Quique ſacerdotes caſti.*

b Plutarchus Quæſtionibus Romanis, τοὺς δ᾽ θεοὺς οὕτω προσεκύνουν ἐπιφράττοντες ἑαυτοὺς τῇ ἐπικαλύψει τῆς κεφαλῆς, &c. *Deos ſic adorabant, vt hac obiectione capitis ſeipſos demitterent* Iam dixerat de Ænea καὶ τοῦ Διομήδους παρεξιόντος ἐπικαλυψάμενος τὴν θυσίαν ἀπετέλεσε. *Diomede prætereunte, caput velauit, & ſacrificium abſoluit.* Ne videlicet ſacrificāti hoſtilis facies occurreret. Quod ad omnium perturbationem ſpectat, notandum illud εὐλαβούμενοί τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν ἐπιχορθοῦς ἀπαίσιον καὶ δύσφημον ἄχρι τῶν ὤτων ἀνελάμβανον τὸ ἱμάτιον. *Verentes ne qua vox mali ominis foris accideret: vſque ad aures, veſtem ſurſum attrahebant. Velare comas,* id eſt, velare ſecundum comas: vel habere comas velatas.

c Inter columnam Rhegiam Italiæ, & Pelorum Siciliæ promontorium, tantæ ſunt maris anguſtiæ, vt vix ſit ter mille paſſuum intercapedo.

d Seruius. *venientibus de Ionio propter curuaturam littorum, clauſæ videntur anguſtiæ, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur,* quod noſter ait *rareſcere.*

e Cùm ad Pelorum accedes dextram relinque, ne ad Latium tendens cogaris illas anguſtias quæ ſunt inter Scyllā & Charybdin penetrare: ſed ad ſiniſtram inflectens longo circuitu totam Siciliam circumluſtra.

f Salluſtius in fragmentis. *Italiam coniunctam Siciliæ conſtat fuiſſe: ſed medium ſpatium aut per humilitatem abruptum eſt aquis, aut propter anguſtiam ſciſſum.*

*Diſſiluiſſe ferunt, cùm protinus a vtraque tellus* Sicilia ac Italiæ finibus diuiſa.
*Vna foret: vênit medio vi pontus & vndis*
*Heſperiũ Siculo latus abſcidit* b*: aruáq; & vrbes*
*Littore diductas* c *anguſto* d *interluit æſtu* e*,*
*Dextrum Scylla* f *latus, læuũ implacata Charybdis*
*Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos* Charybdis.
*Sorbet in abruptum fluctus* g*, rurſúſque ſub auras*
*Erigit alternos, & ſydera verberat vnda.*
*At Scyllam* h *cæcis cohibet ſpelunca latebris* Scylla.
*Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem,*
*Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo*
*Pube tenus: poſtrema immani corpore Piſtrix,*
*Delphinum caudas, vtero commiſſa luporum.*

*a* Conjunctim, cùm Sicilia & Italia vnam faceret continentem.

*b* Siciliæ latus ab Italiæ latere ſeparauit.

*c* Diuulſas, diſtractas, ſeparatas.

*d* Freto tribus paſſuum millibus non latiore.

*e* Seruius. *Æſtum poëtæ maris anguſtiis arctati ideo appellant, quòd ibi commotione reciproci curſus mare videatur æſtuare.*

*f* Commode Cerdanus. Nauigantibus ex Epiro Italia dextra eſt, Sicilia læua: eſt verò Scylla in Italia prope Rhegium, ac proinde ad dextram: Charybdis in Sicilia prope Zanclen, ac proinde ad læuam.

*g* Charybdis imo profundi maris gurgite vaſtos fluctus ſorbet in abruptam voraginem, eoſdemque rurſus alterna vomitione ita eructat, vt ad cœlum propè eos emittere videatur, *alternos*, quia accipit vt vomat, rurſus vomit vt accipiat.

*h* Scylla eſt mõſtrum marinum incluſum in ſpeluncâ latebroſa, os frequenter exerens, & naues ad ſe trahens. Cui monſtro eſt facies humana: eſtque virgo vſque ad vmbilicum: poſtrema verò pars corporis deſinit in piſtricem, ſiue piſtrin, id eſt in cetum marinum, ſiue balænam: quæ piſtrix habet vterum voracem & lupinum, commiſſum ſiue coniunctum caudis delphinum, ſiue cuius vtero lupino commiſſæ ſunt, & velut aſſutæ caudæ delphinorum.

*Præſtat* a *Trinacrij metas luſtrare Pachyni*
*Ceſſantem,* b *longos & circumflectere curſus,*
*Quàm ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro*
*Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa.*
*Præterea, ſi qua eſt Heleno prudentia vati,*
*Si qua fides, animum ſi veris implet Apollo:*
*Vnum illud tibi nate dea, præque omnibus vnum*
Placanda Iuno. *Prædicam, & repetens iterúmq; iterúmq; monebo.*
*Iunonis magnæ primùm prece numen adora,*
*Iunoni cane* c *vota libens, dominámque potentem*
*Supplicibus ſupera donis* d *: ſic denique victor* e
*Trinacriâ* f *fines Italos mittêre relictâ*
*Huc vbi delatus, Cumæam acceſſeris vrbem,*
*Diuinóſque lacus* g, *& Auerna ſonantia* h *ſyluis,*

*a* Melius eſt totam Siciliam circuire, & quemadmodum in circo & curuli certamine currus circum metam flectuntur, ita circa Pachynum Siciliæ promontorium flecti, quàm Scyllam videre canibus ſuccinctam latrantibus.

*b* Plus temporis in itinere conſumentem.

*c* Seruius. *Cane* autem de hiſtoria eſt; nam & bello Punico matrimi & patrimi cantauerunt Iunoni, & benetria poſuit, quæ ad religionem pertinent, *prece*, *voti*, *donis*.

*d* Donis ſuppliciter oblatis, eam vel inuitam & reluctantem obliga, vt tibi ſit mitis.

*e* Propoſiti effector.

*f* Ouidius 13. metamorph.

*Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli*
*Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant*
*Sicaniam, tribus hæc excurrit in æquora linguis,*
*E quibus imbriferos verſa eſt Pachynus ad auſtros:*
*Mollibus expoſitum Zephyris Lilybæon: ad arctos*
*Æquoris expertes ſpectat, Boreámque Pelorus.*

hinc dicta Trinacria à tribus promontoriis, quæ Naſo linguas appellat. *g* Lucrinum & Auernum Diti conſecratos.
*h* Reſonantia non ſuo murmure, ſed propter ſyluas vento crepitantes.

*Inſanam vatem* [a] *adſpicies: quæ rupe* [b] *ſub ima*
*Fata canit, foliiſque notas, & nomina* [c] *mandat:*
*Quæcunque in foliis* [d] *deſcripſit carmina virgo,*
*Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit:* Sibilla.
*Illa manet immota locis, neque ab ordine cedunt.*
*Verùm eadem, verſo tenuis cùm cardine ventus*
*Impulit, & teneras turbauit janua frondes:*
*Nunquam deinde cauo volitantia prendere ſaxo,*
*Nec reuocare ſitus* [e]*, aut jungere carmina curat.*
*Inconſulti* [f] *abeunt, ſedémque odêre Sibyllæ.*

*a* Sibyllam Apollinis furore inſtinctam & futura prædicentem. Vide notas in Sextianã parag. 23. *Vaticinari atq; inſanire.*
*b* Iuſtinus Martyr cohortatione priore ad Græcos exeunte. Reſponſa dedit in vrbe, cui Cumæ nomen eſt, ſexto à Baiis (qui locus thermas Campanas habet) lapide. Vidimus ſane, ea in vrbe cùm eſſemus; locum quemdam, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξεσμένην λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον, καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον εἶναι τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν, &c. *Vbi baſilicam ingentem vno exciſum ſaxo conſpeximus: rem profectò maximam, & admiratione omni digniſſimam, vbi oracula eam edidiſſe, &c.* aiebant vide.
*c* Foliis palmarum (vt ait Varro) inſcribit nomina, id eſt, verba ſiue oracula notis quibuſdam cõtractioribus ad maius ſcripturæ compendium comprehenſa, videtur ad notas Tironis alludere; quæ & extant à Lipſio editæ.
*d* Donatus. *Sumit namque folia, illic reſponſa conſcribit, ordinat, & dimittit* ſecluſa & à ſe inuicem ſeparata; *veniunt homines conſiderant folia, & futura cognoſcunt. Sed hic habet mos ipſe cõtrariũ quippe ſi ventus impulerit fores, & ordinationem foliorum turbauerit, pereunt conſulta, & dubij remeant, qui inſtructi fuerant redituri.* Præclare omnia, niſi quòd melius dixiſſet pro ſi *ventus impulerit fores*, ſi ventus, apertâ ianuâ, hanc foliorum inſcriptorum ſeriem & contextum ſiue carmina impulerit.
*e* Seriem & ordinem foliorum reſtituere, & in priſtinum ſitum reuocare.
*f* Nullo accepto oraculo diſcedunt.

*Hic tibi nequa moræ* a *fuerint diſpendia tanti,*
*( Quamuis increpitent ſocij, & vi curſu in altum*
*Vela vocet, poſſiſque ſinus* b *implere ſecundos)*
*Quin adeas vatem, precibúſque oracula poſcas,*
*Ipſa canat* c *vocémque volens, atque ora reſoluat,*
*Illa tibi Italiæ populos, venturáque bella*
*Et quo quemque modo fugiáſq; feráſq; laborem,*
*Expediet, curſúſque dabit venerata ſecundos.*
*Hæc ſunt, quæ noſtra liceat te voce moneri.*
*Vade age & ingentem factis fer ad æthera Troiã* d.

*Helenus munera donat. Ænea*

*Quæ poſtquàm vates ſic ore effatus amico eſt,*
*Dona dehinc auro grauia, ſectóque elephanto* e
*Imperat ad naues ferri, ſtipatque* f *carinis*
*Ingens argentum, Dodonæóſque lebetas.*

a Ne tanti æſtima celeritatem nauigationis, vt tempus inutiliter conſumptum putes, quòd conſultandæ Sibyllæ impenderis, & ex hoc mora diſpendio credas aliquod detrimentum redundare.
b Quamuis ventis ſecundis poſſis velorum ſinus implere, & Feliciter nauigare.
c Non in foliis oracula deſcribat; ſed viua voce futura prædicat.
d Hunc locum multis exponit Meſſala Coruinus libello, de Auguſti progenie, de ſcropha alba & triginta porcellis diſſerens, *Hinc ſcrophæ ſignum*, inquit *Troianus ortum quidam tradidere ſeu ob iniecti fundamenti regiæ ſedis memoriam; ſeu quia quietis genti ſcropha ſignum dederat, ſeu ob æternum inſignè nominis Troiæ, quæ huius vocabulo animalis vulgo Italicè includitur.* Paulo poſt. *Quare elatum ſcrophæ vexillum.* & hunc ipſum verſum explicans: *Troiam*, inquit, *id eſt, inſigne Troianorum.* Vide dicta ad primum Æneidos verſu 252.
e Ebore, dente elephanti Homerus. πρίστοῦ ἐλέφαντος.
f Condenſat, & coaceruat confertim.
g Lebetes factos ex ære Epirotico, à Dodona vrbe Epiri, vbi & lebetum tinnitu reddebatur oraculum, de quo Suidas fuſè,

*Loricam conſertam hamis* a,*auroque trilicem* b,
*Et conum* c *inſignis galeæ, criſtáſque comantes,*
*Arma Neoptolemi, ſunt & ſua* d *dona parenti.*
*Addit equos, addit que duces.*
*Remigium ſupplet* e *: ſocios ſimul inſtruit armis.*
*Interea claſſem velis aptare iubebat* Helenus Anchiſæ.
*Anchiſes, fieret vento mora ne qua ferenti* f.
*Quem Phœbi interpres* g *multo compellat honore,*
*Coniugio Anchiſa Veneris dignate* h *ſuperbo,*

*a* Lipſius lib. 3. de militia dial. 6. θώρακας ἁλυσιδωτοὺς vertit *loricas hamatas*: quod ad verbum eſſet *loricas catenatas*, quia circuli & catenæ nexæ hamuli ſpeciem dimidiatæ referebant: aut quia & hami catenulas iungebant. Sidonius Paneg. ad Anthemium.

*—Nec futilis illi*
*Circulus impactis, Loricam texuit hamis.*

vernaculè, *une cotte de mailles*.

*b* Silius lib. 2.

*——textam nodis, auroque trilicem Loricam —*

Turnebus lib. 29. cap. 35. *Trilices loricæ ex eo videntur appellatæ, quod cùm eſſent hamis vel ſquamis ferreis confectæ, præterea tribus erant liciis ornatæ, per eas currentibus.*

*c* Conus, inquit Varro lib. 4. de ling. dictus *quod cogitur in cacumen.* Iſidorus: *Conus eſt curuatura quæ in galea prominet, & ſupra quam criſtæ ſunt.* Euſtachius χαλοὺς id eſt conos ὀχεῖα τινα *fiſtulas aut tubulos quoſdam*, in quos criſtæ immittuntur. Statius.

*—Criſta nitenti Inſurgens cono —*

*d* Ærati illius conuenientia.

*e* Subdit alios remiges in eorum locum quia in inſula Creta peſte perierant, vſus eſt verbo militari alludens ad ſupplementa legionum. Remigum turbam peſte exhauſtam & diminutam ſupplet nouis remigibus.

*f* Fauenti & ſecundo. vt lib. 4.

*Expectet facilémque fugam ventoſque ferentes.*

*g* Helenus vates.

*h* Qui dignus inuentus es, cui Venus matrimonio iungeretur.

*Cura deûm, bis* [a] *Pergameis erepte ruinis,*
*Ecce tibi* [b] *Auſoniæ tellus, hanc arripe velis.*
*Et tamen hanc pelago præterlabare neceſſe eſt.*
*Auſoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo,*
*Vade ait, ô felix nati pietate, quid vltra*
*Prouehor* [c], *& fando ſurgentes demoror Auſtros.*
*Andromaches munera.* *Nec minùs Andromache digreſſu mæſta ſupremo*
*Fert picturatas auri ſubtemine* [d] *veſtes:*
*Et Phrygiam* [e] *Aſcanio chlamydem, nec cedit* [f] *honori,*
*Textilibuſque onerat donis, ac talia fatur*
*Andromache Aſca-* *Accipe & hæc, manuum tibi quæ monimẽta mearũ*
*Sint puer, & longum Andromaches teſtentur amorem*

*a* Semel cùm Troiam cœpit Hercules, iterum cùm Agamemnon. Pergamus arx Troianæ ciuitatis.
*b* Ecce tibi in propinquo eſt Italia. In illam exſcende: cùm tamen in ea Iunoni ſacrificaueris, iterum eſt nauigandum, & longo circuitu petenda pars illa Italiæ, quæ Troianis eſt deſtinata.
*c* Quid plura loquor? metaphora à re nautica. Vide notas in Cœlianam parag. 51. *Prætervecta ſcopulos videtur oratio.*
*d* Cerdanus interpretatur, pictas arte textoria. Eſt enim, inquit, ſubtemen filum illud quod per ſtamina, id eſt per ſtantia in longum fila hinc inde percurrit alterna ſublatione & depreſſione, quo facto vtrumque pariter & ſtamen & ſubtemen addenſantur percuſſione pectinis, ac demum omnia formata in telam conuoluuntur iugo: porro picturatas veſtes Plautus & alij à variis animalium figuris belluatas appellant.
*e* Acu Phrygionica pictam: vnde & Phrygiones.
*f* Munus illud non cedit perſonæ, cui oblatum eſt, honori & dignitati: vel: Si Andromache non ſuperat liberalitatem Heleni, ſaltem æquat, & non illi cedit honoraria munera ſuis hoſpitibus offerendo.

Prout

*Coniugis Hectoreæ: cape dona extrema tuorum.*
*O mihi ſola mihi ſuper Aſtyanactis* a *imago:*
*Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,*
*Et nunc æquali tecum pubeſceret æuo.*
*Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis.* Æneas vale dicis Heleno & Andromache.
*VIVITE felices quibus eſt fortuna peracta*
*Iam ſua* b*: nos alia ex aliis in fata vocamur.*
*Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum:*
*Arma neque Auſoniæ ſemper cedentia* d *retrò*
*Quærenda: effigiem Xanthi, Troiamque videtis,*
*Quam veſtræ fecêre manus, melioribus opto*
*Auſpiciis, & quæ fuerit minùs obuia Graiis.*
*Si quando Tyberim, vicináque Tybridis arua*
*Intraro, gentique meæ data mœnia cernam:*
*Cognataſque vrbes olim, populóſque propinquos*
*Epiro, Heſperia, quibus idem Dardanus author,*
*Atque idem caſus, vnam faciemus vtramque* f

a Filij mei qui ab Vlyſſe de turri deiectus eſt, nequis ex Hectoris progenie ſupereſſet.

b Pro *Iam veſtra,* ſic Naſo 1. de remedio.

*Ad me decepti iuuenes præcepta venites*
*Quos ſuus ex omni parte fefellit amor,*

c Pulchrè Nonnius in Dionyſiacis nauigationem cum agricultura comparat.

Ναυτίλος ἀροτόμος, δρόμος, αὔλακες, ὁλκὰς ἐχετλή.

*Nauta, colonus, curſus, ſulci, oneraria, ſtiua*

vel *Agricola eſt remex, ſulci, via, puppis aratrum.*

d Quæ iam pridem ſequimur, nec vnquam poſſumus apprehendere, ſic lib 6.

*Vix tandem Italiæ fugientis prendimus oras.*

e Quam fuerint auſpicia veteris Troiæ quæ bis armis Græcorum exciſa eſt. f E duabus vrbibus cognatis & conſanguineis ab eadémque metropoli deductis, quarum alteram tu feciſti in Epiro, ego alteram facturus ſum in Italia, vnam Troiam animis & concordia faciemus.

*Troiam animis : maneat noſtros ea cura nepotes.*
*Prouehimur pelago vicina Ceraunia* a *iuxta:*
Nauigant. Troiani *Vnde iter Italiam curſúſque breuiſſimus* b *vndis.*
*Sol ruit interea, & montes vmbrantur opaci,*
*Sternimur optatæ gremio telluris ad vndam*
*Sortiti remos* c *: paſſimque in littore ſicco*
*Corpora curamus, feſſos ſopor irrigat artus.*
Palinuri ſolertia. *Nec dum orbem medium nox horis acta ſubibat:*
*Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus,* d *& omnes*
*Explorat ventos, atque auribus aëra captat,*
*Sydera cuncta notat tacito* e *labentia cælo.*
*Arcturum* f*, pluuiáſque Hyadas, geminóſque Triones* g*:*
*Armatumque* h *auro circunſpicit Oriona,*

*a* Altiſſimos Epiri montes Chaoniç vicinos, dictos Ceraunia ſiue Acroceraunia ἀπὸ τῦ κεραυνῦ, quia crebris fulminibus feriuntur.

*b* Traiectus ſeptuaginta quinque milliariorum, vt notat Plinius.

*c* Seruius. *Per ſortem diuiſi ad officia remigandi, quis eſſet proreta, quis pedem teneret.*

*d* Præcipuus totius claſſis gubernator.

*e* Vel ſereno cùm nulli ventorum flatus obſtrepunt, vel nocturno cum animalia conticeſcunt

*f* Vide primum Æneidos verſu 748.

*g* Duas illas conſtellationes, quæ terunt polum, id eſt aſſiduè circa polum verſantur. Triones quaſi teriones propriè boues aratores dicuntur. Harum conſtellationum alteram Helicen vocant, ſiue vrſam maiorem, alteram minorem vrſam, ſiue Cynoſuram.

*h* Aureo fulgore coruſcantem : armatum ait, quia enſifer. Ouidius. *Enſifer Orion adſpiciendus erit.* Aratus.

—— ὠρίων ξίφεος γε μὲν ἶφι πεποιθώς.

—— *Orion gladij quoque robore fretus,*

& alij quam plurimi.

*Poſtquàm cuncta videt cælo conſtare* a *ſereno,*
*Dat clarum è puppi ſignum: nos caſtra mouemus:*
*Tentamúſque viam, & velorum pandimus alas.*
*Iámque rubeſcebat ſtellis aurora fugatis* b,
*Cum procul obſcuros colles, humilémque videmus* *Videns*
*Italiam: Italiam primus conclamat Achates;* *Italiam*
*Italiam læto ſocii clamore ſalutant.* *& ſalutant.*
*Tum pater Anchiſes magnum cratêra* c *coronâ*
*Induit* d, *impleuitque mero: diuóſque vocauit* e

*Anchiſes libat diis marinis.*

a Palinurus aduertens omnia ſigna ſerenitatis eſſe & cõſtantiæ, claſſicum canit, & profectionem denuntiat: nos ſoluimus è portu, nóſque mari committimus, & vela, quæ ſunt quaſi quædam nauium alæ, ventis captandis expandimus.

b Obſcuratis ſolis propinquantis aduentu. Statius.

*—— Et moto leuiter fugat aſtra flagello*

c Quid ſit crater, videri poteſt ex Heſiodo in operibus.

Μηδέποτ' οἰνοχόην τιθέμεν κρατῆρος ὕπερθεν.

*Nec tu vnquam calicem crateri imponere debes.*

Quem in verſum Scholiaſtes κρατὴρ γὰρ ἀγγεῖόν τι ἦν, ὥσπερ λέβης, τιθέμενον ἐν τοῖς συμποσίοις, καὶ πληρούμενον οἴνου κεκερασμένου· οἰνοχόη δ' ἡ κύλιξ, ἥτι τοῦτο δὴ οὗ ἐκ τοῦ κρατῆρος ἀρύοντες ἔπινον. *Crater enim vas quoddam fuit lebetis inſtar, in conuiuiis poſitũ, & vino temperato plenum. Oenochoë verò vt calix, aut aliud eiuſmodi, quo è cratere haurientes bibebãt.* Hom. Odyſ. 9. verſ. 10

Μέθυ δ' ἐκ κρατῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι

*—— Inferat hauſtum.*
*E cratere, ſcyphis fundens pincerna Lyæum.*

Vide etiam primum Iliados verſu 470. ne te à viris doctis in fraudem induci patiare, qui hoc loco nomine crateris poculum interpretantur, & ad magnos herorum ſcyphos alluſum putant ex Athenæo.

d De more apud Homerum frequenter κρατῆρας ἐπεστέφαντο, crateras coronarunt. Vide primum Æneid. verſu 734.

e De more, nã vt ait Thucydides l. 6. Nauigantes. εὐχὰς τὰς νομιζομένας, &c. ἐποιοῦντο, κρατῆρας τε κεράσαντες καὶ πώμασι χρυσοῖς τε καὶ ἀργυροῖς οἵ τε ἐπιβάται, καὶ οἱ ἄρχοντες σπένδοντες

*Stant celſa in puppi:*
*Dii maris, & terræ, tempeſtatumque potentes,*
*Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.*
*Crebreſcunt optatæ auræ* a*: portúſque pateſcit*
*Iam propior* b*: templúmque apparet in arce* c *Mineruæ.*
Templũ Mineruæ.
*Vela legunt* d *ſocii & proras ad littora torquent,*
*Portus* e *ab Eoo fluctis curuatur in arcum:*
*Obiectæ ſalsâ, ſpumant aſpergine cautes*
*Ipſe latet: gemino dimittunt brachia muro*
*Turriti ſcopuli: refugitque* f *â littore templum.*
*Quatuor hîc, primum omen,* g *equos in gramine vidi*

*Solennes preces faciebant, & crateras mero implentes, poculis aureis & argenteis vectores duceſque libabant.*

a Venti ſecundi ex voto noſtro crebriùs aſpirant.

b Portus qui elongiquo ſpectantibus clauſus videbatur, & latebat poſt cautes obiectas, iam incipit pateſcere, & latior videtiè propinquo.

c Hoc templum tradit Seruius *Caſtrum* etiam fuiſſe dictum bene *in arce*: quia Minerua dicitur arcibus præeſſe. Virg.
— *Pallas quas condidit arces, Ipſa colat.* —
Catullus de eadem — *Retinens in ſummis vrbibus arces.*

d Socij vela colligunt, & remis contiſque ſubigunt naues ad littus.

e Portus in orientem obuerſus in ſimilitudinem arcus inflectitur: latens ſiue abſconditus poſt cautes, ſiue rupes ipſi obiectas, ad quas fluctus aquæ ſalſæ alliſi in ſpumam reſoluuntur: ſuper ſcopulis ædificatæ ſunt turres, & duo muri magnitudine pares, brachiorum inſtar, per ſcopulorum decliuia porriguntur: templum Mineruæ in ſummo promontorij faſtigio poſitum longiùs à littore remouetur.

f Seruius *Ædificia vicina littoribus longe intuenti videntur in mari quæ accedentibus quaſi recedere, & retrò ſe agere putantur: vel quia ſitum eſt in colle qui ſenſim creſcit à littore.*

g Augaria etiam à pedeſtribus, ſiue quadrupedibus pe tit

*Tondentes* a *campum latè candore niuali.*
*Et pater Anchiſes, Bellum ô terra hoſpita* b *portas* — Omen equorum
*Bello* c *armãtur equi, bellũ hæc armenta minantur.*
*Sed tamen iidem olim curru ſuccedere ſueti*
*Quadrupedes, & fræna iugo concordia ferre.* — Troiani precantur Mineruam.
*Spes eſt pacis, ait, tum numina ſancta precamur*
*Palladis armiſonæ, quæ prima accepit ouantes.*
*Et capita* d *ante aras Phrygio velamur amictu,*
*Præceptiſque Heleni, dederat quæ maxima, ritè*
*Iunoni Argiuæ* e *iuſſos adolemus* f *honores.* — Iunoni ſacrificant.
*Haud mora, continuò perfectis ordine votis*
*Cornua* g *velatarum obuertimus antennarum,*
*Graiugenúmque domos* h, *ſuſpectáque linquimus arua.*
*Hinc ſinus Herculei* i *( ſi Vera eſt fama,) Tarenti* — Tarentum.

*a* Depaſcentes.
*b* In qua verſamur vt hoſpites & perigrini, non vt ciues & inquilini.
*c* Ad bellum.
*d* Vel Græcis fauenti, & proindre Troianis inimicæ, vel quæ Argis colebatur. Certe Solinus cap. 8. Iunoni Argiuæ templum in his Italiæ tractibus ab Iaſone conditum fuiſſe teſtatur. *f* Vide lib. 1. verſu 713.
*g In Antenna*, inquit Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem, *quæ crucis pars eſt extremitates cornua vocantur.* Autumna igitur ſiue antenna, eſt ſuprema pars mali, vel potiùs tranſuerſum lignum, quod velis obuoluitur.
*h* Magnam Græciam, de qua ſuperiùs.
—— *Cuncta malis habitantur mœnia Graiis.*
*i* Vel quia Taras Herculis filius id oppidum cendidit: vel quia Phalantus octauus ab Hercule Lacedæmonius eò coloniam deduxit Lacedæmoniorum, qui quòd tempore belli Meſſenici, parentibus incertis nati eſſent, vocabantur Parthenij quaſi nati ex virginibus. Horatius.
—— *& regnata petam Laconi Rura Phalanto.*

*Cernitur: attollit ſe diua Lacinia* a *contra* b,
Lacinia. *Caulonisque arces* c, *& nauifragum* d *Scylacæum.*
*Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:*
*Et gemitum ingentem pelagi, pulſatáque ſaxa*
*Audimus longè, fractáſque* e *ad littora voces:*
*Exultántque vada* f, *atque æſtu miſcentur arenæ.*
*Et pater Anchiſes: Nimirum hæc illa Charybdis,*
*Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.*
*Eripite* g *ô ſocii, paritérque inſurgite remis.*
*Haud minùs, ac iuſſi faciunt, primuſq; rudentē* h
*Contorſit læuus* i *proram Palinurus ad vndas.*
*Læuum cuncta cohors remis, ventiſque petiuit.*
*Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem*

a Templum Iunonis in Lacinio promontorio poſitum, ſinui Tarentino reſpondet è regione. *In hoc templo*, inquit Seruius *illud miraculi fuiſſe dicitur, vt ſi quis in tegula templi ſuum ipſius nomen incideret, tandiu illa ſcriptura maneret, quamdiu is homo viueret, qui illud ſcripſiſſet.* Scribit etiam Plinus l. 2. cap. 170. *In Laciniæ Iunonis ara ſub Dio ſita cinerem immobilem eſſe perflantibus vndique procellis.*

b Sinus Tarentinus, auctore Plinio lib. 3. cap. 11. abeſt C. XXXVI. M. *paſſuum à Lacinio promontorio aduerſam ei Calabriam in peninſulam emittens.*

c Promontorium, vbi Plinius lib. 3. & 10. *veſtigia oppidi Caulonis* agnoſcit.

d Promontorium periculoſum nauibus appulſis: videtur dictum. *ἀπὸ τῶν σκυλακῶν à catulis*, quorum latratum vndæ reſonantes videntur imitari.

e Sonitum aquarum quę ad littus & ſcopulos alliſæ reſonant. Horatius. *Fractiſque rauci fluctibus Adriæ.*
eſt que Scyllæ deſcriptio.

f Atque ex imis vadis excitantur & reſiliunt, & arenæ miſcentur vndis æſtuantibus, & vorago Charybdis diſcribitur.

g Claſſem ab inſtanti periculo liberare.

h Reſonantem aquarum impulſu.

i Verſus Siciliam.

*Subductâ* a *ad manes imos deſcendimus vndâ:*
*Ter ſcopuli* b *clamorem inter caua ſaxa dedêre,*
*Ter ſpumam eliſam* c, *& rotantia vidimus aſtra.*
*Interea feſſos ventus cum ſole reliquit,*
*Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.*
*Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens* Ætna.
*Ipſe, ſed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis.*
*Interdúmque* d *atram prorumpit ad æthera nubem*
*Turbine fumantem piceo* e, *& candente fauilla:*
*Attollitque globos flammarum, & ſydera lambit:*
*Interdum ſcopulos, auulsáque viſcera montis*
*Erigit eructans: liquefactáque ſaxa ſub auras*
*Cum gemitu glomerat, fundóque exæſtuat imo.*
*Fama eſt Enceladi* f *ſemiuſtum fulmine corpus*

*a* Nos iidem qui fluctibus alte intumeſcentibus elati fueramus aqua ſe ſubtrahente, ad imum maris fundum, & quaſi ad ipſos inferos deſcendimus, ob vicinitatem Charybdis.
*b* Videntur ſcopuli è fluctibus eminere; ſaxa verò aquis eſſe cooperta vt ſuprà *ſaxa cæca.* dixit quæ, vt ibi ex Donato monuimus à nautis *Subaquanea* vocantur.
*c* Aquas ex alliſione ad ſcopulos in ſpumam reſolutas: ſiue ſpumam alliſione expreſſam, quæ tam alte attollebatur vt videretur ipſum cœlũ adſpergere, propter Scyllæ vicinitatem.
*d* Mons Ætna interdum tantam fumi nigrantis & fauillâ mixti copiam prorupté emittit, vt inſtar nubis in cigrum turbinem conuolutæ & fulgetris horridæ, cœlum ipſum obtexat: tam alte flammarum globos attollit, vt cœlum lambere videantur: interdum ſcopulos eructat, & ſaxa in calcem præ nimio calore reſoluta glomeratim eiicit, & imo cauernarum fundo flammis exæſtuat.
*e* Nigro, inſtar arboris piceæ, cuius liquor exuſtus atrum fumum emittit. 9. Æneidos.

*Piceum fert fumida lumen Tæda.*

*f* Gigantis qui diis Bellum intulit, & Iouis fulmine percuſſus eſt.

Enceladus. *Vrgeri mole a, ingentémque inſuper Ætnam*
*Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis,*
*Et feſſum quoties mutat latus intremere omnem*
*Murmure Trinacriam, b & cælũ ſubtexere fumo.*
*Noctem illam tecti ſyluis immania c monſtra*
*Perferimus: nec qua ſonitum det cauſa videmus,*
*Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthrâ d*
*Sydereâ polus, obſcuro ſed nubila cælo,*
*Et Lunam in nimbo nox intempeſta e tenebat,*
*Poſtera iámque dies primo ſurgebat Eoo,*
*Humentémque Aurora polo dimouerat vmbram,*
*Cum ſubitò è ſyluis macie confecta f ſuprema*
Græcus ad Troianos accurrit. *Ignoti noua forma viri, miſerandáque cultu*
*Procedit, ſuppléxque manus ad littora tendit,*
*Reſpicimus: dira illuuies immiſſáque g barba*

*a* Hac montis magnitudine premi.
*b* Siciliam vt iam diximus. Ouid. 4. faſt.

*Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor.*
*Trinacris à poſitu nomen adepta loci.*

*c* Immanes & monſtruoſas Cyclopum voces, & fortaſſe ſtrepitum malleorum quibus antra Ætnæa reſonabant, vel etiam crepitum ſaxorum quæ ex Æneæ cauernis eructabantur.
*d* Æthra eſt ſplendor & ſerenitas ætheris. Homerus

— αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

— *Æthra*
*Panditur innubis, ſplendor circumfluit albus.*

Ennius — *Interea fax*
*Occidit, Oceanumque rubrâ tractum obruit æthrâ.*

*e* Media, ſic dicta, inquit Ælius apud Varronem *cum tempus agendi eſt nullum.*
*f* Tanta vt maior cogitari vix poſſit.
*g* Prolixa, promiſſa, ad pectus demiſſa: quippe quam iampridem non totonderat.

*Conſertum tegmen ſpinis* a *: at cætera Graius,*
*Et quondam patriis ad Troiam miſſus in armis.*
*Iſque vbi Dardanios habitus, & Troia vidit*
*Arma procul: paulùm aſpectu conterritus hæſit,*
*Continuitque gradum: mox ſeſe ad littora præceps*
*Cum fletu, precibúſque tulit: per ſydera teſtor,*
*Per ſuperos, atque hoc cœli ſperabile* b *lumen:*
*Tollite me Teucri: quaſcunque abducite terras.*
*Hoc ſat erit: ſcio me Danais è claſſibus vnum,*
*Et bello Iliacos fateor petiiſſe Penates.*
*Pro quo ſi ſceleris tanta eſt iniuria noſtri,*
*Spargite* c *me in fluctus, vaſtoq; immergite ponto.*
*Si pereo, manibus hominum* d *periiſſe iuuabit.*
*Dixerat: & genua amplexus, genibuſque* e *volutans*
*Hærebat: qui ſit, fari quo ſanguine cretus,*
*Hortamur: quæ deinde agitet fortuna fateri.*
*Ipſe pater dextrā Anchiſes haud multa moratus.*

Græci preces ad Troianos.

*a* Veſtem omnino laceratam & ſpinis conſutam, ne diffluere t.

*b* Per has auras, per hunc aërem quem reſpiramus, *lumen* pro aëre quia lumen per illud elementum in terrā tranſmittitur.

*c* Dilacerate me membratim, & membra mea in mare huc illuc diſpergite.

*d* Non monſtrorum, cuiuſmodi ſunt Cyclopes.

*e* Placet Seruij notam adſcribere. *Phyſici dicunt eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes, ut aurem Memoriæ: hinc eſt*

*—— Cynthius aurem*
*Velit, & admonuit. ——*

*Frontem Genio, unde venerantes Deum, tangimus frontem, dextram Fidei, unde paulò poſt.*

*—— Atque animum præſenti pignore firmat.*

*Genua miſericordiæ: unde hæc tangunt rogantes.*

*Immenſum: ſaniem eructans, ac fruſta cruento*
*Per ſomnum commiſta mero,* a *nos magna precati*
*Numina, ſortitique vices* b, *vnà vndique circùm*
*Fundimur, & telo* c *lumen terebramus acuto.* Vlyſes oculum
*Ingens, quod toruâ ſolum ſub fronte latebat,* effodit
*Argolici clypei, aut Phœbææ* d *lampadis inſtar.* Polyphe-
*Et tandem læti ſociorum* e *vlciſcimur vmbras.* mo.
*Sed fugite ô miſeri, fugite, atque ab littore funem*
*Rumpite.*
*Nam qualis, quantúſque cauo Polyphemus in antro*
*Lanigeras claudit pecudes, atque vbera preſſat:*
*Centum alii curuâ hæc habitant ad littora vulgò*
*Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.* Cyclopes
*Tertia iam Luna* f *ſe cornua lumina complent,*
*Cùm vitam in ſyluis inter deſerta ferarum*
*Luſtra,* g *domóſque traho, vaſtóſque ab rupe Cyclopas*
*Proſpicio ſonitúmque pedum, vocémque tremiſco.*

ceruice procubuit, & immenſa corporis magnitudine porrectus totum pene antrum occupauit.

a Vino Maroniano quod Vlyſſes ſecum attulerat, tam generoſo, vt vnius illius calix viginti aquæ calicibus immixtus ſaporem ſuauiſſimum retineret.

b Sortiti quo quiſque loco ſtaret, quinam ex omnibus ſtipitem in eius oculum adigerent.

c Stipitem quem acueramus, & obuſſeramus, vt eius cuſpis magis dureſceret, in eius oculum difigimus.

d Oculum habebat Polyphemus tantæ magnitudinis, quantæ magnitudinis ſol apparet: indicat fuiſſe circularem: vnde & Κυκλωψ quòd habeat *oculum circularem.*

e Sociorum, quos deuorauerat Cyclops, mortem vlciſcimur

f Iam tertius menſis eſt euolutus.

g Cauernas cubilia ferarum, ſiue latibula.

*Victum infelicem, baccas, lapidoſáque a corna*
*Dant rami: & vulſis paſcunt radicibus herbæ,*
*Omnia colluſtrans, hāc primùm ad littora claſſem*
*Conſpexi venientem, huic me, quæcunque fuiſſet,*
Poly- *Addixi, b ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam,*
phemus *Vos animā hanc potiùs: quocunq; abſumite letho.*
*Vix ea fatus erat: ſummo cum monte videmus*
*Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole mouentem*
*Paſtorem Polyphemum & littora nota* d *petentem,*
*Monſtrum horrendum, informe ingens, cui lumen ademptum:*
*Trunca manum pinus* e *regit, & veſtigia firmat.*
*Lanigeræ comitantur oues, ea ſola voluptas,*
*Solaménque mali, de collo fiſtula* f *pendet.*
*Poſtquàm altos tetigit fluctus* g*, & ad æquora venit.*

*a* Habentia nucleum magnum & lapidoſum, vel in ſaxis naſcentia Baccæ autem generale eſt nomen fructuum agreſtium.

*b* Seruius *Signato verbo expreſſit deſperationem*: quaſi in ſeruitutem dedi: eſt enim addicere, rem licitatione adiudicare.

*c* Quàm inter Cyclopas verſer diutiùs.

*d* Conſueta.

*e* Tantæ magnitudinis eſt, vt loco baculi ſiue ſcipionis pinum truncatam geſtet, tum ad prætentandam manu viam in tenebris & cæcitate, tum ad greſſus fulciendos, & firmanda veſtigia.

*f* Multi hoc Hemiſtichium aduentitium & reiiciendum putant, tùm quòd non ſatis habeat grauitatis, tum quod dixerit oues ſolùm eſſe illi ſolatio.

*g* Hyſteron proteron. Vult dicere poſtquam venit ad æquora, fluctus tetigit, vel poſtquam veniens ad mare tetigit fluctus. Quanquam etiam dici poſſit priùs fluctus tangi, quàm ad æquora perueniri. Quia mare non propriè vocatur æquor, niſi, cùm paulo longiùs à littore diſceſſerit.

*Luminis effoſſi fluidum lauit a inde cruorem.*
*Dentibus infrendens gemitu, graditúrq; per equor*
*Iam medium b: nec du fluctus latera ardua tinxit.*
*Nos procul inde fugam trepidi celerare recepto* Fugiunt
*Supplice, c ſic merito: tacitique incidere d funem:* Troiani.
*Verrimus & proni certantibus æquora remis.*
*Senſit, & ad ſonitum vocis e veſtigia torſit.*
*Verùm vbi nulla datur dextrã f affectare poteſtas*
*Nec potis g Ionios fluctus æquare ſequendo:*
*Clamorem immenſum tollit: quo pontus, & omnes*

Ad littus enim non eſt æquata maris ſuperficies, ſed potiùs áſpera ſaxorum crebritate, & vndarum ad littus appulſu.

a Lauat Seruius. *Quod dicunt Phyſici de effoſſo oculo ſanguinem nunquam fluere, verum quidem eſt, ſed ſupra non effoſſum eſſe oculum, ſed terebratum legimus.*

b Donatus. *Mira monſtri deſcriptio, & immenſæ proceritatis expreſſio. Ambulabat, inquit, in medio mari, quaſi graderetur, in terra, neque ad eius latera profundi maris vnda peruenerat.*

c Meritus erat Achæmenides vt reciperetur, ſincerè monens vt fugeremus, docenſque quantum nobis manentibus periculum immineret. *Liberari enim meruit, qui nos propriâ instructione ſeruauit.*

d Nos, inquit Æneas, viſo Cyclope, tam feſtinanter aufugimus, vt funem & retinaculum inciderimus, veriti nimiam cunctationem ſi ſoluerimus, idque fecimus ſilentio, ne ad vocem noſtram ſua veſtigia conuerteret, & proni incumbenteſque in remos tanto impetu remigauimus, vt remiges inter ſe de celeritate certarent.

e Polyphemus ſenſit nos remigare, & ad ſonitum vocis flexit veſtigia. *Remorum*, inquit Seruius, *ſonitum vocem dixit, vox enim eſt omne quod ſonat, ſic alibi:*

—— *Fractáſque ad littora voces.*

f Magno affectu atque auiditate manum intendere, atque iniicere, vt nauim apprehendat, vel manum ſuam eò intendere quo affectat, ſiue deſiderat.

g Nec potis fuit, id eſt, nec potuit tam celeriter nos ſequi, quã celeriter Ionij maris, in quo tum nauigamus, fluctus nos deferebant.

*Intremuère vndæ, penitúſque exterrita tellus*
*Italiæ, curuiſque* a *immugiit Ætna cauernis.*
*At genus è ſyluis Cyclopum, & montibus altis*
*Excitum* b *ruit ad portus, & littora complent.*
*Cernimus adſtantes nequicquam* c *lumine toruo*
*Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentes:*
Cyclopes *Concilium horrendum: quales cum vertice celſo*
*Aeriæ quercus, aut coniferæ Cypariſsi*
*Conſtiterant, ſylua alta Iouis* d*, lucúſue Dianæ.*
*Præcipites metus acer agit quocunque rudentes*
*Excutere* e*, & ventis intendere vela ſecundis.*
*Contra iuſſa mouent* f *Heleni: Scyllam atque Charybdim*

*a* Quia ex curuatis & flexuoſis rupium & cauernarum anfractibus Echo reſultat, & vox duplicatur.

*b* Polyphemi clamore euocatum.

*c* Fruſtra: ſi quidem nobis nocere non poterant, cùm iam longè eſſemus.

*d* Tales illi conſtiterant in littore, quales conſiſtunt quercus, quæ ſunt ſylua Iouis, aut Cypariſſi, quæ ſunt lucus Dianæ, infernæ id eſt Hecatæ conſecratus. Cypariſſos coniferas appellat: nam, vt ſcribit Iſidorus fructus earum *conus vocatur, quia rotunditas eius talis eſt, vt conum amittitur.*

*e* Tanto timore perculſi ſumus vt laxis excuſſiſque rudentibus in quamcunque partem ſpiraret ventus, eò velificationem noſtram verteremus, & paſſis velis quamuis auram captaremus, rati eos omnes ventos eſſe ſecundos qui longiſſime nos à Cyclopum terra propellerent.

*f* Timor quidem cogebat vt quocunque nauigaremus, & ventum, non iudicium ſequeremur, ſed occurrebat præceptum Heleni prohibentis ne vela noſtra tenerent curſum inter Scyllam & Charybdim, & monentis vtramque id eſt Scyllam & Charybdin eſſe viam lethi paruo diſcrimine ſiue interſtitio ſeparatam: quare in hoc cogitationum æſtu tandem ſtatuimus retrò velificationem noſtram conuertere, & in Epirum redire, vnde ſolueramus.

*Inter vtramque viam lethi diſcrimine paruo;*
*Ni* a *teneant curſus, certum eſt dare lintea retro.*
*Ecce autem Boreas* b *anguſta à ſede Pelori*
*Miſſus adeſt; viuo prætervehor oſtia ſaxo*
*Pantagiæ, Megaroſque ſinus, Tapſumq; iacentem.*
*Talia monſtrabat relegens errata retrorſum*
*Littora Achæmenides* c*, comes infelicis Vlyſſis.*
*Sicanio prætenta ſinu* d*, iacet inſula contra*
*Plemmyrium vndoſum* e*, nomen dixere priores*
*Ortygiam: Alphæum* f *fama eſt huc Elidis amnem*

*Boreas feliciter claſſem propellit.*

*Alpheus Arethuſa.*

*a* Ni prò ne vt apud Propertium. *Ni nos divideret, &c.*

*b* Noſter Cerdanus pulcherrimè. Erant Troiani in eo animorum æſtu cùm ſubitò Diis volentibus, Boreas afflauit à freto illo anguſto Pelori, vbi erat Scylla & Charybdis, qui claſſem inde expulit, collocauitque in parte magis tuta ex votô noſtro. Quo vento afflante prætervehor feliciſſimè (ait Æneas) oſtium fluminis Pantagiæ ſinum Megaricum, Tapſum humilem. Porro, vt notat Seruius, Megara oppidum eſt iuxta Syracuſas, Tapſus, inſula non longè à Syracuſis, plana, penè fluctibus par.

*c* Quia occurrebat, vnde hæc loca ſcire potuiſti? Talia, inquit littora à ſe pererrata & priùs luſtrata relegens retrorſum, & quaſi viam à fine ad caput retexens, nobis monſtrabat Achæmenides.

*d* Eſt quædam inſula, Ortygia nomine, quæ Siculo ſinui prætenditur è regione Plemmyrij.

*e* Plemmyrium quidam inſulam, alij fluuium, alij promontorium eſſe tradunt dictum, ἀπὸ τῆς πλημμυρίδος *ob vndatione.* Quod, vt ſcribit Seruius, *vſque illuc vertigo afluantis Charybdis dicitur peruenire.*

*f* Plin. l. 2. cap. 101. *Quidem fontes odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alphæum.* Alphæus eſt fluuius Elidem & Olympiam præterfluens, ad quam celebrantur ludi Olympici: is in terram demergitur, & occultis quibuſdam meatibus ſubter mare in Ortygiam iuxta Syracuſas delabitur: ibique rurſum emergitur iſque, fons dicitur Arethuſa ſtatimque exoneratur, & mari Siculo confunditur. Vide Strabonem lib. 6.

*Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc*
*Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis,*
*Numina magna loci iuſſi* a *veneramur, & inde*
*Exupero præpingue ſolum ſtagnantis* b *Helori.*
*Hinc altas cautes proiectáque* c *ſaxa Pachini*
*Radimus* d, *& fatis nunquam conceſſa moueri*
Camerina. *Apparet Camerina* e *procul, campique Geloi,*
Agrigentum. *Immaniſque Gela* f *fluuii cognomine dicta:*
*Arduus inde Agragas,* g *oſtentat maxima longè*
*Mœnia: magnanimûm quondã generator* h *equorũ*
*Téque datis linquo ventis palmoſa* i *Selinis.*

*a* Prout Helenus nobis præceperat.
*b* Fleuuij, qui ad imitationem Nili in campos effunditur, inquit Seruius, eóſque fœcundat, & pinguefacit.
*c* Porrecta & in mare prominentia ſaxa Pachini promon torij auſtrum ſpectantis.
*d* Præterlegimus, ſiue è propinquo præterimus.
*e* Camerina palus fuit iuxta oppidum eiuſdem nominis, ferunt ex hoc oppido ortam peſtilentiam. Conſultum oraculum, an eam penitus exhaurire deberent, reſpondit.

Μὴ κινει Καμέριναν, ἀκινητος γὰρ ἀμείνων.

*Ne moueas Camerinam, immotam hanc expedit eſſe.*

quo contempto exſiccauerunt paludem & ſedatâ peſtilentia, per eam partem ingreſſis hoſtibus pœnas dederunt.
*f* Ciuitas à fluuio ſic nominata: qui fluuius dici videtur immanis propter aquarum fœditatem. Solinus cap. 11. *Gelonium ſtagnum tetro odore abigit proximantes.*
*g* Agrigentum in arduo montis faſtigio conſtitutum.
*h* Seruius. *Secundum Pindarum quondam Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores reuertebantur. Legimus etiam aliud, cùm in Cappadocia greges equorum periiſſent, Delphici Apollinis reſponſo, adduxerunt equos de Agrigento, & reparauere meliores. Quidam autem dicunt Hieronem Agrigentinum, vel, vt alii fuerunt, Dionyſium tyrannum Siciliæ, equos ad agonem Elidis Olympicum duxiſſe, & omnes viciſſe.*
*i* Vel palmis conſita, vel quæ multas retulit palmas ex ſacris certaminibus. Selinis dicitur quia abundat apio Græci σέλινον appellant.

a Seruius

Et vada dura lego ſaxis a Lilybeia cæcis.
Hinc Drepani b me portus, & illætabilis c ora *Mors Anchiſæ.*
Accipit: hic pelagi tot tempeſtatibus actus,
Heu genitorem omnis curæ, caſûſque leuamen
Amitto Anchiſen: hîc me, pater optime, feſſum
Deſeris, heu tantis nequicquam erepte periclis.
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc d me digreſſum veſtris deus appulit oris.
Sic pater Æneas intentis omnibus vnus
Fata enarrabat diuûm: curſúſque docebat.
Conticuit tandem, factóque hic fine quieuit.

a Seruius; *Verè dixit, nam littus Lilybetanum natura liberum*; lege *littus Lilybetanum naturaliter ſaxis quaſi de induſtria conſtructum eſt.* Donatus. *Saxa cæca ſunt, quæ nautici dicunt ſubaquanea. Hæc facilè decipiunt nauigantes, quoniam dum in occulto ſunt & non eminent, non videntur.*
b Drepanum vrbs non longè à Lilybæo iuxta montem Erycem, dicta vel à falce Saturni, δρέπανον *falx*, vel quòd eius portus falcis inſtar curuetur.
c Triſtis ob mortem Anchiſæ.
d Ab Drepano petebam Italiam, ſed tempeſtas me, verius Deus aliquis in Africam appulit.

*FINIS.*

PVBLII

# VIR. MARONIS

# ÆNEIDOS.

## LIBER IV.

MODESTINI IVRIS CONSVLTI, in Quartum Æneidos Librum.

### *ARGVMENTVM.*

At Regina graui Veneris iam carpitur igni,
Conſulitur ſoror Anna, placet ſuccumbere amori,
Fiunt ſacra Deis, onerantur numina donis.
Itur venatum, Veneris clam fœdera iungunt.
Facti fama volat: monitus tunc numine diuum
Æneas, claſſemque fugæ, ſociósque parabat.
Senſit amans Dido, precibus conata morari.
Poſtquam fata videt, nec iam datur vlla facultas,
Conſcenditque pyram, dixitque nouiſſima verba,
Et vitam infelix multo cum ſanguine fudit.

*AT Regina* a *graui iam dudum* b *ſaucia curis,*
*Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*
*Multa viri virtus animo, multúſque recurſat* d

*Dido amat Æneam.* a Æneas quidē impoſito narrationi fine ſeceſſit ad quietem, at Dido nullam ſibi quietem impertiit, ſed grauiter amore vulnerata frequenti Æneę recordatione nouum ſubiicit amori alimentum, & vulnus acceptum in venis alit, occultoque cupiditatis igne intabeſcit, & lentè conſumitur.

b Ab eo tempore quo Cupido Aſcanij ſpeciem ementitus memoriam Sichæi paulatim aboleuerat, & viuo amore præuerterat, vt narratur lib. 1. exeunte.

c Aduerte vulnus & ignem, quia Cupidini tribuuntur.

*Altera tela arcus, altera tela faces.*

d Virtus admirabilis & multiplex Æneæ, & gloria gentis

*Gentis honos, hærent infixi pectore Vultus,*
*Verbáque, nec placidam a membris dat cura quietem.*
*Poſtera Phœbæâ luſtrabat lampade terras,*
*Humentémque* b *aurora polo dimouerat vmbram,*
*Cùm ſic vnanimem alloquitur maleſana* c *ſororē.*
*Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?*
*Quis nouus hic noſtris ſucceßit ſedibus hoſpes?*
*Quàm ſeſe ore ferens? quàm forti pectore, & armis,* **Amorem detegit Annæ ſorori.**
*Credo equidem* d *(nec vana fides) genus eſſe Deorum.*
*Degeneres animos timor arguit. heu quibus ille*
*Iactatus fatis? quæ bella exhauſta* e *canebat!*
*Si mihi non animo fixum, immotúmque ſederet,*

Troianæ frequenter pulſat & perculit animum Didonis.

a Amor nullam Didoni quietem impertit quæ non ſit perturbata varijs inſomniis, cura eſt amor grauis. Catullus.

*Spinoſas Ericina ferens in pectore curas.*

b Quia rores nocte generantur.

c Amore inſana.

d Bellica fortitudo certum eſt argumentum quo probatur Æneam eſſe nobiliſſimum & à dijs oriundum. Nam ſi obſcuro loco natus eſſet, timor & ignauia illius ignobilitatem oſtenderet. Quo loco degeneres animos ſumi vides non pro ijs qui à generis ſui nobilitate, maiorúmque virtute deſciuerint, ſed pro iis qui nullam habent generis claritatem. Iſidorus lib. 10. *Degener aut ignobilis, aut quod ſit impari genere, aut ſi, cùm ſit optimo genere natus, inhoneſte tamen viuit.*

e Perfecta, tolerata. lib. 11.

*Mitto ea quis muris bellando exhauſta ſub altis.*

*Ne cui me vinclo* a *vellem ſociare iugali* b
*Poſtquam primus* c *amor deceptam morte fefellit,*
*Si non pertæſum thalami,* d *tædæque fuiſſet,*
*Huic* e *uni forſan potui ſuccumbere culpæ.*
*Anna (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi*
*Coniugis, & ſparſos fraterna* f *cæde penates,*
*Solus hic* g *inflexit ſenſus, animúmque labantem*
*Impulit, agnoſco veteris veſtigia flammæ.*

a Quid ſit vinclum iugale explicat Feſtus. *Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſoluebat, factum ex lana ouis: ut ſicut illa in glomos ſublata coniuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus, vinctúſque eſſet, hunc Herculaneo nodo vinctum vir ſoluit ominis gratia, ut ſic ipſe pater felix ſit, ut fuit Hercules qui LXX: liberos reliquit.* Itêm, *Cinctiæ Iunonis nomen ſanctum habebantur in nuptiis, quod initio coniugij ſolutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta,* vel quòd noua nupta nouuſque maritus vinculis quibuſdam ſiue vitia purpurea candido diſtincta ante aram Iunonis Iúgæ inter ſe nectantur. Vide Alexandrum ab Alexandro lib. 2 ca.p. 5.

b Seruius. *Propter iugum quod in matrimonio ponebatur coniunctis.*

c Poſtquam decepta ſum amore priſtini mei coniugis Sichæi, qui mihi immatura morte præreptus eſt, cùm eum diutiùs victurum eſſe ſperarem.

d Nuptiarum alludit ad lectum aduerſum ſiue genialem (de quo pro Milone parag. 13. Nota 6) qui ſternebatur nubentibus & ad quinque illus faces ſiue tædas nuptiales, quas totidem pueri præferebant.

e Ego qui Iarbam alióſque maritos repudiaui, potui fortaſſe vnius duntaxat Æneæ matrimonium admittere. Singulorum verborum, quibus amoris confeſſionem emollit, pondus examinat, culpam appellat, quia minoris temperantiæ eſt ad ſecundas nuptias conuolare.

f Poſtquam maitrus meus Sichæus à fratre meo Pygmalione ante aras Penatium occiſus, eas ſanguine ſuo reſperſit, fraternam cædem appellat, à fratre illatam.

g Solus Æneas meos oculos ad ſe flexit, è quibus amor ad animum penetrauit, cúmque ita concuſſit, vt quodammodo labefaceret.

*Sed a mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat,*
*Vel pater omnipotẽs adigat me fulmine ad vmbras,*
*Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam,*
*Antè pudor quàm te violem, aut tua iura reſoluam.*
*Ille meos* b *primus, qui me ſibi iunxit, amores*
*Abſtulit, ille habeat ſecum, ſervétque ſepulchro.*
*Sic effata ſinum lacrymis impleuit obortis.*
*Anna refert. O luce magis dilecta ſorori,*
*Soláne* c *perpetua mœrens carpêre iuuenta?*
*Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?*
*Id cinerem* d *aut manes credis curare ſepultos?* *Anna reſpõſio.*
*Eſto,* e *ægram* f *nulli quondam flexere mariti.*
*Non Libyæ, non antè Tyro deſpectus Iarbas,*
*Ductoréſque alij, quos Africa terra* g *triumphis*
*Diues alit, placitóne etiam pugnabis amori?*

*a* Imprecor mihi vt prius vel hiatu terræ deglutiar, vel fulmine deiiciar ad inferos, quàm pudoris & pudicitiæ iura violem.

*b* Sichæus. *Cui pater intactam dederat, primiſque iugarat Ominibus.*

*c* Túne ſola perpetuò mœrens priſtini mariti tui necem, iuuentutem tuam ſiue florem ætatis aptum coniugio in viduitate conſumes, & mœrore contabeſces.

*d* Crediſne Sichæum iam in cineres redactum eiúſque ſepulti animam ſiue manes id curare: de manibus vide notas in Var. §. 14.

*e* Sed eſto fueris ita conſtans vt nulli proci tuum coniugium appetentes te inflexerint, non ſolùm ex quo tempore in Africam veniſti, ſed etiam priùs, cum adhuc in vrbe Tyro morareris. Eſto; Iarbam Mauritaniæ Regem, alióſque Reges deſpexeris: debeſne propterea repugnare amori Æneæ, qui tibi tantopere placet.

*f* Ob mortem Sichæi coniugis.

*g* Seruius, *Bellicoſa. Plinius autem ſecundo hiſtoriæ naturalis & Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos inueniſſe*

*Nec venit in mentem, quorum conſederis aruis?*
*Hinc Getulæ vrbes, genus inſuperabile bello,*
*Et Numidæ infreni* a *cingũt, & inhoſpita Syrtis* b
*Hinc deſerta ſiti regio, latéque furentes*
*Barcæi, quid bella Tyro ſurgentia dicam?*
*Germanique* c *minas?*
*Diis* d *equidem auſpicibus reor, & Iunone ſecunda*
*Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas:*
*Quam tu vrbem ſoror hanc cernes? quæ ſurgere regna*
*Coniugio tali, Teucrûm comitantibus armis:*
*Punica ſe quantis attollet gloria rebus?*
*Tu modò poſce Deos veniam* e *ſacriſque litatis* f
*Indulge hoſpitio, cauſſáſque innecte morandi,*

a Vel quod nullis legum frenis regerentur, vel quòd reuera inter equitandum nullis frenis vterentur.

b Vide 1. Æneidos verſu 150. Syrtis inhoſpita, regio ſiti deſerta, latè furentes barbari, nullum ad te auxilium venire patientur, ſi qua belli neceſſitas incumbat, quare operæ pretium eſt vt Æneam maritum accipias, & Troianorum opibus fulciaris.

c Pygmalionis, qui tibi bellum inferet ob theſauros, quos tecum abſtuliſti, bello repetendos.

d Auſpices coniugiis adhibebant. Iuuenalis. *Veniet cum ſignatoribus auſpex*, nec ſine auſpiciis nuptias contrahebant. Deos igitur auſpices fuiſſe, & Iunonem coniugalem Didonis propitiam fuiſſe dicit Anna, cùm fecit vt Æneas tempeſtate iactatus ad Africam appelleret.

e Pacem à Dijs expoſce vt bonâ ipſorum veniâ liceat tibi ad ſecundas nuptias conuolare, nec tibi noceant illæ Diræ quas modò tibi imprecata es.

f Seruius, cùm à Diis placatis veniam impetraueris, da operam hoſpiti tuo & lautitiis, & propone illi multas cauſſas cur debeat in Africa commorari, ſacris porrò *Litatis*, id eſt conſummato, acceptatóque ſacrificio, hoſtiis ritè immolatis, & pace Deorum impetrata.

*Dum pelago deſæuit* a *hyems, & aquoſus Orion,*
*Quaſſatæque rates, & non tractabile cœlum.*
*His dictis incenſum animum inflammauit amore,*
*Spémque dedit dubiæ* b *menti, ſoluítque pudorem.*
*Principio delubra adeunt, pacémque per aras* 55. *Dido & Anna ſacrificant.*
*Exquirunt: mactant* c *lectas* d *de more bidenteis* e
*Legiferæ* f *Cereri, Phœbóque* g*, patríque Lyæo* h,

a Quatuor morandi cauſſæ: maris ſæuitia, tempeſtates Orionis pluuias excitantis, nauium quaſſatio, cœli inclementia.
b Dubitanti nuberet, nécne; ſpem dedit fore vt proſperè illi ſecundæ nuptiæ ſuccederent.
c Seruius. *Olim hoſtiæ immolatæ dicebantur mola ſalſa tactæ: cum vero ictæ & aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur, per laudationem, per boni ominis ſignificationem, vt adolere, nam mactare, eſt propriè magis augere.* Vide Vatinianam paragrap. 14. Nota. 9.
d Donatus in Hecyram. Eximij porci maiores, qui ad ſacrificandum excepti liberiùs paſcuntur. Etenim boues qui ad hoc electi ſunt egregij dicuntur, & oues lectæ.
e *Bidentes* ſunt oues aptæ ſacrificiis, dictæ vel quaſi *biennes*, vel quòd duos dentes eminulos habeant.
f Varias adferunt rationes cur Cereri, & ei legiferæ nuptura Dido ſacrificet. An quia non niſi certis legibus volebat in matrimonium conuenire? an quia de ferendis in eo matrimonio legibus cogitabat? an quia, vt dicitur, *ſine Cerere & Baccho friget Venus?* Ceres prima legum inuentrix, vnde & θεσμοφόρος nominatur. Seruius. *Alii dicunt fauere nuptiis Cererem, quod prima nupſerit Ioui, & condendis vrbibus præſit, vt Caluus docet,*

*Et leges ſanctas docuit, & chara iugauit*
*Corpora connubiis, & magnas condidit vrbes.*

*Nam ideo & aratri ſulco clauditur Ciuitas.*
g Propter auſpicia quibus matrimonium debet iniri.
h *Baccho, ſic dicto* ἀπὸ τοῦ λύειν, quòd ſoluat curas. Ei ſacrificatur, vel quia in ſacris Cereri coniunctus erat, vel quia,
*Lætitiæ Bacchus dator,* — meritò ad nuptias inuocatur.

*Iunoni* a *ante omnes, cui vincla iugalia curæ;*
*Ipſa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido*
*Candentis* b *vaccæ media* c *inter cornua fundit,*
*Aut ante* d *ora Deũ pingues* e *ſpatiatur* f *ad aras.*
*Inſtaurátque* g *diem donis, pecudumque* h *recluſis*

a Iuno Ζυγία ſiue Iugalis à vinculis coniugalibus vocatur, Ouid. in Phyll. *Iunonémque toris quæ præſidet alma maritis.*

b Notum eſt candidas victimas ſolitas fuiſſe Diis ſuperis immolari, hinc illud epigramma.

Αἱ βόες αἱ λευκαὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν.
Ἄν τοί γε νικήσεις ἄμμες ἀπολώμεθα.
*Candentes vaccæ tibi Cæſar Marce ſalutem,*
*Si tu victor eris, funditus occidimus.*

c De more, ſolebant enim inter cornua victimarum vinum infundere. lib. 6.

—*Frontique immergit vina ſacerdos.* Ouid. 1. Faſt.
*Rode caper vitem tamen hinc cùm ſtabis ad aram.*
*In tua quod fundi cornua poſſit, erit.*

d Ante Deorum ſimulacra.

e Sic Homerus frequenter, πίονα νηὸν, id eſt ſanguine delibutas & plenas adipe victimarum.

f Seruius Danielis. *Matronæ enim ſacrificaturæ circa aras facculas tenentes ferebantur quaſi cum quodam geſtu.* id eſt geſtu graui ſaltationémque ſeueram & verecundam imitante, vt ait Turnebus, eò trahens illud Horatij in arte.

*Et feſtis matrona moueri iuſſa diebus.*

g Noſter Ludouicus de la Cerda hanc elicit interpretationem è verbis Donati: *Aliis atque aliis ſubinde ſacris iterum & ſæpe repetitis conatur veluti diẽ producere, & ipſa diuitiùs immorari.* Eſſe autem verbum ſacrorum patet ex 7. Æneidos verſu 141.

*Certatim inſtaurant epulas.*

Idem lib. 8. verſu. 282. Statius 2. Thebaidos.

*Inſtaurare diem feſtáſque reponere menſas.*

Et lib. 7. ——*Da parue tuum trieteride multa*
*Inſtaurare diem.*——

fortaſſe nihil aliud eſt quàm ſuperioris diei feſtiuitatem & ſacrificia renouare.

h Apertis pectoribus hoſtiarum inhiat auiditate magna, & inteſtina ſpirantia adhuc, id eſt, palpitantia rimatur, vt ex illorum motu, calore, notis, iecinoris capitibus futura præ-

*Pectoribus inhians, ſpirantia conſulit exta.*
*Heu vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,*
*Quid delubra* a *iuuāt? eſt mollis* b *flāma medullas*
*Interea & tacitum viuit ſub pectore vulnus.*
*Vritur infelix Dido, totáque vagatur*
*Vrbe furens. Qualis coniectâ cerua ſagittâ,*
*Quam procul incautā nemora inter* c *Creſſia fixit,*
*Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum*
*Neſcius, illa fuga ſyluas* d *ſaltúſque peragrat*
*Dictæos* e *hæret lateri lethalis arundo.*
*Nunc media Æneam ſecum per mœnia ducit,*
*Sidoniaſque* f *oſtentat opes, vrbémque* g *paratam,*

Dido amori accenditur

Comparatio

noſcat. Tibullus. eleg. 5. lib. 2. ad Apollinem.

*—— Per te præſenſit haruſpex*
*Lubrica ſignauit cum Deus exta notis.*

*a Delubrum*, inquit Seruius, *dictum vel propter lacum, in quo manus abluuntur, aut propter tectum coniunctum, quia vno opere abluitur, aut certè ſimulachrum delubrum dicimus à libro, hoc eſt raſo ligno factum, quod Græce ξόανον dicitur.* Feſtus *Delubrum dicebant lignum delibratum quod venerabantur pro Deo.* Sed vide Vatinianam parag. 10. Nota 6.

*b* Dum Dido adit delubra & ſacris operatur, amoris ardor molliter illabens medullas exedit & deuorat, vulnúſque, quod ſilentio tegere cónatur, in eius corde viuit: tacitum vulnus appellat, quia ſoli Annæ ſorori hactenus illud detexerat.

*c* Cretenſia.

*d* Sylua, locus eſt arboribus conſitus, ſaltus vbi ſyluæ & paſtiones ſunt, nemus etiam dicitur à paſtione ἀπὸ τοῦ νέμειν à paſcendo: Græci ἄλσεα καὶ νομὰς appellant vt notat. Varro. Iſidorus *nemoris* nomen deriuat, à numinibus, quòd ibi numina colerentur.

*e* A Dictæo monte Cretenſi. Porro belliſſimè quadrat iſta comparatio; *ſingula enim ſingulis, ceruam Didoni, ſagittam amori, paſtorem Æneæ, nemora vrbi, ictum lethalem amori mortifero comparauit.* *f* Oſtentat ſe & gloriatur de opibus quas ex Sidone vrbe Phœniciæ ſecum aduexerat.

*g* Oſtendit Carthaginem paratum eſſe Æneæ domicilium, ſi in ea velit habitare quaſi ambiens amatorem ſuum.

*Incipit effari, mediáque in voce reſiſtit,*
Amoris affectus *Nunc eadem labente die conuiuia quærit,*
*Iliacoſque iterum demens audire labores*
*Expoſcit, pendétque iterum narrantis ab ore.*
*Poſt vbi* a *digreſſi, luménque obſcura viciſſim*
*Luna premit, ſuadéntque cadentia ſydera ſomnos,*
*Sola domo mœret vacuâ, ſtratíſque relictis*
*Incubat, illum abſens abſentem auditque vidétque.*
*Aut gremio Aſcanium genitoris imagine capta*
*Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem:*
*Non cœptæ* b *aſſurgunt turres, non arma iuuentus*
*Exercet, portúſue, aut propugnacula bello,*
*Tuta parant, pendent opera interrupta, minæque* c
*Murorum ingentes, æquatâque machina cælo.*

*a* Poſtquam Dido & Æneas à ſe inuicem digreſſi fuerant abſoluto conuiuio, & nox diei, luna ſoli viciſſim ſucceſſerat, & nocte propemodum exacta ſidera occidentia ſomnum ſuadebant, Dido ſola in vacuis ædibus præ amoris impatientia mœrebat, & ſtratis è quibus vel ipſa paulò ante, vel Æneas ſurrexerat, fallendi amoris cauſsà incubabat, eiúſque imaginem animo ſuo ſic impreſſerat, vt illum abſens abſentem & videre & audire videretur.

*b* Dido amore Æneæ penitus occupata ſic aliarum rerum curam abiecerat, vt de abſoluendis mœnibus & propugnaculis non ampliùs cogitaret, cæterique Carthaginienſes ceſſante Regina opus incœptum non abſoluerent, nec ſe armis exercerent, nam, —— *Componitur orbis*
*Regis ad exemplum.*

*c* Turnebus lib. 3. aduerſ. cap. 14. Hic minæ ſignificant partes illas murorum, in quibus ſunt propugnatores, hoſtibúſque minantur, quæ ad emiſſionem telorum feneſtratæ ſunt ἐπάλξεις ferè à Græcis vocantur. Alij murorum minas eſſe dicunt ipſos muros nondum abſolutos, qui quòd non haberent impoſitum faſtigium ruinam minari videbantur.

*a Quam ſimul, ac tali præſenſit peſte teneri*
*Chara Iouis coniux, nec famam obſtare furori,*
*Talibus aggreditur b Venerem Saturnia dictis.*
*Egregiam c verò laudem & ſpolia ampla refertis*
*Túque, puérque tuus, magnum & memorabile nomen:*
*Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.*
*Nec me d adeo fallit veritam te mœnia noſtra,* *Iunonis & Veneris colloquium.*
*Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ. (tāto?*
*Sed quis e erit modus? aut f quo nunc certamine*
*Quin potiùs pacem æternam, pactóſq; g Hymenæos*
*Exercemus: habes tota quod mente petiſti,*

*a* Statim atque Iuno aduertit Didonem tam peſtilenti & pernicioſo amore occupari vt perfractis pudoris repagulis, iam aduerſæ famæ metu cohiberi non poſſet, quò minùs in apertam amoris profeſſionem erumperet. De pudore cuſtode virtutum vide Cœlianam parag. 7. Nota. 1. De fama pudicitiæ coniuncta, eadem orat. §. 38. Nota 4. Vide etiam parag. 69.

*b* Ex inſidiis & doloſè alloquitur.

*c* Ironia eſt tranſlatiò ducta è re militari. Quaſi verò magnam laudem retuleris, tu ô Venus & filius tuus Cupido: cùm vos duo numina vnam mulierculam Didonem non vi, ſed dolo & fraude ſuperaſtis, dum cupido tuis conſiliis in Aſcanij formam mutatus iuit Carthaginem, & Æneæ amore Didonem incendit.

*d* Nec me fugit eâ te cauſſâ compulſam fuiſſe ad nectendos huiuſmodi dolos, quòd ſuſpectam haberes Carthaginem meo numini dedicatam. Dixerat Venus 1. Æneid.

—— *Et vereor quò ſe Iunonia vertant Hoſpitia* ——

*e* Sed quis erit modus Didonis miſeriarum & veſtrarum in illam molitionum?

*f Quò* eſt quem ad finem? quem in vſum? cui bono? vt apud Horatium. *Quo mihi diuitiæ, ſi non conceditur vti?* Et ἀποσιώπησις eſt, ſiue reticentia. Quem in finem, tanta vi, tanto conatu, tanto certamine in perniciem miſeræ Didonis incumbitis?

*g* Nuptias ſacris fœderibus & pactionibus copulatas.

*Ardet amans Dido, traxitque a per oſſa furorem.*
*Communem b hunc ergo populum, paribuſque regamus*
*Auſpiciis, liceat Phrygio c ſeruire d marito,*
*Dotaléſque tuæ Tyrios permittere dextræ e,*
Veneris reſponſio. *Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam,*
*Quò regnum f Italiæ Libycas auerteret oras)*
*Sic contra eſt ingreſſa Venus. Quis talia demens*
*Abnuat? aut tecum malit contendere bello?*
*Si modò quod memoras factum fortuna ſequatur.*

*a* Amorem inſanum combibit: qui amor omnia eius oſſa penetrauit & labefêcit.

*b* E Troianis & Carthaginienſibus vnum populum faciamus, & hunc populum communem è duobus conflatum, tu & ego regamus æquali poteſtate. Notat Seruius tranſlatum à comitiis in quibus iiſdem auſpiciis creati, licet non ſimul crearentur, parem tamen habebant honorem, propter eadem auſpicia. Qui porrò magiſtratus maiora auſpicia, qui minora habebant, videre eſt apud Gellium in noctibus Atticis.

*c* Amarè & inuidioſè dictum, quaſi diceret: Quando ad hoc ventum eſt, hoc Didoni & Carthaginienſibus, quaſi beneficij loco tribuatur, vt ſeruiant inimico meo, & inimico Phrygio, id eſt abiecto & infimæ gentis homini.

*d* Serius Danielis. Coemptionis; inquit, ſpeciem tangit. *Coemptio enim eſt vbi libra atque æs adhibentur, &c. Coemptione mulier in poteſtatem viri cedit, atque ita ſuſtinet libris* (lege *parem liberis*, vel *vt liberi*) *conditionem ſeruitutis.* Sed de confarreatione, coempetione, in manum conuentione, vide Cœlianam. §. 32. Notâ 2.

*e* Idem Seruius. *Quaſi per manus coniunctionem ſecundum ius locutus eſt.*

*f* Senſit Venus Iunonem locutam eſſe mente ſimulata, vt Æneam ab Italiæ ingreſſu prohiberet, & ita imperium orbis vniuerſi, quod fata poſteris Æneæ in Italia deſtinabant, interuerteret & transferret Carthaginem, vt pro Romanis Pœni terrarum imperium obtinerent.

*Sed fatis incerta feror, a ſi Iupiter vnam*
*Eſſe velit Tyriis vrbem, Troiáque profectis,*
*Miſceriue probet populos, aut fœdera a iungi.*
*Tu coniux, tibi fas animum tentare precando.*
*Perge, ſequar: tum ſic excepit* b *regia Iuno.*
*Mecum erit iſte labor, nunc qua ratione quod inſtat*
*Confieri* c *poſſit, paucis, aduertere, docebo.*
*Venatum Æneas, vnáque miſerrima* d *Dido*
*In nemus ire parant, vbi primos craſtinus ortus*
*Extulerit Titan,* e *radiiſque retexerit* f *orbem.*
*His ego nigrantem commixta grandine nimbum*
*Dum trepidant alæ* g*, ſaltúſque indagine* h *cingunt,*

*a* Fœdera amorum & nuptiarum. Vide Cælianam. parag. 34. Nota. 11.

*b* Notant interpretes *excepit* verbum eſſe inſidiarum lib. 3. *Excepit incautum.* — Cicero ad Atticum l. 4. *Admoniti ſumus vt caueremus ne exciperemur à Cæſare.*

*c* Confieri, ad exitum perduci, ſic Lucretius lib. 5. à Pontano & Cerdano laudatus.

*Ne forte ex homine & veterino ſemine equorum*
*Confieri credas centauros poſſe.* —

*d* Quæ miſerè deperit Æneam.

*e* Sol quem vnum è Titanibus fuiſſe Hyperioniſque filium fabulantur, qui ſolus è Titanibus Ioui noluit bellum inferre.

*f* Aperuerit, lucem rebus infuderit, & nocturnas tenebras diſſiparit.

*g* *Equites*, inquit Seruius, *ob hoc alæ dicti, quia tegunt pedites alarum vice*. vel, Alas venatorum intellige, qui in dextra ſiniſtraque ſaltûs parte, tanquam in corpore auis alæ, locati feris fugientibus aut in retia ſe inducentibus imminebant, & feſtine claudebant ſyluas indagine.

*h* Seruius nihil aliud quàm ferarum indigationem ſiue inquiſitionem intelligit. Alij vt Budæus notat, & ex eo plerique Maronis interpretes, plagarum ſeriem ſignificare cenſent; in varſos arrectarum, id eſt in furcas venatorias. Lu-

*Deſuper infundã & tonitru cœlum omne a ciebo.*
*Diffugient comites, & nocte tegentur b opaca.*
*Speluncam Dido, dux & Troianus eandem*
*Deuenient: adero, & tua ſi mihi certa c voluntas;*
*Connubio d iungam ſtabili, propriamque dicabo.*
*Hic hymenæus erit. Non aduerſata petenti*
*Annuit, atque dolis riſit Cytherea repertis.*
*Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.*
*It portis iubare e exorto delecta iuuentus.*
*Venationis apparatus.* *Retia f rara, plagæ g, lato venabula h ferro,*
*Maſſylique i ruunt equites, & odora k canum vis.*
*Reginam thalamo cunctantem l ad limina primi*

canus, lib. 3.

*Aut dum diſpoſitis attollat retia varris*
*Venator, &c.*

*a* Ita totum cœlum tempeſtate commouebo, vt tonitruum fragore deſilire videatur.

*b* Ita inuoluentur nubium totum aërem obtegentium caligine, vt Æneam & Didonem videre & comitari non poſſint.

*c* Si meæ voluntati tuam non dubiam, ſed certam & firmam adſcripſeris: vel, Si mihi de tua voluntate conſtiterit.

*d* Hic verſus explicatur primo Æneidos verſu 77.

*e* Varro 6. de lingua Lat. *Iubar dicitur ſtella Lucifer, quæ in ſummo habet diffuſum lumen, vt leo in capite iubam, huius ortus ſignificat circiter eſſe extremam noctem. Itaque ait Pacuuius.*

*Exorto iubare, noctis decurſo itinere.*

*f* Quæ magnas & patentes maculas habebant, id eſt magnis foraminibus inſtructas.

*g* Notat Seruius proprie plagas dici funes illos quibus retia tenduntur circa imam & ſummam partem.

*h* Inſtrumenta venatoria latam aciem ferream habentia.

*i* Maſſylorum gens eſt haud longe à Mauritania.

k Odoriſequa canum multitudo, citatur Liuius Andronicus,

*Dirige odoriſequos ad cæca cubilia canes.*

Ex decoro regio, Ex fœminarum conſuetudine.

*—— Noſti mores mulierum:*
*Dum moliuntur dum comuntur annus eſt.*

ex affectu amantiũ moroſe ſe ornabat, vt Aeneæ ſuo placeret

*Pœnorum expectant, oſtróque a inſignis, & auro*
*Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit;*
*Tandem b progreditur magna ſtipante caterua,*
*Sidoniam picto chlamydem circundata limbo,* Dido.
*Cui pharetra ex humero, crines c nodãtur in aurũ,*
*Aurea purpuream ſubnectit d fibula veſtem.*
*Nec non & Phrygij comites, & lætus Iulus*
*Incedunt: ipſe ante alios pulcherrimus e omnes*
*Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina f iungit,*
*Qualis g vbi Hybernã h Lyciã, Xanthiq; i fluenta*

a Equus aureis & purpureis phaleris, ſiue ephippiis ornatus, ferociens ad ianuam ſtat, terram pedibus pulſans & vngulis ſonitum edens, ore ſpumas agens, & frenum mandens. b Poſt longam expectationem procedit in publicum Regina, cum magno ſtipatorum comitatu, habens chlamydem purpuream (Sidonia & Tyria purpura maximè celebratur) prætextam & circundatã limbo acu picto, id eſt variis coloribus & figuris florum aut beſtiarum intexto. c Crines Didonis aureis teniis ſiue faſcijs in nodum colligantur. d Subligat & colligit veſtem, ne ad talos deſſuens venantem impediat. e Qui pulchritudine ſua & formæ dignitate Didonem magis incendebat. f Comitatum ſuum iungit cum Didonis comitatu.

g Talis incedebat Æneas, qualis Apollo progreditur, cùm relinquit Lyciam, in cuius regionis vrbe nomine Pataris dicitur hyemare, ibique per hyemem dare oracula: relinquit porro Lyciam vt inuiſat inſulam Delon matri ſuæ Latonæ cõſecratam. Ad quam inſulam cùm peruenerit inſtaurat & renouat choros celebrari ſolitos à ſuis cultoribus, ſed intermiſſos propter ipſius abſentiam. Quo in inſulam veniente, confluunt è diuerſis regionibus variæ gentes ipſius cultui mancipatæ, vt Cretenſes, Dryopes, Agathyrſi, qui mixti choreis ſuis circumeunt altaria cum læto fremitu & vlulatu. Ipſe interim Apollo per iuga Cynthi (qui mons eſt in inſula Delo) graditur, capillos ad collum defluentes aut etiam vnguento delibutos laureâ coronâ premens, atque formans faſciis auro cõtextis implexos, & pharetram ſagittis plenam frequentique ſuccuſſione ſonantem geſtans ex humero pendentem. h Vbi Apollo hyberno tempore reddit oracula. i Fluuij qui ex Ida Phry-

*Compa-
ratio.*

*Deſerit, ac Delum maternam inuiſit Apollo,*
*Inſtauratque choros, mixtique altaria circum*
*Cretéſque, Dryopéſque* a *fremunt* b, *pictique* c *Agathyrſi,*
*Ipſe iugis Cynthi graditur, mollique fluentem*
*Fronde premit crinem fingens, atq; implicat auro,*
*Tela ſonant humeris, haud illo ſegnior* d *ibat*
*Æneas, tantum egregio decus enitet ore.*

*Venatio.*

*Poſtquã altos ventũ in montes atq; inuia luſtra* c,
*Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ*
*Decurrere iugis, alia de parte patentes*
*Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui*
*Puluerulenta fugâ glomerãt, monteſq; relinquunt.*

*Aſca-
nius.*

*At puer Aſcanius mediis in vallibus acri*
*Gaudet equo, iámque hos curſu, iam præterit illos,*
*Spumantémque dari pecora inter inertia votis*
*Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonẽ:*
*Interea magno miſceri murmure cælum*

*Tempe-
ſtas & pluuia.*

giæ monte manans Troadem & Lyciam vicinam præterfluit. Bellè autem quadrat comparatio: nam etiam Æneas Xanthum reliquerat è Phrygia diſcedens.

*a* Populi iuxta Parnaſſum. Statius.

—*Dryopumque trahens Eraſinus ariſtas.*

Iam Parnaſſus Apollini ſacer, ac proinde Dryopes eidem addicti. *b* Verbum in ſacris vſitatum 8. Æneidos deſinente.

*Lætitia plauſuque viæ, ludiſque fremebant.*

*c* Ammianus Marcellinus l. 31. *Gelonis Agathyrſi collimitant, interſtincti colore cæruleo, corpora ſimul & crines, & humiles quidem minutis, atque raris: nobiles verò latis, fucatis & denſioribus notis.* Porro hi videntur eſſe Agathyrſi, illi Hyperborei qui frugum primitias & decimas ad Delũ quotannis deferebant, vt ſcribit Callimachus hymno in Delum, à verſu 277.

c Non minus pulcher, nec minùs alacris quàm Apollo.

d Obſcura ferarum latibula ſiue cubilia.

e Aſcanius

*Incipit, inſequitur commixta grandine nimbus,*
*Et Tyrij comites paſſim, & Troiana iuuentus,*
*Dardaniſque nepos [a] Veneris, diuerſa per agros*
*Tecta metu petiêre, ruunt de montibus amnes [b],*
*Speluncam Dido, dux & Troianus eandem*
*Deueniunt, prima & [c] Tellus, & pronuba Iuno* Coniugium Didonis & Aeneæ.
*Dant ſignum, fulſere [d] ignes, & conſcius æther*
*Connubij, ſummoque vlularunt vertice nymphæ [e],*
*Ille dies primus lethi, primuſque malorum*
*Cauſſa fuit, neque enim [f] ſpecie, famáve mouetur,*
*Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem,*
*Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.*

*a* Aſcanius qui Venerem auiam habebat.

*b* Torrentes ex aqua pluuia collecti.

*c* Tradit Seruius etiam Tellurem ex opinione quorumdam nuptiis præfuiſſe. Perite noſter Cerda vir ſane doctus: Tellus & Iuno ſignum dederunt, videlicet vt ignes micarent rutilante æthere ſubito aliquo fulgure, quæ res tam ad Tellurem, quàm ad Iunonem pertinet: exhalationes quippe ſunt terræ, & gignunt fulgur in aëre, qui Iunonis eſt. Iuno pronuba quæ nuptiis præeſt & à Græcis γαμήλιος nominatur.

*d* Fulgura pro facibus nuptialibus è nube micuerunt. Seruius. *Varro dicit: Aqua & igni mariti vxores ducebant, vnde hodiéque & faces prælucent: & aqua petita per feliciſſimum puerum aliquem, aut puellam, de puro fonte intereſt nuptiis, de qua nubentibus ſolebant pedes lauari.*

*e* Vel Nymphæ Oreades ſiue Dryades de ſummo montis vicini vertice hymenæum, Talaſſionem, feſcenninos verſus, & epithalamium cecinerunt (ſic vocabantur cantica nuptialia) vel furiæ ipſæ vlularunt. Dido apud Ouidium.

*Illa dies nocuit, quà nos decliue ſub antrum*
*Cæruleus ſubitis compulit imber aquis.*
*Audieram voces, Nymphas vlulaſſe putaui:*
*Eumenides fatis ſigna dedere meis.*

*f* Teque præſentis ſtatus deformitate, neque infamiæ metu prohibetur Dido, quo minus amoribus palam indulgeat, coniugij & nuptiarum prætextu.

*Extemplo* a *Libyæ magnas it fama per vrbes,*
*Fama malum, quo non aliud velocius vllum,*
*Mobilitate* b *viget, vireſque acquirit eundo.*
*Parua* c *metu primo, mox ſeſe attollit in auras,*
*Ingrediturque* d *ſolo, & caput inter nubila condit;*
*Illum terra parens irâ* e *irritata deorum*
*Extremam (vt perhibent) Cœo, Enceladóque* g *ſororem*
*Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.*
*Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,*

Famæ deſcriptio.

a Vix illud flagitium Dido admiſerat, cùm rei geſtæ fama ſparſa eſt per Libyam vniuerſam. Non vacat quod ait *magnas*, ſiue quòd in magnis vrbibus plures ſunt otioſi qui cuiuſuis rumoris auram aucupentur: Siue quòd quemadmodum exilior etiam fama per paruas vrbes facilè vulgatur, ita magnum eſſe rumorem neceſſe eſt qui magnas etiam vrbes complet.

b Ipſo motu & agitatione creſcit & roboratur.

c Initio parua eſt præ formidine, dum auctores timent agnoſci, ita tamen ſubitò exurgit vt cùm ex humilibus & obſcuris principiis orta fuerit, ad cœlum ipſum efferri, & caput inter nubila concedere videatur.

d Seruius. *Hoc vult oſtendere. Nec humili eam fortunæ parcere, nec ſuperiori, vel quia famæ incertus auctor.* Iulius Scaliger. *Abſcondit fama caput nubibus, propterea quòd famæ caput, id eſt auctor rumorum fere incertus eſt.*

e Vel ira qua ipſa in Deos exarſerat, vel irritata propter iram Deorum, qua ipſi Dij gigantes extinxerant. Porro, vt auctor eſt Seruius. *Famam inducit vltam eſſe fratres, quia ipſa Deorum delicta vulgauit.*

f Vel natu minimam, vel nequiſſimam & improbiſſimam. De prouinciis conſul. paragr. 8. *Sic fortuna cum improbitate certauit, vt nemo poſſet, vtrùm poſterior, an infelicior eſſet, iudicare.* In Piſonem. 86. *Nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius, nihil poſterius, nihil nequius, vbi vide notas.*

g Signanter, ij fuerunt, qui Iouem è cœlo volentes detrudere, fulmine ſunt interempti.

*Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,*
*Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.*
*Nocte volat cœli medio, terræque per vmbram*
*Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.*
*Luce ſedet cuſtos* a, *aut ſummi culmine tecti,*
*Turribus aut altis, & magnas territat vrbes.*
*Tam ficti prauique tenax, quàm nuntia veri.*
*Hæc tum multiplici populos ſermone replebat,*
*Gaudens* b, *& pariter facta, atq; infecta* c *canebat.* *Varij rumores de Ænea & Didone.*
*Veniſſe Æneam Troiano à ſanguine cretum,*
*Cui ſe pulchra viro dignetur iungere Dido.*
*Nunc hyemem inter ſe luxu, quàm longa, fouere,*
*Regnorum immemores, turpique cupidine captos.*
*Hæc paſſim dea fœda* d *virûm diffundit in ora.*
*Protinus* e *ad regem curſus detorquet* f *Iarbam,*

a Noctu diúque eſt in ſpeculis ad aucupendos rumores. Sed nocte volat, luce ſedet, quia quandiu obſcura eſt fama, huc illuc inſtabilis volitat, &

*Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.*

Cùm verò in apertam peruenerit lucem, tum demum conquieſcit, nec amplius mutatur.

b Vel gaudebat Fama propter inuentam famigerationis materiam, vel quia homines rerum nouarum auditionem maximè delectantur.

c Facta canebat aiens *Veniſſe Aeneam*, &c. infecta, vtrique tribuens, quod ſoli conueniebat Didoni. Neque enim Æneas turpi cupidine captus erat, ſed ſola Dido, neque erat regnorum immemor: nam etſi Italici regni cogitationem abiecerat, tamen de fundando regno Carthaginis ſeriò cogitabat. Siquidem Mercurius.

d *Aeneam fundantem arces ac tecta nouantem Conſpicit.*

e Quæ fœdos rumores de Ænea & Didone ſpargebat.

f Curſum magno impetu deflexit, *detorquere* enim eſt vi quadam deflectere.

*Incenditque animum dictis, atque aggerat iras* a.
*Hic Ammone* b *ſatus, rapta Garamantide* c *nympha,*
*Templa Ioui centum latis immania regnis*
Iarbas. *Centum* d *aras poſuit, vigilémq;e ſacrauerat ignẽ,*
*Excubias diuûm æternas, pecudumque cruore*
*Pingue ſolum, & variis florentia limina ſertis* f.
*Iſque amens animi, & rumore accenſus amaro,*
*Dicitur ante aras media inter numina diuûm,*

a Iam quidem iraſcebatur Iarbas quòd Dido ipſius coniugium reſpuiſſet, ſed exaggarata eſt ira & nouis incrementis aucta, poſtquam audiuit nuptias inter Æneam & Didonem fuiſſe contractas.

b Iupiter Ammon in Africa colebatur apud Garamantas, cujus ſimulacrum habebat caput arietis, de quo vide Lucanum, lib. 9. Curtium, lib. 4. & alios paſſim.

c Garamantem Apollinis filium fuiſſe fabulantur, ab hoc Garamanes ( Africæ populus ) nominati : Garamantidem igitur Nympham appellat, vel à patria, vel à patre Garamante.

d Numerus certus pro incerto. Lucanus tamen vnum agnoſcit, lib. 9.

*Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus vnum*
*Inculti Garamantes habent: ſiat corniger illic*
*Iupiter.*———

e Ignem perpetuum ad quem vigiliæ agebantur, Ioui conſecrarat, inſtitueratque quoſdam ſacerdotes ſiue Virgines: quæ ad ſuggerendam ſubinde igni materiam & alimentum non intermiſſis vigiliis excubarent. Commode Turnebus hoc adfert. Plutarchus lib de defectu oraculi. Νεωςὶ δὲ γεγονὼς παρ' ἄμμωνα τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἐκεῖ δῆλος ἦν τεθαυμακὼς, περὶ δὲ τοῦ λύχνου τοῦ ἀσβέστου διηγεῖτο λόγον ἄξιον σπουδῆς. *Cum nuper ad Ammonem profectus fuiſſet, continebat eum cætera valdè mirari de lucerna autem perpetuò ardente rem narrabat animaduerſione dignã.* Omitto perpetuos ignes Troianos, Romanos, Perſicos, Atticos, Eleuſinios, de quibus plura interpretes.

f De more. 1. Æneid.

*Thure calent aræ Sertiſque recentibus halant.*

*Multa Iouem* a *manibus ſupplex oraſſe ſupinis.*
*Iupiter omnipotens, cui nunc* b *Mauruſia pictis*
*Gens epulata toris Lenæum* c *libat honorem,* *Iarbæ precatio inuidioſa.*
*Aſpicis hæc? an te genitor cùm fulmina torques,*
*Ne quicquã horremus, cæcique* d *in nubibus ignes*
*Terrificant animos, & inania murmura miſcent?*
*Fœmina, quæ noſtris errans, in finibus vrbem*
*Exiguam pretio* e *poſuit, cui littus arandum.*

*a* Et hoc de more. Horat. *Cælo ſupinas ſi tuleris manus.* Dicuntur autem ſupinæ manus volis ad cœlum conuerſis.

*b* O Iupiter, qui nunc ex quo tempore tuas religiones inſtitui, epulis ſolennibus & vini libatione coleris à Mauritanis, cùm priùs apud eos nullum cultum aut religionem obtineres. Eſt autem expoſtulatoria Iarbæ oratio. Quæ ſic à Donato cõcipitur. *Iupiter, quem omnis hæc regio veneratur, ſi vides mala quæ geruntur in terris, cur tibi non diſplicent? cur hæc ſinis? aut ſi non vides, & non ex te mittuntur fulmina quæ homines terrent cur coleris? cur non te vniuerſi, contemnimus?* Malim poſteriora ſic interpretari. An fruſtra te metuimus fulminantem? quia fulmina tua in ſceleratos non intorques, ſed fulguras & tonas inaniter nullam exigens pœnam à ſceleratis.

Bacchicum, vel à leniendo, quòd vinum leniat curas, vel ἀπὸ τοῦ ληνοῦ à *lacu*, vel etiam *torculari*. *Lenæum* ponitur pro *Lenæium* iam *Lenæum libare honorem*: Eſt vini primitias in menſam ſiue aram Iouis infundere, cum hac precationis formula MACTE HOC VINO INFERIS ESTO. Vide lib. 1. verſu 740.

*d* Fulgura quæ perſtringunt & pænè excæcant aciẽ oculorum.

*e* Vide 1. Æneid. verſu 371. *pretio*, ait ad deprimendam Didonis fortunam, quæ locum vrbi condendæ nec gratia meruit nec virtute occupauit.

f Deprimit iterum fortunam Didonis. Ei, inquit, littus, id eſt, terram arenoſam & ſterilem arandam conceſſimus. Tã enim erat rerum omnium egena, vt præclare ſecum agi putaret, ſi vel littus infœcundum arare ſineretur. Seruius putat alluſum ad antiquam conſuetudinem, *quod cùm conderetur noua ciuitas e tauro & vacca, ita vt vacca eſſet interior à magiſtratu muri deſignarentur.*

*Nec venit in mentem, quorum conſederis aruis?*
*Hinc Getulæ vrbes, genus inſuperabile bello,*
*Et Numidæ infreni* a *cingũt, & inhoſpita Syrtis* b
*Hinc deſerta ſiti regio, latéque furentes*
*Barcæi, quid bella Tyro ſurgentia dicam?*
*Germanique* c *minas?*
*Diis* d *equidem auſpicibus reor, & Iunone ſecunda*
*Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas:*
*Quam tu vrbem ſoror hanc cernes? quæ ſurgere regna*
*Coniugio tali, Teucrûm comitantibus armis:*
*Punica ſe quantis attollet gloria rebus?*
*Tu modò poſce Deos veniam* e *ſacriſque litatis* f
*Indulge hoſpitio, cauſáſque innecte morandi,*

a Vel quod nullis legum frenis regerentur, vel quòd reuera inter equitandum nullis frenis vterentur.

b Vide 1. Æneidos verſu 150. Syrtis inhoſpita, regio ſiti deſerta, latè furentes barbari, nullum ad te auxilium venire patientur, ſi qua belli neceſſitas incumbat, quare operæ pretium eſt vt Æneam maritum accipias, & Troianorum opibus fulciaris.

c Pygmalionis, qui tibi bellum inferet ob theſauros, quos tecum abſtuliſti, bello repetendos.

d Auſpices coniugiis adhibebant. Iuuenalis. *Veniet cum ſignatoribus auſpex*, nec ſine auſpiciis nuptias contrahebant. Deos igitur auſpices fuiſſe, & Iunonem coniugalem Didonis propitiam fuiſſe dicit Anna, cùm fecit vt Æneas tempeſtate iactatus ad Africam appelleret.

e Pacem à Dijs expoſce vt bonâ ipſorum veniâ liceat tibi ad ſecundas nuptias conuolare, nec tibi noceant illæ Diræ quas modò tibi imprecata es.

f Seruius, cùm à Diis placatis veniam impetraueris, da operam hoſpiti tuo & lautitiis, & propone illi multas cauſſas cur debeat in Africa commorari, ſacris porrò *Litatis*, id eſt conſummato, acceptatóque ſacrificio, hoſtiis ritè immolatis, & pace Deorum impetrata.

*Dum pelago deſæuit* a *hyems, & aquoſus Orion,*
*Quaſſatæque rates, & non tractabile cælum.*
*His dictis incenſum animum inflammauit amore,*
*Spémque dedit dubiæ* b *menti, ſoluitque pudorem.* 55.
*Principio delubra adeunt, pacémque per aras* Dido & Anna ſacrificant.
*Exquirunt: mactant* c *lectas* d *de more bidenteis* e
*Legiferæ* f *Cereri, Phœbóque* g*, patrique Lyæo* h*,*

a Quatuor morandi cauſſæ: maris ſæuitia, tempeſtates Orionis pluuias excitantis, nauium quaſſatio, cœli inclementia.
b Dubitanti nuberet, nécne; ſpem dedit fore vt proſperè illi ſecundæ nuptiæ ſuccederent.
c Seruius. *Olim hoſtiæ immolatæ dicebantur mola ſalſa tactæ: cum vero ictæ & aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur, per laudationem, per boni ominis ſignificationem, vt adolere, nam mactare, eſt propriè magis augere.* Vide Vatinianam paragrap. 14. Nota. 9.
d Donatus in Hecyram. Eximij porci maiores, qui ad ſacrificandum excepti liberiùs paſcuntur. Etenim boues qui ad ho: electi ſunt egregij dicuntur, & oues lectæ.
e *Bidentes* ſunt oues aptæ ſacrificiis, dictæ vel quaſi *biennes*, vel quòd duos dentes eminulos habeant.
f Varias adferunt rationes cur Cereri, & ei legiferæ nuptura Dido ſacrificet. An quia non niſi certis legibus volebat in matrimonium conuenire? an quia de ferendis in eo matrimonio legibus cogitabat? an quia, vt dicitur, *ſine Cerere & Baccho friget Venus?* Ceres prima legum inuentrix, vnde & Θεσμοφόρος nominatur. Seruius. *Alii dicunt fauere nuptiis Cererem, quod prima nupſerit Ioui, & condendis vrbibus præſit, vt Caluus docet,*

*Et leges ſanctas docuit, & chara iugauit*
*Corpora connubiis, & magnas condidit vrbes.*

*Nam ideo & aratri ſulco clauditur Ciuitas.*
g Propter auſpicia quibus matrimonium debet iniri.
h *Baccho, ſic dicto* ἀπὸ τοῦ λύειν, quòd ſoluat curas. Ei ſacrificatur, vel quia in ſacris Cereri coniunctus erat, vel quia,
*Lætitiæ Bacchus dator,* — meritò ad nuptias inuocatur.

*Iunoni* a *ante omnes, cui vincla iugalia curæ,*
*Ipſa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido*
*Candentis* b *vaccæ media* c *inter cornua fundit,*
*Aut ante* d *ora Deũ pingues* e *ſpatiatur* f *ad aras.*
*Inſtaurátque* g *diem donis, pecudumque* h *recluſis*

a Iuno *Ζυγία* ſiue Iugalis à vinculis coniugalibus vocatur, Ouid. in Phyll. *Iunonémque toris quæ præſidet alma maritis.*

b Notum eſt candidas victimas ſolitas fuiſſe Diis ſuperis immolari, hinc illud epigramma.

Αἱ βόες αἱ λευκαὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν.
Ἂν δ᾽ ὔγε νικήσεις ἄμμες ἀπολλύμεθα.
*Candentes vaccæ tibi Cæſar Marce ſalutem,*
*Si tu victor eris, funditus occidimus.*

c De more, ſolebant enim inter cornua victimarum vinum infundere. lib. 6.

*—Frontique immergit vina ſacerdos.* Ouid. 1. Faſt.
*Rode caper vitem tamen hinc cùm ſtabis ad aram.*
*In tua quod fundi cornua poſſit, erit.*

d Ante Deorum ſimulacra.

e Sic Homerus frequenter, πίονα νηὸν, id eſt ſanguine delibutas & plenas adipe victimarum.

f Seruius Danielis. *Matronæ enim ſacrificaturæ circa aras faculas tenentes ferebantur quaſi cum quodam geſtu.* id eſt geſtu graui ſaltationémque ſeueram & verecundam imitante, vt ait Turnebus, eò trahens illud Horatij in arte.

*Et feſtis matrona moueri iuſſa diebus.*

g Noſter Ludouicus de la Cerda hanc elicit interpretationem è verbis Donati: *Alijs atque alijs ſubinde ſacris iterum & ſæpe repetitis conatur veluti diẽ producere, & ipſa diuitiùs immorari.* Eſſe autem verbum ſacrorum patet ex 7. Æneidos verſu 141.

*Certatim inſtaurant epulas.*

Idem lib. 8. verſu. 282. Statius 2. Thebaidos.

*Inſtaurare diem feſtâſque reponere menſas.*

Et lib. 7. *——Da parue tuum trieteride multa*
*Inſtaurare diem.——*

fortaſſe nihil aliud eſt quàm ſuperioris diei feſtiuitatem & ſacrificia renouare.

h Apertis pectoribus hoſtiarum inhiat auiditate magna, & inteſtina ſpirantia adhuc; id eſt, palpitantia rimatur, vt ex illorum motu, calore, notis, iecinoris capitibus futura præ-

*Pectoribus inhians, ſpirantia conſulit exta.*
*Heu vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,*
*Quid delubra* a *iuuāt? eſt mollis* b *flāma medullas*
*Interea & tacitum viuit ſub pectore vulnus.*
*Vritur infelix Dido, totáque vagatur*
*Vrbe furens. Qualis coniectâ cerua ſagittâ,* Dido amore accenditur
*Quam procul incautā nemora inter* c *Creſſia fixit,*
*Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum*
*Neſcius, illa fuga ſyluas* d *ſaltúſque peragrat*
*Dictæos* e *hæret lateri lethalis arundo.*
*Nunc media Æneam ſecum per mœnia ducit,*
*Sidoniaſque* f *oſtentat opes, vrbémque* g *paratam,* Comparatio

noſcat. Tibullus. eleg, 5. lib. 2. ad Apollinem.

*—— Per te præſentit haruſpex*
*Lubrica ſignauit cum Deus exta notis.*

a *Delubrum*, inquit Seruius, *dictum vel propter lacum, in quo manus abluuntur, aut propter tectum coniunctum, quia vno opere abluitur, aut certè ſimulachrum delubrum dicimus à libro, hoc eſt raſo ligno factum, quod Græce ξόανον dicitur.* Feſtus *Delubrum dicebant lignum delibratum quod venerabantur pro Deo.* Sed vide Vatinianam parag. 10. Nota 6.

b Dum Dido adit delubra & ſacris operatur, amoris ardor molliter illabens medullas exedit & deuorat, vulnúſque, quod ſilentio tegere conatur, in eius corde viuit: tacitum vulnus appellat, quia ſoli Annæ ſorori hactenus illud detexerat.

c Cretenſia.

d Syiua, locus eſt arboribus conſitus, ſaltus vbi ſyluæ & paſtiones ſunt, nemus etiam dicitur à paſtione ἀπὸ τοῦ νέμειν à paſcendo: Græci ἄλσεα καὶ νομὰς appellant vt notat. Varro-Iſidorus *nemoris* nomen deriuat, à numinibus, quòd ibi numina colerentur.

e A Dictæo monte Cretenſi. Porro belliſſimè quadrat iſta comparatio; *ſingula enim ſingulis, ceruam Didoni, ſagittam amori, paſtorem Æneæ, nemora vrbi, ictum lethalem amori mortifero comparauit.* f Oſtentat ſe & gloriatur de opibus quas ex Sidone vrbe Phœniciæ ſecum auexerat.

g Oſtendit Carthaginem paratum eſſe Æneæ domicilium, ſi in ea velit habitare quaſi ambiens amatorem ſuum.

*Incipit effari, mediáque in voce reſiſtit,*
*Nunc eadem labente die conuiuia quærit,* Amoris affectus
*Iliacoſque iterum demens audire labores*
*Expoſcit, pendétque iterum narrantis ab ore.*
*Poſt vbi* a *digreſſi, luménque obſcura viciſſim*
*Luna premit, ſuadéntque cadentia ſydera ſomnos,*
*Sola domo mœret vacuâ, ſtratiſque relictis*
*Incubat, illum abſens abſentem auditque videtque.*
*Aut gremio Aſcanium genitoris imagine capta*
*Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem:*
*Non cœptæ* b *aſſurgunt turres, non arma iuuentus*
*Exercet, portúſue, aut propugnacula bello,*
*Tuta parant, pendent opera interrupta, minæque* c
*Murorum ingentes, æquatâque machina cœlo.*

*a* Poſtquam Dido & Æneas à ſe inuicem digreſſi fuerant abſoluto conuiuio, & nox diei, luna ſoli viciſſim ſucceſſerat, & nocte propemodum exacta ſidera occidentia ſomnum ſuadebant, Dido ſola in vacuis ædibus præ amoris impatientia mœrebat, & ſtratis è quibus vel ipſa paulò ante, vel Æneas ſurrexerat, fallendi amoris cauſsà incubabat, eiúſque imaginem animo ſuo ſic impreſſerat, vt illum abſens abſentem & videre & audire videretur.

*b* Dido amore Æneæ penitus occupata ſic aliarum rerum curam abiecerat, vt de abſoluendis mœnibus & propugnaculis non ampliùs cogitaret, cæterique Carthaginienſes ceſſante Regina opus incœptum non abſoluerent, nec ſe armis exercerent, nam, —— *Componitur orbis*
*Regis ad exemplum.*

*c* Turnebus lib. 3. aduerſ. cap. 14. Hic minæ ſignificant partes illas murorum, in quibus ſunt propugnatores, hoſtibúſque minantur, quæ ad emiſſionem telorum feneſtratæ ſunt [illegible] ferè à Græcis vocantur. Alij murorum minas eſſe dicunt ipſos muros nondum abſolutos, qui quòd non haberent impoſitum faſtigium ruinam minari videbantur.

*Quam a ſimul, ac tali præſenſit peſte teneri*
*Chara Iouis coniux, nec famam obſtare furori,*
*Talibus aggreditur* b *Venerem Saturnia dictis.*
*Egregiam* c *verò laudem & ſpolia ampla refertis*
*Túque, puérque tuus, magnum & memorabile nomen:*
*Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.*
*Nec me* d *adeo fallit veritam te mœnia noſtra,* *Iunonis & Veneris colloquium.*
*Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ. (tãto?*
*Sed quis* e *erit modus? aut* f *quo nunc certamine*
*Quin potiùs pacem æternam, pactoſq; Hymenæos*
*Exercemus: habes tota quod mente petiſti.*

*a* Statim atque Iuno aduertit Didonem tam peſtilenti & pernicioſo amore occupari vt perfractis pudoris repagulis, iam aduerſæ famæ metu cohiberi non poſſet, quò minùs in apertam amoris profeſſionem erumperet. De pudore cuſtode virtutum vide Cœlianam parag. 7. Nota. 1. De fama pudicitiæ coniuncta, eadem orat. §. 38. Nota 4. Vide etiam parag. 69.
*b* Ex inſidiis & doloſè alloquitur.
*c* Ironia eſt tranſlatio ducta è re militari. Quaſi verò magnam laudem retuleris, tu ô Venus & filius tuus Cupido: cùm vos duo numina vnam mulierculam Didonem non vi, ſed dolo & fraude ſuperaſtis, dum cupido tuis conſiliis in Aſcanij formam mutatus iuit Carthaginem, & Æneæ amore Didonem incendit.
*d* Nec me fugit eâ te cauſſâ compulſam fuiſſe ad nectendos huiuſmodi dolos, quòd ſuſpectam haberes Carthaginem meo numini dedicatam. Dixerat Venus 1. Æneid.
—— *Et vereor quò ſe Iunonia vertant* *Hoſpitia* ——
*e* Sed quis erit modus Didonis miſeriarum & veſtrarum in illam molitionum?
*f* *Quò* eſt quem ad finem? quem in vſum? cui bono? vt apud Horatium. *Quo mihi diuitiæ, ſi non conceditur vti?*
Et ἀποσιώπησις eſt, ſiue reticentia. Quem in finem, tanta vi, tanto conatu, tanto certamine in perniciem miſeræ Didonis incumbitis?
*g* Nuptias ſacris fœderibus & pactionibus copulatas.

*Ardet amans Dido, traxitque a per oſſa furorem.*
*Communem* b *hunc ergo populum, paribuſque regamus*
*Auſpiciis, liceat Phrygio* c *ſeruire* d *marito,*
*Dotaléſque tuæ Tyrios permittere dextræ* e,
*Veneris reſponſio.* *Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam,*
*Quò regnum* f *Italiæ Libycas auerteret oras)*
*Sic contra eſt ingreſſa Venus. Quis talia demens*
*Abnuat? aut tecum malit contendere bello?*
*Si modò quod memoras factum fortuna ſequatur.*

*a* Amorem inſanum combibit: qui amor omnia eius oſſa penetrauit & labefecit.
*b* E Troianis & Carthaginienſibus vnum populum faciamus, & hunc populum communem è duobus conflatum, tu & ego regamus æquali poteſtate. Notat Seruius tranſlatum à comitiis in quibus iiſdem auſpiciis creati, licet non ſimul crearentur, parem tamen habebant honorem, propter eadem auſpicia. Qui porrò magiſtratus maiora auſpicia, qui minora habebant, videre eſt apud Gellium in noctibus Atticis.
*c* Amarè & inuidiosè dictum, quaſi diceret: Quando ad hoc ventum eſt, hoc Didoni & Carthaginienſibus, quaſi beneficij loco tribuatur, vt ſeruiant inimico meo, & inimico Phrygio, id eſt abiecto & infimæ gentis homini.
*d* Serius Danielis. Coemptionis; inquit, ſpeciem tangit. *Coemptio enim eſt vbi libra atque æs adhibentur, &c. Coemptione mulier in poteſtatem viri cedit, atque ita ſuſtinet libris* (lege *parem liberis*, vel *vt liberi*) *conditionem ſeruitutis.* Sed de confarreatione, coempetione, in manum conuentione, vide Cœlianam. §. 32. Notâ 2.
*e* Idem Seruius. *Quaſi per manus coniunctionem ſecundum ius locutus eſt.*
*f* Senſit Venus Iunonem locutam eſſe mente ſimulata, vt Æneam ab Italiæ ingreſſu prohiberet, & ita imperium orbis vniuerſi, quod fata poſteris Æneæ in Italia deſtinabant, interuerteret & transferret Carthaginem, vt pro Romanis Pœni terrarum imperium obtinerent.

*Sed fatis incerta feror, si Iupiter vnam*
*Eſſe velit Tyriis vrbem, Troiáque profectis,*
*Miſcerìue probet populos, aut fœdera* a *iungi.*
*Tu coniux, tibi fas animum tentare precando.*
*Perge, ſequar: tum ſic excepit* b *regia Iuno.*
*Mecum erit iſte labor, nunc qua ratione quod inſtat*
*Confieri* c *poſſit, paucis, aduertere, docebo.*
*Venatum Æneas, vnáque miſerrima* d *Dido*
*In nemus ire parant, vbi primos craſtinus ortus*
*Extulerit Titan,* e *radiiſque retexerit* f *orbem.*
*His ego nigrantem commixta grandine nimbum*
*Dum trepidant alæ* g*, ſaltúſq; indagine* h *cingunt,*

a Fœdera amorum & nuptiarum. Vide Cælianam. parag. 34. Nota. 11.

b Notant interpretes *excepit* verbum eſſe inſidiarum lib. 3. *Excepit incautum.* — Cicero ad Atticum l. 4. *Admoniti ſumus vt caueremus ne exciperemur à Cæſare.*

c Confieri, ad exitum perduci, ſic Lucretius lib. 5. à Pontano & Cerdano laudatus.

*Ne forte ex homine & veterino ſemine equorum*
*Confieri credas centauros poſſe.* —

d Quæ miſerè deperit Æneam.

e Sol quem vnum è Titanibus fuiſſe Hyperioniſque filium fabulantur, qui ſolus è Titanibus Ioui noluit bellum inferre.

f Aperuerit, lucem rebus infuderit, & nocturnas tenebras diſſiparit.

g *Equites*, inquit Seruius, *ob hoc alæ dicti, quia tegunt pedites alarum vice*. vel, Alas venatorum intellige, qui in dextra ſiniſtraque ſaltûs parte, tanquam in corpore auis alæ, locati feris fugientibus aut in retia ſe inducentibus imminebant, & feſtine claudebant ſyluas indagine.

h Seruius nihil aliud quàm ferarum indigationem ſiue inquiſitionem intelligit. Alij vt Budæus notat, & ex eo plerique Maronis interpretes; plagarum ſeriem ſignificare cenſent; in varios arrectarum, id eſt in furcas venatorias. Lu-

*Pœnorum expectant, oſtróque* a *inſignis,& auro*
*Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit;*
*Tandem* b *progreditur magna ſtipante caterua,*
*Sidoniam picto chlamydem circundata limbo,* Dido.
*Cui pharetra ex humero, crines* c *nodãtur in aurũ,*
*Aurea purpuream ſubnectit* d *fibula veſtem.*
*Nec non & Phrygij comites, & lætus Iulus*
*Incedunt: ipſe ante alios pulcherrimus* e *omnes*
*Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina* f *iungit,*
*Qualis* g *vbi Hybernã* h *Lyciã, Xanthiq;* i *fluenta*

*a* Equus aureis & purpureis phaleris, ſiue ephippiis ornatus, ferociens ad ianuam ſtat, terram pedibus pulſans & vngulis ſonitum edens, ore ſpumas agens, & frenum mandens. *b* Poſt longam expectationem procedit in publicum Regina, cum magno ſtipatorum comitatu, habens chlamydem purpuream (Sidonia & Tyria purpura maximè celebratur) prætextam & circundatã limbo acu picto, id eſt variis coloribus & figuris florum aut beſtiarum intexto. *c* Crines Didonis aureis teniis ſiuè faſcijs in nodum colligantur. *d* Subligat & colligit veſtem, ne ad talos deflvens verantem impediat. *e* Qui pulchritudine ſua & formæ dignitate Didonem magis incendebat. *f* Comitatum ſuum iungit cum Didonis comitatu.

*g* Talis incedebat Æneas, qualis Apollo progreditur, cùm relinquit Lyciam, in cuius regionis vrbe nomine Pataris dicitur hyemare, ibique per hyemem dare oracula: relinquit porro Lyciam vt inuiſat inſulam Delon matri ſuæ Latonæ cõſecratam. Ad quam inſulam cùm peruenerit inſtaurat & renouat choros celebrari ſolitos à ſuis cultoribus, ſed intermiſſos propter ipſius abſentiam. Quo in inſulam veniente, confluunt è diuerſis regionibus variæ gentes ipſius cultui mancipatæ, vt Cretenſes, Dryopes, Agathyrſi, qui mixti choreis ſuis circumeunt altaria cum læto fremitu & vlulatu. Ipſe interim Apollo per iuga Cynthi (qui mons eſt in inſula Delo) graditur, capillos ad collum defluentes aut etiam vnguento delibutos laureâ coronâ premens, atque formans faſciis auro cõtextis implexos, & pharetram ſagittis plenam frequentique ſuccuſſione ſonantem geſtans ex humero pendentem. *h* Vbi Apollo hyberno tempore reddit oracula. *i* Fluuij qui ex Ida Phry-

Comparatio.

*Deſerit, ac Delum maternam inuiſit Apollo,*
*Inſtauratque choros, mixtique altaria circum*
*Creteſque, Dryopéſque* a *fremunt* b *, pictique* c *Agathyrſi,*
*Ipſe iugis Cynthi graditur, mollique fluentem*
*Fronde premit crinem fingens, atq; implicat auro,*
*Tela ſonant humeris, haud illo ſegnior* d *ibat*
*Æneas, tantum egregio decus enitet ore.*

Venatio.

*Poſtquã altos ventũ in montes atq; inuia luſtra* c,
*Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ*
*Decurrere iugis, alia de parte patentes*
*Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui*
*Puluerulenta fugâ glomerãt, monteſq; relinquunt.*

Aſcanius.

*At puer Aſcanius mediis in vallibus acri*
*Gaudet equo, iámque hos curſu, iam præterit illos,*
*Spumantémque dari pecora inter inertia votis*
*Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonẽ:*

Tempeſtas & pluuia.

*Interea magno miſceri murmure cælum*

giæ monte manans Troadem & Lyciam vicinam præterfluit. Bellè autem quadrat comparatio: nam etiam Æneas Xanthum reliquerat è Phrygia diſcedens.

*a* Populi iuxta Parnaſſum. Statius.

*—Dryopumque trahens Eraſinus ariſtas.*

Iam Parnaſſus Apollini ſacer, ac proinde Dryopes eidem addicti. *b* Verbum in ſacris vſitatum 8. Æneidos deſinente.

*Lætitia plauſuque viæ, ludiſque fremebant.*

*c* Ammianus Marcellinus l. 31. *Gelonis Agathyrſi collimitant, interſtincti colore cæruleo, corpora ſimul & crines, & humiles quidem minutis, atque raris: nobiles verò latis, fucatis & denſioribus notis.* Porro hi videntur eſſe Agathyrſi, illi Hyperborei qui frugum primitias & decimas ad Delũ quotannis deferebant, vt ſcribit Callimachus hymno in Delum, à verſu 277.

*c* Non minus pulcher, nec minùs alacris quàm Apollo.

*d* Obſcura ferarum latibula ſiue cubilia.

*Incipit, inſequitur commixta grandine nimbus,*
*Et Tyrij comites paſsim, & Troiana iuuentus,*
*Dardaniſque nepos* [a] *Veneris, diuerſa per agros*
*Tecta metu petiêre, ruunt de montibus amnes* [b]*,*
*Speluncam Dido, dux & Troianus eandem*
*Deueniunt, prima &* [c] *Tellus, & pronuba Iuno* Coniugium Didonis & Aeneæ.
*Dant ſignum, fulſere* [d] *ignes. & conſcius æther*
*Connubij, ſummoque vlularunt vertice nymphæ* [e]*,*
*Ille dies primus lethi, primuſque malorum*
*Cauſſa fuit, neque enim* [f] *ſpecie, famáve mouetur,*
*Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem,*
*Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.*

*a* Aſcanius qui Venerem auiam habebat.

*b* Torrentes ex aqua pluuia collecti.

*c* Tradit Seruius etiam Tellurem ex opinione quorumdam nuptiis præfuiſſe. Perite noſter Cerda vir ſane doctus. Tellus & Iuno ſignum dederunt, videlicet vt ignes micarent rutilante æthere ſubito aliquo fulgure, quæ res tam ad Tellurem, quàm ad Iunonem pertinet : exhalationes quippe ſunt terræ, & gignunt fulgur in aëre, qui Iunonis eſt. Iuno pronuba quæ nuptiis præeſt & à Græcis γαμήλιος nominatur.

*d* Fulgura pro facibus nuptialibus è nube micuerunt. Seruius. *Varro dicit: Aqua & igni mariti vxores ducebant, vnde hodièque & faces prælucent: & aqua petita per feliciſſimum puerum aliquem, aut puellam, de puro fonte intereſt nuptiis, de qua nubentibus ſolebant pedes lauari.*

*e* Vel Nymphæ Oreades ſiue Dryades de ſummo montis vicini vertice hymenæum, Talaſſionem, feſcenninos verſus, & epithalamium cecinerunt (ſic vocabantur cantica nuptialia) vel furiæ ipſæ vlularunt. Dido apud Ouidium.

*Illa dies nocuis, quas nos decliue ſub antrum*
*Cæruleus ſubitis compulit imber aquis.*
*Audieram voces, Nymphas vlulaſſe putauit:*
*Eumenides fatis ſigna dedere meis.*

Teque præſentis ſtatus deformitate, neque infamiæ metu prohibetur Dido, quo minus amoribus palam indulgeat, coniugij & nuptiarum prætextu.

*Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,*
*Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.*
*Nocte volat cœli medio, terræque per vmbram*
*Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno,*
*Luce ſedet cuſtos* a, *aut ſummi culmine tecti,*
*Turribus aut altis, & magnas territat vrbes.*
*Tam ficti prauique tenax, quàm nuntia veri.*
*Hæc tum multiplici populos ſermone replebat,*
*Gaudens* b, *& pariter facta, atq; infecta* c *canebat.* Varii rumores de Ænea & Didone.
*Veniſſe Æneam Troiano à ſanguine cretum,*
*Cui ſē pulchra viro dignetur iungere Dido.*
*Nunc hyemem inter ſe luxu, quàm longa, fouere,*
*Regnorum immemores, turpique cupidine captos.*
*Hæc paſſim dea fœda* d *virûm diffundit in ora,*
*Protinus* e *ad regem curſus detorquet* f *Iarbam,*

a Noctu diuque eſt in ſpeculis ad aucupendos tumores. Sed nocte volat, luce ſedet, quia quandiu obſcura eſt fama, huc illuc inſtabilis volitat, &

*Mobilitate viget, vtréſque acquirit eundo.*

Cùm verò in apertam peruenerit lucem, tum demum conquieſcit, nec amplius mutatur.

b Vel gaudebat Fama propter inuentam famigerationis materiam, vel quia homines rerum nouarum auditionem maximè delectantur.

c Facta canebat aiens *Veniſſe Aeneam*, &c. infecta, vtrique tribuens, quod ſoli conueniebat Didoni. Neque enim Æneas turpi cupidine captus erat, ſed ſola Dido, neque erat regnorum immemor: nam etſi Italici regni cogitationem abiecerat, tamen de fundando regno Carthaginis ſeriò cogitabat. Siquidem Mercurius.

d *Aeneam fundantem arces ac tecta nouantem Conſpicit.*

e Quæ fœdos rumores de Ænea & Didone ſpargebat.

f Curſum magno impetu deflexit, *detorquere* enim eſt vi quadam deflectere.

*Ne cui me vinclo* a *vellem ſociare iugali* b
*Poſtquam primus* c *amor deceptam morte fefellit,*
*Si non pertæſum thalami,* d *tædæque fuiſſet;*
*Huic* e *vni forſan potui ſuccumbere culpæ.*
*Anna (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi*
*Coniugis, & ſparſos fraterna* f *cæde penates,*
*Solus hic* g *inflexit ſenſus, animúmque labantem*
*Impulit, agnoſco veteris veſtigia flammæ.*

*a* Quid ſit vinclum iugale explicat Feſtus. *Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſoluebat, factum ex lana ouis: vt ſicut illa in glomos ſublata coniuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus, vinctúſque eſſet, hunc Herculaneo nodo vinctum vir ſoluit ominis gratia, vt ſic ipſe pater felix ſis, vt fuit Hercules qui LXX. liberos reliquit.* Item, *Cinctiæ Iunonis nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugij ſolutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta,* vel quòd noua nupta nouuſque maritus vinculis quibuſdam ſiue vitia purpurea candido diſtincta ante aram Iunonis Iugæ inter ſe nectantur. Vide Alexandrum ab Alexandro lib. 2 ca.p. 5.

*b* Seruius. *Propter iugum quod in matrimonio ponebatur coniunctis.*

*c* Poſtquam decepta ſum amore priſtini mei coniugis Sichæi, qui mihi immatura morte præreptus eſt, cùm eum diutiùs victurum eſſe ſperarem.

*d* Nuptiarum alludit ad lectum aduerſum ſiue genialem (de quo pro Milone parag. 13. Nota 6) qui ſternebatur nubentibus & ad quinque illus faces ſiue tædas nuptiales, quas totidem pueri præferebant.

*e* Ego qui Iarbam alióſque maritos repudiaui, potui fortaſſe vnius duntaxat Æneæ matrimonium admittere. Singulorum verborum, quibus amoris confeſſionem emollit, pondus examinat, culpam appellat, quia minoris temperantiæ eſt ad ſecundas nuptias conuolare.

*f* Poſtquam maitrus meus Sichæus à fratre meo Pygmalione ante aras Penatium occiſus, eas ſanguine ſuo reſperſit, fraternam cædem appellat, à fratre illatam.

*g* Solus Æneas meos oculos ad ſe flexit, è quibus amor ad animum penetrauit, cúmque ita concuſſit, vt quodammodo labefaceret.

*Sed a mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat,*
*Vel pater omnipotẽs adigat me fulmine ad vmbras,*
*Pallentes vmbras Erebi, noctémque profundam,*
*Antè pudor quàm te violem, aut tua iura reſoluam.*
*Ille meos* b *primus, qui me ſibi iunxit, amores*
*Abſtulit, ille habeat ſecum, ſervétque ſepulchro.*
*Sic effata ſinum lacrymis impleuit obortis.*
*Anna refert. O luce magis dilecta ſorori,*
*Soláne* c *perpetua mœrens carpêre iuuenta?*
*Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?*
*Id cinerem* d *aut manes credis curare ſepultos?* *Anna reſpõſio.*
*Eſto,* e *ægram* f *nulli quondam flexere mariti.*
*Non Libyæ, non antè Tyro deſpectus Iarbas,*
*Ductoréſque alij, quos Africa terra* g *triumphis*
*Diues alit, placitóne etiam pugnabis amori?*

*a* Imprecor mihi vt prius vel hiatu terræ deglutiar, vel fulmine deiiciar ad inferos, quàm pudoris & pudicitiæ iura violem.
*b* Sichæus. *Cui pater intactam dederat, primiſque iugarat Ominibus.*
*c* Túne ſola perpetuò mœrens priſtini mariti tui necem, iuuentutem tuam ſiue florem ætatis aptum coniugio in viduitate conſumes, & mœrore contabeſces.
*d* Crediſne Sichæum iam in cineres redactum eiúſque ſepulti animam ſiue manes id curare: de manibus vide notas in Var. §. 14.
*e* Sed eſto fueris ita conſtans vt nulli proci tuum coniugium appetentes te inflexerint, non ſolùm ex quo tempore in Africam veniſti, ſed etiam priùs, cum adhuc in vrbe Tyro morareris. Eſto; Iarbam Mauritaniæ Regem, alióſque Reges deſpexeris: debeſne propterea repugnare amori Æneæ, qui tibi tantopere placet.
*f* Ob mortem Sichæi coniugis.
*g* Seruius, *Bellicoſa. Plinius autem ſecundo hiſtoriæ naturalis & Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos inueniſſe*

*Nec venit in mentem, quorum conſederis aruis?*
*Hinc Getulæ vrbes, genus inſuperabile bello,*
*Et Numidæ infreni* a *cingũt, & inhoſpita Syrtis* b
*Hinc deſerta ſiti regio, latéque furentes*
*Barcæi, quid bella Tyro ſurgentia dicam?*
*Germanique* c *minas?*
*Diis* d *equidem auſpicibus reor, & Iunone ſecunda*
*Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas:*
*Quam tu vrbem ſoror hanc cernes? quæ ſurgere regna*
*Coniugio tali, Teucrûm comitantibus armis:*
*Punica ſe quantis attollet gloria rebus?*
*Tu modò poſce Deos veniam* e *ſacriſque litatis* f
*Indulge hoſpitio, cauſſáſque innecte morandi,*

a Vel quod nullis legum frenis regerentur, vel quòd reuera inter equitandum nullis frenis vterentur.

b Vide 1. Æneidos verſu 150. Syrtis inhoſpita, regio ſiti deſerta, latè furentes barbari, nullum ad te auxilium venire patientur, ſi qua belli neceſſitas incumbat, quare operæ pretium eſt vt Æneam maritum accipias, & Troianorum opibus fulciaris.

c Pygmalionis, qui tibi bellum inferet ob theſauros, quos tecum abſtuliſti, bello repetendos.

d Auſpices coniugiis adhibebant. Iuuenalis. *Veniet cum ſignatoribus auſpex*, nec ſine auſpiciis nuptias contrahebant. Deos igitur auſpices fuiſſe, & Iunonem coniugalem Didonis propitiam fuiſſe dicit Anna, cùm fecit vt Æneas tempeſtate iactatus ad Africam appelleret.

e Pacem à Dijs expoſce vt bonâ ipſorum veniâ liceat tibi ad ſecundas nuptias conuolare, nec tibi noceant illæ Diræ quas modò tibi imprecata es.

f Seruius, cùm à Diis placatis veniam impetraueris, da operam hoſpiti tuo & lautitiis, & propone illi multas cauſſas cur debeat in Africa commorari, ſacris porrò *Litatis*, id eſt conſummato, acceptatóque ſacrificio, hoſtiis ritè immolatis, & pace Deorum impetrata.

*Dum pelago deſæuit* a *hyems, & aquoſus Orion,*
*Quaſſatæque rates, & non tractabile cœlum.*
*His dictis incenſum animum inflammauit amore,*
*Spémque dedit dubiæ* b *menti, ſoluitque pudorem.*
*Principio delubra adeunt, pacémque per aras*
*Exquirunt: mactant* c *lectas* d *de more bidenteis* e
*Legiferæ* f *Cereri, Phœbóque* g*, patrique Lyæo* h,

*Dido & Anna ſacrificant.*

*a* Quatuor morandi cauſſæ: maris ſæuitia, tempeſtates Orionis pluuias excitantis, nauium quaſſatio, cœli inclementia.
*b* Dubitanti nuberet, nécne; ſpem dedit fore vt proſperè illi ſecundæ nuptiæ ſuccederent.
*c* Seruius. *Olim hoſtiæ immolatæ dicebantur mola ſalſa tactæ: cum vero ictæ & aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur, per laudationem, per boni ominis ſignificationem, vt adolere, nam mactare, eſt propriè magis augere.* Vide Vatinianam paragrap. 14. Nota. 9.
*d* Donatus in Hecyram. Eximij porci maiores, qui ad ſacrificandum excepti liberiùs paſcuntur. Etenim boues qui ad ho: electi ſunt egregij dicuntur, & oues lectæ.
*e Bidentes* ſunt oues aptæ ſacrificiis, dictæ vel quaſi *biennes*, vel quòd duos dentes eminulos habeant.
*f* Varias adferunt rationes cur Cereri, & ei legiferæ nuptura Dido ſacrificet. An quia non niſi certis legibus volebat in matrimonium conuenire? an quia de ferendis in eo matrimonio legibus cogitabat? an quia, vt dicitur, *ſine Cerere & Baccho friget Venus?* Ceres prima legum inuentrix, vnde & Θεσμοφόρος nominatur. Seruius. *Alii dicunt fauere nuptiis Cererem, quod prima nupſerit Ioui, & condendis vrbibus præſit, vt Caluus docet,*

*Et leges ſanctas docuit, & chara iugauit*
*Corpora connubiis, & magnas condidit vrbes.*

*Nam ideo & aratri ſulco clauditur Ciuitas.*
*g* Propter auſpicia quibus matrimonium debet iniri.
*h Baccho, ſic dicto ἀπὸ τοῦ λύειν*, quòd ſoluat curas. Ei ſacrificatur, vel quia in ſacris Cereri coniunctus erat, vel quia,
*Lætitiæ Bacchus dator,* — meritò ad nuptias inuocatur.

*Iunoni* a *ante omnes, cui vincla iugalia curæ;*
*Ipſa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido*
*Candentis* b *vaccæ media* c *inter cornua fundit,*
*Aut ante* d *ora Deũ pingues* e *ſpatiatur* f *ad aras.*
*Inſtaurátque* g *diem donis, pecudumque* h *recluſis*

a Iuno Ζυγία ſiue Iugalis à vinculis coniugalibus vocatur, Ouid. in Phyll. *Iunonémque toris quæ præſidet alma maritis.*

b Notum eſt candidas victimas ſolitas fuiſſe Diis ſuperis immolari, hinc illud epigramma.

Αἱ βόες αἱ λευκαὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν.
Ἂν δ᾽ οὖν γε νικήσεις ἄμμες ἀπολλύμεθα.
*Candentes vaccæ tibi Cæſar Marce ſalutem,*
*Si tu victor eris, funditus occidimus.*

c De more, ſolebant enim inter cornua victimarum vinum infundere. lib. 6.

*—Frontique immergit vina ſacerdos.* Ouid. 1. Faſt.
*Rode caper vitem tamen hinc cùm ſtabis ad aram.*
*In tua quod fundi cornua poſſit, erit.*

d Ante Deorum ſimulacra.

e Sic Homerus frequenter, πίονα νηὸν, id eſt ſanguine delibutas & plenas adipe victimarum.

f Seruius Danielis. *Matronæ enim ſacrificaturæ circa aras faculas tenentes ferebantur quaſi cum quodam geſtu.* id eſt geſtu graui ſaltationémque ſeueram & verecundam imitante, vt ait Turnebus, eò trahens illud Horatij in arte.

*Et feſtis matrona moueri iuſſa diebus.*

g Noſter Ludouicus de la Cerda hanc elicit interpretationem è verbis Donati: *Alijs atque alijs ſubinde ſacris iterum & ſæpe repetitis conatur veluti diē producere, & ipſa diuitiùs immorari.* Eſſe autem verbum ſacrorum patet ex 7. Æneidos verſu 141.

*Certatim inſtaurant epulas.*

Idem lib. 8. verſu. 282. Statius 2. Thebaidos.

*Inſtaurare diem feſtâſque reponere menſas.*

Et lib. 7. *—Da parue tuum trieteride multa*
*Inſtaurare diem.—*

fortaſſe nihil aliud eſt quàm ſuperioris diei feſtiuitatem & ſacrificia renouare.

h Apertis pectoribus hoſtiarum inhiat auiditate magna, & inteſtina ſpirantia adhuc, id eſt, palpitantia rimatur, vt ex illorum motu, calore, notis, iecinoris capitibus futura præ-

*Pectoribus inhians, ſpirantia conſulit exta.*
*Heu vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,*
*Quid delubra* a *iuuãt? eſt mollis* b *flãma medullas*
*Interea & tacitum viuit ſub pectore vulnus.*
*Vritur infelix Dido, totáque vagatur*
*Vrbe furens. Qualis coniectâ cerua ſagittâ,* Dido amore accenditur
*Quam procul incautã nemora inter* c *Creſſia fixit,*
*Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum*
*Neſcius, illa fuga ſyluas* d *ſaltúſque peragrat*
*Dictæos* e *hæret lateri lethalis arundo.*
*Nunc media Æneam ſecum per mœnia ducit,*
*Sidoniaſque* f *oſtentat opes, vrbémque* g *paratam,* Comparatio

noſcat. Tibullus. eleg. 5. lib. 2. ad Apollinem.

*——Per te præſenſit haruſpex*
*Lubrica ſignauit cum Deus exta notis.*

a *Delubrum*, inquit Seruius, *dictum vel propter lacum, in quo manus abluuntur, aut propter tectum coniunctum, quia uno opere abluitur, aut certè ſimulachrum delubrum dicimus à libro, hoc eſt raſo ligno factum, quod Græce ξόανον dicitur.* Feſtus *Delubrum dicebant lignum delibratum quod venerabantur pro Deo.* Sed vide Vatinianam parag. 10. Nota 6.

b Dum Dido adit delubra & ſacris operatur, amoris ardor molliter illabens medullas exedit & deuorat, vulnúſque, quod ſilentio tegere conatur, in eius corde viuit: tacitum vulnus appellat, quia ſoli Annæ ſorori hactenus illud detexerat.

c Cretenſia.

d Sylua, locus eſt arboribus conſitus, ſaltus vbi ſyluæ & paſtiones ſunt, nemus etiam dicitur à paſtione ἀπὸ τοῦ νέμειν à paſcendo: Græci ἄλσεα καὶ νομὰς appellant vt notat. Varro. Iſidorus *nemoris* nomen deriuat, à numinibus, quòd ibi numina colerentur.

e A Dictæo monte Cretenſi. Porro belliſſimè quadrat iſta comparatio; *ſingula enim ſingulis, ceruam Didoni, ſagittam amori, paſtorem Æneæ, nemora vrbi, ictum lethalem amori mortifero comparauit.* f Oſtentat ſe & gloriatur de opibus quas ex Sidone vrbe Phœniciæ ſecum auexerat.

g Oſtendit Carthaginem paratum eſſe Æneæ domicilium, ſi in ea velit habitare quaſi ambiens amatorem ſuum.

Incipit effari, mediáque in voce reſiſtit,
Amoris affectus — Nunc eadem labente die conuiuia quærit,
Iliacoſque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendétque iterum narrantis ab ore.
Poſt vbi a digreſſi, luménque obſcura viciſſim
Luna premit, ſuadéntque cadentia ſydera ſomnos,
Sola domo mœret vacuâ, ſtratiſque relictis
Incubat, illum abſens abſentem auditque vidétque.
Aut gremio Aſcanium genitoris imagine capta
Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem:
Non cœptæ b aſſurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet, portúſue, aut propugnacula bello,
Tuta parant, pendent opera interrupta, minæque c
Murorum ingentes, æquatâque machina cælo.

a Poſtquam Dido & Æneas à ſe inuicem digreſſi fuerant abſoluto conuiuio, & nox diei, luna ſoli viciſſim ſucceſſerat, & nocte propemodum exacta ſidera occidentia ſomnum ſuadebant, Dido ſola in vacuis ædibus præ amoris impatientia mœrebat, & ſtratis è quibus vel ipſa paulò ante, vel Æneas ſurrexerat, fallendi amoris cauſsà incubabat, eiúſque imaginem animo ſuo ſic impreſſerat, vt illum abſens abſentem & videre & audire videretur.

b Dido amore Æneæ penitus occupata ſic aliarum rerum curam abiecerat, vt de abſoluendis mœnibus & propugnaculis non ampliùs cogitaret, cæterique Carthaginienſes ceſſante Regina opus incœptum non abſoluerent, nec ſe armis exercerent, nam, ——*Componitur orbis*
*Regis ad exemplum.*

c Turnebus lib. 3. aduerſ. cap. 14. Hic minæ ſignificant partes illas murorum, in quibus ſunt propugnatores, hoſtibúſque minantur, quæ ad emiſſionem telorum feneſtratæ ſunt ἐπάλξεις ferè à Græcis vocantur. Alij murorum minas eſſe dicunt ipſos muros nondum abſolutos, qui quòd non haberent impoſitum faſtigium ruinam minari videbantur.

*Quam a ſimul, ac tali præſenſit peſte teneri*
*Chara Iouis coniux, nec famam obſtare furori,*
*Talibus aggreditur b Venerem Saturnia dictis.*
*Egregim c verò laudem & ſpolia ampla refertis*
*Túque, puérque tuus, magnum & memorabile nomen:*
*Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.*
*Nec me d adeo fallit veritam te mœnia noſtra,* Iunonis & Veneris colloquium.
*Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ. (tãto?*
*Sed quis e erit modus? aut f quo nunc certamine*
*Quin potiùs pacem æternam, pactoſq; Hymenæos*
*Exercemus: habes tota quod mente petiſti.*

*a* Statim atque Iuno aduertit Didonem tam peſtilenti & pernicioſo amore occupari vt perfractis pudoris repagulis, iam aduerſæ famæ metu cohiberi non poſſet, quò minùs in apertam amoris profeſſionem erumperet. De pudore cuſtode virtutum vide Cœlianam parag. 7. Nota. 1. De fama pudicitiæ coniuncta, eadem orat. §. 38. Nota 4. Vide etiam parag. 69.

*b* Ex inſidiis & doloſè alloquitur.

*c* Ironia eſt tranſlatiò ducta è re militari. Quaſi verò magnam laudem retuleris, tu ô Venus & filius tuus Cupido: cùm vos duo numina vnam mulierculam Didonem non vi, ſed dolo & fraude ſuperaſtis, dum cupido tuis conſiliis in Aſcanij formam mutatus iuit Carthaginem, & Æneæ amore Didonem incendit.

*d* Nec me fugit eâ te cauſſâ compulſam fuiſſe ad nectendos huiuſmodi dolos, quòd ſuſpectam haberes Carthaginem meo numini dedicatam. Dixerat Venus 1. Æneid.

—— *Et vereor quò ſe Iunonia vertant* *Hoſpitia* ——

*e* Sed quis erit modus Didonis miſeriarum & veſtrarum in illam molitionum?

*f* *Quò* eſt quem ad finem? quem in vſum? cui bono? vt apud Horatium. *Quo mihi diuitiæ, ſi non conceditur vti?*
Et ἀποσιώπησις eſt, ſiue reticentia. Quem in finem, tanta vi, tanto conatu, tanto certamine in perniciem miſeræ Didonis incumbitis?

*g* Nuptias ſacris fœderibus & pactionibus copulatas.

*Ardet amans Dido, traxitque a per oſſa furorem.*
*Communem b hunc ergo populum, paribuſque regamus*
*Auſpiciis, liceat Phrygio c ſeruire d marito,*
*Dotaléſque tuæ Tyrios permittere dextræ e,*
Veneris reſponſio. *Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam,*
*Quò regnum f Italiæ Libycas auerteret oras)*
*Sic contra eſt ingreſſa Venus. Quis talia demens,*
*Abnuat? aut tecum malit contendere bello?*
*Si modò quod memoras factum fortuna ſequatur.*

*a* Amorem inſanum combibit: qui amor omnia eius oſſa penetrauit & labefêcit.
*b* E Troianis & Carthaginienſibus vnum populum faciamus, & hunc populum communem è duobus conflatum, tu & ego regamus æquali poteſtate. Notat Seruius tranſlatum à comitiis in quibus iiſdem auſpiciis creari, licet non ſimul crearentur, parem tamen habebant honorem, propter eadem auſpicia. Qui porrò magiſtratus maiora auſpicia, qui minora habebant, videre eſt apud Gellium in noctibus Atticis.
*c* Amarè & inuidiosè dictum, quaſi diceret: Quando ad hoc ventum eſt, hoc Didoni & Carthaginienſibus, quaſi beneficij loco tribuatur, vt ſeruiant inimico meo, & inimico Phrygio, id eſt abiecto & infimæ gentis homini.
*d* Serius Danielis. Coemptionis; inquit, ſpeciem tangit. *Coemptio enim eſt vbi libra atque æs adhibentur, &c. Coemptione mulier in poteſtatem viri cedit, atque ita ſuſtinet libris* (lege *parem liberis*, vel *vt liberi*) *conditionem ſeruitutis.* Sed de confarreatione, coempetione, in manum conuentione, vide Cœlianam. §. 32. Notâ 2.
*e* Idem Seruius. *Quaſi per manus coniunctionem ſecundum ius locutus eſt.*
*f* Senſit Venus Iunonem locutam eſſe mente ſimulata, vt Æneam ab Italiæ ingreſſu prohiberet, & ita imperium orbis vniuerſi, quod fata poſteris Æneæ in Italia deſtinabant, interuerteret & transferret Carthaginem, vt pro Romanis Pœni terrarum imperium obtinerent.

*Sed fatis incerta feror, ſi Iupiter vnam*
*Eſſe velit Tyriis vrbem, Troiáque profectis,*
*Miſceriue probet populos, aut fœdera* a *iungi.*
*Tu coniux, tibi fas animum tentare precando.*
*Perge, ſequar: tum ſic excepit* b *regia Iuno.*
*Mecum erit iſte labor, nunc qua ratione quod inſtat*
*Confieri* c *poſſit, paucis, aduertere, docebo.*
*Venatum Æneas, vnáque miſerrima* d *Dido*
*In nemus ire parant, vbi primos craſtinus ortus*
*Extulerit Titan,* e *radiiſque retexerit* f *orbem.*
*His ego nigrantem commixta grandine nimbum*
*Dum trepidant alæ* g, *ſaltúſque indagine* h *cingunt,*

*a* Fœdera amorum & nuptiarum. Vide Cælianam. parag. 34. Nota. 11.

*b* Notant interpretes *excepit* verbum eſſe inſidiarum lib. 3. *Excepit incautum.* — Cicero ad Atticum l. 4. *Admoniti ſumus vt caueremus ne exciperemur à Cæſare.*

*c* Confieri, ad exitum perduci, ſic Lucretius lib. 5. à Pontano & Cerdano laudatus.

*Ne forte ex homine & veterino ſemine equorum*
*Confieri credas centauros poſſe.* —

*d* Quæ miſerè deperit Æneam.

*e* Sol quem vnum è Titanibus fuiſſe Hyperioniſque filium fabulantur, qui ſolus è Titanibus Ioui noluit bellum inferre.

*f* Aperuerit, lucem rebus infuderit, & nocturnas tenebras diſſiparit.

*g* *Equites*, inquit Seruius, *ob hoc alæ dicti, quia tegunt pedites alarum vice*, vel, Alas venatorum intellige, qui in dextra ſiniſtraque ſaltûs parte, tanquam in corpore auis alæ, locati feris fugientibus aut in retia ſe inducentibus imminebant, & feſtine claudebant ſyluas indagine.

*h* Seruius nihil aliud quàm ferarum indigationem ſiue inquitiſionem intelligit. Alij vt Budæus notat, & ex eo plerique Maronis interpretes, plagarum ſeriem ſignificare cenſent; in varios arrectarum, id eſt in furcas venatorias. Lu-

*Pœnorum expectant, oſtróque* a *inſignis, & auro*
*Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit;*
*Tandem* b *progreditur magna ſtipante caterua,*
*Sidoniam picto chlamydem circundata limbo,* Dido.
*Cui pharetra ex humero, crines* c *nodãtur in aurũ,*
*Aurea purpuream ſubnectit* d *fi ula veſtem.*
*Nec non & Phrygij comites, & lætus Iulus*
*Incedunt: ipſe ante alios pulcherrimus* e *omnes*
*Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina* f *iungit,*
*Qualis* g *vbi Hybernã* h *Lyciã, Xanthiq;* i *fluenta*

*a* Equus aureis & purpureis phaleris, ſiue ephippiis ornatus, ferociens ad ianuam ſtat, terram pedibus pulſans & vngulis ſonitum edens, ore ſpumas agens, & frenum mandens. *b* Poſt longam expectationem procedit in publicum Regina, cum magno ſtipatorum comitatu, habens chlamydem purpuream (Sidonia & Tyria purpura maximè celebratur) prætextam & circundatã limbo acu picto, id eſt variis coloribus & figuris florum aut beſtiarum intexto. *c* Crines Didonis aureis teniis ſiue faſcijs in nodum colligantur. *d* Subligat & colligit veſtem, ne ad talos deffluens verrantem impediat. *e* Qui pulchritudine ſua & formæ dignitate Didonem magis incendebat. *f* Comitatum ſuum iungit cum Didonis comitatu.
*g* Talis incedebat Æneas, qualis Apollo progreditur, cùm relinquit Lyciam, in cuius regionis vrbe nomine Pataris dicitur hyemare, ibique per hyemem dare oracula: relinquit porro Lyciam vt inuiſat inſulam Delon matri ſuæ Latonæ cõſecratam. Ad quam inſulam cùm peruenerit inſtaurat & renouat choros celebrari ſolitos à ſuis cultoribus, ſed intermiſſos propter ipſius abſentiam. Quo in inſulam veniente, confluunt è diuerſis regionibus variæ gentes ipſius cultui mancipatæ, vt Cretenſes, Dryopes, Agathyrſi, qui mixti choreis ſuis circumeunt altaria cum læto fremitu & vlulatu. Ipſe interim Apollo per iuga Cynthi (qui mons eſt in inſula Delo) graditur, capillos ad collum defluentes aut etiam vnguento delibutos laureâ coronâ premens, atque formans faſciis auro cõtextis implexos, & pharetram ſagittis plenam frequentique ſuccuſſione ſonantem geſtans ex humero pendentem. *h* Vbi Apollo hyberno tempore reddit oracula. *i* Fluuij qui ex Ida Phry-

*Comparatio.*

*Deſerit, ac Delum maternam inuiſit Apollo,*
*Inſtauratque choros, mixtique altaria circum*
*Cretéſque, Dryopéſque* a *fremunt* b*, pictique* c *Agathyrſi,*
*Ipſe iugis Cynthi graditur, mollique fluentem*
*Fronde premit crinem fingens, atq; implicat auro,*
*Tela ſonant humeris, haud illo ſegnior* d *ibat*
*Æneas, tantum egregio decus enitet ore.*

*Venatio.*

*Poſtquã altos ventũ in montes atq; inuia luſtra* c*,*
*Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ*
*Decurrere iugis, alia de parte patentes*
*Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui*
*Puluerulenta fugâ glomerãt, monteſq; relinquunt.*

*Aſcanius.*

*At puer Aſcanius mediis in vallibus acri*
*Gaudet equo, iámque hos curſu, iam præterit illos,*
*Spumantémque dari pecora inter inertia votis*
*Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonẽ:*
*Interea magno miſceri murmure cælum*

*Tempeſtas & pluuia.*

giæ monte manans Troadem & Lyciam vicinam præterfluit. Bellè autem quadrat comparatio: nam etiam Æneas Xanthum reliquerat è Phrygia diſcedens.

a Populi iuxta Parnaſſum. Statius.

*——Dryopumque tral ens Eraſinus ariſtas.*

Iam Parnaſſus Apollini ſacer, ac proinde Dryopes eidem addicti. b Verbum in ſacris vſitatum 8. Æneidos deſinente.

*Lætiti- plauſuque viæ, luiſque fremebant.*

c Ammianus Marcellinus l. 31. *Gelonis Agat yrſi c llimitant, interſtincti colore cæruleo, corpora ſimul & crines, & humiles quidem minutis, atque ari : nob le verò latis, fucatis & denſioribus notis.* Porro hi videntur eſſe Agathyrſi, illi Hyperborei qui frugum primitias & decimas ad Del̃ quotannis deferebant, vt ſcribit Callimachus hymno in Delum, à verſu 277.

c Non minus pulcher, nec minùs alacris quàm Apollo.

d Obſcura ferarum latibula ſiue cubilia.

e Aſcanius

*Incipit, inſequitur commixta grandine nimbus,*
*Et Tyrij comites paſsim, & Troiana iuuentus,*
*Dardaniſque nepos a Veneris, diuerſa per agros*
*Tecta metu petiêre, ruunt de montibus amnes b,*
*Speluncam Dido, dux & Troianus eandem*
*Deueniunt, prima & c Tellus, & pronuba Iuno* Coniugium Didonis & Aeneæ.
*Dant ſignum, fulſere d ignes. & conſcius æther*
*Connubij, ſummoque vlularunt vertice nymphæ e,*
*Ille dies primus lethi, primuſque malorum*
*Cauſſa fuit, neque enim f ſpecie, famáve mouetur,*
*Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem,*
*Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.*

*a* Aſcanius qui Venerem auiam habebat.

*b* Torrentes ex aqua pluuia collecti.

*c* Tradit Seruius etiam Tellurem ex opinione quorumdam nuptiis præfuiſſe. Perite noſter Cerda vir ſane doctus: Tellus & Iuno ſignum dederunt, videlicet vt ignes micarent rutilante æthere ſubito aliquo fulgure, quæ res tam ad Tellurem, quàm ad Iunonem pertinet : exhalationes quippe ſunt terræ, & gignunt fulgur in aëre, qui Iunonis eſt. Iuno pronuba quæ nuptiis præeſt & à Græcis γαμήλιος nominatur.

*d* Fulgura pro facibus nuptialibus è nube micuerunt. Seruius. *Varro dicit: Aqua & igni mariti vxores ducebant, vnde hodiéque & faces prælucent: & aqua petita per feliciſſimum puerum aliquem, aut puellam, de puro fonte intereſt nuptiis, de qua nubentibus ſolebant pedes lauari.*

*e* Vel Nymphæ Oreades ſiue Dryades de ſummo montis vicini vertice hymenæum, Talaſſionem, feſcenninos verſus, & epithalamium cecinerunt ( ſic vocabantur cantica nuptialia) vel furiæ ipſæ vlularunt. Dido apud Ouidium.

> *Illa dies nocuit, quas nos decline ſub antrum*
> *Cæruleum ſubitis compulit imber aquis.*
> *Audieram voces, Nymphas vlulaſſe putaui:*
> *Eumenides fatis ſigna dedere meis.*

*f* Neque præſentis ſtatus deformitate, neque infamiæ metu prohibetur Dido, quo minus amoribus palam indulgeat, coniugij & nuptiarum prætextu.

*Extemplo* a *Libyæ magnas it fama per vrbes,*
*Fama malum, quo non aliud velocius vllum,*
*Mobilitate* b *viget, vireſque acquirit eundo.*
*Parua* c *metu primo, mox ſeſe attollit in auras,*
*Ingrediturque* d *ſolo, & caput inter nubila condit;*
*Illum terra parens irâ* e *irritata deorum*
*Extremam (vt perhibent) Cœo, Enceladóque* g *ſororem*
*Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.*
*Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,*

*Famæ deſcriptio.*

a Vix illud flagitium Dido admiſerat, cùm rei geſtæ fama ſparſa eſt per Libyam vniuerſam. Non vacat quod ait *magnas*, ſiue quòd in magnis vrbibus plures ſunt otioſi qui cuiuſuis rumoris auram aucupentur: Siue quòd quemadmodum exilis etiam fama per paruas vrbes facilè vulgatur, ita magnum eſſe rumorem neceſſe eſt qui magnas etiam vrbes compleat.

b Ipſo motu & agitatione creſcit & roboratur.

c Initio parua eſt præ formidine, dum auctores timent agnoſci, ita tamen ſubitò exurgit vt cùm ex humilibus & obſcuris principiis orta fuerit, ad cœlum ipſum efferri, & caput inter nubila concedere videatur.

d Seruius. *Hoc vult oſtendere. Nec humili eam fortunæ parcere, nec ſuperiori, vel quia famæ incertus auctor.* Iulius Scaliger. *Abſcondit fama caput nubibus, propterea quòd famæ caput, id eſt auctor rumorum fere incertus eſt.*

e Vel ira qua ipſa in Deos exarſerat, vel irritata propter iram Deorum, qua ipſi Dij gigantes extinxerant. Porro, vt auctor eſt Seruius. *Famam inducit vltam eſſe fratres, quia ipſa Deorum delicta vulgauit.*

f Vel natu minimam, vel nequiſſimam & improbiſſimam. De prouinciis conſul. paragr. 8. *Sic fortuna cum improbitate certauit, vt nemo poſſet, vtrùm poſterior, an infelicior eſset, indicare.* In Piſonem. 86. *Nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius, nihil poſterius, nihil nequius, vbi vide notas.*

g Signanter, ij fuerunt, qui Iouem è cœlo volentes detrudere, fulmine ſunt interempti.

*Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,*
*Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.*
*Nocte volat cœli medio, terræque per vmbram*
*Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno,*
*Luce ſedet cuſtos* a, *aut ſummi culmine tecti,*
*Turribus aut altis, & magnas territat vrbes.*
*Tam ficti prauique tenax, quàm nuntia veri.*
*Hæc tum multiplici populos ſermone replebat,*
*Gaudens* b, *& pariter facta, atq; infecta* c *canebat.* Varij rumores de Ænea & Didone.
*Veniſſe Æneam Troiano à ſanguine cretum,*
*Cui ſe pulchra viro dignetur iungere Dido.*
*Nunc hyemem inter ſe luxu, quàm longa, fouere,*
*Regnorum immemores, turpique cupidine captos.*
*Hæc paſſim dea fœda* d *virûm diffundit in ora,*
*Protinus* e *ad regem curſus detorquet* f *Iarbam,*

a Noctu diùque eſt in ſpeculis ad aucupendos tumores. Sed nocte volat, luce ſedet, quia quandiu obſcura eſt fama, huc illuc inſtabilis volitat, &
*Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.*
Cùm verò in apertam peruenerit lucem, tum demum conquieſcit, nec amplius mutatur.

b Vel gaudebat Fama propter inuentam famigerationis materiam, vel quia homines rerum nouarum auditionem maximè delectantur.

c Facta canebat aiens *Veniſſe Aeneam*, &c. infecta, vtrique tribuens, quod ſoli conueniebat Didoni. Neque enim Æneas turpi cupidine captus erat, ſed ſola Dido, neque erat regnorum immemor: nam etſi Italici regni cogitationem abiecerat, tamen de fundando regno Carthaginis ſeriò cogitabat. Siquidem Mercurius.

d *Aeneam fundantem arces ac tecta nouantem Conſpicit.*

e Quæ fœdos fumores de Ænea & Didone ſpargebat.

f Curſum magno impetu deflexit, *detorquere* enim eſt vi quadam deflectere.

*Multa Iouem* a *manibus ſupplex oraſſe ſupinis.*
*Iupiter omnipotens, cui nunc* b *Mauruſia pictis*
*Gens epulata toris Lenæum* c *libat honorem,* *Iarbæ precatio inuidioſa.*
*Aſpicis hæc? an te genitor cùm fulmina torques,*
*Ne quicquã horremus, cæcique* d *in nubibus ignes*
*Terrificant animos, & inania murmura miſcent?*
*Fœmina, quæ noſtris errans, in finibus vrbem*
*Exiguam pretio* e *poſuit, cui littus arandum.*

*a* Et hoc de more. Horat. *Cælo ſupinas ſi tuleris manus* Dicuntur autem ſupinæ manus volis ad cœlum conuerſis.
*b* O Iupiter, qui nunc ex quo tempore tuas religiones inſtitui, epulis ſolennibus & vini libatione coleris à Mauritanis, cùm priùs apud eos nullum cultum aut religionem obtineres. Eſt autem expoſtulatoria Iarbæ oratio. Quæ ſic à Donato cõcipitur. *Iupiter, quem omnis hæc regio veneratur, ſi vides mala quæ geruntur in terris, cur tibi non diſplicent? cu hæc ſinis? aut ſi non vides, & non ex te mittuntur fulmina quæ homines terrent cur coleris? cur non te vniuerſi, contemnimus?* Malim poſteriora ſic interpretari. An fruſtra te metuimus fulminantem? quia fulmina tua in ſceleratos non intorques, ſed fulguras & tonas inaniter nullam exigens pœnam à ſceleratis.

Bacchicum, vel à leniendo, quòd vinum leniat curas, vel ἀπὸ τοῦ ληνοῦ à *lacu*, vel etiam *torculari*. *Lenæum* ponitur pro *Lenæium* iam *Lenæum libare honorem*: Eſt vini primitias in menſam ſiue aram Iouis infundere, cum hac precationis formula MACTE HOC VINO INFERIS ESTO. Vide lib. 1. verſu 740.
*d* Fulgura quæ perſtringunt & pænè excæcant aciẽ oculorum.
*e* Vide 1. Æneid. verſu 371. *pretio*, ait ad deprimendam Didonis fortunam, quæ locum vrbi condendæ nec gratia meruit nec virtute occupauit.
f Deprimit iterum fortunam Didonis. Ei, inquit, littus, id eſt, terram arenoſam & ſterilem arandam conceſſimus. Tã enim erat rerum omnium egena, vt præclare ſecum agi putaret, ſi vel littus infœcundum arare ſineretur. Seruius putat alluſum ad antiquam conſuetudinem, *quod cùm conderetur noua ciuitas tauro & vacca, ita vt vacca eſſet interior à magiſtratu muri deſignarentur.*

*Cuique loci leges* a *dedimus, connubia noſtra*
*Reppulit, ac dominum* b *Æneam in regna recepit.*
*Et nunc ille Paris* c *cum ſemiuiro* d *comitatu*
*Mæoniâ mentum mitrâ* e *crinémque madentem*
*Subnixus rapto potitur, nos munera templis*
*Quippe tuis ferimus, famámq; fouemus* f *inanem.*
*Talibus orantem dictis, aráſque* g *tenentem*
*Audiit omnipotens, oculóſque ad mœnia torſit*
*Regia* h, *& oblitos famæ melioris amantes* i,
*Iouis ad Mercurium oratio.* *Tunc ſic Mercurium alloquitur, ac talia mandat.*
*Vade age nate, voca Zephyros & labere pennis,*
*Dardaniúmque ducem Tyria Carthagine qui nunc*
*Expectat, fatíſque datas non reſpicit* k *vrbes,*

*a* Cui certis legibus & conditionibus locum habitandum conceſſimus.

*b* Maritum, ſic Lucretia Ouidiana lib. 2. faſtorum de Collatino marito ſuo.

*Mittenda eſt domino, iam nunc properate puellæ.*
*Quàm primùm noſtra facta lacerna manu.*

*c* Aeneas inſtar Paridis effœminatus, qui Didonem mihi debitam rapuit, vt Paris Helenam nuptam Menealo.

*d* Effœminato videtur ad aGllos Phrygiæ Matris ſacerdotes alludere, qui ſe euirabant, & virilitatem ſibi teſtâ Samiâ demetebant.

*e* Mœonum & Lydorum inſtar, habens mittem redimiculis quibuſdam & faſciis ita mento ſubligatam, vt eâ includantur etiam & ad mentum reuocentur crines vnguento delibuti; de Mitra vide pro Rabirio Poſtumo paragr. 26. Nonia.

*f* Vel alimus errorem vulgi qui te Deum exiſtimat, vel ſectamur & fouemus famam pietatis, quæ inanis eſt & vana, nec vllum fructum adfert iis qui pietatem colunt.

*g* De more; nam vt ait Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2. Litare ſola non poteſt oratio; niſi & is, qui Deos precatur, etiam aram manibus apprehendat. *h* Carthaginienſia, in quibus regina Dido habitabat. *i* Aeneam & Didonem.

*k* Non cogitat de regno Italiæ ſibi deſtinato.

*Alloquere, & celereis defer mandata per auras.*
*Non illum nobis genitrix pulcherrima talem*
*Promiſit, Grajúmque ideo bis* [a] *vindicat armis,*
*Sed fore* [b] *qui grauidã imperiis, bellóq; frementem*
*Italiam regeret, genus alto à ſanguine Teucri*
*Proderet, ac totum ſub leges mitteret orbem.*
*Si nulla accendit tantarum gloria rerum,*
*Nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem,*
*Aſcanióne* [c] *pater Romanas inuidet arces?*
*Quid ſtruit? aut qua ſpe inimica* [d] *in gẽte moratur:* Mercurius.
*Nec prolem Auſoniam, & Lauinia reſpicit arua:*
*Nauiget: hæc ſumma eſt, hic noſtri nuntius eſto.*
*Dixerat ille* [e] *patris magni parêre parabat*
*Imperio & primùm pedibus talaria* [f] *nectit*

[a] Longè alia de Ænea filio ſuo promittebat Venus, cum eum bis à Gręcorum armis, id eſt ſemel è manibus Diomedis per ſeipſam, iterum è manibus Achillis per Neptunum vindicauit. De Diomede 5. Iliados. de Achille lib. 20. eiuſdem Iliados. Vide 10. Æneid. verſu 82.

[b] Promittebat Venus fore vt Æneas periculo mortis exemptus ad Italiam, quæ iam tum imperia & imperatores magnos parturiebat, eratque valde bellicoſa, perueniret, ibi regnum ſtabiliret, genus Troianorum à nobili Teucri progenie ductum propagaret, totum denique terrarum orbem per *Romanos rerum dominos* ſuos poſteros, ſubiugaret.

[c] Videtur ( inquit Turnebus ) lib. 10. cap. 7. ſingulari artificio, ac prope adulatorio excogitatum, quòd non tam Æneæ, quàm Iulo quæri Italia ſignificatur, vt Iuliæ familiæ, quæ rerum potiebatur Virgilij ætate, gratia quæratur, ad quam Deorum fatis imperium delatum ſit.

[d] Nondum quidem Carthaginienſes erant Troianis inimici, cùm Iupiter iſta loqueretur, ſed iam tum præuidebat inimicitias futuras inter Romam & Carthaginem.

[e] Mercurius.

[f] Talares alas; dicta talaria quòd talis necterentur.

*Aurea, quæ ſublimem alis, ſiue æquora ſupra,*
*Seu terram rapido pariter cum flamine portant.*
*Tum virgam* a *capit, hac animas ille euocat Orco*
*Pallenteis, alias ſub triſtia tartara mittit.*
*Dat ſomnos, adimitq; & lumina morte reſignat* b.
*Illa fretus agit ventos* c, *& turbida tranat*
*Nubila, iámq; volans apicẽ, & latera ardua cernit*
*Atlantis* d *duri* e, *cœlum qui vertice fulcit,*
*Atlantis, cinctum aſſiduè cui nubibus atris*

Caduceum Mercurii.

Atlas.

a Hæc Mercurij virga vocabatur *caduceum* quod (vt ait Macrobius 1. Saturn. cap. 19.) *Ægyptii in ſpecie draconum, maris & fæminæ, coniunctorum figurauerunt Mercurio conſecrandum. Hi dracones, parte media voluminis ſui, inuicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur: primæque partes eorum reflexæ in circulum preſſis oculis ambitum circuli iungunt, & poſtmodum caudæ reuocantur ad capulum caducei, ornaturque aliis ex eadem capuli parte naſcentibus.* Martialis lib. 7.

*Cyllenes, cælique decus, facundæ miniſter,*
*Aurea cui torto virga dracone viret.*

b Pupillæ videntur eſſe ſigna ſiue emblemata quædam oculorum, è quibus tanquam è ſpeculo rerũ imagines reflectuntur. Harum pupillarum perturbatio certiſſimum eſt mortis præſagium, quare *lumina morte reſignat*, vt etiam Seruius interpretatus eſt: *aufert ſigna luminibus*, ſiue ita perturbat pupillas, vt iam rerum imagines reflecti non poſſint. Vel *deſignat*, vt mauult Turnebus, idem eſt atque *aperit*, quaſi alludat Poëta ad veterem ſepulturæ morem: de quo Plinius lib. 11. cap. 37. *Morientibus illos* (oculos) *operire, rurſumque in rogo aperire Quiritium magno ritu ſacrum eſt, vt neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cælo non oſtendi nefas.* viderint eruditi.

c Moderatur ventos, & quaſi equum circumagit.

d De Atlante dictum nonnihil 1. Æneid. verſu 748. Ideo autem humana illi membra tribuuntur, quia enim ex homine & Mauritaniæ Rege in montem ſibi cognomine, viſo Meduſæ capite circumplicato ſerpentibus mutatum eſſe fabulantur.

e Saxoſi & ſqualentis.

*Piniferum caput, & vento pulſatur, & imbri,*
*Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento*
*Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.* **Mercurii vola-**
*Hîc primùm paribus* a *nitens Cyllenius alis* **tus.**
*Conſtitit, hinc toto præceps ſe corpore ad vndas*
*Miſit, aui* b *ſimilis, quæ circum littora, circum*
*Piſcoſos ſcopulos humilis volat æquora iuxta,* **Compa-**
*Haud aliter terras inter, cælúmque volabat;* **ratio.**
*Littus arenoſum Lybiæ, ventóſque ſecabat*
*Materno veniens ab æuo* c *Cyllenia proles.*
*Vt primùm alatis tetigit magalia* d *plantis,*
*Æneam fundantem arces & tecta nouantem*
*Conſpicit, atque illi ſtellatus* e *iaſpide fulua*
*Enſis erat, Tyrióque ardebat murice læna* f
*Demiſſa ex humeris, diues, quæ munera Dido.* **Æneas.**

*a* Mercurius. ——*quem candida Maia*
*Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.*
vt dicitur 8. Æneidos. Mercurius, inquam, hic videlicet in montis Atlantis vertice primùm conſtitit, & requieuit, cùm è cœlo profectus eò deuolaſſet leni volatu & alis ita æquatis vt vna ante alteram non moueretur.

*b* Similis mergo vel fulicæ, ſiue laro, vt ait Homerus 5. Odyſſ.

*c* Atlas fuit auus maternus Mercurij vide 8. Æneid. verſu 145.

*d* Vt primùm peruenit ad littus Africanum, & tetigit magalia, ſiue domos ruſticanas Afrorum.

*e* Æneas habebat gladium cuius vagina, capulus, manubrium variis erant iaſpidibus quaſi ſtellis quibuſdam diſcriminata.

*f* Indutus erat Æneas lænam ardenti purpura Tyria tinctam, murex piſciculus olim in mari Tyrio frequens, è cuius ſanguine purpuram exprimebant. Læna autem, vt notat Seruius, *eſt propriè toga duplex, amictus auguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem in qua flamines ſacrificant infibulati.*

*Fecerat, & tenui telas diſcreuerat* a *auro.*

*Mercurius Æneam alloquitur*

*Continuò inuadit* b. *Tu nunc Carthaginis altæ*
*Fundamenta locas, pulchrámque vxorius* c *urbem*
*Extruis, heu regni, rerúmque oblite tuarum,*
*Ipſe deûm tibi me claro demittit olympo*
*Regnator, cælum & terras qui numine torquet* d,
*Ipſe hæc ferre jubet celeres mandata per auras,*

*Eum jubet ex Africa diſcedere.*

*Quid ſtruis? aut qua ſpe Libycis teris* e *otia terris,*
*Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,*
*Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem.*
*Aſcanium ſurgentem, & ſpes hæredis Iuli*
*Reſpice, cui regnum Italiæ, Romanáque tellus*
*Debentur. Tali Cyllenius ore locutus,*
*Mortales viſus medio ſermone reliquit,*
*Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.*
*At verò Æneas aſpectu obmutuit amens,*
*Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.*

*Æneæ dubitatio.*

*Ardet abire fuga, dulcéſque relinquere terras,*
*Attonitus tanto monitu, imperióque deorum.*
*Heu quid agat? quo nũc reginã ambire* f *furentẽ* g

a Hanc veſtem Dido purpura & auro abundans manibus ſuis ipſa texuerat, & lineum ſubtemen aureis filis diſcreuerat.
b Ex improuiſo adoritur.
c Nimiùm vxori deditus vel ſeruiens, qui te totum ad arbitrium vxoris fingis & accõmodas, ſic apud Horat. ode 2. lib. 1.
*Vxorius amnis.*
d Regit, ſuſtinet, inquit Seruius, vt.
*Cuncta tuo qui bella pater ſub numine torques.*
e Per negligentiam tempora conſumis.
f Blanditiis circumuenire, eblãdiri ab ea facultatem abeundi.
g Quam præuidebat ad furorem & inſaniam redactum iri, ſi ipſe vel minimam diſceſſus faceret mentionem.

*Audeat affatu? & quæ prima exordia ſumat?*
*Atque animum a nunc huc celerem, nunc diuidit illuc.*
*In partéſque rapit varias, pérque omnia verſat.*
*Hæc alternanti b potior ſententia viſa eſt,* Diſceſſum adornat.
*Mneſthea, Sergeſtúmq; vocat, fortémq; Cloãthum,*
*Claſſem aptent taciti, ſocióque ad littora cogant,*
*Arma parent, & quæ ſit rebus cauſſas nouandis*
*Diſsimulent, ſeſe interea quando optima c Dido*
*Neſciat, & tantos rumpi non ſperet amores.*
*Tentaturum aditus, & quæ molliſsima d fandi*
*Tempora, quis rebus dexter modus. ocyus omnes*
*Imperio læti e parent, ac iuſſa faceſſunt.*
*At Regina dolos (quis fallere poſsit amantem?)*

a Æneas dubius quibus tandem verbis alloqui poſſit Didonem, eique ſuum abeundi conſilium exponere, in varia diſtractus quodam curarum & cogitationum æſtu diſcerpitur.
b Varia mente tractanti viſum eſt Æneæ in rem præſentem eſſe, vt Mneſthea, Sergeſtum, Cloanthum, præcipuos Troianorum duces accerſeret, iiſdem iuberet aptare claſſem ad nauigandum, idque clam & occulte, ſocios ad portum, vnde primo quoque tempore ſoluturi erant, compellere, parare arma; quibus ad ſuam ipſorum ſalutem vterentur, ſi Dido furore accenſa eos iuberet inuadi. Alij per arma, remos & alia inſtrumenta nauigationis intelligunt, vt.

*Colligere arma iubet, validiſque incumbere remis.*

c Minime mala, minime ſuſpicax εὐήθης. vt putabat Æneas, cùm tamen illa omnia tuta timeret.
d Id ſibi faciendum ſumpſit Aeneas, vt dum alij claſſi ad nauigationem aptandæ incumberent, ipſe tentaret aditus ad Reginam, & opportuniſſimam exponendi ſui conſilij occaſionem captaret, inquirerétque apud ſe quis ſit optimus modus eius adeundæ.
e Vel feſtini & prompti, vt frequenter loquitur Poëta, vel quia gaudebant, ſed ad Italiam ituros.

Dido præſenſit diſceſſum Troianorum.

*Præſenſit, motúſque excepit* a *prima futuros,*
*Omnia tuta timens, eadem* b *impia fama furenti*
*Detulit armari claſſem, curſúmque parari.*
*Sæuit inops animi,* c *totámque incenſa per vrbem*
*Bacchatur* d. *Qualis commotis excita* e *ſacris* f

*a* Dido ante omnes agnouit fore vt Troiani ſe commouerẽt.
*b* Quæ priùs Iarbæ nuntiarat amorem Didonis & Æneæ.
*c* E mentis ſtatu deiecta per furorem & inſaniam.
*d* Inſanit & furit more bacchantinm, qualis eſſe ſolet Thyas ſiue Bacchi ſacrificula, cùm ſacra commouentur, id eſt cùm myſtica vannus, cùm phalli, cùm icunculæ quædam turpiculæ ciſtâ incluſæ è ſacrario proferuntur, vel, interprete Seruio, cùm ſolemnibus diebus aperiuntur templa, inſtaurandi ſacrificij cauſſa: vbi audito clamore à Bacchantibus identidẽ repetitò. *Euoe, Bacche, Euoe Bacche*, orgia trieterica, id eſt Bacchi feſta tertio quoque anno recurrentia ſtimulant Bacchas, ſiue Mænades, quæ è Citherone clamantes noctu ſocias inuitant ad Bacchi ſacra, quæ, qui noctu celebrari ſolent, nyctelia nuncupantur.
*e* Stimulata, Bacchi thyrſo vel cornibus percuſſa & concitata. Ouidius 1. de arte, vt citat Cerdanus.

*—— Aonio concita Baccha Deo.*

lib. 2. *—— Aonii cornibus icta Dei.*

lib. 3. *Per medias ſparſis furibunda capillis.*
*Euolat, vt thyrſo concita Baccha, vias,*

Lucretius huc alluſit, *—— Et acri percuſſit thyrſo laudis vis magna meum cor* Et Horatius *—— Euoe parce Liber,*
*Parce graui metuende thyrſo.*

*f* Explicui de vanno. Virgilius in Georgicis.

*—— Et myſtica vannus Iacchi.*

de phallis ſiue Ithyphallis, Herodotus, Clemens Alexandrinus & alii. Dixi huiuſmodi turpium rerum icunculas ciſta incluſas fuiſſe. Tibullus.

*—— Et occultis conſcia ciſta ſacris.*

Apuleius Apologia idem confirmat. Poſſumus explicare de cymbalis & tympanis quæ mouebantur & quatiebantur ad ſonitus edendos, & ad Bacchas tinnitibus concitandas. Horatius lib. 3. Carm. Ode 15.

*Pulſo Thyas vti concita tympano.*

*Thyas* a *vbi audito* b *ſtimulāt Trieterica* c *Baccho* — Comparatio.
*Orgia* d *nocturnúſque vocat clamore Citheron* e.
*Tandem* f *his Æneam compellat vocibus vltro.*
*Diſsimulare etiam* g *ſperaſti perfide tantum* — Dido is oratio.
*Poſſe nefas, tacitúſque mea decedere terra,*
*Nec te noſter amor, nec te data dextera* h *quondã,*
*Nec moritura* i *tenet crudeli funere Dido,* — Accuſatio per fidem & animi ingrati.

*a* Bacchi ſacrificula vel ἀπὸ τοῦ θύειν *ſacrificare*, vel, vt alij coactiùs deriuant ἀπὸ τοῦ θέειν *à currere*.
*b* Expoſui de clamore bacchantium *Euoe Bacche*, dici etiam poſſit eas ita perturbari animo ſolitas vt ipſum Bacchum audiri à ſe putârent.
*c* Triennalia ἔτος *annus.*
*d* Catullus de nuptiis deſcribens Bacchi comitatum,

*Pars occulta cauis celebrabant orgia ciſtis.*
*Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.*

E quibus vides orgia ſumi non ſolum pro feſtis, ſed etiam pro ſacris ciſta incluſis, & bacchantium clamoribus. Seruius nomen deducit vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *à furore*, inquit, meliùs dixiſſet *ab ira*, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν *ex montibus*, quid prohibet ἀπὸ τοῦ ὀργᾶν *turgere*, deducere.
*e* Parnaſſus duobus iugis continetur: alterum Helicon Muſis & Apollini; alterum Cytheron Libero Patri conſecratum, alij tamen Cytheronem à Parnaſſo diſtinguunt.
*f* Dido quidem Æneam compellauit ſtatim atque profectionis conſilium præſenſit, ita tamen ardebat eum compellare, vt paruæ etiam moræ viſæ ſint & amanti, & iratæ mulieri tempus longiſſimum.
*g* Addit etiam, quaſi ea ſpes fuerit improbitatis cumulus, vt ſi dicat, Non queror initum abs te fugæ conſilium, ſed illud vel maxime queror quòd conſilium etiam abs te cælari & diſſimulari poſſe ſperaueris, quòd conatus fueris me inſalutata è regno meo decedere.
*h* Fœdus initum dexterarum mutua coniunctione, videtur alludere ad id matrimonij genus quod dicebatur in manum conuentio.
*i* Nec te retinet & à fugiendi conſilio diuertit Dido, quæ ſibi mortem adferet ſtatim atque diſceſſeris.

*Quin etiam* a *hyberno moliri* ſ*idere* b *claſſem* c
Dehortatio a discessu. *Et mediis properas Aquilonibus ire per altum*
*Crudelis? quid* ſ*i* d *non arua aliena, domóſque*
*Ignotas peteres, & Troia antiqua maneret:*
*Troia per vndoſum peteretur claſſibus æquor?*
ve-o. ratis. *Mene fugis: per ego has lacrymas* e, *dextramque tuam te,*
Ab antecedentibus. *Quando aliud mihi iam miſeræ nihil ipſa reliqui,*
*Per connubia noſtra, per incœptos hymenæos* f
*Si bene quid de te merui; fuit aut tibi quicquam*

*a* Num me ſolùm, ſed etiam in teipſum crudelitatem expromis tuam in me, cui mortem vis inferre tuo diſceſſu, in te ipſum qui vis te mari credere, antequàm hyeme exacta, verna temperie tempeſtates mitigentur.

*b* Tempore, vt initio Georg. *Quo ſidere terram Vertere*, quia ſiderum ortu & occaſu temporum varietas denotatur, hoc autem per exaggerationem potiùs ex amantis affectu, quàm ex rei veritate dictum videtur; iam tum enim rami frondebant, vt dicitur verſu 399.

*c* Libro 3. *Claßem moliri* eſt naues frabricare, hic nihil aliud ſignificari videtur quàm naues difficulter emoliri & loco commouere.

*d* Ne Troiam quidem ſi adhuc floreret incolumis, per fluctus & procellas cum tanto capitis tui periculo petere debuiſſes, quanto minùs petere arua aliena, & Italiam tibi penitùs ignotam? Quid faceres ſi Troia ſtaret incolumis? an Troiam peteres per vndoſum æquor & tempeſtatibus concitatum? non peteres, opinor, nec tanto periculo temere caput tuum exponeres. Quanto minùs igitur debes ad regionem ignotam nauigare.

*e* Quibus vbertim manantibus vides vultum meum irrigari. Per ego te lacrymas meas & dexteram tuam oro atque obteſtor: quando quidem mihi miſeræ nihil reliqui præter lacrymas meas, & dexteram tuam, id eſt ſpem amoris perpetui quam ex dexteræ tuç coniunctione conceperam, quam tu mihi dederas ad ſecuritatem fidei coniugalis.

*f* Nuptias. Hymenæus Deus nuptiarum.

*Dulce meum, miſerere domus labentis* a, *& iſtam*
*Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.*
*Te propter Libycæ gentes* b, *Nomadúmq; tyranni*
*Odere, infenſi Tyrii, te propter eundem*
*Extinctus pudor; & qua ſolâ ſidera adibam*
*Fama prior, cui me moribundam deſeris hoſpes?*
*Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat,*
*Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater*
*Deſtruat? aut captam ducat Getulus Iarbas?*
*Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet*
*Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus aulâ*
*Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret,*
*Non equidem omnino capta, aut deſerta viderer.*
*Dixerat:* c *ille Iouis monitis immota tenebat* Æneæ reſponſio.
*Lumina, & obnixus* d *curam ſub corde premebat.*
*Tandē pauca refert. Ego te* e, *quæ plurima fando*
*Enumerare vales, nunquam Regina negabo.*

a Familiæ noſtræ, quæ niſi tu eam fulcis & ſuſtines, peſſundatur.
b Ideo me Afri, Reges Numidiæ, ipſi Carthaginenſes mei ab vrbe Tyria profecti me oderunt, quia te nimiùm amaui: Tuâ cauſsâ pudor extinctus eſt & violatus, extincta etiam fama priſtina, quæ me ad cœlum pudoris & pudicitiæ laudibus euehebat
c Dixerat Dido, ſed Æneas Iouis monitu oculos ita tenebat immotos vt ne lacrymulam quidem ad tam lugubrem orationem effunderet, nec eos attolleret ad intuendam Didonem, veritus ne eius vel amore, vel miſericordia flecteretur.
d Diu reluctans ſibique ipſi vim faciens vt dolorem animo conceptum premeret, & foras erumpere prohiberet.
e O Regina ego nunquam negabo te bene de me meritam eſſe & promeritam plurima, quæ enumerare potes, nec me, quandiu vixero, pigebit tui meminiſſe, tuorúmque in me beneficiorum magnitudinem colere memoriâ ſempiternâ.

*Promeritam, nec me meminiſſe pigebit Eliſæ* a,
*Dum memor ipſe mei, dũ ſpiritus hos reget artus,* (Refutat crimen ingrati.)
*Pro re pauca loquar* b, *nec ego hãc abſcodere furto*
*Speraui, ne finge fugam, nec coniugis vnquam*
*Prætendi tædas* c, *aut hæc in fœdera veni.*
*Me ſi fata* d *meis paterentur ducere vitam*
*Auſpiciis, & ſponte mea componere curas.* (A neceßitate & deorum voluntate.)
*Vrbem Troianam primum, dulcéſque meorum*
*Reliquias colerem, & Priami tecta alta manerent,*
*Et recidiua* e *manu poſuiſſem Pergama victis.*

*a Didonis. quæ appellata eſt lingua Punic Virago*, inquit Seruius
*b* Remoto ingrati animi crimine ad cauſſam ſiue ad rem ipſam noſtra delabetur & paucis abſoluetur oratio, vel, Pro rei magnitudine pauca dicam, ſiue pauca loquar etiam ſi præſentis rei magnitudo longiorem orationem exigere videatur
*c* Conſpirant interpretes in hunc ſenſum. Nunquam tibi coniunctus fui legitimo matrimonio. Quale enim matrimonium eſt vbi nulla ex more ſolemnitas, faces nullæ, nulla ipſius fœderis conſecratio? quaſi dicat nullum fuiſſe matrimonium vel eâ tantùm de cauſſa quòd faces nuptiales ibi defuerunt. Hic tamen tædas pro ipſo matrimonio libentiùs interpretor hoc ſenſu, Nunquam coniugij nomen amoribus noſtris prætendi atque prætexui: tecum enim vixi non vt coniugatus, ſed vt ſolutus cum ſoluta, nec vnquam intentio mea fuit matrimonij tecum copulandi.
*d* Hoc quòd nauigare contendo non eſt voluntatis meæ, ſed neceſſitatis. Si enim fata mihi meo arbitratu viuere permitterent, ſi in mea ſitum eſſet poteſtate ibi viuere, vbi vellem, remanerem in cineribus patriæ, meorum ciuium reliquias religioſe colerem, non errarem per diuerſa terrarum, non veniſſem naufragus ad partiàm tuam, nec longinqua propinquis, ignota notis, aliena propriis anteferrem. Hic auſpicia ponuntur pro poteſtate, vt maiora habere auſpicia dicuntur magiſtratus qui maiorem habent poteſtatem.
*e* Poſt caſum reſtituta, renaſcentia. lib. 8.
—— *Recidiuaque Pergama ſeruas.*
tranſlatio ab arboribus quæ cæſæ repullulant.

a A Nemore.

*Sed nunc Italiam magnam Grynæus* a *Apollo,*
*Italiam Lyciæ* b *iuſſere capeſſere ſortes.*
*Hic amor* c, *hæc patria eſt. ſi te* d *Carthaginis arces*
*Phœniſſam, Libycæque aſpectus detinet vrbis,* 348

a Nemore: de quo ecloga. 6.

*His tibi Grynæi nemoris dicatur origo,*
*Ne quis ſit lucus quo ſe plus iactet Apollo.*

Monet Seruius hoc nemus fuiſſe propè Clazomenas Aſiæ ciuitatem, ſed Delium hic oraculum intelligi, de quo lib. 3. Grynæum tamen hic vocari Apollinem pro Delio, vt eundem Æneas Tymbræum appellat.

*Da propriam Tymbræe domum.*

Alij poſt Alciatum lib. 5. parergon, Grynæi Apollinis oraculum in ipſa inſula Delo fuiſſe tradiderunt ex Parthenio.

b Quod ab Licyæ nomen attinet, Seruius & poſt eum alij multas fabulas coaceruant. Vix tamen vllus interpretum exponit quænam fuerint Licyæ ſortes, præter Germanum, qui notat Græcos eadem ſignificatione dixiſſe κλῆρον & κλήρους, Eurypidem etiam τρόπους dixiſſe pro oraculis & vaticinijs, hæc ille. Sidonius meminit etiam ſortium Lyciarum.

*Non ſortes Lyciæue, Cæritumque Reſponſa.*

Notæ ſunt etiam ſortes Prænestinæ, de quibus vide Ciceronem de diuinatione. plura exequi non eſt inſtitutæ breuitatis.

c Obieciſti mihi, ô Dido, priſtinum amorem. *Nec te noſter amor*, &c. Addidiſti cauſam non eſſe cur vellem diſcedere, quia patriam non habebam, ad quam nauigarem. Duabus his obiectionibus ita reſpondeo. Quoniam Deorum voluntas Italiæ regnum mihi deſtinauit, in Italia amorem meum, in Italia patriam meam eſſe duco: ſi quidem mihi nihil antiquius eſſe debet aut poteſt, quam vt fatis obtemperem, ibique, vbi dij volunt, & amorem & patriam meam conſtitutam eſſe rear.

d Argumentum à pari. Tu Phœniſſa es, ego Troianus, tu Carthaginem in Lybia condidiſti, ego ad Italiam nauigare cupio; & ibi, tanquam in certa & ſtabili ſede, conſiſtere. Si tu cùm ſis Phœniſſa delectaris Carthagine, non debes inuidere Troianis Italiam petentibus, vt in ea regione poſſint rerum & fortunarum ſuarum domicilium collocare. Nobis etiã fas eſt externa regna quærere, quemadmodũ tibi fas eſſe duxiſti.

A comparatis. *Quæ tandem Auſonia Teucros conſidere terrâ*
*Inuidia eſt? & nos fas extera quærere regna.*
*Me patris Anchiſæ quoties humentibus* a *vmbris,*
*Nox operit terras, quoties aſtra ignea* b *ſurgunt,*
*Admonet in ſomnis & turbida terret imago* c.
*Me puer Aſcanius* d, *capitiſque iniuria chari,*
*Quem regno Heſperiæ fraudo, & fatalibus aruis,*
A Iouis ipſius iuſſu. *Nunc etiam interpres* e *diuûm Ioue miſſus ab ipſo*
*(Teſtor vtrumq; caput)* f *celeres mãdata per auras.*
*Detulit: ipſe deum* g *manifeſto in lumine vidi*
*Intrantem muros, vocémque his auribus hauſi.*
*Deſine, méque tuis incendere, téque querelis,*
*Italiam non ſponte ſequor.*
*Talia dicentem* h *iamdudum auerſa tuetur,*

*a* Rorem nocturnum gignentibus. vide initium libri.
*b* Aſtra igneæ naturæ eſſe crediderunt vnde lib. 2.
*Vos æterni ignes.*
*c* Vmbræ mortuorum dicuntur imagines lib. 2. *Et notâ maior imago.* Infrà: *Et nunc magna mei ſub terras ibit imago Turbida,* terribilis, turbans animum.
*d* Me etiam Aſcanius admonet, ad profectionem hortatur, & quaſi debitorem appellat, me inquam, admonet iniuria quæ fiet filio mihi chariſſimo; niſi eum in Italiæ fatis deſtinatæ poſſeſſionem induxero.
*e* Mercurius. Dictus. ἑρμῆς ab ἑρμηνεύειν interpretari.
*f* Iouem & Mercurium teſtes appello. Nec video cur viri docti in ijs, qui ſic interpretantur, iudicium deſiderent: quaſi verò longè melius explicetur; [illegible] que caput, meum & tuũ.
*g* Ne putes me deluſum eſſe quodam inſomnio. Ego ipſe palam & ita manifeſtè, vt de veritate dubitare non poſſem, vigilans Mercurium hiſce oculis vidi, hiſce auribus audiui.
*h* Dum Æneas iſta loqueretur; Dido iamdudum, videlicet ab ipſo orationis initio, ſic eum adſpiciebat vt eum non plenè, ſed tranſuerſis oculorum hirquis intueretur (vulgò dicimus *regarder quelqu'vn de trauers*) ſed huc illuc oculos,

*Huc illuc voluens oculos, totumque pererrat*
*Luminibus tacitis, & ſic accenſa profatur* a.
*Nec tibi diua* b *parẽs, generis nec Dardanus author*
*Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens*
*Caucaſus, Hyrcanæque admorunt vbera tigres.* Didonis furentis oratio.
*Nam quid diſsimulo* c*? aut quæ me ad maiora reſeruo?*
*Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?*
*Num lacrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?*
*Quæ quibus anteferã* d*? iã iã* e *nec maxima Iuno,*

conuerteret & identidem, ad Æneam tacita reflecteret, eiúſque totum corpus circumluſtraret oculis errantibus, vix credens illum eſſe Æneam; de quo priùs ipſa tantam & fidei coniugalis & pietatis opinionem conceperat.

*a* Alij legunt *precatur*, id eſt *diras imprecatur*, quod facit in fine orationis.

*b* Placet hic optima Cerdani noſtri verba exſcribere. O perfide; nec te Venus genuit: Qui enim dea amorum & fœderum coniugalium gigneret inmitem & perfidum? nec tui generis auctor eſt illuſtris ille Dardanus, nam proles ſimilis, patri, non tu illi. Igitur pro Dardano tibi pater eſt Caucaſus mons Scythiæ: pro matre, Hyrcanæ tigres; ille horrens cautibus ſuam in te transfudit duritiem: tigres fetino lacte ſæuitiam docuerunt: Hyrcania regio Aſiæ tigribus abundans, aut, vt ait Seruius, ſylua Arabiæ.

*c* Cur enim hoc non dicam? cur diſſimulem dolorem meum? cur non ſimul & ſemel totum ſtomachum erumpam? cur me reſeruem ad maiores iniurias, quaſi ſi in præſentia orationem meam ad preces ſubmiſero; poſſit meis precibus mitigari? Nonne iam id fruſtra tentaui?

*d* Tam multa ſunt Æneæ ſcelera, tam paria inter ſe, vt dubitem quæ quibus ante ferre debeam, de quibus primum, de quibus poſtremùm queri.

*e* Plerique interpretes; ſic exponunt, quaſi Dido Deos incuſet, quòd hominum ſcelera iuſtis oculis non aſpiciant; nec

*Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.*
*Nuſquam tuta fides; a eiectum, littore egentem,*
Exprobratio. *Excepi, & regni demens in parte locaui,*
*Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.*
*Heu furiis b incenſa feror, nunc augur Apollo,*
*Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo*
Ironia ex indignatione. *Interpres diuûm fert horrida iuſſa per auras.*
*Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos*
*Sollicitat. Neque te teneo, c neque dicta refello.*

ea vindicent. ſed impunè fieri patiantur, Ideòq; Iouem contumeliæ cauſſa volunt Saturnium nominari. Verum & Neptunus lib. 5. honoris potiùs quàm contumeliæ cauſſa Saturnius vocatur, & honorificis nominibus Iunonem maximam Iouem patrem appellat. Quare hic ſenſus mihi magis arridet, nec Iupiter, nec Iuno oculis æquis & beneuolis hominum ſcelera reſpiciunt, & hanc tuam noxam hanc, tuam perfidiam, ô Ænea grauibus ſupplicijs expiabunt.

a Nemini deinceps fidendum erit, neſcio cui fides in poſterum tutò poſſit adhiberi: quando tam ingratus fuit qui tot à me beneficijs fuerat affectus.

b Ironica dictorum retractario. Sed quid ago? quò prolapſa ſum furoris & amentiæ, quæ Aeneam ab inſtituto profectionis conſilio coner verbis meis abducere? Hoc conſilium non ſua voluntate, ſed Apollinis, Iouis, & Mercurij iuſſu ſuſcepit. Quaſi verò iſta Dij curent, huiuſmodi ſollicitudine torqueantur. Quod poſtremum dicit ex Epicureorum ſententia, qui negabant deos rebus humanis prouidere.

c Non cupio tibi perſuadere vt maneas, neque refello dicta tua quibus probare voluiſti tibi non arbitratu tuo, ſed fatorum neceſſitate eſſe nauigandum. Ito ſanè, proficiſcere Italiam ſequere, quam, vt ita loquar, à te fugientem nondum prehendere potuiſti toto ſeptennio: ſequere Italiam ventis, iiſque tuam ſalutem committe quibus nihil eſt incertius: pete regnum Italiæ, quod tibi fato deſtinatum eſſe ducis, ſed pete per vndas, & procellas. Non ex animo ſuadebat diſceſſum, vt inquit Donatus, ideoque ſpecie ſuaſionis obiecit vndas & ventos quibus terreret properantem.

*I, ſequere Italiam ventis, pete regna per vndas.*
*Spero equidem medijs (ſi quid pia numina poſſunt)* **Commi-**
*Supplicia hauſurum a ſcopulis, & nomine Dido* **natio.**
*Sæpe vocaturum, ſequar atris ignibus abſens:*
*Et cum frigida mors* b *animâ ſeduxerit artus,*
*Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas,*
*Audiã, & hæc manes veniet mihi fama ſub imos.*
*His medium dictis ſermonem abrũpit, & auras,* c **Dido ex**
*Ægra* d *fugit, ſeque ex oculis auertit, & aufert* **oculis ſe**
*Linquẽs multa metu cunctantẽ, & multa parãtem* **auertit.**
*Dicere, ſuſcipiunt famulæ, collapsâque membra*
*Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.*

*a* Aquarum marinarum hauſtu pœnam pro tuo in me ſcelere ſubiturum: quo tempore perfidiæ tuæ conſcientia preſſus, ſæpe me vocabis nominatim, & me quamuis abſentem imaginaberis ſequi armatam tædis Furiarum ardentibus.

*b* Et cùm mors, quæ exhauſto vitali calôre cadauera frigida reddere ſolet, corpus ab anima mea ſeiunxerit & ſepararit, vmbra mea vbique te perſequetur: & ita mihi dabis pœnas improbitatis tuæ, quod cùm mihi apud Inferos degenti nuntiatum fuerit, inſultabo calamitati tuæ. Vides hic vmbram Didonis, ab ipſa Didone, & Didonis anima diuerſam, vt apud Homerum Odyſſeæ λ. verſu 600.

Τὸν δ' μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην
Εἴδωλον αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃ καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.
*Poſt hunc magnanimi cognouimus Herculis vmbram,*
*Ipſe autem cum Dijs celebrat conuiuia magnis*
*Hebes coniugio gaudens.*

*c* Cum hæc ſub dio & in propatulo dixiſſet, refugit in domũ.

*d* Proprie morbus corporis, animi ægritudo. Dido igitur animo ægra, amore ſæuo ſaucia fugit ex hominum conſpectu, relinquens Aeneam, multa ex iis quæ animo occurrerant, dicere cunctantem, metuentémque ne exulceratum eius animum magis & magis offenderet, multa etiam dicere parantem, quibus eam putabat poſſe mitigari.

*At pius Aeneas, quanquam lenire dolentem*
*Solando cupit, & dictis auertere curas,*
*Multa gemens, magnóque animum labefactus amore* a,
*Iuſſa tamen diuûm exequitur, claſſemque reuiſit.*
Troiani parant ſe ad diſceſſum. *Tum verò Teucri incumbunt, & littore celſas*
*Deducunt* b *toto naues, natat vncta* c *carina,*
*Frondentéſque ferunt ramos, & robora ſyluis*
*Infabricata fugæ ſtudio.*
*Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes.*
Comparatio. *Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum*
*Cum populant, hyemis memores* d *tectoq; reponunt:*
*It nigrum campis agmen, prædámque* e *per herbas*
*Conuectant calle anguſto, pars grandia* f *trudunt*
*Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,*
*Caſtigantque moras: opere omnis ſemita feruet.*
*Quis tibi tunc Dido cernenti talia ſenſus?*
*Quóſue dabas gemitus? cum littora feruere latè*

*a* Animum amore ita labefactum habens vt penè concideret, & amori ſuccumberet, niſi fortiter, vt virum decebat, huic cupiditati reſtitiſſet.
*b* In mare trahunt ad nauigandum.
*c* Pice delibuta, inquit Seruius, vel aquis marinis madefacta. lib.8. *Labitur vncta vadis abies.*
*d* Præuidentes in futurum, memores frumenti ad propulſandam hyeme famem reponendi.
*e* Frumentum quod prædatæ fuerunt, crebrò conuehunt per callem anguſtum: callis propriè eſt ſemita callo potius pecudum trita, quàm hominum veſtigiis.
*f* Pars formicarum grandia frumenti grana, quæ portare non poſſunt, trahunt & vi propellunt, humeris obnixæ, & magnum adhibentes conatum. Pars earum, inſtar centurionum, quos οὐραγοὺς *caudæ ductores* appellant, extremo agmini præſunt & increpant tardiores.

*Proſpiceres arce ex ſumma, a totumque videres*
*Miſceri ante oculos tantis clamoribus b æquor?*
*Improbe amor, Quid non mortalia pectora cogis?*
*Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando*
*Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori.*
*Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.*
*Anna vides toto properari littore circum:* **Dido mittit Annam ad ſupplicendum.**
*Vndique conuenêre, vocat iam carbaſus auras,*
*Puppibus, & læti nautæ impoſuêre coronas c.*
*Hunc ego ſi potui tantum ſperare d dolorem,*
*Et perferre ſoror potero, miſeræ e hoc tamen vnum*

a Ex arce & regia Carthaginenſi in edito loco conſtituta.
b Vel ſimpliciter properantium clamores, vel celeuma nauticum intelligit: celeuma autem ſiue proceleuma fuit certum cantionis genus, quo nautæ ſoluentes è portu ſe inuicem hortabantur ad remigandum.
c De more. Solebant enim naues coronari, & cùm è portu ſoluebant: Ouidius.

*Torta coronatæ ſoluunt retinacula puppes.*

& cùm ad portum perfecta nauigatione peruenerant. Propertius lib. 3. *Ecce coronatæ portum tetigere carinæ.*
Vide Germanum & Cerdanum interpretes.
d Animo præuidere & expectare. Sperare enim nomen commune eſt, & tam ad malum, quàm ad bonum refertur. Plato 1. de leg. Κοινὸν μὲν ὄνομα ἐλπίς, ἴδιον δὲ φόβος μὲν ἡ πρὸ λύπης ἐλπὶς θάῤῥος δὲ, ἡ πρὸ τοῦ ἐναντίου. *Commune quidem nomen ſpes. Peculiare verò timor dolorem antecedens, fiducia verò quæ precedit contrarium.*
e Etiamſi dolorem hunc animo proſpexi, & *non imparatum pectus ærumnis gero*, ſperóque fore vt fortiter perferam hunc Æneæ diſceſſum, nec ſuccumbam dolori, rogo tamen vt vnum meâ causâ exequaris, quod facile poteris exequi: Æneas enim ille perfidus te ſolam colere & obſeruare ſolebat, tibi ſoli ſecretos animi ſenſus & mentis arcana committere, tu ſola noueras quo tempore poſſet opportune conueniri.

*Aurea,quæ ſublimem alis, ſiue æquora ſupra,*
*Seu terram rapido pariter cum flamine portant.*
*Tum virgam* a *capit, hac animas ille euocat Orco*
*Pallenteis, alias ſub triſtia tartara mittit.*
*Dat ſomnos, adimitq; & lumina morte reſignat* b.
*Illa fretus agit ventos* c, *& turbida tranat*
*Nubila,iámq; volans apicẽ, & latera ardua cernit*
*Atlantis* d *duri* e, *cælum qui vertice fulcit,*
*Atlantis, cinctum aſſiduè cui nubibus atris*

Caduceum Mercurii.

Atlas.

a Hæc Mercurij virga vocabatur *caduceum* quod ( vt ait Macrobius 1. Saturn.cap. 19.) *Ægyptii in ſpecie draconum, maris & fœminæ, coniunctorum figurauerunt Mercurio conſecrandum. Hi dracones, parte media voluminis ſui, inuicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur: primæque partes eorum reflexæ in circulum preſſis oculis ambitum circuli iungunt, & poſtmodum caudæ reuocantur ad capulum caducei, ornaturque aliis ex eadem capuli parte naſcentibus.* Martialis lib. 7.

*Cyllenes, cælique decus, facundæ miniſter,*
*Aurea cui torto virga dracone viret.*

b Pupillæ videntur eſſe ſigna ſiue emblemata quædam oculorum, è quibus tanquam è ſpeculo rerũ imagines reflectuntur. Harum pupillarum perturbatio certiſſimum eſt mortis præſagium, quare *lumina morte reſignat*, vt etiam Seruius interpretatus eſt: *aufert ſigna numinibus*, ſiue ita perturbat pupillas, vt iam rerum imagines reflecti non poſſint. Vel *deſignat*, vt mauult Turnebus, idem eſt atque *aperit*, quaſi alludat Poëta ad veterem ſepulturæ morem: de quo Plinius lib. 11. cap. 37. *Morientibus illos* (oculos) *operire, rurſumque in rogo aperire Quiritium magna ritu ſacrum eſt, vt neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cælo non oſtendi nefas.* viderint eruditi.

c Moderatur ventos, & quaſi equum circumagit.

d De Atlante dictum nonnihil 1. Æneid. verſu 748. Ideo autem humana illi membra tribuuntur, quia enim ex homine & Mauritaniæ Rege in montem ſibi cognomine, viſo Meduſæ capite circumplicato ſerpentibus mutatum eſſe fabulantur.

e Saxoſi & ſqualentis.

*Piniferum caput, & vento pulſatur, & imbri,*
*Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento*
*Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.* Mercurii volatus.
*Hîc primùm paribus* a *nitens Cyllenius alis*
*Conſtitit, hinc toto præceps ſe corpore ad vndas*
*Miſit, aui* b *ſimilis, quæ circum littora, circum*
*Piſcoſos ſcópulos humilis volat æquora iuxta,* Comparatio.
*Haud aliter terras inter, cælúmque volabat;*
*Littus arenoſum Lybiæ, ventóſque ſecabat*
*Materno veniens ab æuo* c *Cyllenia proles.*
*Vt primùm alatis tetigit magalia* d *plantis,*
*Æneam fundantem arces & tecta nouantem*
*Conſpicit, atque illi ſtellatus* e *iaſpide fulua*
*Enſis erat, Tyrióque ardebat murice læna* f
*Demiſſa ex humeris, diues, quæ munera Dido.* Æneas.

*a* Mercurius. ——*quem candida Maia*
*Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.*
vt dicitur 8. Æneidos. Mercurius, inquam, hic videlicet in montis Atlantis vertice primùm conſtitit, & requieuit, cùm è cœlo profectus eò deuolaſſet leni volatu & alis ita æquatis vt vna ante alteram non moueretur.

*b* Similis mergo vel fulicæ, ſiue laro, vt ait Homerus 5. Odyſſ.

*c* Atlas fuit auus maternus Mercurij vide 8. Æneid. verſu 145.

*d* Vt primùm peruenit ad littus Africanum, & tetigit magalia, ſiue domos ruſticanas Afrorum.

*e* Æneas habebat gladium cuius vagina, capulus, manubrium variis erant iaſpidibus quaſi ſtellis quibuſdam diſcriminata.

*f* Indutus erat Æneas lænam ardenti purpura Tyria tinctam, murex piſciculus olim in mari Tyrio frequens, è cuius ſanguine purpuram exprimebant. Læna autem, vt notat Seruius, *eſt propriè toga duplex, amictus auguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem in qua flamines ſacrificant infibulati.*

*Fecerat, & tenui telas diſcreuerat* a *auro.*
*Continuò inuadit* b. *Tu nunc Carthaginis alta*

*Mercurius Æneam alloquitur*

*Fundamenta locas, pulchrámque uxorius* c *urbem*
*Extruis, heu regni, rerúmque oblite tuarum,*
*Ipſe deûm tibi me claro demittit olympo*
*Regnator, cœlum & terras qui numine torquet* d,
*Ipſe hæc ferre jubet celeres mandata per auras,*

*Eum jubet ex Africa diſcedere.*

*Quid ſtruis? aut qua ſpe Libycis teris* e *otia terris,*
*Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,*
*Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem.*
*Aſcanium ſurgentem, & ſpes hæredis Iuli*
*Reſpice, cui regnum Italiæ, Romanáque tellus*
*Debentur. Tali Cyllenius ore locutus,*
*Mortales viſus medio ſermone reliquit.*
*Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.*
*At verò Æneas aſpectu obmutuit amens,*
*Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.*

*Æneæ dubitatio.*

*Ardet abire fuga, dulcéſque relinquere terras,*
*Attonitus tanto monitu, imperióque deorum.*
*Heu quid agat? quo nũc reginã ambire* f *furentẽ* g

a Hanc veſtem Dido purpura & auro abundans manibus ſuis ipſa texuerat, & lineum ſubtemen aureis filis diſcreuerat.
b Ex improuiſo adoritur.
c Nimiùm vxori deditus vel ſeruiens, qui te totum ad arbitrium vxoris fingis & accõmodas, ſic apud Horat. ode 2. lib. 1.
*Vxorius amnis.*
d Regit, ſuſtinet, inquit Seruius, vt.
*Cuncta tuo qui bella pater ſub numine torques.*
e Per negligentiam tempora conſumis.
f Blanditiis circumuenire, eblãdiri ab ea facultatem abeundi.
g Quam præuidebat ad furorem & inſaniam redactum iri, ſi ipſe vel minimam diſceſſus faceret mentionem.

*Audeat affatu? & quæ prima exordia ſumat?*
*Atque animum a nunc huc celerem, nunc diuidit illuc.*
*In partéſque rapit varias, pérque omnia verſat.*
*Hæc alternanti b potior ſententia viſa eſt,*
*Mneſthea, Sergeſtúmq; vocat, fortémq; Cloãthum,*
*Claſſem aptent taciti, ſocióque ad littora cogant,*
*Arma parent, & quæ ſit rebus cauſſas nouandis*
*Diſſimulent, ſeſe interea quando optima c Dido*
*Neſciat, & tantos rumpi non ſperet amores.*
*Tentaturum aditus, & quæ molliſſima d fandi*
*Tempora, quis rebus dexter modus. ocyus omnes*
*Imperio læti e parent, ac iuſſa faceſſunt.*
*At Regina dolos (quis fallere poſſit amantem?)*

Diſceſſum adornat.

a Æneas dubius quibus tandem verbis alloqui poſſit Didonem, eique ſuum abeundi conſilium exponere, in varia diſtractus quodam curarum & cogitationum æſtu diſcerpitur.
b Varia mente tractanti viſum eſt Æneæ in rem præſentem eſſe, vt Mneſthea, Sergeſtum, Cloanthum, præcipuos Troianorum duces accerſeret, iiſdem iuberet aptare claſſem ad nauigandum, idque clam & occulte, ſocios ad portum, vnde primo quoque tempore ſoluturi erant, compellere, parare arma; quibus ad ſuam ipſorum ſalutem vterentur, ſi Dido furore accenſa eos iuberet inuadi. Alij per arma, remos & alia inſtrumenta nauigationis intelligunt, vt.

*Colligere arma iubet, validiſque incumbere remis.*

c Minime mala, minime ſuſpicax ἰωνής. vt putabat Æneas: cùm tamen illa omnia tuta timeret.
d Id ſibi faciendum ſumpſit Aeneas, vt dum alij claſſi ad nauigationem aptandæ incumberent, ipſe tentaret aditus ad Reginam, & opportuniſſimam exponendi ſui conſilij occaſionem captaret, inquireretque apud ſe quis ſit optimus modus eius adeundæ.
e Vel feſtini & prompti, vt frequenter loquitur Poëta, vel quia gaudebant, ſed ad Italiam ituros.

Dido præſentit diſceſſum Troianorum.

*Præſenſit, motúſque excépit* a *prima futuros,*
*Omnia tuta timens, eadem* b *impia fama furenti*
*Detulit armari claſſem, curſumque parari.*
*Sæuit inops animi,* c *totámque incenſa per vrbem*
*Bacchatur* d. *Qualis commotis excita* e *ſacris* f

*a* Dido ante omnes agnouit fore vt Troiani ſe commouerẽt.
*b* Quæ priùs Iarbæ nuntiarat amorem Didonis & Æneæ.
*c* E mentis ſtatu deiecta per furorem & inſaniam.
*d* Inſanit & furit more bacchantium, qualis eſſe ſolet Thyas ſiue Bacchi ſacrificula, cùm ſacra commouentur, id eſt cùm myſtica vannus, cùm phalli, cùm icunculæ quædam turpiculæ ciſtà incluſæ è ſacrario proferuntur, vel, interprete Seruio, cùm ſolemnibus diebus aperiuntur templa, inſtaurandi ſacrificij cauſſa: vbi audito clamore à Bacchantibus identidẽ repetitò. *Euoe, Bacche, Euoe Bacche*, orgia trieterica, id eſt Bacchi feſta tertio quoque anno recurrentia ſtimulant Bacchas, ſiue Mænades, quæ è Citherone clamantes noctu ſocias inuitant ad Bacchi ſacra, quæ, qui noctu celebrari ſolent, nyctelia nuncupantur.
*e* Stimulata, Bacchi thyrſo vel cornibus percuſſa & concitata. Ouidius 1. de arte, vt citat Cerdanus.

——— *Aonio concita Baccha Deo.*

lib. 2. ——— *Aonii cornibus icta Dei.*

lib. 3. *Per medias ſparſis furibunda capillis.*
*Euolat, vt thyrſo concita Baccha, vias.*

Lucretius huc alluſit, —— *Et acri percuſſit thyrſo laudis vis magna meum cor* Et Horatius —— *Euoe parce Liber,*
*Parce graui metuende thyrſo.*

*f* Explicui de vanno. Virgilius in Georgicis.

——— *Et myſtica vannus Iacchi.*

de phallis ſiue Ithyphallis, Herodotus, Clemens Alexandrinus & alij. Dixi huiuſmodi turpium rerum icunculas ciſta incluſas fuiſſe. Tibullus.

——— *Et occultis conſcia ciſta ſacris.*

Apuleius Apologia idem confirmat. Poſſumus explicare de cymbalis & tympanis quæ mouebantur & quatiebantur ad ſonitus edendos, & ad Bacchas tinnitibus concitandas. Horatius lib. 3. Carm. Ode 15.

*Pulſo Thyas vti concita tympano.*

*Thyas* a *vbi audito* b *ſtimulāt Trieterica* c *Baccho* Comparatio.
*Orgia* d *nocturnúſque vocat clamore Citheron* e.
*Tandem* f *his Æneam compellat vocibus vltro.*
*Diſsimulare etiam* g *ſperaſti perfide tantum* Dido in oratio.
*Poſſe nefas, tacitúſque mea decedere terra,*
*Nec te noſter amor, nec te data dextera* h *quondā,*
*Nec moritura* i *tenet crudeli funere Dido,* Accuſatio per fidem & animi ingrati.

a Bacchi ſacrificula vel ἀπὸ τοῦ θύειν *ſacrificare*, vel, vt alij coactiùs deriuant ἀπὸ τοῦ θέειν *à currere*.

b Expoſui de clamore bacchantium *Euoe Bacche*, dici etiam poſſit eas ita perturbari animo ſolitas vt ipſum Bacchum audiri à ſe putarent.

c Triennalia ἔτος *annus*.

d Catullus de nuptiis deſcribens Bacchi comitatum,

*Pars occulta cauis celebrabant orgia ciſtu.*
*Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.*

E quibus vides orgia ſumi non ſolum pro feſtis, ſed etiam pro ſacris ciſta incluſis, & bacchantium clamoribus. Seruius nomen deducit vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *à furore*, inquit, meliùs dixiſſet *ab ira*, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν *ex montibus*, quid prohibet ἀπὸ τοῦ ὀργᾶν *turgere*, deducere.

e Parnaſſus duobus iugis continetur: alterum Helicon Muſis & Apollini; alterum Cytheron Libero Patri conſecratum, alij tamen Cytheronem à Parnaſſo diſtinguunt.

f Dido quidem Æneam compellauit ſtatim atque profectionis conſilium præſenſit, ita tamen ardebat eum compellare, vt paruæ etiam moræ viſæ ſint & amanti, & iratæ mulieri tempus longiſſimum.

g Addit etiam, quaſi ea ſpes fuerit improbitatis cumulus, vt ſi dicat, Non queror initum abs te fugæ conſilium, ſed illud vel maxime queror quòd conſilium etiam abs te cælari & diſſimulari poſſe ſperaueris, quòd conatus fueris me inſalutatā è regno meo decedere.

h Fœdus initum dextérarum mutua coniunctione, videtur alludere ad id matrimonij genus quod dicebatur in manum conuentio.

i Nec te retinet & à fugiendi conſilio diuertit Dido, quæ ſibi mortem adferet ſtatim atque diſceſſeris.

Quin etiam a *hyberno moliri ſidere* b *claſſem* c
Dehortatio à *Et mediis properas Aquilonibus ire per altum*
diſceſſu *Crudelis? quid ſi* d *non arua aliena, domóſque*
*Ignotas peteres, & Troia antiqua maneret:*
*Troia per vndoſum peteretur claſſibus æquor?*
re-o. *Méne fugis: per ego has lacrymas* e, *dextramque*
tatis. *tuam te,*
an- *Quando aliud mihi iam miſeræ nihil ipſa reliqui,*
Ab an- teced. *Per connubia noſtra, per incœptos hymenæos* f
tibus *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam*

*a* Num me ſolùm, ſed etiam in teipſum crudelitatem expromis tuam in me, cui mortem vis inferre tuo diſceſſu, in te ipſum qui vis te mari credere, antequàm hyeme exacta, verna temperie tempeſtates mitigentur.
*b* Tempore, vt initio Georg. *Quo ſidere terram Vertere*, quia ſiderum ortu & occaſu temporum varietas denotatur, hoc autem per exaggerationem potiùs ex amantis affectu, quàm ex rei veritate dictum videtur, iam tum enim rami frondebant, vt dicitur verſu 399.
*c* Libro 3. *Claſſem moliri* eſt naues fabricare, hic nihil aliud ſignificari videtur quàm naues difficulter emoliri & loco commouere.
*d* Ne Troiam quidem ſi adhuc floreret incolumis, per fluctus & procellas cum tanto capitis tui periculo petere debuiſſes, quanto minùs petere arua aliena, & Italiam tibi penitùs ignotam? Quid faceres ſi Troia ſtaret incolumis? an Troiam peteres per vndoſum æquor & tempeſtatibus concitatum? non peteres, opinor, nec tanto periculo temere caput tuum exponeres. Quanto minùs igitur debes ad regionem ignotam nauigare.
*e* Quibus vbertim manantibus vides vultum meum irrigari. Per ego te lacrymas meas & dexteram tuam oro atque obteſtor: quando quidem mihi miſeræ nihil reliqui præter lacrymas meas, & dexteram tuam, id eſt ſpem amoris perpetui quam ex dexteræ tuę coniunctione conceperam, quam tu mihi dederas ad ſecuritatem fidei coniugalis.
*f* Nuptias. Hymenæus Deus nuptiarum.

*Dulce meum, miſerere domus labentis* a, *& iſtam*
*Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.*
*Te propter Libycæ gentes* b, *Nomadúmq; tyranni*
*Odere, infenſi Tyrii, te propter eundem*
*Extinctus pudor; & qua ſolâ ſidera adibam*
*Fama prior, cui me moribundam deſeris hoſpes?*
*Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat,*
*Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater*
*Deſtruat? aut captam ducat Getulus Iarbas?*
*Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet*
*Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus aulâ*
*Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret,*
*Non equidem omnino capta, aut deſerta viderer.*
*Dixerat:* c *ille Iouis monitis immota tenebat* Æneæ
*Lumina, & obnixus* d *curam ſub corde premebat.* reſponſio.
*Tandē pauca refert. Ego te* e, *quæ plurima fando*
*Enumerare vales, nunquam Regina negabo.*

a Familiæ noſtræ, quæ niſi tu eam fulcis & ſuſtines, peſſundatur.
b Ideo me Afri, Reges Numidiæ, ipſi Carthaginenſes mei ab vrbe Tyria profecti me oderunt, quia te nimiùm amaui: Tuâ cauſsâ pudor extinctus eſt & violatus, extincta etiam fama priſtina, quæ me ad cœlum pudoris & pudicitiæ laudibus euehebat
c Dixerat Dido, ſed Æneas Iouis monitu oculos ita tenebat immotos vt ne lacrymulam quidem ad tam lugubrem orationem effunderet, nec eos attolleret ad intuendam Didonem, veritus ne eius vel amore, vel miſericordia flecteretur.
d Diu reluctans ſibique ipſi vim faciens vt dolorem animo conceptum premeret, & foras erumpere prohiberet.
e O Regina ego nunquam negabo te bene de me meritam eſſe & promeritam plurima, quæ enumerare potes, nec me, quandiu vixero, pigebit tui meminiſſe, tuorúmque in me beneficiorum magnitudinem colere memoriâ ſempiternâ.

*Sed nunc Italiam magnam Grynæus* a *Apollo,*
*Italiam Lyciæ* b *iuſſere capeſſere ſortes.*
*Hic amor* c, *hæc patria eſt. ſi te* d *Carthaginis arces*
*Phœniſſam, Libycæque aſpectus detinet vrbis,*

a Nemore: de quo ecloga. 6.

*His tibi Grynæi nemoris dicatur origo,*
*Ne quis ſit lucus quo ſe plus iactet Apollo.*

Monet Seruius hoc nemus fuiſſe propè Clazomenas Aſiæ ciuitatem, ſed Delium hic oraculum intelligi, de quo lib. 3. Grynæum tamen hic vocari Apollinem pro Delio, vt eundem Æneas Tymbræum appellat.

*Da propriam Tymbræe domum.*

Alij poſt Alciatum lib. 5. parergon, Grynæi Apollinis oraculum in ipſa inſula Delo fuiſſe tradiderunt ex Parthenio.

b Quod ab Licyæ nomen attinet, Seruius & poſt eum alij multas fabulas coaceruant. Vix tamen vllus interpretum exponit quænam fuerint Licyæ ſortes, præter Germanum, qui notat Græcos eadem ſignificatione dixiſſe κλῆρον & κλήρους, Eurypidem etiam πτωσὰς dixiſſe pro oraculis & vaticinijs, hæc ille. Sidonius meminit etiam ſortium Lyciarum.

*Non ſortes Lyciæue, Cæritumque Reſponſa.*

Notæ ſunt etiam ſortes Prænestinæ, de quibus vide Ciceronem de diuinatione. plura exequi non eſt inſtitutæ breuitatis.

c Obieciſti mihi, ô Dido, priſtinum amorem. *Nec te noſter amor*, &c. Addidiſti cauſam non eſſe cur vellem diſcedere, quia patriam non habebam, ad quam nauigarem. Duabus his obiectionibus ita reſpondeo. Quoniam Deorum voluntas Italiæ regnum mihi deſtinauit, in Italia amorem meum, in Italia patriam meam eſſe duco: ſi quidem mihi nihil antiquius eſſe debet aut poteſt, quam vt fatis obtemperem, ibique, vbi dij volunt, & amorem & patriam meam conſtitutam eſſe rear.

d Argumentum à pari. Tu Phœniſſa es, ego Troianus, tu Carthaginem in Lybia condidiſti, ego ad Italiam nauigare cupio; & ibi, tanquam in certa & ſtabili ſede, conſiſtere. Si tu cùm ſis Phœniſſa delectaris Carthagine, non debes inuidere Troianis Italiam petentibus, vt in ea regione poſſint rerum & fortunarum ſuarum domicilium collocare. Nobis etiã fas eſt externa regna quærere, quemadmodũ tibi fas eſſe duxiſti.

*A comparatis.*

*Quæ tandem Auſonia Teucros conſidere terrâ*
*Inuidia eſt? & nos fas extera quærere regna.*
*Me patris Anchiſæ quoties humentibus* a *vmbris:*
*Nox operit terras, quoties aſtra ignea* b *ſurgunt,*
*Admonet in ſomnis & turbida terret imago* c.
*Me puer Aſcanius* d *, capitiſque iniuria chari,*
*Quem regno Heſperiæ fraudo, & fatalibus aruis,*

*A Ioue ipſius iuſſu.*

*Nunc etiam interpres* e *diuûm Ioue miſſus ab ipſo*
*(Teſtor vtrumq; caput)* f *celeres mãdata per auras,*
*Detulit: ipſe deum* g *manifeſto in lumine vidi*
*Intrantem muros, vocémque his auribus hauſi.*
*Deſine, méque tuis incendere, téque querelis,*
*Italiam non ſponte ſequor.*
*Talia dicentem* h *iamdudum auerſa tuetur,*

*a* Rorem nocturnum gignentibus. vide initium libri.

*b* Aſtra igneæ naturæ eſſe crediderunt vnde lib. 2.
*—— Vos æterni ignes.*

*c* Vmbræ mortuorum dicuntur imagines lib. 2. *Et notâ maior imago.* Infrà: *Et nunc magna mei ſub terras ibit imago* *Turbida*, terribilis, turbans animum.

*d* Me etiam Aſcanius admonet, ad profectionem hortatur, & quaſi debitorem appellat, me inquam, admonet iniuria quæ fiet filio mihi chariſſimo; niſi eum in Italiæ fatis deſtinatæ poſſeſſionem induxero.

*e* Mercurius. Dictus. ἑρμῆς ab ἑρμηνεύειν interpretari.

*f* Iouem & Mercurium teſtes appello. Nec video cur viri docti in ijs, qui ſic interpretantur, iudicium deſiderent: quaſi verò longè melius explicetur; vtrumque caput, meum & tuũ.

*g* Ne putes me deluſum eſſe quodam inſomnio. Ego ipſe palam & ita manifeſtè, vt de veritate dubitare non poſſem, vigilans Mercurium hiſce oculis vidi, hiſce auribus audiui.

*h* Dum Æneas iſta loqueretur; Dido iamdudum, videlicet ab ipſo orationis initio, ſic eum adſpiciebat vt eum non plenè, ſed tranſuerſis oculorum hirquis intueretur (vulgò dicimus *regarder quelqu'vn de trauers*) ſed huc illuc oculos,

*Huc illuc voluens oculos, totumque pererrat*
*Luminibus tacitis, & ſic accenſa profatur* a.
*Nec tibi diua* b *parẽs, generis nec Dardanus author*
*Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens*
*Caucaſus, Hyrcanæque admorunt vbera tigres.*
*Nam quid diſſimulo* c*? aut quæ me ad maiora reſeruo?*
*Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?*
*Num lacrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?*
*Quæ quibus anteferã* d*? iã iã* e *nec maxima Iuno,*

**Didonis furentis oratio.**

conuerteret & identidem, ad Æneam tacita reflecteret, eiúſque totum corpus circumluſtraret oculis errantibus, vix credens illum eſſe Æneam; de quo priùs ipſa tantam & fidei coniugalis & pietatis opinionem conceperat.

a Alij legunt *precatur*, id eſt *diras imprecatur*, quod facit in fine orationis.

b Placet hic optima Cerdani noſtri verba exſcribere. O perfide; nec te Venus genuit: Qui enim dea amorum & fœderum coniugalium gigneret immitem & perfidum? nec tui generis auctor eſt illuſtris ille Dardanus, nam proles ſimilis patri, non tu illi. Igitur pro Dardano tibi pater eſt Caucaſus mons Scythiæ: pro matre, Hyrcanæ tigres; ille horrens cautibus ſuam in te transfudit duritiem: tigres ferino lacte ſæuitiam docuerunt: Hyrcania regio Aſiæ tigribus abundans, aut, vt ait Seruius, ſylua Arabiæ.

c Cur enim hoc non dicam? cur diſſimulem dolorem meum? cur non ſimul & ſemel totum ſtomachum erumpam? cur me reſeruem ad maiores iniurias, quaſi ſi in præſentia orationem meam ad preces ſubmiſero; poſſit meis precibus mitigari? Nonne iam id fruſtra tentaui?

d Tam multa ſunt Æneæ ſcelera, tam paria inter ſe, vt dubitem quæ quibus ante ferre debeam, de quibus primum, de quibus paſtremùm queri.

e Plerique interpretes; ſic exponunt, quaſi Dido Deos incuſet, quòd hominum ſcelera iuſtis oculis non aſpiciant; nec

*Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.*
*Nuſquam tuta fides;* a *eiectum, littore egentem,*
**Exprobratio.** *Excepi, & regni demens in parte locaui,*
*Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.*
*Heu furiis* b *incenſa feror, nunc augur Apollo,*
*Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo*
**Ironia ex indignatione.** *Interpres diuûm fert horrida iuſſa per auras.*
*Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos*
*Sollicitat. Neque te teneo,* c *neque dicta refello.*

ea vindicent. ſed impunè fieri patiantur, Ideòq; Iouem contumeliæ cauſſa volunt Saturnium nominari. Verum & Neptunus lib. 5. honoris potiùs quàm contumeliæ cauſſa Saturnius vocatur, & honorificis nominibus Iunonem maximam Iouem patrem appellat. Quare hic ſenſus mihi magis arridet, nec Iupiter, nec Iuno oculis æquis & beneuolis hominum ſcelera reſpiciunt, & hanc tuam noxam hanc, tuam perfidiam, ô Ænea grauibus ſupplicijs expiabunt.

a Nemini deinceps fidendum erit, neſcio cui fides in poſterum tutò poſſit adhiberi: quando tam ingratus fuit qui tot à me beneficijs fuerat affectus.

b Ironica dictorum retractatio. Sed quid ago? quò prolapſa ſum furoris & amentiæ, quæ Aeneam ab inſtituto profectionis conſilio coner verbis meis abducere? Hoc conſilium non ſua voluntate, ſed Apollinis, Iouis, & Mercurij iuſſu ſuſcepit. Quaſi verò iſta Dij curent, huiuſmodi ſollicitudine torqueantur. Quod poſtremum dicit ex Epicureorum ſententia, qui negabant deos rebus humanis prouidere.

c Non cupio tibi perſuadere vt maneas, neque refello dicta tua quibus probare voluiſti tibi non arbitratu tuo, ſed fatorum neceſſitate eſſe nauigandum. Ito ſanè, proficiſcere Italiam ſequere, quam, vt ita loquar, à te fugientem nondum prehendere potuiſti toto ſeptennio: ſequere Italiam ventis, iiſque tuam ſalutem committe quibus nihil eſt incertius: pete regnum Italiæ, quod tibi fato deſtinatum eſſe ducis, ſed pete per vndas, & procellas. Non ex animo ſuadebat diſceſſum, vt inquit Donatus, ideoque ſpecie ſuaſionis obiecit vndas & ventos quibus terreret properantem.

*I, ſequere Italiam ventis, pete regna per vndas.*
*Spero equidem medijs (ſi quid pia numina poſſunt)* **Commi-natio.**
*Supplicia hauſurum a ſcopulis, & nomine Dido*
*Sæpe vocaturum, ſequar atris ignibus abſens:*
*Et cum frigida mors* b *anima ſeduxerit artus,*
*Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas,*
*Audiã, & hæc manes veniet mihi fama ſub imos.*
*His medium dictis ſermonem abrũpit, & auras,* c
*Ægra* d *fugit, ſeque ex oculis auertit, & aufert* **Dido ex oculis ſe auertit.**
*Linquẽs multa metu cunctantẽ, & multa parãtem*
*Dicere, ſuſcipiunt famulæ, collapſâque membra*
*Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.*

*a* Aquarum marinarum hauſtu pœnam pro tuo in me ſcelere ſubiturum: quo tempore perfidiæ tuæ conſcientia preſſus, ſæpe me vocabis nominatim, & me quamuis abſentem imaginaberis ſequi armatam tædis Furiarum ardentibus.

*b* Et cùm mors, quæ exhauſto vitali calôre cadauera frigida reddere ſolet, corpus ab anima mea ſeiunxerit & ſepararit, vmbra mea vbique te perſequetur: & ita mihi dabis pœnas improbitatis tuæ, quod cùm mihi apud Inferos degenti nuntiatum fuerit, inſultabo calamitati tuæ. Vides hic vmbram Didonis, ab ipſa Didone, & Didonis anima diuerſam, vt apud Homerum Odyſſeæ λ. verſu 600.

Τὸν δ᾽ μετ᾽ εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃ, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.
*Poſt hunc magnanimi cognouimus Herculis vmbram,*
*Ipſe autem cum Dijs celebrat conuiuia magnis*
*Hebes coniugio gaudens.*

*c* Cum hæc ſub dio & in propatulo dixiſſet, refugit in domũ.

*d* Proprie morbus corporis, animi ægritudo. Dido igitur animo ægra, amore ſæuo ſaucia fugit ex hominum conſpectu, relinquens Aeneam, multa ex iis quæ animo occurrerant, dicere cunctantem, metuentémque ne exulceratum eius animum magis & magis offenderet, multa etiam dicere parantem, quibus eam putabat poſſe mitigari.

*At pius Aeneas, quanquam lenire dolentem*
*Solando cupit, & dictis auertere curas,*
*Multa gemens, magnóque animum labefactus amore* a,
*Iuſſa tamen diuûm exequitur, claſſemque reuiſit.*
Troiani parant ſe ad diſceſſum. *Tum verò Teucri incumbunt, & littore celſas*
*Deducunt* b *toto naues, natat vncta* c *carina,*
*Frondentéſque ferunt ramos, & robora ſyluis*
*Infabricata fugæ ſtudio.*
*Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes.*
Comparatio. *Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum*
*Cum populant, hyemis memores* d *tectoq; reponunt:*
*It nigrum campis agmen, prædámque* e *per herbas*
*Conuectant calle anguſtò, pars grandia* f *trudunt*
*Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,*
*Caſtigantque moras: opere omnis ſemita feruet.*
*Quis tibi tunc Dido cernenti talia ſenſus?*
*Quóſue dabas gemitus? cum littora feruere latè*

a Animum amore ita labefactum habens vt penè concideret, & amori ſuccumberet, niſi fortiter, vt virum decebat, huic cupiditati reſtitiſſet.
b In mare trahunt ad nauigandum.
c Pice delibuta, inquit Seruius, vel aquis marinis madefacta. lib.8. *Labitur vncta vadis abies.*
d Præuidentes in futurum, memores frumenti ad propulſandam hyeme famem reponendi.
e Frumentum quod prædatæ fuerunt, crebrò conuehunt per callem anguſtum: callis propriè eſt ſemita callo potius pecudum trita, quàm hominum veſtigiis.
f Pars formicarum grandia frumenti grana, quæ portare non poſſunt, trahunt & vi propellunt, humeris obnixæ, & magnum adhibentes conatum. Pars earum, inſtar centurionum, quos ὐραγοὺς *caudæ ductores* appellant, extremo agmini præſunt & increpant tardiores.

*Proſpiceres arce ex ſumma, a totumque videres*
*Miſceri ante oculos tantis clamoribus b æquor?*
*Improbe amor, Quid non mortalia pectora cogis?*
*Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando*
*Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori,*
*Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.*
*Anna vides toto properari littore circum:*
*Vndique conuenêre, vocat iam carbaſus auras,*
*Puppibus, & læti nautæ impoſuêre coronas c.*
*Hunc ego ſi potui tantum ſperare d dolorem,*
*Et perferre ſoror potero, miſeræ e hoc tamen vnum*

*Dido mittit Annam ad ſupplicandum.*

*a* Ex arce & regia Carthaginenſi in edito loco conſtituta.
*b* Vel ſimpliciter properantium clamores, vel celeuma nauticum intelligi: celeuma autem ſiue proceleuma fuit certum cantionis genus, quo nautæ ſoluentes è portu ſe inuicem hortabantur ad remigandum.
*c* De more. Solebant enim naues coronari, & cùm è portu ſoluebant: Ouidius.

*Torta coronatæ ſoluunt retinacula puppes.*

& cùm ad portum perfecta nauigatione peruenerant. Propertius lib. 3. *Ecce coronatæ portum tetigere carinæ.*
Vide Germanum & Cerdanum interpretes.
*d* Animo præuidere & expectare. Sperare enim nomen commune eſt, & tam ad malum, quàm ad bonum refertur. Plato 1. de leg. Κοινὸν μὲν ὄνομα ἐλπὶς, ἴδιον δ' φόβος μὲν ἡ πρὸ λύπης ἐλπὶς θάῤῥος, ἡ δ', ἡ πρὸ τοῦ ἐναντίου. *Commune quidem nomen ſpes. Peculiare verò timor dolorem antecedens, fiducia verò quæ præcedit contrarium.*
*e* Etiamſi dolorem hunc animo proſpexi, & *non imparatum pectus ærumnis gero*, ſperóque fore vt fortiter perferam hunc Æneæ diſceſſum, nec ſuccumbam dolori, rogo tamen vt vnum meâ causâ exequaris, quod facile poteris exequi: Æneas enim ille perfidus te ſolam colere & obſeruare ſolebat, tibi ſoli ſecretos animi ſenſus & mentis arcana committere, tu ſola noueras quo tempore poſſet opportune conueniri.

*Exequere Anna mihi, ſolam nam perfidus ille*
*Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus,*
*Sola viri molles aditus, & tempora noras.*
*I, ſoror atque hoſtem* a *ſupplex affare ſuperbum.*
*Non ego cum Danais Troianam exſcindere gentem*
*Aulide* b *iuraui, claſſémue ad Pergama miſi,*
*Nec patris Anchiſæ cineres, manéſue* c *reuelli,*
*Cur mea dicta negat duras dimittere in aures?*
*Quà ruit* d *? extremum hoc miſeræ det munus amanti,*

a Seruius Danielis interpretatur *hoſpitem* more Plautino: ſicut contra Herodotus libro. 8. Perſas qui erant Græcorum hoſtes ξένους à Lacedæmoniis appellatos refert. Maior tamen emphaſis videtur futura, ſi Æneas hoſtis ſiue perduellis & ſuperbus vocetur.

b In aulide: Aulis eſt inſula in Ægeo mari, vt notat Seruius, vel, vt ait Apollonij interpres, ciuitas Bœotiæ, in qua coniurarunt Græci ſe non ante reuerſuros ad patriam quàm Troia caperetur.

c Manes ſunt animæ mortuorum, propriè bonorum, de quibus fusè in Vatinium parag. 14. Nota 8. Eos putabant cum corporibus in ſepulcris habitare, vnde lib. 3.

*Maneſque ſepulchro Condimus.*

& exhumatis corporibus pariter è ſepulchris excedere, vt ex hoc loco patet. Seruius alludi putat *ad in quod dicitur ex oraculo feciſse Diomides, & ſecum eius* (Anchiſæ videlicet) *oſsa portaſse, quæ poſtea reddidit Aeneæ cum multa aduerſa perferret, hinc Saluete recepti. Nequicquam cineres. Sciendum ſanè Varronem dicere Diomedem eruta Anchiſæ oſsa filio reddidiſse: Catonem autem affirmare, quod Anchiſes ad Italiam venerit tanta eſt inter ipſos varietas, & hiſtoriarum confuſio.* Si hoſtis eſſem, ſi parterni ſepulchri violatrix, non poſſet Æneas maiorem crudelitatem expromere: at neque vnquam coniuraui in Troianorum excidium, neque patris Anchiſæ cineres reuelli, cur ergo tam hoſtiliter me tractat, vt mea dicta meaſque preces ne in aures quidem velit admittere?

d Conſideret ſaltem cui periculo ſe exponat, ſi ſe ante vernam aëris tranquillitatem mari commiſerit. Mei & amantis

*Expectet, facilémque fugam, ventóſque ferentes.*
*Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,*
*Nec pulchro vt Latio careat, regnúmq; relinquat.*
*Tempus inane* a *peto, requiem, ſpatiumque furori,*
*Dum mea me victam doceat fortuna dolere.*
*Extremam hanc* b *oro veniam, miſerere ſororis,*
*Quam mihi cũ dederis, cumulatam morte relinquã.* Aeneæ conſtantia.
*Talibus orabat, taléſque miſerrima fletus*
*Fertque, refertque* c *ſoror, ſed nullis ille mouetur*
*Fletibus, aut voces vllas tractabilis audit.*
*Fata obſtant, placidáſque viri deus obſtruit aures.*
*Ac veluti annoſam valido cùm robore quercum* Comparatio.
*Alpini Boreæ* d *nunc hinc, nunc flatibus illinc*
*Eruere inter ſe certant, it ſtridor, & altè*
*Conſternunt terram, concuſſo ſtipite frondes,*

& miſeræ vel amore vel miſericordia moueatur: Expectet dum hyems deſæuiat, & ipſe facilè nauigare poſſit, ventis ſecundis & eius nauem à puppi promouentibus.

*a* Peto vt tempus illud quod ineptum eſt nauigationi, quod inane, vacuum & otioſum eſſe debet, apud me conſumat, vt hoc temporis interſtitio furor meus mitigetur, donec mea fortuna me victam & aduerſo caſu perculſam doceat dolere, & dolorem ipſa aſſuetudine faciat leuiorem.

*b* Hanc extremam gratiam, hoc extremum beneficium oro: *quod beneficium cùm mihi cumulatum dederis, ſola morte derelinquam,* inquit Seruius, vel, quam gratiam cùm mihi feceris, eam tibi affatim rependam, & ſi neceſſe fuerit vel ipſa morte cumulabo. id eſt, moriar vt tibi pro tanto beneficio gratia plena & cumulata ſoluatur.

*c* Anna Didonis ſororis preces luctuoſas fert, & iterum atque iterum refert Æneæ, qui nullis fletibus commouetur, ſed intractabilis reſpuit auribus preces lugentium, quia illius aures, quæ cæteroquin placidæ fuiſſent, Deus obſtruebat.

*d* Spirantes. Ab alpibus: Alpes enim reſpectu Italiæ vergunt ad ſeptentrionem, vnde Boreas erumpit.

*Ipſa hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras*
*Ætherias, tantùm radice in tartara tendit.*
*Haud ſecus aſſiduis* a *hinc, atq; hinc vocibus heros*
*Tunditur, & magno* b *præſentit pectore curas.*
*Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.*

Dia. prodigiis ad mortem incitatur.

*Tum verò infelix fatis exterrita Dido*
*Mortem orat, tædet cœli conuexa* c *tueri.*
*Quo magis incœptum peragat, lucémq; relinquat,*
*Vidit, thuricremis cùm dona imponeret aris,*
*Horrendum dictu, latices nigreſcere ſacros,*
*Fuſáq;* d *in obſcœnum* e *ſe vertere vina cruorem.*
*Hoc viſum nulli, non ipſi effata ſorori.*
*Præterea fuit in tectis de marmore templum* f

*a* Precibus quas Anna frequenter repetit, & identidem inculcat Aeneæ.

*b* Aduerte Poëtæ diligentiam: In homine ſunt ſenſus interni quam inferiorem animæ partem appellant, mens ſiue ratio, & ſenſus externi. Aeneas pectore & internis ſenſibus præſentit curas, & commouetur, non tamen collabitur, quia magnum illi pectus & generoſum: *mens immota manet*: externis ſenſibus lacrymatur, ſed illæ lacrymę *inanes*, id eſt vel nihil Didoni profuturę, vel ſine mentis imperio, vt lib. 10.

*Dat inania verba, Dat ſine mente ſonum.*

*c* Propriè conuexa cœli ſuperficies, eſt curuatura cœli ſuperior & exterior, concaua interior & inferior. Frequenter tamen auctores iſta confundunt, vt hoc loco, & alibi.

*Claſsem in conuexo nemorum ſub rupe cauata Occulit.*

id eſt in concauo vallis nemoroſę claſſem occultat. Citant interpretes Iuſtinum lib. 2. de Xerxe ſic loquentem. *Montes, in planum deduceba, & conuexa vallium æquabat.*

*d* Vina diis libata ſuper aras, quod *vinum inferium*, vocabant, his verbis libantes: *Macte hoc vino inferis eſto.* vide Vatinianam parag. 14.

*e* Mali ominis, vt in Georg.

*Obſcœnique canes importunæque volucres.*

*f* Sepulchrum, vt Nonnius exponit. Nihil prohibet hic pro æde ſacra, vt ſolet, vſurpari.

*Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,*
*Velleribus niueis* a *& feſta fronde* b *reuinctum,*
*Hinc exaudiri voces, & verba vocantis*
*Viſa viri, nox cùm terras obſcura teneret,*
*Solàque culminibus ferali carmine bubo* c
*Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.*
*Multáque præterea vatum prædicta priorum*
*Terribili monitu horrificant: tagit ipſe* d *furentem*
*In ſomnis ferus Aeneas, ſemperque relinqui*
*Sola ſibi, ſemper longam incomitata videtur*
*Ire viam, & Tyrios deſertâ* e *quærere terrâ.*
*Eumenidũ* f *veluti demẽs videt agmina Pentheus,*

*a* Templa & ſepulchra faſciis ſiue vittis laneis ornabant, de templis Statius 4. Syluarum.

*Pande fores superûm, vittataque templ ı Sabæis*
*Nubibus, & pecudum fi'ris ſpirantibus imple.*

De ſepulchris Cæcilius comicus in Androgyno.

*Sepulchrum plenum tæn a'um eſt, ita vt aſſolet.*

hanc etiam debes Cerdano.

*b* Hoc etiam de more, vide lib. 2. verſu 248.

*c* Noctua quæ natura ſolitudinem amat, vitatque reliquarum auium conſortium.

*d* Ipſius Æneæ tanquam ſæuientis imago per ſomnium obiecta Didonem agitat & furore inſtigat,

*e* In loco deſerto ſiue ſolitudine.

*f* Eumenides ſunt Furiæ, dictæ per antiphraſim quod nemini ſunt beneuolæ, εὐμενὴς *beneuolus* Præceptum eſt vt comparationes petantur à rebus clariſſimis: neque obſcuræ erant iſtæ, cum peterentur à fabulis Pacuuianis, quæ ſolebant identidem in ſcenis exhiberi. In hac, inquit, mentis inſania Dido ſimilis erat Pentheo, Regi Thebanorum, qui cùm Bacchi ſacra prohiberet, eò dementiæ redactus eſt vt agmina Furiarum, geminum ſolem, duplices Thebas videre ſibi videretur. Similis etiam erat Oreſti Agamemnonis filio qui frequenter in ſcenis agitur, ſiue in theatrum inducitur. Is cùm patris, quem Clytemneſtra mater & Ægiſtus occiderant vlciſcendi cauſſa matrem interemiſſet, ſic inſani-

*Comparatio.*

*Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtẽdere Thebas,*
*Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes*
*Armatam facibus matrem & ſerpentibus atris*
*Cùm fugit, vltricéſque ſedent in limine diræ.*
*Ergo vbi concepit furias* a *euicta dolore,*
*Decreuitque mori, tempus ſecum ipſa, modúmque*
*Exigit* b, *& mœſtam dictis aggreſſa* c *ſororem*
*Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte* d *ſerenat.*
*Inueni* e *germana viam, gratare ſorori,*
*Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſoluat amantem.*

*Dido ſimulat ſacrificium.*

*Oceani finem iuxta, ſolémque cadentem* f
*Vltimus Aethiopum locus eſt, vbi maximus Atlas* g

uit, vt perpetuò videre ſe putaret matris vmbram armatam tædis ardentibus ſerpentum ſpiris implicatam. Sedebant autem vltrices Diræ ſiue Furiæ in limine templi Apollinis, vt Oreſtem è templo egreſſum ſtatim inuaderent, quia ſecundum Pacuuij fabulam Pyladis admonitu ad vitandas Furias eò confugerat.

*a* Furore completa eſt.

*b* De tempore & modo mortis ſibi conſciſcendæ apud ſe exactè deliberat.

*c* Spe ſimulata frontem ſerenat.

*d* Inſidiosè alloquens.

*e* O ſoror mihi gratulare, inueni viam ſiue rationem, quæ mihi reſtituat Æneam amantem, vt priùs amabat, vel eo me ſoluat & ita liberet, vt de eo non cogitem ampliùs.

*f* Iuxta littus quo Oceanus finitur, & terminatur, & ſolem occidentem: Duplicem porro Aethiopiam eſſe, quarum altera ad ortum vergat, altera ad occaſum, tum Homerus, tum alij prodiderunt. Vide primum Odyſſ. verſu. 22.

*g* Altas Mauritaniæ mons eſt tam altus, vt cœlum vertice videatur attingere. Eum enim ex homine & Mauritaniæ rege in montem conuerſum fuiſſe fabulantur, de quo vide lib. 1. verſ. 745. lib. 8. verſu 136. Is quòd aſtrologiæ primus inuentor fuerit, creditus eſt cœleſtes orbes non ſolùm humero fulcire & ſuſtinere, ſed etiam verſare & torquere

*Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum* a.
*Hinc* b *mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos,*
*Heſperidum* c *templi cuſtos, epulaſque draconi*
*Quæ dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos,* Magia.
*Spargens humida mella, ſoporiferumque papauer.*
*Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes*
*Quas velit, aſt aliis duras immittere curas,*
*Siſtere aquam fluuiis, & vertere ſidera retrò,*
*Nocturnoſque ciet manes:* d *mugire videbis*
*Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.*
*Teſtor chara Deos, & te germana, tuumque*
*Dulce caput, magicas inuitam accingier* e *artes.*

Axis propriè eſt linea quam fingunt aſtrologi per centrum terræ prodeuntem à polo auſtrali ad polum ſeptentrionalem pertinere, hic pro polo vſurpantur.

*a* Coniunctum, compactum, concinnatum ſtellis in morem flammæ fulgentibus.

*b* Ex hac vltima Æthiopũ regione mihi mõſtrata eſt ſacerdos quæ paucis ante diebus venit Carthaginem, oriunda Maſſylâ mediterranea Africæ regione, quæ olim erat ſacerdos templi Heſperidum, ſiue horti augurio conſecrati: nunc habitat circa Atlantẽ, poſtquam Hercules mala aurea ſuſtulit, occiſò dracone qui perpetuò vigil ad eorũ pomorum cuſtodiam excubabat. Hunc draconem olim ſacerdos illa nutriebat ad ſeruãdos illius arboris aureæ ramos Veneri vel Iunoni ſacros, & miſcebat mel cum papauere: quod quidem papauer ſoporiferum eſt, & alijs animantibus ſomnũ inducit, non tamen ſatis habebat virium, vt draconem illum naturâ ſuâ peruigilem, ſopiret, ſed vt feritatem eius aliquantulũm mitigaret, vt ille draco ad cuſtodiã peruigil, notis & domeſticis eſſet mãſuetus.

*c* Heſperides fuerunt Heſperi, qui frater fuit Atlantis, filiæ, Ægle, Anthuſa, Heſperuſa.

*d* Noctu manes euocat è ſepulchris.

*e* Me inuitam ad artes magicas accingi, & præparari: tranſlatione ducta ab ijs qui aliquid facturi, veſtem altiũs cingunt & colligunt, ne veſtium lacinijs defluentibus impediantur & intricentur.

*Tu ſecreta* a *pyram tecto interiore ſub auras*
*Erige, & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit*
*Impius, exuuiaſque omneis, lectúmque iugalem,*
*Quo perij, ſuperimponas, abolere nefandi*
*Cuncta viri monumenta iubet, monſtratq; ſacerdos.*
*Hæc effata ſilet, pallor ſimul occupat ora.*
*Non tamen* b *Anna nouis prætexere funera ſacris*
*Germanam credit, nec tantos mente furores*
*Concipit, aut grauiora timet quàm morte Sichæi.*
*Ergo iuſſa parat.*
*At Regina* c *pyrâ penetrali in ſede ſub auras*
*Pyra ex ictatur.* *Erecta ingenti, tædis atque ilice ſecta,*
*Intenditque locum ſertis, & fronde coronat.*

*a* Sine arbitris pyram ſiue ſtruem lignorum erige in ipſis domus penetralibus, & gladium Æneæ, quem reliquit in thalamo fixum, omnes eius veſtes, ipſum denique lectum, coniugalem, quo pudor meus, qui vita mihi charior erat, extinctus eſt, ſuper hanc pyram impone. Nam illa ſacerdos Maſſyla, iubet omnia quæ mihi Æneam in memoriam reuocare poſſent, flammis abolere penitúſque conſumere, vt Æneæ memoria ex animo meo deleatur.

*b* Etiamſi videret Anna pallorem in Didonis ore, non tamen credidit ſororem ſuam nouis & inuſitatis ſacris funera prætexere, id eſt ſacrorum magicorum prætextu ſibi funus & exequias præparare; Neque ſibi perſuadere poteſt Didonem ſic inſanire vt ſibi mortem conſciſcat, aut eam diſceſſum Æneæ grauius eſſe laturam quàm tulerat mortem Sichæi mariti à Pygmalione interempti.

*c* At Regina Dido, poſtquam in ipſis regiæ penetralibus, pyra è tædis (pinus & piceas intelligit) & ilicibus erecta eſt; totum locum ornat ſertis & frondibus arborum feralium, qualis eſt cypreſſus, taxus, picea, & veſtem Æneæ, enſem è thalamo refixum, lectum ipſum genialem, & imaginem Æneæ in toro collocatam pyræ imponit, non ignara futuri euentus, quippe quæ iam mori & Æneæ diras ante mortem imprecari decreuerat.

*Funerea: ſuper exuuias, enſemque relictum,*
*Effigiemque toto locat haud ignara futuri.*
*Stant aræ* a *circum, & crines effuſa ſacerdos* Sacra magica.
*Tercentum tonat ore deos, Erebúmque, Chaóſque,*
*Tergeminamq; Hecatē,* b *tria virginis ora Dianæ,*
*Sparſerat & latices ſimulatos* c *fontis Auerni,*
*Falcibus & meſſæ* d *ad lunam quæruntur ahenis*
*Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni:* Hippomanes.
*Quæritur & naſcentis equi de fronde reuulſus,*
*Et matri præreptus amor* e.

*a* Aræ circa pyram excitantur ad imprecationes faciendas: & ſaga quædam ſiue ea Maſſyla fuerit, ſiue alia quæpiam crinibus in ventum effuſis atque diſperſis, tercentum deos (numerus eſt certus pro incerto) tam formidabili voce inuocat, vt ipſo ſono tonitrui fragorem imitetur,

*b* In cœlo Luna, in ſyluis Diana, in inferis Hecate, de qua Claudianus. — *Ternis Hecate variata figuris.* figurâ videlicet leonis, equi, tauri, vel vt alij volunt, equi, canis, hominis feri & agreſtis, de quibus Orpheus in Argonauticis verſu 972.

*c* Seruius. *In ſacris quæ exhiberi non poterant, ſimulabantur, & erant pro veris.*

*d* Placet quæ ſequuntur Cerdani noſtri verbis exponere. Quæruntur, inquit, herbæ, quibus notæ quatuor neceſſariæ ad ſacra illa, vt meſſæ eſſent ad lunam, vt ahenis falcibus, vt pubentes lanugine, vt cum lacte nigri veneni, id eſt, quibus eſſet ſuccus venenoſus.

*e* Quæritur etiam hippomanes, ſiue caruncula quædam de fronte naſcentis equi reuulſa, & matri prærepta, id eſt, rapta prius quàm mater eam deuorarit, vocatur amor matri præreptus, vel quòd ea caruncula à matre magnopere ametur & appetatur, vel quòd amoribus conciliandis & abolendis inſeruiat. Plinius lib. 8. ca. 42. *Et ſanè equis amoris innaſci veneficium, hippomanes, appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro, quod ſtatim edito partu deuorat fœta, aut partum ad vbera non admittit, ſi quis præreptum habeat.*

*Ipſa molâ* a *manibuſque pijs altaria juxta*
*Vnum exuta pedem vinclis in veſte recincta* b
*Teſtatur moritura Deos, & conſcia fati*
*Sidera,* c *tum ſi quod non æquo fœdere* d *amantes*
*Curæ nomen habet, iuſtumque* e *memorq; precatur.*
*Nox erat* f*, & placidum carpebant feſſa ſoporem*
*Corpora per terras ſyluæque, & ſæua quierant*
*Æquora, cùm medio voluuntur ſidera lapſu,*
*Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,*
*Quæque lacus latè liquidos, quæque aſpera dumis*
*Rura tenent, ſomno poſitæ* g *ſub nocte ſilenti*
*Lenibant curas & corda oblita laborum.*
*At non infelix animi Phœniſſa* h*, nec vnquam*
*Soluitur in ſomnos, oculiſue, aut pectore noctem* i

*a* Ipſa Dido molam falſam, id eſt tortam panis è farre & ſale confectam habens in manibus ( quas pias appellat quia ſacrificio vacabant) vnum pedem habens nudum & calceamenti vinculis abſolutum , &c.

*b* Soluta, nullis nodis aut zonis colligata. Seruius. *In ſacris nihil ſolet eſſe præligatum , præcipuè eius quæ amore vult ſolui.*

*c* Idem *Planetas in quibus fatorum ratio continetur.*

*d* Poſtquam deos & ſidera teſtes inuocauit, obteſtatur etiam numen quod amoribus præſidet : cùm tamen ei tam infeliciter amor ſuccèderet, dubitabat an eſſet eiuſmodi numen iuſtum & memor, & curam habens amantium iniquò fœdere, cùm videlicet non eſt æqua inter vtroſque conditio, ſed alter amori non reſpondet.

*e* Ad ſumendam de perfidis amatoribus vindictam.

*f* *Protenditur*, inquit Seruius, *iſta deſcriptio ad exaggerationem vigiliarum Didonis.*

*g* Id eſt iacentes & proſtratæ ſomno. Propertius.

*Subiecto leniter poſitam tentare lacerto.*

tranſlatione ducta à cadaueribus quæ propriè *poſitæ* dicuntur, & ſanè , *Conſanguineus lethi ſopor.*

*h* Dido filia Beli Regis Phœniciæ.

*i* Somnum , qui eſt munus noctis.

*Accipit, ingeminant curæ, rurſuſque reſurgens*
*Sæuit amor, magnóque irarum fluctuat æſtu.*
*Sic adeo inſiſtit, [a] ſecúmque ita corde volutat:*
*En quid agam? rurſuſne procos [b] irriſa priores*
*Experiar, Nomadúmque petam connubia ſupplex,*
*Quot ego ſum toties iam dedignata maritos?*
*Iliacas igitur claſſes, atque vltima Teucrûm*
*Iuſſa [c] ſequar, quia ne auxilio [d] iuuat ante leuatos,*
*Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti?*
*Quis me autem [e] (fac velle) ſinet, ratibuſque ſuperbis*
*Irriſam accipiet? neſcis heu perdita, necdum*
*Laomedonteæ ſentis periuria gentis.*

*Variæ Didonis cogitationes.*

a Pertinax & obſtinata hæret in propoſito moriendi, & rationes apud ſe conquirit, quæ poſſint eam à viuendi cupiditate magis & magis abducere.
b Iarbam, alios Africæ Reges, qui meas nuptias petierunt.
c Vel decretum vltimum abeundi, vel iuſſa Troianorum deterrima & ſuperbiſſima: quia videlicet ſuperbè & crudeliter imperabunt, méque vt ſeruam captiuamque tractabunt.
d An ideo Troianos ſequar, quia iuuat eis priùs auxilio fuiſſe, cùm naufragos, eiectos, omnium rerum egenos, omnibus caſibus exhauſtos excepi? an quia accepti à me beneficij meminerunt, debeo eorum gratitudini confidere?
e Sed eſto: velim Troianis hærere & cum iis in Italiam nauigare. Quid ſi velim? quis me Carthaginienſium abire patietur? quis me Troianorum in nauium recipiet? Nimis ſunt ſuperbi ut me non admittent: ſed contumeliis affectam & irriſam è ſuis nauibus extrudent. An ignoras, ô Dido infelix & amore perdita, an, inquam, ignoras Troianorum periuria? neſcis eos omnes ſimiles eſſe Laomedonti regi ſuo, qui promiſſos equos Neptuno & Apollini Troianorum murorum ſtructoribus interuertit, & fidem eis datam periurio violauit.

*Quid tum? a ſola fugâ nautas comitabor ouantes*
*An Tyriis, b omnique manu ſtipata meorum*
*Inſequar, & quos Sidonia vix vrbe reuelli,*
Querela. *Rurſus agam pelago, & ventis dare vela iubebo?*
*Quin morere, c vt merita es ferróq; auerte dolorē.*
*Tu lacrymis d euicta meis, tu prima furentem*
*His germana malis oneras, atque obiicis hoſti*
*Non licuit e thalami expertem ſine crimine vitam*

*a* Quid ſi Troiani me comitem admiſerint? Egóne Regina ſola ſine meis ſtipatoribus, ſine aulicis, potero comitari & nautas viles perſonas & ouantes, qui me velut captiuam abducent & de me triumphabunt. Quæ ſit autem inter triũphũ & ouationem diſtinctio, vide Piſonianam parag. 58. notâ 1. *b* Omnes paſſim ſic interpretantur. An Troianos bello perſequar cum omni Tyriorum exercitu? non placet. Quia ſi de bello loqueretur validius hoc conſilium refutaret, nec diceret. *Rurſus agam pelago, &c.* ſed *obiiciam morti.* Eſt igitur dilemma: Nec ſola comitari poſſum Troianos quia indignum id eſſet & indecorum: Nec ſtipata meis ciuibus: Quomodo enim eos quibus vix perſuaſi vt ab Vrbibus Tyro & Sydone diſcederent, iubebo iterum nauigare? *Inſequar*, autem idem eſt frequenter atque *ſequar*, vt lib. 5.

*Proximus huic longo, ſed proximus interuallo*
*Inſequitur Salius.*

lib. 7. Verſ. 792 *Inſequitur nimbus peditum*, &c.
lib. 9. *Tu vero, mea quem ſpatiis propioribus ætas*
*Inſequitur.*

*c* Cum igitur horum conſiliorum nullum probari poſſit, reſtat vt mortem ipſa mihi conſciſcam: nam & hoc merita ſum prodito pudore & ita dolores mei finientur. *d* Tu, ô ſoror, mihi cauſſa tantæ calamitatis extitiſti, tu mihi perſuaſiſti vt Æneæ qui nunc acerbiſſimus hoſtis euaſit me dederem: excuſanda tamen es, non enim id tua ſponte, ſed lacrymis meis euicta feciſti, & cùm me amore Æneæ furentem videres, putaſti illud vnum fore huic furori remediũ, ſi Æneæ nupſiſſem. *e* Nonne licuit, ſine crimine violati pudoris, vitam expertem nuptiarum ducere? Nonne mihi licuit, tales ſecundi matrimonij curas non omnino tangere: nec velis huiuſmo-

*Degere more feræ? tales nec tangere curas?*
*Non ſeruata* a *fides cineri promiſſa Sichæo.*
*Tantos illa ſuo rumpebat* b *pectore queſtus:*
*Æneas celſa in puppi, iam certus eundi,*
*Carpebat ſomnos: rebus iam rite paratis,*
*Hîc ſe forma dei vultu redeuntis eodem* c
*Obtulit in ſomnis, rurſúſque ita viſa monere eſt,*
*Omnia* d *Mercurio ſimilis, vocémque, colorémque,*
*Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.*
*Nate Dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?* Mercurius.
*Nec quæ circunſtent te deinde pericula cernis* Aeneam
*Demens, nec Zephyros* e *audis ſpirare ſecundos?* ad fugam
*Illa dolos, dirúmque nefas in pectore verſat,* inſtigat.
*Certa mori, varióque irarum fluctuat æſtu.*
*Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?*
*Iam mare turbari trabibus ſæuáſque videbis*

di ſollicitudinibus implicari, ſed ab ijs penitus abſtinere. Dixerat Anna ſuadens matrimonium.

*Solane perpetua mærens carpere iuuenta.*

Hanc ſolitudinem Dido ferarum, quæ ſolitudine delectantur, morem appellat, ſeipſam per ambages excuſans, quòd vitam hominum, vitata ſolitudine, ſororis hortatu, vitæ ferinæ prætuliſſet.

a Commodiſſimè Cerdanus. *Fide promiſſa Sichæo non* eſt *ſeruata ciner.* eius.

b Eluctabatur ex imis præcordijs lib. II. verſu 377.

*Rumpitque has imo pectore voces.*

c Quo priùs apparuerat vigilanti.

d Secundum omnia.

e *Pro quocunque vento,* ait Seruius; *Carthagine enim non Zephyro, ſed Auſtro nauigari ſolet.*

f Vel nauibus Carthaginienſum, quæ te perſequentur. Cerdanus aliter diſtinguit. *Iam mari turbare,* videlicet tempeſtate, *ſæuaſque videbis* ... *Collucere faces trabibus accenſis.* Nolo inter interpretes arbiter honorarius ſedere,

*Collucere faces, iam feruere littora flammis,*
*Si te his attigerit terris aurora morantem.*
*Eia age, rumpe moras: Varium, a & mutabile ſemper*
*Fœmina. Sic fatus nocti ſe immiſcuit atræ.* b
*Tum verò Æneas ſubitis exterritus vmbris.* c
*Corripit è ſomno* d *corpus, ſociósque fatigat,* e
*Præcipites vigilate viri & conſidite tranſtris:* f
*Soluite vela citi, Deus æthere miſſus ab alto*
*Feſtinare fugam, tortóſque incidere* g *funes,*
*Ecce iterum ſtimulat, ſequimur te ſancte deorum*
*Quiſquis es, imperióque iterum paremus ouantes,* h
*Adſis ô placidúſque iuues, & ſidera* i *cælo*
*Dextra feras dixit, vagináque eripit enſem*

*Aeneas ſuos excitat.*

Noſter tamen alibi ttabes pro nauibus vſurpat lib. 3.
*Vaſtumque caua trabe currimus æquor.*
quia naues è trabibus contextæ.

a Reſpondet tacitæ obiectioni, quam facere potuit Æneas. Dido mihi non nocebit, quia me amat. Reſpondet Mercurius noli Didonis amori confidere. Nam omnis fœmina varia eſt & mutabilis, & facile ex amore in odium conuertitur.

b Diſparuit & in tenebras euanuit.

c Quæ ſubitò tenebras obduxerunt, poſtquam Mercurius, qui magnâ luce circumfuſus apparuerat, diſparuit.

d Cum celeritate quadam, impetu & terrore ſomnũ excutit.

e Socios qui à fatigatione ſe nondum refecerant, à ſomno excitat cum tumultu.

f Sedete in tranſtris ad remigandum.

g Secare, ferro abrumpere, ne ſoluendis rudentibus quibus alligantur naues ad anchoram, mora extrahatur.

h Tam prompto & alacri animo; vt propter imperium tuum geſtiamus, & lætitia triumphemus.

i Seruius. *Dextrum, proſperum, & ſidera hoc eſt ventos qui ex ortu ſiderum aut mites & proſperi, aut turbulenti & aduerſi ſunt.*

*Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula* a *ferro.*
*Idem omnes ſimul ardor habet, rapiuntque, ruũtq;* b
*Littora deſeruêre,* c *latet ſub claſſibus æquor.* *Diſcedit ex Africa.*
*Adnixi* d *torquent ſpumas, & cærula verrunt.*
*Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras*
*Tithoni* e *croceum linquens Aurora cubile:*
*Regina è ſpeculis vt primùm albeſcere lucem*
*Vidit, & æquatis* f *claſſem procedere velis,*
*Littoráque & vacuos ſenſit ſine remige portus,*
*Térque, quatérque manu pectus percuſſa* g *decorũ*

*a* Nudato gladio ſcindit funes anchorarios tanta celeritate & impetu, vt gladius inſtar fulminis vibrari videatur.
*b* Rapiunt remos & palmulas, ipſi ruunt & cum impetu feſtinant ad tranſtra. *c* Vide lib. 3. verſu 208.
*d* Non ait *deſerunt* ſed *deſeruerunt*, ad maiorem celeritatem indicandam.
*e* Tithonus Troianus fuit; frater Laomedontis, quem Auroram dicitur ad amaſſe & in cœlum tranſtuliſſe. Porro notat Seruius in lib. vndecimum verſu 183. ex obſeruatione Aſinij Pollionis, *vbique Virgilium in diei deſcriptione ſermonem aliquem ponere aptum præſentibus rebu*. hîc igitur quia nauigaturus eſt Æneas & relicturus cubile Didonis, hunc loquendi modum vſurpat. Vide lib. 12. verſu 113.
*f* Vel æqualiter procedentibus vt vna nauis aliam non antecedat; ſed omnes ſimul iunctis ferantur lateribus, & prora proræ, carina carinæ, puppis puppi reſpondet., vel quòd vela ventis ſecundis æqualiter compleantur, ventique totos velorum ſinus in omnem partem inflent æqualiter, vt apud Catullum. ——— *Siue vtrumque Iupiter*
*Simul ſecundus incidiſſet in pedem.*
Hoc autem auræ feliciter ſpirantis adiecto mirè Reginæ dolorem exaggerat. Quid enim ei moleſtius eſſe potuit quàm hoſtem ſecundis ventorum flatibus ante ſuos ipſius oculos in altum promoueri?
*g* Cùm pectus repetitis ictibus percuſſiſſet, crinéſque ſuos abſcidiſſet, in hanc perturbatam & furore plenam oraitonem erupit.

*Flauenteiſque abſciſſa comas, Prô Iupiter ibit*
*Hic, ait, & noſtris illuſerit, aduena regnis?*
Didonis furor. *Non arma expedient? a totâque ex vrbe ſequentur?*
*Diripiéntque b rates alij naualibus? ite,*
*Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.*
*Quid loquor? aut vbi ſũ? quæ mentẽ inſania mutat?*
*Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt,*
Querelæ. *Tum decuit, cum ſceptra dabas, en dextra, fidéſq; d*
*Quem ſecum patrios aiunt portare penates,*
*Quem ſubijſſe humeris confectum ætate parentem?*
*Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis*
*Spargere? non ſocios? non ipſum abſumere ferro*
*Aſcanium? patrijſq; e epulandum apponere menſis?*
*Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna, fuiſſet:*
*Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem,*
*Impleſſémque foros f flammis, natúmq; patrémque*
*Cum genere extinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.*
*Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,*

*a* Tyrij videlicet, non appellat tamen furore turbata, ſolique intenta vltioni.

*b* Nonne Tyrij de naualibus ſiue nauium receptaculis naues armatas raptim deducent in mare, ad hoſtem velis remiſque perſequendum.

*c* Præ furore abſentes tanquam præſentes compellat, iiſque mandat vltionem. Mox ſeipſam retractat, ſtultitiæque condemnat, quòd adhuc imperare velit Tyrijs: cùm omnem imperandi auctoritatem amiſerit. Infelix Dido, nunc ad imum calamitatis es deuoluta: quando quidem ita dementata es, vt adhuc imperare velis Tyrijs: tunc decuit imperare, cùm adhuc integrâ pudicitiæ famâ florebas, cùm omnes dicto ſe tibi præbebant audientes: cùm Æneam in regni ſocietatem vocabas.

*d* Subaudi illius, videlicet Aeneæ. Vide lib. 2. à verſu 718.

*e* Aeneæ patris. *f* Tranſtra nauium.

*Túque harum interpres* a *curarum, & conſcia Iuno,*
*Nocturniſque* b *Hecate triuiis vlulata per vrbes,*
*Et diræ vltrices, & dij morientis Eliſæ*
*Accipite hæc, meritúmq;* c *malis aduertite numen,* **Diræ & imprecationes in Æneam**
*Et noſtras audite preces, ſi tangere portus*
*Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt,*
*Et ſi fata Iouis poſcunt, hic terminus hæret.*
*At bello audacis populi vexatus, & armis,*
*Finibus extorris, complexu auulſus Iuli,*
*Auxilium imploret, videátque indigna ſuorum*
*Funera, nec cùm ſe ſub leges pacis iniquæ*
*Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur.*
*Sed cadat ante diem, mediáque inhumatus arena.*

*a* Iuno coniugalium curarum interpres, quia Dea nuptialis, *cui vincla iugalia curæ.* Interpres, inquit Seruius, hoc eſt media & conciliatrix. Cic. *Quique interpretes in corrumpendis iudicibus ſolent eſſe.* Alijs *interpres* teſtis, iudex, arbitra, conſcia, auctor Plautus in milite.

*—— Quæ mihi conditio noua,*
*Et luculenta effertur per te interpretem.*

Idem in Curculione.

*Quod te præſente hic egit, téque interprete.*

*b* Et tu, ô Hecate, cui nocturna ſacra fiunt in triuijs & compitis. Seruius. *Permanſit in eius ſacris, vt certis diebus per compita à matronis exerceatur vlulatus.*

*c* Et veſtrum numen, veſtram iram, veſtram vltionem aduertite malis, prout merentur. Hic diras imprecatur Æneæ & quaſi futura præſagiens ea ſpecie dirarum prædicit quæ poſtea contigerunt. Si inquit, in fatis eſt vt ad Italiam claſſem appellat ille ſceleratus & nefarius, quem refugit & horret animus nominare, bello vexetur, (vt deinde à Turno & Rutulis vexatus eſt) Sit extorris finibus, auellatur ab Aſcanij filij ſui complexibus, (vt relicto in caſtris Aſcanio profectus eſt ad Pallantæum,) auxilium imploret (vt Euandri Arcadum Regis, & Tarchõtis Hetruſcorum ducis auxiliũ implorauit.)

*Videátque indigna ſuorum Funera.*

*Hæc precor, hanc vocem extremam cum ſanguine fundo,*
*Tum vos ô Tyrij, ſtirpem & genus omne futurum*
*Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro*
*Munera, nullus amor populi, nec fœdera ſunto.*
*Exoriare* [a] *aliquis noſtris ex oſſibus vltor,*
*Qui face Dardanios, ferróque ſequare colonos.*
*Nunc, olim quocumque dabunt ſe tempore vires*
*Littora littoribus contraria, fluctibus vndas*
Nutricem à ſe dimittit. *Imprecor, arma armis pugnent, ipſique nepotes.*
*Hæc ait, & partes animum verſabat in omneis,*
*Inuiſam quærens quam primum abrumpere lucem.*
*Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi,*
*Namque ſuam patriâ antiquâ cinis ater habebat:*
*Annam, cara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem,*
*Dic corpus properet fluuiali ſpargare lympha,*
*Et pecudes ſecum, & monſtrata piacula* [c] *ducat.*

vt vidit funus Pallantis & cæterorum. Poteſt etiam dici iniquis conditionibus pacem initam inter Rutulos & Troianos quia licet victores fuerint Troiani, tamen in linguam, mores, nomen Latinum tranſierunt, vt dicitur lib. 12. à verſ. 820. Neque *regno aut optata pace* frui potuit Æneas, ſed tertio poſt victoriam anno cecidit ante diem fatalem ad fluuium Numicium, neque poſtea corpus eius reperiri potuit ad ſepulturam, vnde & creditus eſt ad Deos abiiſſe, & nomine Iouis Indigetis coli cœpit.

[a] Exoriatur è meis cineribus vltor, videlicet Annibal, qui vrbium Italarum incendiis, & ſtragibus exercituum, Romanos à Troianis propagatos immaniter perſequatur.

[b] Ideo Sichæi nutricem alloquitur, quia ſuam ipſa nutricem non habebat: ſed ea iam pridem in antiqua patria, videlicet in vrbe Tyro, mortua fuerat, & in cineres redacta.

[c] Victimas expiatorias, quas vel ego ipſi monſtraui, vel ſacerdos.

*Sic veniat, túque ipſa* a *piâ tege tempora vittâ*
*Sacra Ioui Stygio* b *quæ rite incœpta paraui,*
*Perficere eſt animus, finémque imponere curis,*
*Dardaniíque rogum* c *capitis permittere flammæ.*
*Sic ait, illa gradum ſtudio* d *celerabat anili:*
*At trepida* e *& cœptis immanibus effera Dido*
*Sanguineam voluens aciem, maculiſque trementes*
*Interfuſa genas, & pallida morte futura,*
*Interiora domus irrumpit limina, & altos*
*Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit* *Conſcendit pyram.*
*Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.*
*Hîc poſtquam Iliacas veſtes, notumque cubile* f
*Conſpexit, paulùm lacrymis, & mente morata*
*Incubuitque toro, dixitque nouiſſima verba.*
*Dulces exuuiæ dum fata, Deúſque ſinebant,*
*Accipite hanc animam, méque his exoluite curis.* *Nouiſſima verba Didonis.*

a Caput tuum obnube vittâ pijs vſibus & ſacrificijs deſtinatâ.
b Plutoni, qui vt Iupiter in cœlo, ſic in Styge inferorum palude dominatur.
c Eſt animus rogum ſiue pyram Æneæ incendere, in qua videlicet pyra ſiue ſtrue lignorum effigies Æneæ eſt collocata.
d Barce feſtinabat illa quidem, ſed more anicularum, magno ſtudio, magna ſedulitate greſſum nõ admodum promouebat.
e At Dido cum ſe ſolam vidit, trepida & feſtinam, vt ante Barces & Annæ reditum ſe ipſam occideret, cœptis interficiendi ſui immanibus efferata, in omnem partem voluens oculos ſanguineo rubore ſuffuſos, trementes genas habens maculis interfuſas, & deliberata morte palleſcens, in interiorem ædium partem irrumpit, pyram conſcendit, enſem euaginat, quem ei dederat Æneas, non vt eſſet inſtrumentum mortis, ſed vt amoris pignus & monumentum.
f Lectum genialem cui pridem erat aſſueta, & Iliacas veſtes ſiue exuuias Æneæ.

*Vixi & quem dederat curſum fortuna, peregi.*
*Et nunc magna* a *mei ſub terras ibit imago.*
*Vrbem præclaram ſtatui, meæ mœnia vidi,*
*Vlta virum* b *pœnas inimico à fratre recepi.*
*Felix, heu nimiùm felix, ſi littora tantùm*
*Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.*
*Dixit, & os impreſſa toro* c *moriemur inultæ?*
*Sed moriamur, ait, ſic iuuat ire ſub vmbras.*
*Hauriat* d *hunc oculis ignem crudelis ab alto*
*Dardanus, & noſtro ſecum ferat omina* e *mortis.*
*Dixerat, atque illam* f *media inter talia ferro*

*a* Magna, vel fortis, generoſa, glorioſa: quòd ſibi mortem manu conſciuerit, vel quia imagines mortuorum viuis corporibus maiores apparent lib. 2.

*Et nota maior imago.*

De imagine autem, vmbra, ſimulacro, anima, manibus, alibi frequenter.

*b* Vlta mortem Sichæi pœnas debitas à fratre Pygmalione non ſolùm exegi, quod pertinet ad conatum, ſed etiam recepi, quod pertinet ad effectum vltionis: Vlta eſt autem, theſauros, quibus inhiabat & imminebat Pygmalion, ſecum auehens: *Nulla quidem*: inquit Seruius, *auaro maior eſt pœna quàm amittere pecuniam propter quam commiſerat ſcelus*. Aut etiam vlta eſt, maiorem Tyriorum partem ſollicitans, vt eos ſecum educeret.

*c* Habens os impreſſum & applicitum lectulo.

*d* Emphaticè? hauriat hunc ignem crudelis Æneas, id eſt, ſatiet & expleat crudelitatem ſuam, & hunc ignem feralem aſpiciēs perinde lætetur atque ſi meum ſanguinem exorbeat. *Dardanus* autem Dardanius, *ab alto*, à medio mari

*e* Mea mors immatura & rogi feralis aſpectus ſit illi omen mortis violentæ, quam ipſe paulo pòſt ſit obiturus.

*f* Donatus. *Non deſcripſit ictum quo Dido confoſſa eſt: ſed quæ feciſſet demonſtrauit, vt oſtenderet facti celeritatem, nam nullus vidit percutientem, ſed cadentem (imò collapſam) & ferrum ſpumare inundatione ſanguinis.*

*Collapſam aſpiciunt comites, a enſémque cruore* Dido ſe interficit.
*Spumantem, ſparsáſque manus, it clamor ad alta*
*Atria, concuſſam bacchatur fama per vrbem.*
*Lamentis, gemitúque, & fœmineo vlulatu*
*Tecta fremunt, reſonat magnis plangoribus æther.* Luctus.
*Non aliter, quàm ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis*
*Carthago, aut antiqua Tyros,* b *flammæq; furentes*
*Culmina pérque hominum voluantur, pérque deorum,*
*Audijt exanimis, trepidóque exterrita curſu* Accurrit Anna.
*Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis*
*Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.*
*Hoc illud* c *germana fuit, me fraude petebas,*
*Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes, aræque parabant?*
*Quid primùm deſerta querar, comitemne ſororem*
*Spreuiſti moriens, eadem me ad fata vocaſſes,* Annæ lamentatio.
*Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tuliſſet,*
*His etiam ſtruxi manibus, patrióſque vocaui*
*Voce deos, ſic te vt poſitâ crudelis abeſſem*
*Extinxi* d *te, méque ſoror, populúmque, patréſque*

a Quinam iſti comites: Nam Barcen à ſe amolita fuerat vt ſola remaneret. Dicendum aliquos ibi ſubſtitiſſe: ſed remotiores fuiſſe quam vt loquentem audirent, aut ferientis impetum ſuſtinerent.

b Vel vetus Carthaginienſum patria: vel quia vrbs antiquiſſime, è qua diuerſæ coloniæ tranſcriptæ fuerunt.

c Hoc igitur tua conſilia ſpectabant, ô ſoror, cùm me ſacrorum prætextu abs te dimiſiſti, cùm pyram erigere iuſſiſti, vt me abſente & alijs curis occupatâ teipſam occideres.

d Alij legunt *Extinxti*, id eſt *extinxiſti*, melius opinor *extinxi*. Culpam enim in ſe Anna conuertit, vel quòd

*Sidonios* a *vrbémque tuam, date vulnera lymphis*
*Abluam, & extremus ſi quis ſuper halitus errat*
*Ore legam. Sic fata gradus euaſerat* b *altos,*
*Semianimémque ſinu germanam amplexa fouebat*
*Cum gemitu: atque atros ſiccabat veſte cruores.*
*Illa graues oculos* c *contra attollere, rurſus*
*Deficit, infixum ſtridet ſub pectore vulnus.*
*Ter ſeſe attollens, cubitóque innixa leuauit.*
*Ter reuoluta toro eſt, oculiſque errantibus alto*
*Quæſiuit cælo lucem? ingemuitque repertâ*
*Tum Iuno* e *omnipotens longum miſerata dolorem,*
*Difficileſque obitus, Irim demiſit Olympo,*
*Quæ luctantem animam, nexóſque reſolueret artus.*
*Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat.*
*Sed miſera ante diem ſubitóque accenſa furo.*
*Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem*
*Abſtulerat, Stygioque caput damnauerat Orco.*

pyram ſuis manibus extruxerit, vel quòd ſororem ad nuptias excitarit.

*a* Senatores Carthaginienſes.

*b* Ad ſummum pyræ faſtigium per gradus conſcenderat.

*c* Oculos iam mortis torpore occupatos.

*d* Cerdanus. An quia lucem noluiſſet inuenire; vt quam tædebat, vitæ? an quia facti iam pœnitens, doloret amittere lucem quam amabat?

*e* Iuno miſerata cùm Didonem diutiùs cum morte luctantem videret, Irim demiſit quæ animam luctantem à corpore firmiter animæ connexo ſepararet. Nâm quia nec naturali fatalique morte, nec ſuis ſceleribus merita peribat, ſed miſera & innocens ſeipſam per animi furorem occiderat, ideo Proſerpina non obſtulerat illi crinem ex quo vita pendebat,

*Ergo Iris a croceis per cælum roſcida pennis,*
*Mille trahens varios aduerſo ſole colores*
*Deuolat: & ſupra caput adſtitit, hunc ego Diti* b Mors
*Sacrum iuſſa fero, téque iſto corpore ſoluo.* Didonis.
*Sic ait, & dextra crinem ſecat, omnis & vnà*
*Dilapſus calor, atque in ventos vita receſsit.*

a Iris ſiue arcus cœleſtis in nube rorida, priuſquam reſoluatur in imbrem ex ſolis oppoſitione & radiorum è guttis tanquam è totidem ſpeculis reflexione generatur, vnde longo tractu varij colores apparent.

b Hunc ego crinem fatalem iuſſu Iunonis fero ad Plutonem, cui eſt conſecratus.

*F I N I S.*

PVBLII
# VIR. MARONIS
## ÆNEIDOS.
### LIBER V.

MODESTINI IVRIS CONSVLTI,
in Quintum Æneidos Librum.

*ARGVMENTVM.*

Nauigat Æneas, Siculas defertur ad oras.
Hic manes celebrat patrios, vnâ hoſpes Aceſtes,
Ludos ad tumulum faciunt: certamina ponunt.
Prodigium eſt cunctis ardens delupſa ſagitta.
Iris tum Beroën habitu mentita ſenili
Incendit naues, ſubitus quas vindicat imber.
In ſomnis pater Anchiſes, quæ bella gerenda,
Quóque duce ad manes poſſit deſcendere narrat,
Tranſcribit matres vrbi, populúmque volentem.
Et placitum Æneas Palinurum quærit in vndis.

*Nauigat Æneas.*

*INtereà* a *medium* b *Æneas iam claſſe tenebat*
*Certus* c *iter, fluctúſque atros* d *Aquilone* e
*ſecabat.*

a Dum Dido ſe interficit, dum fletur, dum ad ſepulturam componitur, Æneas iam medio mari nauigabat.
b Seruius. *Aut medium eſt quicquid à principio recedit, & necdũ finem ſortitur: aut medium ſic altum, vt medium putaret: vt. Graditurque per æquor Iam medium* c Aut *certus eundi.* vt ſuprà dixit, & exponunt interpretes aut potius, vt explicat Donatus, *ſecurus, quod iam longè eſset & nullum aduerteret ſequi*, ſic libro. 10. ——— *Certuſque incerta pericula luſtret.*
d Scribit Ariſtoteles libro de coloribus, aquam ventis aſperatam nigram videri. *Nam*, inquit, *ob ſuperficiei aſperitatem cùm pauci radij incidunt, ac lumen diſſipatur, quod vmbroſum eſt nigrum apparet.* e Quos nuper flans Aquilo atros effecerat

*Mœnia reſpiciens, a quæ iam infelicis Eliſæ*
*Collucent flammis: quæ tantum accenderit ignem*
*Cauſſa latet: b duri magno ſed amore dolores*
*Polluto, notúmque furens quid fœmina poſſit,*
*Triſte per augurium Teucrorum pectora ducunt.*
*Vt pelagus c tenuere rates, nec iam ampliùs vlla*
*Occurrit tellus, maria vndique & vndique cælum,*
*Olli d cæruleus ſupra caput aſtitit imber*
*Noctem, hyemémque ferens, & inhorruit vnda tenebris.* *Tempeſtas.*

inquit Seruius: Nam ceſſante Aquilone, & in Auſtrum mutato adhuc quædam fluctuum ab Aquilone motorum agitatio remanebat. Aquilonem enim tum non ſpiraſſe ex eo conſtat, quòd aduerſus eſt in Italiam nauiganti. Donatus ait Aquilonem reuera ſpiraſſe qui opportunus fuerit non ad Italiam ſed ad fugam, Æneam autem quocunque ventorum nauigaſſe, non vt ad Italiam recto curſu perueniret, ſed vt ſe à præſenti periculo, & Didonis ira ſubduceret. Verùm Æneam non Aquilonis ſed Auſtri flatibus initio nauigationis vſum fuiſſe vel ex eo conſtat, quòd æquatis velis & ſecundo vento procedens non longè erat à Sicilia cùm ſubita tempeſtate eſt deprehenſus. Quare Donatus aliam inuenit exponendi Poëtæ rationem, & Aquilonem pro Auſtro ſumi ait, vt ſuprà Zephyros pro eodem Auſtro.

*Nec Zephyros audis ſpirare ſecundos.*

cùm non Zephyrus, ſed Auſter ſecundus ſit ex Africa in Italiam nauiganti.

*a* Frequenter oculos reflectens ad mœnia Carthaginienſia, quæ iam vndique facibus, quas ciues ad exequias Reginæ geſtabant collucent, & pyræ funebris incendio.

*b* Ignorant quidem cauſſam conflati incendij, ſed varij varia ſuſpicantur, & notum quàm duri dolores ex amoris magni violatione conſequantur; notum etiam quid furens fœmina poſſit, hæ, inquam, duæ notitiæ Troianorum pectora ducunt per triſte augurium, eóſque funeſtum aliquid faciunt augurari.

*c* Cùm Troianæ naues in medium pelagus prouectæ fuerunt,

*d* Æneæ.

*Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta,*
*Heu quianam a tanti cinxerunt æthera nimbi?*
*Quidue pater Neptune paras? ſic deinde locutus,*
*Colligere arma b iubet, validiſq; incumbere remis,*
*Obliquátque ſinus in ventum, c ac talia fatur.*
Palinurus. Æneæ. *Magnanime Ænea, non ſi mihi Iupiter auctor*
*Spondeat, d hoc ſperem Italiam contingere cœlo.*
*Mutati tranſuerſa e fremunt, & veſpere ab atro*
*Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur f aër:*
*Nec nos obniti contrà, g nec tendere tantùm*
*Sufficimus: ſuperat quoniam h fortuna, ſequamur,*

*a* Cur, quare.

*b* Vela contrahere, non tamen penitus deponere. Arma. inſtrumenta, vt *Certaliáque arma Expediunt.*

*c* Vela in ſinus ſiue rugas contracta ex obliquo & tranſuerſo tendit in eam partem vnde venti ſpirant, ne venti plenis & recta oppoſitis velis excepti violentiâ naues auferantur.

*d* Etiamſi Iupiter ipſe, qui tibi profectionis auctor fuit, téque miſſo Mercurio ad nauigandum hortatus eſt, proſperam nauigationem ſponderet & promitteret, tamen hac aëris conſtitutione ſperare non poſſem naues noſtras ad Italiam appulſum iri.

*e* Non ſunt iidem venti qui fuerunt, ſed Auſtro, qui nauigantibus ex Africa in Italiam obſecundabat, nauéſque à puppi proſequebatur, ſucceſſit Zephyrus ab occidente ſpirans in latus, & tranſuerſo atque obliquo flatu nauis curſum auertit. Occidentalis enim ventus Aquiloni & Auſtro tranſuerſus, & ſoli Euro contrarius.

*f* Nubes in aëre conglobantur ipſumque adeo aërem condenſant & reddunt craſſiorem.

*g* Nec nos ſatis virium habemus vt poſſimus remigando contra vim tempeſtatis obniti, & flantibus è tranſuerſo ventis obſiſtere, aut tantùm contendere vela, quantum contrahi deberent ad infringendam vim ventorũ ex obliquo ſpirantiũ

*h* Quoniam fortuna vires & artem humanam ſuperat, ei obſequamur & nauigationis noſtræ curſum præſenti tempeſtate moderemur.

*a* Portum

*Quòque vocat, vertamus iter, nec littora longè*
*Fida reor fraterna Erycis,* a *portúſque Sicanos:*
*Si modò ritè memor ſeruata remetior aſtra.*
*Tum pius Æneas: Equidem ſic poſcere ventos* Æneas iubet peti Siciliam:
*Iamdudum, & fruſtra cerno te tendere* b *contrà:*
*Flecte viam velis:* c *an ſit mihi gratior vlla,*
*Quóque magis, feſſas optem dimittere naues,*
*Quàm quæ Dardanium tellus mihi ſeruat Aceſten?*
*Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa?* Appellunt ad Siciliam.
*Hæc vbi dicta, petunt portus, & vela ſecundi*
*Intendunt Zephyri,* d *fertur cita gurgite claſſis,*
*Et tandem læti notæ* e *aduertuntur arenæ.*
*At procul excelſo miratus vertice montis*
*Aduentum, ſociaſque rates, occurrit Aceſtes,* Aceſtes occurrit.
*Horridus in iaculis, & pelle Libyſtidis* f *vrſæ:*

a Portum Drepanitanum Siciliæ intelligit, vbi mons Eryx, ab Eryce filio Butæ & Veneris, Æneæ fratræ vterino nominatus. *Fida* dicuntur ea *littora* propter fidum & beneuolum Aceſten ibi regnantem à Troianis oriundum. Hanc autem portus Drepanitani vicinitatem Palinurus agnoſcit, ex aſtrorum ſitu quæ ſuperiore nauigatione obſeruauerat, cùm è conſpectu Siciliæ vela dantes eiecti ſunt in Africam.

b Iampridem video te fruſtra ventis obluctari.

c Velis; quæ contracta fuerant, explicatis, nauium ad Italiam tendentium curſum deflecte verſus Siciliam: neque enim vlla mihi terra poteſt eſſe iucundior, aut ad leuandam nautarum fatigationem commodior, quàm ea Siciliæ pars, vbi regnat Aceſtes à Troianis oriundus, & vbi ſepultus eſt pater meus Anchiſes.

d Petunt Troiani portum Drepanitanum, & Zephyri ab occaſu ſpirantes vela ſic implent vt ea turgere & rigere faciant, & naues, quæ curſum verſus orientem deflexerant, ſecundis flatibus proſequantur.

e Vbi fuerant anno ſuperiore.

Vide lib. 8. verſu. 368. Seruius: *aut reuera vrſæ, aut feræ Africanæ hoc eſt Leonis, aut pardi*

*Troïa a Criniſo* b *conceptum flumine mater*
*Quem genuit, veterum non immemor ille parentum*
*Gratatur reduces, & gaza* c *lætus agreſti*
*Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.*
*Poſtera cùm primo ſtellas oriente fugarat*
*Clara dies, ſocios in cœtum littore ab omni*
*Aduocat Æneas, tumulique ex aggere* d *fatur:*
*Dardanidæ magni, genus alto à ſanguine* e *Diuûm*
*Annus* f *exactis completur menſibus orbis,*
*Ex quo relliquias, diuinique* g *oſſa parentis*
*Condidimus terra, mæſtáſque* h *ſacrauimus aras.*
*Iámque dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper acerbum*
*Semper honoratum* i *(ſic Dij voluiſtis) habebo.*
*Hunc ego* k *Getulis agerem ſi Syrtibus exul,*

Æneas habet ad ſuos concionem.

a Egeſta nomine, filia Hippotæ Troiani.
b Fluuio Siciliæ.
c Opibus ruſticanis, lacte, caſeis, fructibus.
d Ex edito loco, & terra in tumulum exaggerata.
e Dardanus enim Iouis & Electræ filius.
f Annus euolutus eſt poſt patris Anchiſæ funus. Solebant autem ſingulis annis inſtaurare honores mortuorum, Thucydides lib. 3. ϗ θάψαντες ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ἐτιμῶμεν κατ' ἔτος ἕκαστον *& in nostra terra ſitos quot annis honorabamus.* Tibullus

*Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.*

g Liberi parentes vita defunctos pro diis honorabant, vt ſcribit Plutarchus in quæſtionibus Romanis, & Cornelius Nepos oratione Corneliæ ad Gracchos.
h De more lib. 3. verſu 305.

*Et geminas, cauſam lacrymis, ſacrauerat aras.*

i Seruius. *Acerbum* propter perditum patrem, *honoratum* quia Deus effectus eſt.
k Si ego hunc diem agerem in Syrtibus Getuliæ. De Syrtibus vide dicta lib. in in verſum 115. Getulos potius, quàm Afros dixit, vt harum gentium immanitatem Aceſtæ humanitati magis opponat, argumento à minori ad maius. Si inter feras & barbaras nationes, ſi in Syrtibus, verſarer, ſi in

*Argolicóve mari deprenſus, & vrbe Mycenæ,*
*Annua vota tamen, ſolennéſque* a *ordine pompas*
*Exequerer, ſtrueremque ſuis* b *altaria donis.*
*Nunc vltra ad cineres ipſius, & oſſa parentis*
*(Haud equidē ſine mente reor, ſine numine Diuū)*
*Adſumus, & portus* c *delati intramus amicos:*
*Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem:*
*Poſcamus ventos,* d *atque hæc me ſacra quotannis*
*Vrbe velit poſitâ templis ſibi ferre dicatis.*
*Bina boum* e *vobis Troia generatus Aceſtes*
*Dat numero capita in naueis: adhibete penates*
*Et patrios epulis,* f *& quos colit hoſpes Aceſtes.*
*Præterea ſi* g *nona* h *diem mortalibus almum*

mari hoſtili ſubita tempeſtate deprehenſus eſſem, ſi Mycenis in ipſa Agamemnonis patria exularem, hodierno die anniuerſaria patris defuncti ſacra celebrarem, multo magis ad portum Drepanitanum vltrò delatus, in Aceſtæ regno & amiciſſimi Troianis & humaniſſimi debeo celebrare ad ipſius ſepulchrum.

*a* Solenne dicitur quod ſolet quotannis celebrari. Pompa & exequiæ voces funerum. Vide Milon. §. 34. Notâ 8. vbi diximus propriè pompæ nomine continere victimas & alia quæcunque funus, id eſt defuncti cadauer præcederent: exequias, quæ ſequerentur. Solennes igitur pompas exequi, nihil eſt aliud quàm victimas, & alia more tunc offerri ſolita, ad defuncti ſepulchrum ſolenni quadam deductione ſequi.

*b* Proprijs & conuenientibus donis victimis nimirum & dapibus funebribus altaria cumularem Stuere altaria, vt ſtruere menſas, id eſt ferculis onerare.

*c* Portum Drepanitanum vbi regnat Aceſtes amicus nomini Troiano.

*d* Ab Anchiſa tanquam à Deo petamus vt nobis paulò poſt nauigaturis ſecundos ventos immittat.

*e* Aceſtes duos boues in naues ſingulas.

*f* Lectiſternium intelligit, quod tum fiebat cùm tanquam dijs epulaturi lecti diſcubitorij ſternerentur.

*g* Si pro cùm Vide infra verſu 104.

*Aurora extulerit, a radiįſque retexerit orbem,*
*Prima citæ Teucris ponam certamina claſsis.*
*Quique pedũ* b *curſu valet, & qui viribus audax,*
*Aut iaculo incedit melior, leuibúſve ſagittis;*
*Seu crudo fidit pugnam committere cæſtu,* c
*Cuncti adſint: meritæq; expectẽt præmia palmæ.* d.
Eunt ad tumulum. *Ore fauete omnes,* e *& cingite tempora ramis.*
*Sic fatus velat materna* f *tempora myrto.*
*Hoc Helymus facit: hoc æui maturus Aceſtes.*
*Hoc puer Aſcanius: ſequitur quos cætera pubes.*
*Ille* g *è concilio multis cum millibus ibat*
*Ad tumulum, magna medius comitante caterua.*
*Hîc* h *duo rite mero libans carcheſia Baccho*

*a* Efferre vox funebris, quam in funebris diei deſcriptione vſurpat etiam lib. vndecimo verſu 182. *retexerit* autẽ à *retego*.
*b* ἀνακόλουθον, inquit Seruius: quòd cohærere ſibi minimè videatur oratio: immò ſi attendimus, maximè cohæret. *Cuncti adſint, quique pedum curſu valet* &c. *& qui iaculo melior incedit*, id eſt ſe venditat atque oſtentat ob artem iaculandi.
*c* Ceſtus manuum inuolucrum è crudo bouis corio factum, quo pugiles vtebantur.
*d* Cùm in ſacris certaminibus diuerſæ coronæ eſſent vel ex oleaſtro, vel è pinu, vel ex apio, vel è malo, tamen in omnibus victores palmam manu referebant, vt notat Plutarchus.
*e* Vel bene ominata verba dicite, vel tacete & ramis capita coronate de more eorum qui ſunt ſacris operam daturi.
*f* Matri Veneri ſacra, myrto verò coronatus Æneas vel quaſi Veneris filius, vel quaſi Veneris ſacrificaturus marito.
*g* Æneas dimiſſo cœtu ſuorum, quos vocauerat in concionem ibat ad ſepulchrum patris Anchiſæ.
*h* In hoc Anchiſæ tumulo duo pocula puri vini libans in terram effundit, duo item pocula lactis recenter mulcti, totidem ſanguinis ſacrarum victimarum, vt etiam lib. 1. verſu 67. Porro Carcheſium, vt ait Athenæus lib. 2. ex Callixeno ποτήριόν ἐστιν ἐπιμηκες συνηγμένον εἰς μῆκος ἐπιεικῶς, ὥστε ἔχον

*Fundit humi, duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro,*
*Purpureóſque iacit flores, ac talia fatur.* Libatio.
*Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti*
*Nequicquam cineres a animæque, vmbræque b paternæ.* Æneæ ad tumulum patris oratio.
*Non licuit, fines Italos, fataliáque arua,*
*Nec tecũ Auſonium, quicunq; eſt, quærere Tybrim*
*Dixerat hæc, adytis cùm lubricus anguis ab imis*
*Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit.*
*Amplexus placidè tumulum, lapsúſque per aras:* Serpens egreditur è tumulo
*Cærulea cui terga notæ, maculoſus & auro*
*Squamam incendebat fulgor; ceu nubibus arcus*
*Mille trahit varios aduerſo Sole colores.*
*Obſtupuit viſu Æneas, ille agmine longo*

μέχρι τοῦ πυθμένος καθήκοντα. *Eſt poculum oblongum, in medio leuiter compreſſum, auribus vtrimque ad fundum vſque deſcendentibus.* Fundebat humi, quia dijs Manibus & inferis has libationes inferebat.

*a* Seruius. *Cineres pro ipſo patre poſuit, quaſi diceret ſalue pater de Troiæ periculis liberate.* Sed fruſtra, quia non licuit, &c.

*b* Vel animas intelligentem, ſentientem, nutrientem intelligit, cui totidem vmbræ reſpondeant, vel per ſynecdochen pro ſingulari numero pluralem vſurpat.

*c* Dixerat hæc Æneas cum anguis lubricus ex imo tumulo (quem tumulum adyta Virgilius appellat Anchiſæ diuinitatem inſinuans) egreſſus eſt, ſeptemque gyris & flexibus in ſpiram conuolutus, tumulum molliter amplexus eſt, repſitq; per aras Anchiſæ excitatas. Cui ſerpenti cœruleæ notæ terga diſtinguebant, & fulgor ſquamas velut aureis quibuſdam maculis illuſtrabat, & inſtar ignis rutilare faciebat: inſtar Iridis ſiue arcus cœleſtis, qui varijs coloribus ex ſolis oppoſitione diſcriminatur.

*d* Ille anguis longo tractu tandem aliquando poſtquam diu moratus eſt ſeptenis illis gyris & voluminibus explicandis, ſerpens ſiue repens inter pateras libationi deſtinatas, &

Flauenteiſque abſciſſa comas, Prô Iupiter ibit
Hic, ait, & noſtris illuſerit, aduena regnis?
Didonis furor. Non arma expedient? a totâque ex vrbe ſequentur?
Diripiéntque b rates alij naualibus? ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut vbi ſũ? quæ mentẽ inſania mutat?
Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt,
Querelæ. Tum decuit, cum ſceptra dabas, en dextra, fidéſq; d
Quem ſecum patrios aiunt portare penates,
Quem ſubijſſe humeris confectum ætate parentem?
Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere? non ſocios? non ipſum abſumere ferro
Aſcanium? patrijſq; c epulandum apponere menſis?
Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna, fuiſſet:
Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſémque foros f flammis, natúmq; patrémque
Cum genere extinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,

a Tyrij videlicet, non appellat tamen furore turbata, ſolique intenta vltioni.

b Nonne Tyrij de naualibus ſiue nauium receptaculis naues armatas raptim deducent in mare, ad hoſtem velis remiſque perſequendum.

c Præ furore abſentes tanquam præſentes compellat, ijſque mandat vltionem. Mox ſeipſam retractat, ſtultitiæque condemnat, quòd adhuc imperare velit Tyrijs: cùm omnem imperandi auctoritatem amiſerit. Infelix Dido, nunc ad imum calamitatis es deuoluta: quando quidem ita dementata es, vt adhuc imperare velis Tyrijs: tunc decuit imperare, cùm adhuc integrâ pudicitiæ famâ florebas, cùm omnes dicto ſe tibi præbebant audientes: cùm Æneam in regni ſocietatem vocabas.

d Subaudi illius, videlicet Aeneæ. Vide lib. 2. à verſu 718.

e Aeneæ patris. f Tranſtra nauium.

*Túque harum interpres* a *curarum, & conſcia Iuno,*
*Nocturniſque* b *Hecate triuiis vlulata per vrbes,*
*Et diræ vltrices, & dij morientis Eliſæ*
*Accipite hæc, meritúmq;* c *malis aduertite numen,* Diræ & imprecationes in Æneam
*Et noſtras audite preces, ſi tangere portus*
*Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt,*
*Et ſi fata Iouis poſcunt, hic terminus hæret.*
*At bello audacis populi vexatus, & armis,*
*Finibus extorris, complexu auulſus Iuli,*
*Auxilium imploret, videátque indigna ſuorum*
*Funera, nec cùm ſe ſub leges pacis iniquæ*
*Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur.*
*Sed cadat ante diem, mediáque inhumatus arena.*

*a* Iuno coniugalium curarum interpres, quia Dea nuptialis, *cui vincla iugalia curæ.* Interpres, inquit Seruius, hoc eſt media & conciliatrix. Cic. *Quique interpretes in corrumpendis iudicibus ſolent eſſe.* Aliis *interpres* teſtis, iudex, arbitra, conſcia, auctor Plautus in milite.

*——Quæ mihi conditio noua,*
*Et luculenta effertur per te interpretem.*

Idem in Curculione.

*Quod te præſente hic egit, téque interprete.*

*b* Et tu, ô Hecate, cui nocturna ſacra fiunt in triuijs & compitis. Seruius. *Permanſit in eius ſacris, vt certis diebus per compita à matronis exerceatur vlulatus.*

*c* Et veſtrum numen, veſtram iram, veſtram vltionem aduertite malis, prout merentur. Hic diras imprecatur Æneæ & quaſi futura præſagiens ea ſpecie dirarum prædicit quæ poſtea contigerunt. Si inquit, in fatis eſt vt ad Italiam claſſem appellat ille ſceleratus & nefarius, quem refugit & horret animus nominare, bello vexetur, (vt deinde à Turno & Rutulis vexatus eſt) Sit extorris finibus, auellatur ab Aſcanij filij ſui complexibus, (vt relicto in caſtris Aſcanio profectus eſt ad Pallantæum,) auxilium imploret (vt Euandri Arcadum Regis, & Tarchõtis Hetruſcorum ducis auxiliũ implorauit.)

*Videáſque indigna ſuorum Funera.*

*Hæc precor, hanc vocem extremam cum ſanguine fundo,*
*Tum vos ô Tyrij, ſtirpem & genus omne futurum*
*Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro*
*Munera, nullus amor populi, nec fœdera ſunto.*
*Exoriare [a] aliquis noſtris ex oſſibus vltor,*
*Qui face Dardanios, ferróque ſequare colonos.*
*Nunc, olim quocumque dabunt ſe tempore vires*
*Littora littoribus contraria, fluctibus vndas*
Nutricem à ſe dimittit. *Imprecor, arma armis pugnent, ipſique nepotes.*
*Hæc ait, & partes animum verſabat in omneis,*
*Inuiſam quærens quam primum abrumpere lucem.*
*Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi,*
*Namque ſuam patriâ antiquâ cinis ater habebat:*
*Annam, cara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem,*
*Dic corpus properet fluuiali ſpargare lympha,*
*Et pecudes ſecum, & monſtrata piacula [c] ducat.*

vt vidit funus Pallantis & cæterorum. Poteſt etiam dici iniquis conditionibus pacem initam inter Rutulos & Troianos quia licet victores fuerint Troiani, tamen in linguam, mores, nomen Latinum tranſierunt, vt dicitur lib. 12. à verſ. 820. Neque *regno aut optata pace* frui potuit Æneas, ſed tertio poſt victoriam anno cecidit ante diem fatalem ad fluuium Numicium, neque poſtea corpus eius reperiri potuit ad ſepulturam, vnde & creditus eſt ad Deos abiiſſe, & nomine Iouis Indigetis coli cœpit.

a Exoriatur è meis cineribus vltor, videlicet Annibal, qui vrbium Italarum incendiis, & ſtragibus exercituum, Romanos à Troianis propagatos immaniter perſequatur.

b Ideo Sichæi nutricem alloquitur, quia ſuam ipſa nutricem non habebat: ſed ea iam pridem in antiqua patria, videlicet in vrbe Tyro, mortua fuerat, & in cineres redacta.

c Victimas expiatorias, quas vel ego ipſi monſtraui, vel ſacerdos.

*Sic veniat, túque ipſa a piâ tege tempora vittâ*
*Sacra Ioui Stygio* b *quæ rite incœpta paraui,*
*Perficere eſt animus, finémque imponere curis,*
*Dardaniique rogum* c *capitis permittere flammæ.*
*Sic ait, illa gradum ſtudio* d *celerabat anili:*
*At trepida* e *& cœptis immanibus effera Dido*
*Sanguineam voluens aciem, maculiſque trementes*
*Interfuſa genas, & pallida morte futura,*
*Interiora domus irrumpit limina, & altos*
*Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit* — *Conſcendit pyram.*
*Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.*
*Hîc poſtquam Iliacas veſtes, notumque cubile* f
*Conſpexit, paulùm lacrymis, & mente morata*
*Incubuitque toro, dixitque nouiſſima verba.*
*Dulces exuuiæ dum fata, Deúſque ſinebant,* — *Nouiſſima verba Didonis.*
*Accipite hanc animam, méque his exoluite curis.*

a Caput tuum obnube vittâ pijs vſibus & ſacrificijs deſtinatâ.
b Plutoni, qui vt Iupiter in cœlo, ſic in Styge inferorum palude dominatur.
c Eſt animus rogum ſiue pyram Æneæ incendere, in qua videlicet pyra ſiue ſtrue lignorum effigies Æneæ eſt collocata.
d Barce feſtinabat illa quidem, ſed more anicularum, magno ſtudio, magna ſedulitate greſſum nõ admodum promouebat.
e At Dido cum ſe ſolam vidit, trepida & feſtinam, vt ante Barces & Annæ reditum ſe ipſam occideret, cœptis interficiendi ſui immanibus efferata, in omnem partem voluens oculos ſanguineo rubore ſuffuſos, trementes genas habens maculis interfuſas, & deliberata morte palleſcens, in interiorem ædium partem irrumpit, pyram conſcendit, enſem euaginat, quem ei dederat Æneas, non vt eſſet inſtrumentum mortis, ſed vt amoris pignus & monumentum.
f Lectum genialem cui pridem erat aſſueta, & Iliacas veſtes ſiue exuuias Æneæ.

*Vixi & quem dederat curſum fortuna, peregi.*
*Et nunc magna* a *mei ſub terras ibit imago.*
*Vrbem præclaram ſtatui, meæ mœnia vidi,*
*Vlta virum* b *pœnas inimico à fratre recepi.*
*Felix, heu nimiùm felix, ſi littora tantùm*
*Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.*
*Dixit, & os impreſſa toro* c *moriemur inultæ?*
*Sed moriamur, ait, ſic iuuat ire ſub vmbras.*
*Hauriat* d *hunc oculis ignem crudelis ab alto*
*Dardanus, & noſtro ſecum ferat omina* e *mortis.*
*Dixerat, atque illam* f *media inter talia ferro*

*a* Magna, vel fortis, generoſa, glorioſa: quòd ſibi mortem manu conſciuerit, vel quia imagines mortuorum viuis corporibus maiores apparent lib. 2.

*Et nota maior imago.*

De imagine autem, vmbra, ſimulacro, anima, manibus, alibi frequenter.

*b* Vlta mortem Sichæi pœnas debitas à fratre Pygmalione non ſolùm exegi, quod pertinet ad conatum, ſed etiam recepi, quod pertinet ad effectum vltionis: Vlta eſt autem, theſauros, quibus inhiabat & imminebat Pygmalion, ſecum auehens: *Nulla quidem*: inquit Seruius, *auaro maior eſt pœna quàm amittere pecuniam propter quam commiſerat ſcelus*. Aut etiam vlta eſt, maiorem Tyriorum partem ſollicitans, vt eos ſecum educeret.

*c* Habens os impreſſum & applicitum lectulo.

*d* Emphaticè ? hauriat hunc ignem crudelis Æneas, id eſt, ſatiet & expleat crudelitatem ſuam, & hunc ignem feralem aſpiciẽs perinde lætetur atque ſi meum ſanguinem exorbeat. *Dardanus* autem Dardanius, *ab alio*, à medio mari

*e* Mea mors immatura & rogi feralis aſpectus ſit illi omen mortis violentæ, quam ipſe paulo pòſt ſit obiturus.

*f* Donatus. *Non deſcripſit ictum quo Dido confoſſa eſt: ſed quæ feciſſet demonſtrauit, vt oſtenderet facti celeritatem, nam nullus vidit percutientem, ſed cadentem (imò collapſam) & ferrum ſpumare inundatione ſanguinis.*

Collapſam aſpiciunt comites, a enſémque cruore — *Dido ſe interficit.*
Spumantem, ſparsáſque manus, it clamor ad alta
Atria, concuſſam bacchatur fama per vrbem.
Lamentis, gemitúque, & fœmineo vlulatu
Tecta fremunt, reſonat magnis plangoribus æther. — *Luctus.*
Non aliter, quàm ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros, b flammæq; furentes
Culmina pérque hominum voluantur, pérque deorum,
Audijt exanimis, trepidóque exterrita curſu — *Accurrit Anna.*
Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.
Hoc illud c germana fuit, me fraude petebas,
Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes, aræque parabant?
Quid primùm deſerta querar, comitemne ſororem
Spreuiſti moriens, eadem me ad fata vocaſſes, — *Annæ lamentatio.*
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tuliſſet,
His etiam ſtruxi manibus, patrióſque vocaui
Voce deos, ſic te vt poſitâ crudelis abeſſem
Extinxi d te, méque ſoror, populúmque, patréſque

*a* Quinam iſti comites: Nam Barcen à ſe amolita fuerat vt ſola remaneret. Dicendum aliquos ibi ſubſtitiſſe: ſed remotiores fuiſſe quam vt loquentem audirent, aut ferientis impetum ſuſtinerent.

*b* Vel vetus Carthaginienſum patria: vel quia vrbs antiquiſſime, è qua diuerſæ coloniæ tranſcriptæ fuerunt.

*c* Hoc igitur tua conſilia ſpectabant, ô ſoror, cùm me ſacrorum prætextu abs te dimiſiſti, cùm pyram erigere iuſſiſti, vt me abſente & alijs curis occupatâ teipſam occideres.

*d* Alij legunt *Extinxti*, id eſt *extinxiſti*, melius opinor *extinxi*. Culpam enim in ſe Anna conuertit, vel quòd

*Sidonios* a *vrbémque tuam, date vulnera lymphis*
*Abluam, & extremus ſi quis ſuper halitus errat*
*Ore legam. Sic fata gradus euaſerat* b *altos,*
*Semianimémque ſinu germanam amplexa fouebat*
*Cum gemitu: atque atros ſiccabat veſtre cruores.*
*Illa graues oculos* c *contra attollere, rurſus*
*Deficit, infixum ſtridet ſub pectore vulnus.*
*Ter ſeſe attollens, cubitóque innixa leuauit.*
*Ter reuoluta toro eſt, oculiſque errantibus alto*
*Quæſiuit cælo lucem? ingemuitque repertâ*
*Tum Iuno* e *omnipotens longum miſerata dolorem,*
*Difficileſque obitus, Irim demiſit Olympo,*
*Quæ luctantem animam, nexóſque reſolueret artus.*
*Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat.*
*Sed miſera ante diem ſubitóque accenſa furo.*
*Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem*
*Abſtulerat, Stygioque caput damnauerat Orco.*

pyram ſuis manibus extruxerit, vel quòd ſororem ad nuptias excitarit.

*a* Senatores Carthaginienſes.

*b* Ad ſummum pyræ faſtigium per gradus conſcenderat.

*c* Oculos iam mortis torpore occupatos.

*d* Cerdanus. An quia lucem noluiſſet inuenire; vt quam tædebat, vitæ? an quia facti iam pœnitens, doloret amittere lucem quam amabat?

*e* Iuno miſerata cùm Didonem diutiùs cum morte luctantem videret, Irim demiſit quæ animam luctantem à corpore firmiter animæ connexo ſepararet. Nâm quia nec naturali fatalique morte, nec ſuis ſceleribus merita peribat, ſed miſera & innocens ſeipſam per animi furorem occiderat, ideo Proſerpina non obſtulerat illi crinem ex quo vita pendebat,

*Ergo Iris a croceis per cœlum roſcida pennis,*
*Mille trahens varios aduerſo ſole colores*
*Deuolat: & ſupra caput adſtitit, hunc ego Diti* b *Mors Didonis.*
*Sacrum iuſſa fero, téque iſto corpore ſoluo.*
*Sic ait, & dextra crinem ſecat, omnis & vnâ*
*Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.*

a Iris ſiue arcus cœleſtis in nube rorida, priuſquam reſoluatur in imbrem ex ſolis oppoſitione & radiorum è guttis tanquam è totidem ſpeculis reflexione generatur, vnde longo tractu varij colores apparent.

b Hunc ego crinem fatalem iuſſu Iunonis fero ad Plutonem, cui eſt conſecratus.

*FINIS.*

*Mœnia reſpiciens, a quæ iam infelicis Eliſæ*
*Collucent flammis: quæ tantum accenderit ignem*
*Cauſſa latet:* b *duri magno ſed amore dolores*
*Polluto, notúmque furens quid fœmina poſſit,*
*Triſte per augurium Teucrorum pectora ducunt.*
*Vt pelagus* c *tenuere rates, nec iam amplius vlla*
*Occurrit tellus, maria vndique & vndique cælum,*
*Olli* d *cæruleus ſupra caput aſtitit imber* Tempeſtas.
*Noctem, hyemémque ferens, & inhorruit vnda tenebris.*

inquit Seruius: Nam ceſſante Aquilone, & in Auſtrum mutato adhuc quædam fluctuum ab Aquilone motorum agitatio remanebat. Aquilonem enim tum non ſpiraſſe ex eo conſtat, quòd aduerſus eſt in Italiam nauiganti. Donatus ait Aquilonem reuera ſpiraſſe qui opportunus fuerit non ad Italiam ſed ad fugam, Æneam autem quocunque ventorum nauigaſſe, non vt ad Italiam recto curſu perueniret, ſed vt ſe à præſenti periculo, & Didonis ira ſubduceret. Verùm Æneam non Aquilonis ſed Auſtri flatibus initio nauigationis vſum fuiſſe vel ex eo conſtat, quòd æquatis velis & ſecundo vento procedens non longè erat à Sicilia cùm ſubita tempeſtate eſt deprehenſus. Quare Donatus aliam inuenit exponendi Poëtæ rationem, & Aquilonem pro Auſtro ſumi ait, vt ſuprà Zephyros pro eodem Auſtro.

*Nec Zephyros audis ſpirare ſecundos.*

cùm non Zephyrus, ſed Auſter ſecundus ſit ex Africa in Italiam nauiganti.

a Frequenter oculos reflectens ad mœnia Carthaginienſia, quæ iam vndique facibus, quas ciues ad exequias Reginæ geſtabant collucent, & pyræ funebris incendio.

b Ignorant quidem cauſſam conflati incendij, ſed varij varia ſuſpicantur, & notum quàm duri dolores ex amoris magni violatione conſequantur; notum etiam quid furens fœmina poſſit, hæ, inquam, duæ notitiæ Troianorum pectora ducunt per triſte augurium, eóſque funeſtum aliquid faciunt augurari.

c Cùm Troianæ naues in medium pelagus prouectæ fuerunt,

d Æneæ.

*Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta,*
*Heu quia nam* a *tanti cinxerunt æthera nimbi?*
*Quidue pater Neptune paras? ſic deinde locutus,*
*Colligere arma* b *iubet, validiſq; incumbere remis,*
*Obliquátque ſinus in ventum,* c *ac talia fatur.*
Palinurus. Æneæ. *Magnanime Ænea, non ſi mihi Iupiter auctor*
*Spondeat,* d *hoc ſperem Italiam contingere cælo.*
*Mutati tranſuerſa* e *fremunt, & veſpere ab atro*
*Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur* f *aër:*
*Nec nos obniti contrà,* g *nec tendere tantùm*
*Sufficimus: ſuperat quoniam* h *fortuna, ſequamur,*

a Cur, quare.
b Vela contrahere, non tamen penitus deponere. Arma. inſtrumenta, vt *Certaliáque arma*, *Expediunt.*
c Vela in ſinus ſiue rugas contracta ex obliquo & tranſuerſo tendit in eam partem vnde venti ſpirant, ne venti plenis & recta oppoſitis velis excepti violentiâ naues auferantur.
d Etiamſi Iupiter ipſe, qui tibi profectionis auctor fuit, téque miſſo Mercurio ad nauigandum hortatus eſt, proſperam nauigationem ſponderet & promitteret, tamen hac aëris conſtitutione ſperare non poſſem naues noſtras ad Italiam appulſum iri.
e Non ſunt iidem venti qui fuerunt, ſed Auſtro, qui nauigantibus ex Africa in Italiam obſecundabat, nauéſque à puppi proſequebatur, ſucceſſit Zephyrus ab occidente ſpirans in latus, & tranſuerſo atque obliquo flatu nauis curſum auertit. Occidentalis enim ventus Aquiloni & Auſtro tranſuerſus, & ſoli Euro contrarius.
f Nubes in aëre conglobantur ipſumque adeo aërem condenſant & reddunt craſſiorem.
g Nec nos ſatis virium habemus vt poſſimus remigando contra vim tempeſtatis obniti, & flantibus è tranſuerſo ventis obſiſtere, aut tantùm contendere vela, quantum contrahi deberent ad infringendam vim ventorũ ex obliquo ſpirantiũ
h Quoniam fortuna vires & artem humanam ſuperat, ei obſequamur & nauigationis noſtræ curſum præſenti tempeſtate moderemur.

Portum

*Quóque vocat, vertamus iter, nec littora longè*
*Fida reor fraterna Erycis, a portúſque Sicanos:*
*Si modò ritè memor ſeruata remetiòr aſtra.*
*Tum pius Æneas: Equidem ſic poſcere ventos* — Æneas iubet peti Siciliam:
*Iamdudum, & fruſtra cerno te tendere* b *contrà:*
*Flecte viam velis:* c *an ſit mihi gratior vlla,*
*Quóque magis, feſſas optem dimittere naues,*
*Quàmque Dardanium tellus mihi ſeruat Aceſten?*
*Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa?* — Appellunt ad Siciliam.
*Hæc vbi dicta, petunt portus, & vela ſecundi*
*Intendunt Zephyri,* d *fertur cita gurgite claſſis,*
*Et tandem læti notæ* e *aduertuntur arenæ.*
*At procul excelſo miratus vertice montis*
*Aduentum, ſociaſque rates, occurrit Aceſtes,* — Aceſtes occurrit.
*Horridus in iaculis, & pelle Libyſtidis* f *vrſæ:*

*a* Portum Drepanitanum Siciliæ intelligit, vbi mons Eryx, ab Eryce filio Butæ & Veneris, Æneæ fratræ vterino nominatus. *Fida* dicuntur ea *littora* propter fidum & beneuolum Aceſten ibi regnantem à Troianis oriundum. Hanc autem portus Drepanitani vicinitatem Palinurus agnoſcit, ex aſtrorum ſitu quæ ſuperiore nauigatione obſeruauerat, cùm è conſpectu Siciliæ vela dantes eiecti ſunt in Africam.

*b* Iampridem video te fruſtra ventis obluctari.

*c* Velis, quæ contracta fuerant, explicatis, nauium ad Italiam tendentium curſum deflecte verſus Siciliam: neque enim vlla mihi terra poteſt eſſe iucundior, aut ad leuandam nautarum fatigationem commodior, quàm ea Siciliæ pars, vbi regnat Aceſtes à Troianis oriundus, & vbi ſepultus eſt pater meus Anchiſes.

*d* Petunt Troiani portum Drepanitanum, & Zephyri ab occaſu ſpirantes vela ſic implent vt ea turgere & rigere faciant, & naues, quæ curſum verſus orientem deflexerant, ſecundis flatibus proſequantur.

*e* Vbi fuerant anno ſuperiore.

*f* Vide lib. 8. verſu. 368. Seruius: *aut venera vrſæ, aut feræ Africanæ hoc eſt Leonis, aut pardi.*

*Troïa a Criniſo b conceptum flumine mater*
*Quem genuit, veterum non immemor ille parentum*
*Gratatur reduces, & gaza c lætus agreſti*
Æneas habet ad ſuos concionem. *Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.*
*Poſtera cùm primo ſtellas oriente fugarat*
*Clara dies, ſocios in cœtum littore ab omni*
*Aduocat Æneas, tumulique ex aggere d fatur.*
*Dardanidæ magni, genus alto à ſanguine e Diuûm*
*Annuus f exactis completur menſibus orbis,*
*Ex quo relliquias, diuinique g oſſa parentis*
*Condidimus terra, mœſtáſque h ſacrauimus aras.*
*Iámque dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper acerbum*
*Semper honoratum i (ſic Dij voluiſtis) habebo.*
*Hunc ego k Getulis agerem ſi Syrtibus exul,*

*a* Egeſta nomine, filia Hippotæ Troiani.
*b* Fluuio Siciliæ.
*c* Opibus ruſticanis, lacte, caſeis, fructibus.
*d* Ex edito loco, & terra in tumulum exaggerata.
*e* Dardanus enim Iouis & Electræ filius.
*f* Annus euolutus eſt poſt patris Anchiſæ funus. Solebant autem ſingulis annis inſtaurare honores mortuorum, Thucydides lib. 3. ϰ θαφέντας ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ἐτιμῶμεν κατ' ἔτος ἕκαστον *& in noſtra terra ſitos quos annis honorabamus*. Tibullus
*Annua constructo ſerta dabit tumulo.*
g Liberi parentes vita defunctos pro diis honorabant, vt ſcribit Plutarchus in quæſtionibus Romanis, & Cornelius Nepos oratione Corneliæ ad Gracchos.
*h* De more lib. 3. verſu 305.
*Et geminas, cauſam lacrymis, ſacrauerat aras.*
i Seruius. *Acerbum* propter perditum patrem, *honoratum* quia Deus effectus eſt.
k Si ego hunc diem agerem in Syrtibus Getuliæ. De Syrtibus vide dicta lib. in in verſum 115. Getulos potius, quàm Afros dixit, vt harum gentium immanitatem Aceſtæ humanitati magis opponat, argumento à minori ad maius. Si inter feras & barbaras nationes, ſi in Syrtibus, verſarer, ſi in

*Argolicóve mari deprenſus, & vrbe Mycenæ,*
*Annua vota tamen, ſolennéſque a ordine pompas*
*Exequerer, ſtruerémque ſuis b altaria donis.*
*Nunc vltra ad cineres ipſius, & oſſa parentis*
*(Haud equidē ſine mente reor, ſine numine Diuū)*
*Adſumus, & portus c delati intramus amicos:*
*Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem:*
*Poſcamus ventos, d atque hæc me ſacra quotannis*
*Vrbe velit poſitâ templis ſibi ferre dicatis.*
*Bina boum e vobis Troia generatus Aceſtes*
*Dat numero capita in naueis: adhibete penates*
*Et patrios epulis, f & quos colit hoſpes Aceſtes.*
*Præterea ſi g nona h diem mortalibus almum*

mari hoſtili ſubita tempeſtate deprehenſus eſſem, ſi Mycenis in ipſa Agamemnonis patria exularem, hodierno die anniuerſaria patris defuncti ſacra celebrarem, multo magis ad portum Drepanitanum vltrò delatus, in Aceſtæ regno & amiciſſimi Troianis & humaniſſimi debeo celebrare ad ipſius ſepulchrum.

a Solenne dicitur quod ſolet quotannis celebrari. Pompa & exequiæ voces funerum. Vide Milon. §. 34. Notâ 8. vbi diximus propriè pompæ nomine continere victimas & alia quæcunque funus, id eſt defuncti cadauer præcederent: exequias, quæ ſequerentur. Solennes igitur pompas exequi, nihil eſt aliud quàm victimas, & alia mortuis offerri ſolita, ad defuncti ſepulchrum ſolenni quadam deductione ſequi.

b Proprijs & conuenientibus donis victimis nimirum & dapibus funebribus altaria cumularem. Stuere altaria, vt ſtruere menſas, id eſt ferculis onerare.

c Portum Drepanitanum vbi regnat Aceſtes amicus nomini Troiano.

d Ab Anchiſa tanquam à Deo petamus vt nobis paulò poſt nauigaturis ſecundos ventos immittat.

e Aceſtes duos boues in naues ſingulas.

f Lectiſternium intelligit, quod tum fiebat cùm tanquam dijs epulaturi lecti diſcubitorij ſternerentur.

g Si pro cùm. Vide infra verſu 104.

*Aurora extulerit*, a *radijſque retexerit orbem*,
*Prima citæ Teucris ponam certamina claſſis.*
*Quique pedũ* b *curſu valet, & qui viribus audax,*
*Aut iaculo incedit melior, leuibúſve ſagittis;*
*Seu crudo fidit pugnam committere cæſtu,* c
*Cuncti adſint: meritæq; expectẽt præmia palmæ.* d.
Eunt ad tumulum. *Ore fauete omnes*, e *& cingite tempora ramis.*
*Sic fatus velat materna* f *tempora myrto.*
*Hoc Helymus facit: hoc æui maturus Aceſtes.*
*Hoc puer Aſcanius: ſequitur quos cætera pubes.*
*Ille* g *è concilio multis cum millibus ibat*
*Ad tumulum, magna medius comitante caterua.*
*Hîc* h *duo rite mero libans carcheſia Baccho*

*a* Efferre vox funebris, quam in funebris diei deſcriptione vſurpat etiam lib. vndecimo verſu 182. *retexerit* autẽ à *retego*.
*b* ἀνακόλουθον, inquit Seruius: quòd cohærere ſibi minimè videatur oratio: immò ſi attendimus, maximè cohæret. *Cuncti adſint, quique pedum curſu valet* &c. *& qui iaculo melior incedit*, id eſt ſe venditat atque oſtentat ob artem iaculandi.
*c* Ceſtus manuum inuolucrum è crudo bouis corio factum, quo pugiles vtebantur.
*d* Cùm in ſacris certaminibus diuerſæ coronæ eſſent vel ex oleaſtro, vel è pinu, vel ex apio, vel è malo, tamen in omnibus victores palmam manu referebant, vt notat Plutarchus.
*e* Vel bene ominata verba dicite, vel tacete & ramis capita coronate de more eorum qui ſunt ſacris operam daturi.
*f* Matri Veneri ſacra, myrto verò coronatus Æneas vel quaſi Veneris filius, vel quaſi Veneris ſacrificaturus marito.
*g* Æneas dimiſſo cœtu ſuorum, quos vocauerat in concionem ibat ad ſepulchrum patris Anchiſæ.
*h* In hoc Anchiſæ tumulo duo pocula puri vini libans in terram effundit, duo item pocula lactis recenter mulcti, totidem ſanguinis ſacrarum victimarum, vt etiam lib. 1. verſu 67. Porro Carcheſium, vt ait Athenæus lib. 2. ex Callixeno ποτήριόν ἐστιν ἐπιμηκὲς συνηγμένον εἰς μῆκος ἐπιεικῶς, ὦτα ἔχον

Fundit humi, duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro.
Purpureóſque iacit flores, ac talia fatur.
Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti
Nequicquam cineres a animæque, vmbræque b paternæ.
Non licuit, fines Italos, fataliáque arua,
Nec tecū Auſonium, quicunq; eſt, quærere Tybrim
Dixerat hæc, adytis cùm lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit.
Amplexus placidè tumulum, lapsúſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor; ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerſo Sole colores.
Obſtipuit viſu Æneas, ille agmine longo

Libatio.
Æneæ ad tumulum patris oratio.
Serpens egreditur è tumulo

μέχρι τοῦ πυθμένος καθήκοντα. *Eſt poculum oblongum, in medio leuiter compreſſum, auribus vtrimque ad fundum vſque deſcendentibus.* Fundebat humi, quia dijs Manibus & inferis has libationes inferebat.

a Seruius. *Cineres pro ipſo patre poſuit, quaſi diceret ſalue pater de Troiæ periculis liberate.* Sed fruſtra, quia non licuit, &c.

b Vel animas intelligentem, ſentientem, nutrientem intelligit, cui totidem vmbræ reſpondeant, vel per ſynecdochen pro ſingulari numero pluralem vſurpat.

c Dixerat hæc Æneas cum anguis lubricus ex imo tumulo (quem tumulum adyta Virgilius appellat Anchiſæ diuinitatem inſinuans) egreſſus eſt, ſeptémque gyris & flexibus in ſpiram conuolutus, tumulum molliter amplexus eſt, repſitq; per aras Anchiſæ excitatas. Cui ſerpenti cœruleæ notæ terga diſtinguebant, & fulgor ſquamas velut aureis quibuſdam maculis illuſtrabat, & inſtar ignis rutilare faciebat: inſtar Iridis ſiue arcus cœleſtis, qui varijs coloribus ex ſolis oppoſitione diſcriminatur.

d Ille anguis longo tractu tandem aliquando poſtquam diu moratus eſt ſeptenis illis gyris & voluminibus explicandis, ſerpens ſiue repens inter pateras libationi deſtinatas, &

Libat dapes.

*Tandem inter pateras, & læuia pocula ſerpens*
*Libauitque dapes, rurſuſque innoxius imo*
*Succeßit tumulo & depaſta altaria liquit.*
*Hoc magis a incœptos, genitori inſtaurat honores,*
*Incertus Geniúmne loci, famulúmne parentis*
*Eſſe putet? cædit quinas de more bidentes,* b
*Totque ſues, totidem nigrantes terga* c *iuuencos:*
*Vináque fundebat pateris, animámque vocabat*
*Anchiſæ magni, manéſque* d *Acheronte remiſſos.*
*Nec non & ſocij,* e *quæ cuique eſt copia læti*
*Dona ferunt, onerantque aras, mactántque iuuẽcos.*
*Ordine ahena locant alij* f, *fuſique per herbam*
*Subijciunt verubus prunas, & viſcera torrent.*

carcheſia bene terſa & læuigata, dapum ſiue inferiarum primitias, & quaſi primos honores, deorum nomine deguſtauit, rurſúmque nemini nocens reuerſus eſt in imum tumulum vnde diſceſſerat, & reliquit altaria, poſtquam ignis dapes ſuperpoſitas penitus abſumpſit.

*a* Æneas tanto magis inferias patri renouat inſtar priorum, & de integro libat lac, mel, vinum.

*b* Oues biennes, vel quæ duos dentes eminentiores habent.

*c* Habentes terga nigrantia, quia victimas nigras dijs Manibus immolabant.

*d* Seruius, *Aut venientes de Acheronte ad hanc parentationem: aut certè remiſſos Acheronte, quia iam in Acheronte non eſſent poſt apotheoſin.*

*e* Cæteri quoque Troiani & Siculi confœderati, pro ſua quiſque facultate, alacres & libenter ferunt inferias & Anchiſæ parentant.

*f* Alij lebetes æreos ordine diſponunt, ſiue ad elixandas carnes victimarum, ſiue ad lauandum corpus antequam epulis accumbant.

*g* Hac illac diſperſi per campos herbidos ignem ſub verubus accendunt, & aſſant victimarum inteſtina.

*Expectata dies aderat nonámque* a *ſerená*
*Auroram Phaëthontis* b *equi iam luce vehebant,* Ludorum apparatus.
*Famáque finitimos, & clari nomen Aceſtæ*
*Excierat: læto complerant littora cœtu,*
*Viſuri Æneadas, pars & certare pariti.*
*Munera principio ante oculos, circoque* c *locantur*
*In medio, ſacri tripodes* d *virideſque coronæ,*
*Et palmæ,* e *pretiū* f *victoribus, armáque, & oſtro*
*Perfuſæ* g *veſtes, argenti, aurique talenta:*
*Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.*
*Prima pares ineunt grauibus certamina remis*

*a* Seruius. *Apud maiores vbi quis fuiſſet extinctus, ad domum ſuam referebatur, &c. & illic ſeptem diebus erat, octauo incendebatur, nono ſepeliebatur: vnde Horatius, Nouendiales diſſipare pulueres. Vnde etiam ludi qui in honorem mortuorum celebrabantur, nouendiales dicuntur.*

*b* Homerus Odyſſ. 11.

Ἀέλιος, φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.

Noſter epithetum loco proprij nominis vſurpat, vt veteres pro ſole *radiatum* dicebant vnde per Phaëthontis equos, Solis radiati ſiue ſplendentis equos intelligit.

*c* Hoc eſt in ſpatioſo ludorū loco, quales fuerūt circi Romani. In medio verò loco certaminis præmia locabantur, vt ex Homero Demoſthene, Nonnio & alijs noſter Cerdanus aduertit.

*d* Seruius. *Sic pulchri, vt ſacros putares, vel quales ſacri ſolent, tripodes dicti quod tribus pedibus niterentur* & vel vaſa fuerunt in præmium data victoribus, Horatius.

*Donarem tripodas munera fortium.*

vel menſæ in medio poſitæ quibus imponebantur coronæ dandæ victoribus.

*e* Palmas à coronis diſtinguit: quia victores in ſacris certaminibus, coronas, ex alijs arboribus capiti imponebant, ſed palmæ ramum manu referebant, vt ſignificat Pollux.

*f* Præmium.

*g* Purpureæ. Purpura vero, vnde color purpureus, eſt oſtreum, ſiue piſciculus oſtreo contectus.

*Quatuor ex omni delectæ claſſe carinæ.*
Mneſtheus. *Velocem Mneſtheus agit acri remige Priſtin,* a
*Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Mẽmi,*
Gyas. *Ingentémque Gyas ingenti mole chimæram*
*Vrbi: opus,* b *triplici pubes quam Dardana verſu* c
*Impellunt, terno conſurgunt ordine remi.*
*Sergeſtúſque, domus* d *tenet à quo Sergia nomen,*
*Centauro inuehitur magna, Scylláque Cloanthus*
Sergeſtus. *Cærulea, genus vnde tibi Romane Cluenti:*
*Eſt procul in pelago ſaxum,* e *ſpumantia contra*
*Littora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim*

a Piſtrix ſiue priſtis balæna & monſtrum marinum, de quo lib. 3. verſu 427. & lib. 10. 211 Priſtis, Chimera, Centaurus, Scylla naues fuerunt, ſic dictæ vel quòd ad harum belluarum ſimilitudinem eſſent fabricatæ, vel quòd huiuſmodi belluas pictas haberent pro inſignibus.

b Tantæ magnitudinis vt non vnius priuati, ſed publicis vniuerſæ ciuitatis ſumptibus facta fuiſſe videretur.

c Quid ſit *verſu* ipſe explicat ſubdens: *ordine*. eſt enim verſus in re nautica ordo remorum. Liuius lib. 45. *Paulus ipſe poſt dies paucos regia naue ingentis magnitudinis, quam ſexdecim verſus remorum agebant.* Alias pro quouis ordine: vt,

*Ille etiam ſeras in verſum digerit vlmos.*

d Familia.

e Eſt in mari medio ſcopulus, *procul*, id eſt, aliquantulùm quidem remotus, ita tamen vt ſit præ oculis & è terra videri poſſit, iſque ſcopulus eſt è littoris, ad quod ſpuma maris frequenter eliditur, regione: qui ſcopulus fluctibus in tumorem elatis verberatur, & operitur: cum Cori procelloſi (venti inter ſeptentrionem & occaſum ſpirantes) obductis nubibus cœlum abſcondunt. At vbi mare tranquillum eſt, ita ſilet illud ſaxum vt nullus alliſorum fluctuum fragor audiatur & inter aquas immotas eminet ſaxi latitudo, & in planitiem extenditur, præbens gratiſſimam marinis auibus ſtationem, vt ibi apricentur, & alas frequenti merſione madefactas ad ſolem exſiccent,

*Fluctibus : hibiern condunt vbi ſidera Cori:*
*Tranquillo ſilet, immotaque attollitur vndâ*
*Campus , & apricis ſtatio gratiſſima mergis,*
*Hîc* a *viridem Æneas frondenti ex ilice metam*
*Conſtituit , ſignum nautis pater, vnde reuerti*
*Scirent , & longos vbi circumflectere curſus.*
*Tum loca ſorte legunt,* b *ipſique in puppibus auro*
*Ductores longè effulgent,oſtróque decori.*
*Cætera populeâ* c *velatur fronde iuuentus:*
*Nudatóſque* d *humeros oleo perfuſa niteſcit.*
*Conſidunt tranſtris ,* e *intentáque brachia remis,*
*Intenti expectant ſignum : exultantiáque haurit*
*Corda pauor pulſans,* f *laudumque arrecta cupido.*

*Meta naualis certaminis.*

a In hoc ſaxo Pater Æneas metam conſtituit, vt nauium ductores ſcirent ab eo ſigno ſibi eſſe redeundum , & circa hanc metam flectendum eſſe nauium curſum inſtar curulis certaminis,

b Quia penes illum futura erat victoria , non qui ſimpliciter celeriùs nauigaſſet , ſed qui propiùs & interiore gyro metam circumflexiſſet , is autem flexus ad ſiniſtram erat faciendus, ideo magni referebat , quem quiſque locum occuparet,iſque locus commodiſſimus erat,qui maximè vergebat ad ſiniſtram: Eam ob rem inter ſe loca ſortiuntur , ne ſit in ordinatione contentio : idque ad imitationem curulis certaminis.

c Populus Herculi ſacra , hoc autem nauale certamen magnum & quaſi Herculeum remigum robur exigebat.

d Humeros nudos habens & oleo perfuſos atque delibutos, ita nitet vt quemdam è corpore quaſi ſplendorem emittat.

e Omnes vna ſedent in ſedibus remigum , ſiue ſcamnis : eorum brachia remis intenta ſunt : ipſi animo diligenter attendunt, & ſignum ineundæ nauigationis expectant. Quo ſenſu poſt vocem *remis* comma ponetur. Sed elegantiùs fortaſſe tollemus interpunctionem , hoc ſenſu , & *brachia* remigum *intenta remis expectant ſignum* illius qui ſigno ad profectionem dando intentus eſt.

f Corde palpitante , & ſuſpenſis animis , ita fluctuant cogi-

Nauale certamen.

*Inde, vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes*
*(Haud mora) proſiluêre ſuis, a ferit æthera clamor*
*Nauticus, adductis b ſpumant freta verſa lacertis,*
*Infindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit c*
*Conuulſum remis, roſtriſue tridentibus æquor.*
*Non tam præcipites biiugo certamine campum*
*Corripuere, ruuntque effuſi carcere d currus:*
*Nec ſic immiſſis aurigæ vndantia e lora*
*Concuſſere iugis, pronique in verbera pendent f.*
*Tum plauſu fremitúq; virûm ſtudijſque fauentum*
*Conſonat omne nemus, vocémque incluſa volutant*
*Littora, g pulſati colles clamore reſultant.*

Comparatio.

tantes de victoria, cuius incertus erat euentus, vt pauore ſimul & gloriæ deſiderio, quaſi quibuſdam fluctibus hauriantur, & quodammodo abſorbeantur.

a Omnes illæ quatuor naues è loco proſiliunt: qui cuique ſorte obuenerat.

b Reductis brachijs ad fortiùs remigandum.

c Omnes pariter eodem temporis veſtigio, tanquam aratri vomere, ſulcos imprimunt ita profundos vt totum æquor ab imis ſedibus euerſum atque conuulſum remorum roſtroúmque impreſſione dehiſcere, & terram inter fluctus aperire videatur. Roſtra nauium ſunt primæ partes inſtar roſtri auium acuminatæ, tribus cuſpidibus & quaſi dentibus inſtructæ ad fluctus diuidendos, vnde & tridentes. Alij legunt *ſtridentibus* primâ ſyllabâ contra naturam correptâ.

d E carceribus emiſſi: ſunt autem carceres repagula, è quibus equi decurſuri in ſtadium emittuntur. Eſt porro ὕστερον πρότερον, priùs enim eſt è carceribus emitti & ruere, quam campum ſiue medium ſpatium corripere. Sed hoc indicat miram celeritatem, quaſi priùs ad medium ſpatium peruenerint quàm fuerint è carceribus emiſſi, quod omnem fidem excedit.

e Laxata vndatim ſiue in morem vndæ explicata & fluitantia.

f Ita incumbunt verbera equis intentantes, vt non in bigis ſedere, ſed in aëre vacuo pendere videantur.

g Littora ſcopulis & rupibus incluſa voces & clamores ab

*Effugit ante oculos, primúſque elabitur vndis*
*Turbam inter, fremitúmque* a *Gyas, quem deinde Cloanthus*
*Conſequitur, melior remis,* b *ſed pondere pinus*
*Tarda tenet: poſt hos æquo diſcrimine* c *Priſtis,*
*Centaurúſque locum tendunt ſuperare priorem,*
*Et nũc Priſtis habet,* d *nũc victam præterit ingens*
*Centaurus: nunc vna ambæ, iunctíſque feruntur*
*Frontibus, & longæ ſulcant vada ſalſa carinæ.*
*Iamq; propinquabant ſcopulo, metamq;* e *tenebãt,*
*Cum princeps, mediáque Gyas in gurgite victor,* f *Gyas iubet ad metam accedere.*
*Rectorem nauis compellat voce Menœten:*
*Quò tantùm mihi dexter abis?* g *huc dirige curſũ:*

hominibus nautas excitantibus emiſſos ita verſant, volutant, & ex alio in alium ſcopulum remittunt, vt inde reſultet quædam ſpecies & imago vocis, quæ Echo nominatur.

a Spectatoribus in littore tumultuantibus, & vario fremitu ſua ſtudia teſtantibus.

b Scylla nauis Cloanthi erat remis inſtructior, quàm Chimæra nauis Gyæ: ſed quia grauior erat, & ſolidior, ponderoſiórque, ideò tardiùs promouebatur.

c Æquali diſtantia, ſiue interuallo Priſtris nauis Mneſtei, & Centaurus nauis Sergeſti, contendunt inter ſe vtra prior euadat.

d Subaudi *locum priorem*, de quo inter ſe certabant. Id eſt locum tertium, videlicet poſt Scyllam & Chimæram, quæ priores euaſerant.

e Ad metam ex frondenti ilice in ſaxo poſitam peruenerant.

f Victor quidem celeritate nauigationis, qua primus ante omnes elapſus fuerat & ad metam peruenerat: ſed nondum flexu circa illam metam, qui reſtabat faciendus.

g Quare ita nauem ad dexteram deflectis, quæ eſt à metâ remotior, ac proinde inutilis ad victoriam? curſum dirige ad ſiniſtram, vt breuiore circuitu metam circumflectas: accede propriùs ad metam quæ ita marinis aquis alluitur, vt

*Littus ama & læuas ſtringat ſine palmula cautes;*
*Altum alij teneant dixit, ſed cæca* a *Menœtes*
*Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas.*
*Quò diuerſus abis* b*? iterum pete ſaxa Mœnete:*
*Cum clamore Gyas reuocabat: & ecce Cloanthum*
*Reſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem:*
*Ille inter nauémque Gyæ, ſcopulóſque ſonantes*
*Radit iter læuum interior,* c *ſubitúſque priorem*
*Præterit, & metis tenet æquora tuta* d *relictis.*
*Tum verò exarſit iuueni* e *dolor oſſibus ingens:*
*Nec lacrymis caruêre genæ, ſegnémque Mœneten,*
*Oblitus decoriſque ſui,* f *ſociúmque ſalutis,* g
*In mare præcipitem puppi deturbat ab alta:*
*Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter*

Varij certaminis euentus.

Gyas nauis gubernatorem deiicit in mare.

littus vocari poſſit. (Littus enim eſt omne ad quod fluctus alludit) & *ſine*, ſiue permitte, vt *palmula*, id eſt extrema pars remi ad ſimilitudinem manus humanæ dilatata, *cautes* ſiue rupes ad ſiniſtram poſitas & metæ propinquiores, *ſtringat*, radat & præterlegat.

*a* Aquis abſcondita ſaxa metuens anteriorem nauis partem magna vi detorquet & deflectit in medium mare ab illo ſcopulo remotum.

*b* Quo abis in diuerſam partem ab illa quæ petenda fuerat vt adipiſceremur victoriam.

*c* Cur Cloanthus dicatur *interior*, Poëta ſatis explicat, quia *inter nauémque Gyæ ſcopuloſque ſonantes* nauigabat. Hoc enim pacto erat interior quàm Gyas, id eſt ſaxo vicinior. Dicitur *iter læuum* tenuiſſe quia flexus & circuitus erat ad ſiniſtram faciendus. Dicitur *iter raſiſſe*, quia cautes ſiue ſaxa ſtringebat, & præterlegebat.

*d* Abſoluto circuitu, metam prætergreſſus iam tutus nauigat quia in metâ ſaxi periculum fuit quod euaſerat.

*e* Tum verò cum ſe vidit Gyas à Cloantho ſuperatum, valdè indoluit: erat enim iuuenis & elatus ſtudio victoriæ.

*f* Quia indecorum ei fuit non poſſe iræ moderari.

*g* Quæ periclitabatur amiſſo gubernatore.

*Hortatúrque viros, clauúmque ad littora* a *torquet.*
*At grauis, vt fundo vix tandem redditus imo eſt*
*Iam ſenior, madidáque fluens in veſte Menœtes,*
*Summa petit ſcopuli, ſiccaque in rupe reſedit.*
*Illum, & labentem* b *Teucri, & riſere natantem,*
*Et ſalſos rident reuomentem pectore fluctus.*
*Hic* c *læta extremis ſpes eſt accenſa duobus,*
*Sergeſto, Mneſtheóque Gyam ſuperare morãtem* d:
*Sergeſtus capit ante locum, ſcopulóque propinquat:*
*Nec tota tamen ille prior præeunte carina,*
*Parte prior, partem roſtro premit æmula Priſtis.* e
*At media ſocios incedens naue per ipſos*
*Hortatur Mneſtheus: Nunc nunc inſurgite remis* Mneſthei ad ſuos hortatio
*Hectorei ſocij, Troiæ quos ſorte ſuprema*
*Delegi comites: nunc illas promite vires,*
*Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus* f *vſi.*
*Ionioque mari, Maleæque ſequacibus* g *vndis*

*a* Ad ſaxum cui fluctus alludebat.

*b* Aduerte Poëtæ prudentiam: cùm labentem, cùm emergentem ex imo fundo, cùm grauem aquis: cum madida fluentem in veſte, cùm natantem in ſaxum Menœtem deſcriberet, importunum putauit & inhumanum riſus mentionem obtrudere: at Menœte ſaluo & incolumi, quaſi releuatis ſollicitudine animis, ait riſiſſe Troianos.

*c* Cùm hæc agerentur.

*d* Qui moratus aliquantum fuerat Menœtem admonendo, & è naui deturbando.

*e* Nauis Mneſthei.

*f* Ad quas Syrtes delati ſumus ea tempeſtate quæ nos appulit Carthaginem de qua 1. Æneidos.

*g* Malæa ſiue Maleia promontorium eſt Laconicæ prouinciæ in mare Ionicum excurrens, periculoſum appulſis. Statius.
*circum conat tra Malei:,* dicuntur vndæ ſequaces, quod ad illud promontorium alliſæ & fractæ proſequantur, inſectentur ve nauigantes.

*Nõ iã prima peto Mneſtheus,* a *neq; vincere certò,*
*( Quanquam , ô )* b *ſed ſuperent , quibus hoc Neptune dediſti:*
*Extremos pudeat rediÿſſe : hoc vincite* c *ciues,*
*Et prohibete nefas. Olli* d *certamine ſummo*
Summa remigũ contentio. *Procumbunt : vaſtis tremit ictibus ærea* e *puppis*
*Subtrahitúrque ſolũ ,* f *tum creber anhelitus artus,*
*Aridáque ora quatit , ſudor fluit vndique riuis.*
*Attulit ipſe viris* g *optatum caſus honorem.*
*Namq; furens animi, dum proram ad ſáxa ſuburget*
*Interior ,* h *ſpatióque ſubit Sergeſtus iniquo,*

*a* Emphaſis. Ego ille Mneſtheus vbique victor, ego qui nemini ſoleo de gloria concedere.

*b* Riticentia. Quanquam ô ſi poſſem adipiſci victoriam, quãto gaudio triumpharem ! Quanquam ô , quantus mihi dolor inuretur , ſi ego Mneſtheus cuiquam primas partes conceſſero.

*c* Vincite, contendite ne extremi redeatis ; ſi primum locum tenere non poteſtis , ſecundum ſaltem perdere non debetis : hanc vnam mihi victoriam date, vt ſi Cloanthum vincere non poſſum, ſaltem Gyam & Sergeſtum antecedam.

*d* Remiges ſumma vi certatim remis incumbunt, vel *certamine ſummo* quaſi in *ſummo certamine*, id eſt , animoſiores quia videbant ſe iam propemodum veniſſe ad finem certaminis.

*e* Cuius roſtrum ære præfixum.

*f* Et aqua nauibus ſubſtrata dehiſcens naui Mneſthei ſubducitur. Solum enim eſt quidquid alteri rei ſubſternitur, eamque ſuſtentat, vt lib. 7.

*Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.*

*g* Socijs Mneſthei.

*h* Donatus. *Dum inter ſaxum & nauim Mneſthei Sergeſtus tranſire contendit, non vidit ſaxa procurrentia, & his inhæſit. Procurrentia ſaxa ſunt quæ latenter à radicibus eminentis ſaxi in mare tenduntur.* Interior eſt ſiniſterior & meta vicinior , ſpatium iniquum eſt ſpatium anguſtius quàm vt tutò poſſit in eo

*Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.*
*Concuſſæ cautes, & acuto in murice* a *remi*
*Obnixi crepuere, illiſáque prora pependit.* Sergeſti naufragium.
*Conſurgunt nautæ, & magno clamore morantur* b,
*Ferrataſque ſudes,* c *& acuta cuſpide contos*
*Expediunt;* d *fractóſque legunt in gurgite remos.*
*At lætus Mneſtheus ſucceſſúque acrior ipſo*
*Agmine remorum celeri, ventiſque vocatis,* e Mneſtheus ſucceſſu excitatur.
*Prona* f *petit maria, & pelago decurrit aperto*
*Qualis ſpelunca ſubitò* g *commota columba,*

nauigari. Non æquum, non æquale, quod vix nauis latitudini reſpondeat.

a Murex inquit Seruius, eſt *acumen ſaxi prominens.* Senſus eſt Donato interprete: *Cùm obnixi remiges remis luctantibus tendere* [illegible] *nauì, meritóque nõ cedentibus ſaxis crepuerũt remi,* & prora ſiue pars anterior nauis ad cautes illiſa ſic hæſit, vt ſuſpenſa videretur.

b Suſtinent impetum nauis in ſaxum impactæ, eámque remorantur.

c Hæc videtur eſſe inter ſudes & contos diſtinctio, quòd ſudes ſunt perticæ breuiores, conti longiores.

d Præparant, expedite capiunt, vt

*Cerealiáque arma Expediunt,*

& remorum fragmenta colligunt in mari, vt vel mutilatis remis nauim impellant.

e Vel tam proſperis & ſecundis vt ſi Mneſthei rogatu ſpirarent, vel reuera inuocatis, ſic lib. 8.

*Ipſa videbatur ventis regina vocatis Vela dare.* ——

f Facilia & expedita. *pronum enim dicimus,* inquit Donatus, *quod difficultatem non habet: & arduum quicquid difficulter ſuperatur:* apertum autem pelagus eſt nullis ſaxis, nullis cautibus impeditum.

g Qualis columba quæ ſubito pauore venatoris vel accipitris de ſpelunca commouetur, quæ habet nidos dulces propter amorem prolis, qua nihil dulcius, è nido euolat in arua, & exterrita dat pennis plauſum ſiue ſtrepitum ingentem, antequam è nido diſcedat alis magno ſtridore explicatis, mox aëre placido & quieto tam leniter volat, vt non

*Cui domus, & dulces a latebroſo in pumice nidi,*
*Fertur in arua volans, plauſumq; exterrita pennis*
Comparatio.
*Dat tecto ingentem, mox aëre lapſa quieto*
*Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.*
*Sic Mneſtheus, ſic ipſa fugâ ſecat vltima Priſtis*
*Æquora, ſic illam fert impetus ipſe volantem.*
*Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto*
Mneſtheus Gyan ſuperat.
*Sergeſtum breuibuſq; vadis, b fruſtraq; vocantem*
*Auxilia & fractis diſcentem currere remis.*
*Inde Gyan, ipſamque ingenti mole Chimæram*
*Conſequitur: cedit quoniam ſpoliata magiſtro c eſt.*
*Solus iamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus,*
Mneſthei & Cloanthi contẽtio
*Quem petit & ſummis adnixus viribus vrget.*
*Tum verò ingeminat clamor, cunctiq; ſequentem d*
*Inſtigant ſtudiis: reſonat clamoribus æther.*
*Hi proprium decus, & partum indignantur honorẽ,*

tam aërem ſecare quàm perſtringere: vel potiùs libare, alaſque celeres ne quidem mouere videatur. Talis erat Priſtis nauis Mneſthei, quæ initiò quidem luctata eſt non ſine remigum ſtrepitu & clamore, tum ſaxi vicinitate, tum Sergeſti naufragio ſparſiſque per mare remorum fragmentis impedita: quo factum eſt vt Mneſtheus remos adhibere debuerit, & ſecare æquora vltima ſiue metæ propinqua, mox tamen his difficultatibus expeditus, ita tranquille & ipſo nauis impetu ad portum nauigauit, vt volare videretur.

a Crebris foraminibus & hiatibus interſito: pumex vernacule, *la pierre ponce*.

b Locis vadoſis & arenoſis.

c Menœte nauis gubernatore, quem ipſe Gyas iratus in mare deiecerat.

d Mneſtheum qui proxime Cloanthum ſequebatur, & pené aſſequebatur, cuncti ſpectatores inſtigant & fauent.

e Cloanthi remiges indignantur, niſi retineant decus & honorem in cuius iam poſſeſſione erant, paratique ſunt eam gloriam conſeruare vel vitæ ſuæ diſpendio, ſiue vitam ſuam oppignerare pro laude victoriæ. a Mneſth-

*Ni teneant, vitamque volunt pro laude paciſci,*
*Hos ſucceſſus alit:* a *poſſunt,* b *quia poſſe videntur:*
*Et fors æquatis* c *cepiſſent præmia roſtris:*
*Ni palmas ponto tendens vtraſque Cloanthus*
*Fudiſſetque preces, diuóſque in vota,* d *vocaſſet.*
*Dij quibus imperiũ pelagi, quorum æquora curro*
*Vobis lætus* e *ego hoc candentem in littore taurum* *Votum Cloanthi.*
*Conſtituam ante aras,* f *voti reus,* g *extáque ſalſos*

a Moneſthei ſocios animat ſucceſſus ad ſperandam de Cloantho victoriam: cùm viderent felici ſucceſſu Gyan & Sergeſtum iam à ſe fuiſſe ſuperatos, quorum alter nauis ſuæ gubernatorem deturbarat in mare, alter in ſaxa nauem impegerat,

b Ideo poſſunt adipiſci de Cloantho victoriam, quia putant ſe poſſe adipiſci, & hac perſuaſione magis animantur.

c Et fortaſſe nauium roſtris eodem tempore æqualiter ad littus appulſis, & æqualiter applicatis, Mneſtheus & Cloanthus, paria victoriæ præmia retuliſſent, niſi Cloanthus vtrámque manum extendens in mare, preces fudiſſet.

d Deos marinos orauiſſet vt ad recipienda vota, quæ ipſe nuncupaturus erat, accederent.

e Vel gaudens ob adeptam victoriam, vel promptus, vt lib. 7. verſu 430.

*—Armari pubem, portiſque moueri,*
*Lætus in arma para.—*

f De more. Statuebant enim victimam ante aras, vt eam immolarent, id eſt eius capiti molam ſalſam ex farre & ſale confectam imponerent, & inter cornua vinum, quod vocabant inferium, libarent (vnde Ouidius.

*Rode caper vitem, tamen hinc cùm ſtabis ad aram*
*In tua quod fundi cornua poſſit, erit,*

& eius caput infula circundarent, & ſetas è victima decerptas in ignem mitterent, quaſi ſacrificij primitias, & certas preces ſuper victimam conciperent. vide lib. 3. Georg verſu 486. lib. 6. verſu 245. lib. 8. Æneidos, verſu 84. lib. 9. verſu 627. lib. 12. verſu 170.

g Seruius. *Debitor: unde vota ſoluentes dicimus abſolutos, inde eſt*
*Damnabis tu quoque votis.*
*quaſi reos facies*, vox è foro traducta.

*Porriciam* [a] *in fluctus, & vina liquentia fundam.*
*Dixit: eúmque imis ſub fluctibus audijt omnis*
Dij marini fauent Cloantho. *Nereidum* [b]*, Phorcique chorus, Panopeæq; virgo,*
*Et pater ipſe manu magna* [c] *Portunus euntem*
*Impulit: illa Noto citius, volucrique ſagitta*
*Ad terram fugit & portu ſe condidit* [d] *alto.*
*Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more* [e] *vocatis*
Cloanthus victor declaratur. *Victorem magna præconis voce Cloanthum*
*Declarat, viridique aduelat tempora lauro:*
*Muneráque in naueis ternos aptare* [f] *iuuencos*
*Vináque & argenti magnum dat ferre talentum* [g]*,*
*Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:*
*Victori chlamydem auratam* [h]*: quam plurima circum*
*Purpura Mæandro duplici Melibœa* [i] *cucurrit,*

a Varro lib. 1. de re ruſtica c. 29. *Exta dijs cùm dabant, porricere dicebant*, quaſi porro iacere, vt Seruius exponit.

b Nereides deæ marinæ, filiæ Nerei, Phorcus etiam deus marinus, cuius filiæ dicuntur Phorci chorus.

c Portunus dictus quod portubus preſideat. Græcis Palæmon.

d Vſque ad interiora portus penetrauit.

e Ex more ludorum & ſacrorum certaminum, in quibus voce præconis declarabantur victores, & coronabantur.

f In ſingulas naues aſſignat & diſtribuit tres iuuencos, vinum & talentum argenti. *Dat aptare*; dat vt in ſingulas naues aptentur, ideſt diſtribuantur, & quaſi accommodentur.

g De talentis auri & argenti, de paruis & magnis talentis vide orat. pro Rab. Poſtumo. 21.

h Cloantho victori dat chlamydem auratam, ſiue aureis filis intextam, circa quam chlamydem auratam, limbus purpuræ plurimæ, id eſt, ſaturæ, bis tinctæ (dibapham appellant) currebat, & quaſi ludebat Mæandro duplici, id eſt, duplici flexu inſtar Mæandri fluuij Cariæ admodum ſinuoſi.

i Feſtus. *Melibœa purpura à nomine inſulæ*, in qua tingitur, eſt dicta.

*Intextúſque a puer frondoſa regius Ida*
*Veloces iaculo ceruos curſúque fatigat,* Præmia data ducibus Cloantho.
*Acer, anhelanti ſimilis, quem præpes ab Ida*
*Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis:*
*Longæui palmas ne quicquam ad ſidera tendunt*
*Cuſtodes; ſæuitque canum latratus in auras.*
*At qui deinde locum tenuit virtute ſecundum*
*Leuibus huic* b *hamis conſertam auróque trilicem* Mnestheo.
*Loricam, quam Demoleo dextraxerat ipſe* c
*Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto*
*Donat habere viro, decus* d *& tutamen in armis.*
*Vix illam famuli Phegeus, Sagariſque ferebant*
*Multiplicem* e, *connixi humeris: indutus at olim*
*Demoleus curſu palantes Troas agebat.*
*Tertia dona facit geminos ex ære lebetas* Gyæ.
*Cymbiáque argento perfecta, atque aſpera ſignis.*

a In eadem chlamyde intextus puer regius, id eſt Ganymedes filius Trois Regis Troianorum, venatur in Idæa ſylua: quem Iupiter adamauit, & miniſterio aquilæ in cœlum rapuit, vt nectar dijs epulantibus infunderet.

b Mneſtheo, qui ſecundus ad portum fuerat appulſus, dat loricam conſertam & intextam hamis, ſiue catenulis aureis bene læuigatis. Trilicem vocat, quia triplex erat illi ſeries hamorum, ſiue annulorum, inſtar trium liciorum: vel quia verè triplici licio contextæ erant. Notant autem iure Cloantho chlamydem dari, quia deorum fauore victor euaſerat, Mneſtheo loricam, quia ſecundum locum virtute tenuerat.

c Æneas. d *Decus* quia *aurea*; tutamen quia *trilix*.

e Multiplici ſerie liciorum hamorúmque intextam. Deſcribitur autem & pondus loricæ, & Demolei fortitudo, vt magis Æneæ, qui eum vicit, virtus eluceat.

f Gyæ qui tertius fuerat, dantur duo lebetes ærei: & cymbia (poculi genus eſt) argentea, ſignis quibuſdam & figuris eminentibus ita cælata vt tractanti manui aſperitatem inducerent, aſpera pecunia dicitur noua, recenſque percuſſa.

*Iámque adeo donati omnes opibuſque ſuperbi,*
*Puniceis ibant euincti tempora a tænijs:*
Sergeſtus redit naue laceratâ. *Cùm ſæuo è ſcopulo* b *multa vix arte reuulſus,*
*Amiſſis remis, atque ordine debilis* c *vno,*
*Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.*
Comparatio. *Qualis ſæpe via deprehenſus in aggere ſerpens,*
*Ærea quem obliquũ rota trãſiit: aut grauis* d *ictu*
*Seminecem liquit ſaxo, lacerúmque viator.*
*Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus,* e
*Parte ferox, ardenſque oculis & ſibila* f *colla*
*Arduus attollens, pars vulnere clauda* g *retentat*
*Nexantem nodis, ſeque in ſua membra plicantem,*
*Tali remigio nauis ſe tarda mouebat:*
*Vela facit* h *tamen, & plenis ſubit oſtia* i *velis.*

a Faſcijs redimiti quibus coronæ innexæ erant & implicatæ.

b Donatus. *Sic ſæuo inhæſerat ſaxo vt plurima arte vix nauis liberari valeret, veniebat autem irriſus perdita totius certaminis gloria: agebat enim nauim remorum ſuorum amiſſione deformem.*

c Vno remorum ordine quaſi mancus & mutilatus: Porro vt notat Seruius, *bene ex mutatione conquiſiuit ornatum. Nam irrideri [illegible] ſine honore eſſe hominis eſt: remis carere, nauis.*

d Vel eſt enallage pro *graui ictu*, vel grauis idem eſt atque fortis: vt *Ferit enſe grauem Tymbræus Oſirim.*

aggerem viæ dicit, quia viæ militares aggerata terra, arena vel lapidibus ſternebantur, vt eminentiores eſſent, minuſque lutulentæ.

e *Dat longos tortus*, id eſt dat longas inflexiones, in longas ſpiras giróſque corpus inflectit.

f Sibilantia.

g Extrema pars ſerpentis vulnere debilitata frequenter retinet & remoratur ſerpentem in varios nodos corpus nexantem, séque diuerſis flexibus replicantem. Hæ voces, *clauda membra*, ab animalibus quæ & pedibus inſtructa, & membrorum varietate diſtincta ſunt, tranferuntur.

h Vela ventis exponit, ſic vernaculè dicimus *faire voile*.

i *Portus*, Seruio interprete, quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt.

*Sergeſtum Æneas promiſſo munere donat,* Præmium Sergeſto datum.
*Seruatam ob nauem lætus, ſocióſque reductos.*
*Olli* a *ſerua datur, operũ haud ignara* b *Mineruæ,*
*Creſſa* c *genus Pholoë, geminique ſub vbere nati.*
*Hoc pius Æneas miſſo certamine* d *tendit*
*Gramineum in campũ: quem collibus vndiq; curuis*
*Cingebant ſyluæ, mediáque in valle theatri*
*Circus erat:* e *quò ſe multis cum millibus heros*
*Conſeſſu* f *medium tulit, extructóque reſedit.*
*Hic qui fortè velint rapido contendere curſu,* Æneas inuitat ad curſum.
*Inuitat pretijs animos, & præmia ponit.*
*Vndique conueniunt Teucri, miſtique Sicani:*
*Niſus & Euryalus primi.*
*Euryalus forma inſigni, viridique iuuenta.*
*Niſus amore pio pueri, quos deinde ſecutus*
*Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.* g
*Hunc Salius, ſimul & Patron: quorum alter Acarnan,* h

*a* Sergeſto.
*b* Lanificij perita, cuius Minerua inuentrix.
*c* Cretenſis natione.
*d* Æneas finito nauali certamine tendit in campum herbidum graminibuſque veſtitum.
*e* Seruius. *Media in valle erat circus theatri, id eſt ſpatium ſpectaculi,* locus commodus ad edendum ſpectaculum.
*f* Idem. *Ordo eſt, quò ſe Æneas medium tulit cùm multis millibus, & extructo conſeſſu reſedit.*
*g* *Epirota. Nam Acarnania pars Epiri.*
*h* Hæc nomina temere & pro libidine confiſta non ſunt à Marone, vt notat Turnebus lib. 26. cap. 7. antiquitate velut oblimata & obruta bonam partem gratiæ perdunt niſi lector ad fidem hiſtoriæ reuocetur. Nimirum, teſte Varrone, Salius Arcas fuit, qui cum Ænea in Italiam venit, qui

*Alter ab Arcadia Tegeæ de ſanguine gentis;*
*Tum duo Trinacrij iuuenes, Helymus, Panopéſque*
*Aſſueti ſyluis, comites ſenioris Aceſtæ:*
*Multi præterea quos fama obſcura recondit.*
*Æneas quibus in mediis, ſic deinde locutus.*
*Accipite hæc animis, lætáſque aduertite mentes.*
*Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.*
*Gnoſſia* a *bina dabo læuato* b *lucida ferro*
*Spicula, cælatámque argento ferre bipennem.*
*Omnibus hic erit vnus honos: tres præmia primi*
*Accipient, flauáque* c *caput nectentur oliuâ.*
*Primus equum phaleris* d *inſignem victor habeto:*
*Alter Amazoniam pharetram, plenámq; ſagittis*
*Threiciis, lato quam circum amplectitur auro*
*Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemmâ.*
*Tertius Argolica hac galea contentus abito.*
*Hæc vbi dicta, locum capiunt, ſignóque repente*
*Corripiunt ſpatia audito, liménque relinquunt*

*Æneas præmia proponit curſoribus.*

ſaltationis auctor fuit, & Saliorum Marti Gradiuo ſacrorum ſaltationem inſtituit. Patron autem Acarnan & nauigationis Aeneæ comes in Sicilia, in Aluntinis conſedit. Scribit Thucydides, aduertente Cerdano, Troianos; qui poſt captum Ilium in Sicila conſederant, Elymos fuiſſe dictos, vnde fortaſſe Poëta Elymi nomen acceperit.

a Cretenſia, à Gnoſſo Cretæ ciuitate.

b Terſo & læuigato.

c Habebunt caput oliuâ flauâ coronatum. Notat Seruius flauam dici viridem vt lib. 4. *iaſpide fulua.*

d Phaleræ equorum ornamenta.

e Eſt hic ὕστερον πρότερον, vt ſuprà verſu 14. *Limen* explicante Seruio, *eſt aut regula aut ſignum de creta factum.* Stati us 6. Thebaidos.

*—— Iámque locus cuique eſt & liminis ordo.*

*Effuſi nimbo ſimiles : ſimul vltima* a *ſignant.*
*Primus abit, longéque ante omnia corpora Niſus*
*Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis,*
*Proximus huic longo ſed proximus interuallo,*
*Inſequitur Salius : ſpatio poſt deinde relicto,*
*Tertius Euryalus.*
*Euryalúmque Helymus ſequitur : quo* b *deinde ſub ipſo*
*Ecce volat, calcémque terit iam calce Diores,*
*Incumbens humero : ſpatia & ſi plura* c *ſuperſint,*
*Tranſeat elapſus prior, ambiguúm ve relinquat.*
*Iamque ferè ſpatio extremo feſſique ſub ipſam*

a Vltimum dicitur cuiuſque rei extremitas ſiue principium ſpectes, vt lib. 2. de inuentione *ab vltimo principio huius præceptionis*, ſiue finem, vt libro de ſomnio Scipionis. *Luna vltima cœlo, citima terris.* Hinc ſenſus huius loci duplex eſſe poteſt. Omnes ſimul principium ſpatij ſignant, ſiue notant impreſſis pedum veſtigiis, quamuis paulò poſt Niſus omnium primus euaſerit, vel omnes ſimul oculis & animo notant & deſignant extremam ſpatij metam, quamuis corpore non æqualiter potuerint ad eam appropinquare. *nam longè ante omnia corpora Niſus Emicat*, quaſi diceret per antitheſim non inelegantem, omnes quidem animo pariter metam attingebant, ſed Niſi corpus corpora reliquorum longè anteibat.

b Poſt quem Helymum tam celeriter currit Diores vt volare videatur, & iam Helymi talos extremis pedum digitis attingit : vbi calcem pro pede vſurpat Poëta, quod Homerus felicius expreſſit, quicquid cauilletur Scaliger. —— ὄπισθεν
ἴχνια τύπτε πόδεσσι, πάρος κόνιν ἀμφιχυθῆναι.
*Retrò veſtigia terebat pedibus, priuſquã puluis circumfunderetur.*

c Et ſi maius interuallum ſuperfuiſſet vſque ad metã, Diores prior eam attigiſſet, quàm Helymus, aut ſaltem cum reliquiſſet ambiguum de victoria. Alij legunt *Ambiguúmque* hoc ſenſu Helymum curſu præteriiſſet qui iuris erat ambigui, ſed prior & ſenſus & lectio magis arridet.

*Finem aduentebant, læui* a *cùm ſanguine Niſus*
Niſus labitur. *Labitur infelix,* b *cæſis vt fortè iuuencis* c
*Fuſus humũ, viridéſq; ſuper madefecerat herbas:*
*Hìc iuuenis iam victor, ouans, veſtigia preſſo*
*Haud tenuit titubata* d *ſolo: ſed pronus in ipſo*
*Concidit immundóque fimo, ſacroque* e *cruore.*
*Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum* f
*Nam ſeſe oppoſuit* g *Salio per lubrica ſurgens,*
Euryalus vincit. *Ille autem ſpiſſa iacuit reuolutus arena,*
*Emicat Euryalus, & munere victor amici*
*Prima tenet,* h *plauſúq; volat, fremitúq; ſecundo:*
*Poſt Helymus ſubit: & nũc tertia palma* i *Diores:*
*Hìc totum caueæ conſeſſum ingentis, & ora*
*Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,*
*Ereptúmque* k *dolo reddi ſibi poſcit honorem.*

a Æqualiter fuſo, & congelato, ac proinde lubrico, & fallente currentis veſtigia.

b *Quia parata victoria caruit,* ait Seruius.

c Idem *Agonalis enim moris fuerat, poſt ſacrificia ad certamen venire.* d Titubantia, *chancelants.*

e Victimarum.

f Vides ex hoc loco amores numero multitudinis nõ ſemper ſumi in malam partem. Nam *Niſus amore pio,* honeſto & caſto Euryali dicitur fuiſſe inſignis.

g Donatus. *Cùm ex lubrico ſurgeret*, id eſt ex illo læui ſanguine qui ſuperfuſus humum & virides herbas madefecerat, *obiecit ſe Salio venienti*, eúmque fraude deiecit.

h Primus ad metam decurrit, ſpectatoribus plaudentibus & fauore proſequentibus.

i Et Diores qui iam tertius euaſerat, deiectis duobus primis ad quem iam tertia victoriæ palma pertinebat, victores enim non ſolum coronam oleagineam, ſed etiam ramum palmæ manu referebant.

l Salius fraude Niſi fruſtratus victoria, vociferatur, & totam ſpectaculi caueam, vbi plebs, & podium, vbi primores Senatores conſederant, implet magnis clamoribus: eorum fidem

*Tutatur fauor Euryalum, lachrymæque decoræ:*
*Gratior & pulchro veniens* a *in corpore virtus*
*Adiuuat, & magna proclamat voce Diores,*
*Qui ſubijt palmæ,* b *fruſtráque ad præmia venit*
*Vltima, ſi primi Salio reddantur honores.*
*Tum pater Æneas veſtra, inquit, munera vobis*
*Certa manēt pueri,* c *& palmā mouet ordine nemo,*
*Me liceat caſum miſerari inſóntis amici.*
*Sic fatus tergum* d *Gætuli immane leonis*
*Dat Salio, villis oneroſum, atque vnguibus aureis.*
*Hîc Niſus, ſi tanta, inquit, ſunt præmia victis,* Præmia data curſoribus.
*Et te lapſorum miſeret: quæ munera Niſo*
*Digna dabis? primam merui qui laude* e *coronam,*
*Ni me, quæ Salium,* f *fortuna inimica tuliſſet:*
*Et ſimul his dictis faciem oſtentabat, & vdo*
*Turpia membra fimo: riſit pater optimus* g *olli:*

implorat, orátque vt ſibi reddatur honor victoriæ, quem non ſuâ culpâ, ſed Niſi dolo amiſerat. Cauea in theatro proprie dicitur cauum theatri vbi ſedent ſpectatores plebeij, Seruius. *Cauea conſeſſus eſt populi.* Et *ora prima Patrum*, hoc eſt quod Iuuenalis, ait. *Omnibus ad podium ſpectantibus.*

a Maior apparens, magis elucens, aut etiam creſcens, vt alibi,
*Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs vuæ.*

b Succeſſit victoriæ Salio deiecto.

c Donatus. *Munera veſtra tenebunt ordinem ſuum, nec loco mouebitur palma quæ paulo ante vobis promiſſa eſt.* Id eſt Euryalo quidem dabitur equus phaleratus, Helymo pharetra, Diori galea: eo ordine quo promiſi me daturum victoribus.

d Tergus, ſiue pellem.

e Virtute quæ laudem meretur.

f Niſi me eadem aduerſa fortuna perculiſſet, quæ Saliū euertit.

g Æneas arriſit Niſo faciem bouillo ſtercore fœdatam, & membra lutulenta monſtranti: & iuſſit è ſua naui clypeum Didymaonis arte fabricatum efferri, quem Niſo donaret.

*Et clypeum efferri iuſſit, Didymaonis artes,*
*Neptuni ſacro Danais de poſte refixum,* a
*Hoc iuuenem egregium præſtanti munere donat.*
*Poſt vbi confecti curſus, & dona peregit:*
Pugilatus. *Nunc ſi cui virtus, animúſque in pectore præſens*
*Adſit, & euinctis* b *attollat brachia palmis.*
*Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem,*
*Victori velatum auro,* c *vittiſque iuuencum,*
*Enſem, atque inſignem galeam ſolatia victo.*
*Nec mora: continuò vaſtis cum viribus effert*
*Ora Dares, magnóque virûm ſe murmure tollit:*
*Solus qui Paridem* d *ſolitus contendere contra,*
Dares.

*a* Hic clypeus olim à Græcis refixus & detractus fuerat de poſtibus ſacris templi Neptuno dedicati, & è Phrygia in Græciam delatus à Pyrrho, & inde ad Helenum, ab Heleno ad Æneam peruenerat. Niſi malumus dicere Æneam ipſum Danais abſtuliſſe, & refixiſſe de poſte Neptuni: quod tamen credibile non eſt. Neque enim adeo impius fuit Æneas vt deorum templa ſacrilegio violaret.

*b* Attollat brachia manus habens cæſtibus inuolutas. Cæſtus fuerunt manuum inuolucra, quibus vtebantur pugiles vt validiorem ictum impingerent.

*c* Coronatum laminis aureis, vt ait Seruius, vt lib. 9.

*Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum*

vel cornibus inauratis. Tibullus carmine Heroico.

*Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.*

*d* Paris fuit pugil fortiſſimus, adeo vt, teſte Seruio, ſecundum Neronis Troica ipſum Hectorem pugilatu ſuperaret.

*Idéq; a ad tumulũ, quo maximus occubat b Hector*
*Victorem Buten immani corpore, qui ſe*
*Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,*
*Perculit, & fulua moribundum extendit arena.*
*Talis prima c Dares caput altum in prælia tollit:*
*Oſtenditque humeros latos, alternáque iactat*
*Brachia protendens, & verberat ictibus auras.*
*Quæritur huic alius: d nec quiſquam ex agmine tanto*
*Audet adire virum, manibúſque inducere cæſtus.*
*Ergo alacris, cunctóſque putans excedere pugna,*
*Æneæ ſtetit ante pedes, nec plura moratus,*
*Tum læua taurum e cornu tenet, atque ita fatur:*

Nemo audet congredi cum Darete

*a* Idem Dares, ludis funebribus ad Hectoris tumulum celebratis, Buten multorum aliorum victorem, immani corporis magnitudine præditum, qui gloriabatur ſe venire & originem traxiſſe à gente Amyci Bebryciorum Regis, qui & pugil optimus fuit, & cum ipſo Polluce certauit, hunc, inquam, Buten Dares perculit & ſemimortuum, vel potius morientem in arena extendit. *Se ferebat veniens* ſe venire iactabat, eſt helleniſmus vt —— *ſenſit medios delapſus in hoſtes*

*b* In quo tumulo ſepulta ſunt oſſa & cineres Hectoris, qui pro patriæ ſalute occubuit. Quod ſi cui hæc locutio minus arridet, dicendum vel eodem loco ſepultum fuiſſe Hectorem vbi occubuit, vel ſaltem ibi ludos funebres editos fuiſſe, non quidem ad ſepulchrum, ſe ad quemdam tumulum, id eſt, locum editum & eminentem.

*c* Tam fortis & generoſus Dares; capite elato, primus in arenam procedit daturus initium certaminis, oſtentat numeros latos, quæ latitudo roboris eſt ſignum; & brachia protendens, ea vicibus alternis ita iactat, vt ſiniſtrum poſt dextrum, & viciſſim dextrum poſt ſiniſtrum exporrigat.

*d* Quæritur alius qui par ſit, poſſitque cum eo committi. Neque quiſquam è tanta Troianorum Siculorúmque multitudine audet contra Dareten ſtare, aut cæſtus in palmas immittere. *e* Qui fuerat promiſſus victori.

*Nate dea ſi nemo audet ſe credere pugnæ,*
*Quæ finis ſtandi? quò me decet vſque teneri?*
*Ducere dona iube, cuncti ſimul ore fremebant*
*Dardanidæ, reddique viro promiſſa iubebant.*
*Hic grauis Entellum dictis caſtigat Aceſtes,*
Aceſtes Entello. *Proximus vt viridante toro* a *conſederat herbæ.*
*Entelle heroum quondam fortiſſime fruſtra,*
*Tantáne tam patiens nullo certamine tolli*
*Dona ſines?* b *vbi nunc nobis Deus ille magiſter,*
*Ne quicquam memoratus Eryx, vbi fama per omnẽ*
Entellus. *Trinacriã?* c *&* *ſpolia* d *illa tuis pendentia tectis?*
*Ille ſub hæc. Non laudis amor, nec gloria ceſſit*
*Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta*
*Sãguis hebet,* e *frigentq; effœtæ* f *in corpore vires.*
*Si mihi quæ quondam fuerat, quáque improbus iſte*

*a* Propriè: nam, vt auctor eſt Varro, torus dicitur ab herba torta.

*b* Et hoc proprie, ſinit enim qui prohibere poteſt, patitur etiam inuitus: vnde & trubuni plebis *ſinere* dicuntur, qui poſſunt intercedere.

*c* Trinacria dicta eſt ἀπὸ τῶν τριῶν ἀκρῶν à tribus promontorijs quibus cingitur, Lilybæo verſus Africam, Pachino verſus Græciam, Peloro verſus Italiam: nec te decipiat næuus ille, qui ex perturbatione vocum noſtris notis adſperſus eſt lib 7. verſu 190.

*d* Solebant hoſtium ſpolia in veſtibulis ad fores appendere. Vide lib. 8. verſu 194.

*e* Non amor laudis & gloriæ è meo pectore metu depulſus eſt: ſed ſenectute, quæ me tardiorem facit, ita vires exhauſtæ ſunt, vt ſanguis ſpiritibus tum vitalibus, tum animalibus abſumptis, hebeſcere videatur: Metaphora eſt à gladijs vſu obtuſis & hebetatis.

*f* Exhauſtæ, quæ iam non poſſunt fortia facta parturire. Et eſt tranſlatio à mulieribus, quas partus frequens debiles reddit.

*Exultat fidens, ſi nunc foret illa iuuenta:*
*Haud equidem pretio inductus, pulchróque iuuenco*
*Veniſſem, nec dona moror.* a *Sic deinde locutus,*
*In medium geminos immani pondere cæſtus* b
*Proiecit, quibus acer Eryx in prælia ſuetus* Cestus
*Ferre manum, duróque intendere brachia* c *tergo.* Entelli.
*Obſtupuêre animi tantorum ingentia ſeptem*
*Terga boum plumbo inſuto, ferroque rigebant.*
*Ante omnes ſtupet ipſe Dares* d *longéque recuſat.*
*Magnanimúſque Anchiſiades, & pondus, & ipſa*
*Huc illuc vinclorũ* e *immenſa volumina* f *verſat.*

*a* Aceſtes Entellum dictis caſtigans ſpe vtilitatis & præmij hortatus eum fuerat ad certamen. Reſpõdet ille ſe ne in adoleſcentia quidem ſpe vtilitatis & emolumenti, ſed ſolius gloriæ deſiderio pugnaturum fuiſſe, multóque minus conuenire vt ſenex ſpe donorum ad pugnam excitetur: *Nec dona moror*; inquit, id eſt, non præmij, ſed laudis ſtudio volo in certamen deſcendere.

*b* Cæſtus erant quædam inuolucra è pellibus ſiue tergoribus bubulis facta, quibus pugiles non ſolùm manus, ſed etiam extremas brachij partes, ſiue carpum contegebant, vt validiorem ictum infligerent: Hi autem cæſtus, quos Entellus protulit, præter pelles illas bubulas habebant etiam plombum & ferrum inſutum.

*c Vel ligare*, vt interpretatur Seruius, vel brachia in duros illos cæſtus è crudo corio factos intendere.

*d* Præ cæteris ſtupet Dares, vt pote periculo vicinior. Addit *ipſe* per emphaſim, ipſe qui paulò antè vires adeò iactabat, nunc ſtupet, & longè refugit à congreſſu, valdéque recuſat cum Entello huiuſmodi cæſtibus inſtructo manus conſerere. Ipſe etiam Æneas, quantumuis magnanimus, tamen cæſtus illos ingentes & ponderoſos huc illuc præ admiratione verſabat, eos attentè conſiderans.

*e* Cæſtuum quibus pugiles manus vinciebant ſupra.

*Euinctis attollit brachia palmis.*

*f* Cæſtus erant è pluribus loris in ſe replicatis & conuolutis contexti.

*Tum ſenior [a] tales referebat pectore voces.*
*Quid, ſi quis cæſtus ipſius & Herculis arma*
Entelli oratio. *Vidiſſet, triſtemque [b] hoc ipſo in littore pugnam?*
*Hæc germanus [c] Eryx quondā tuus arma gerebat.*
*Sanguine cernis adhuc, ſparſóque infecta cerebro.*
*His magnū Alciden contra ſtetit: [d] his ego ſuetus,*
*Dum melior vires ſanguis dabat, æmula [e] necdum*
*Temporibus geminis canebat [f] ſparſa ſenectus.*
*Sed, ſi noſtra Dares hæc Troius arma recuſat,*
*Idque pio ſedet [g] Æneæ, probat auctor [h] Aceſtes:*
*Æquemus pugnas, [i] Eryx tibi terga remitto:*
*Solue metus, & tu Troianos exue cæſtus.*
*Hæc fatus duplicem [k] ex humeris reiecit amictum,*
*Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertoſq;*

[a] Entellus.
[b] Quam magiſter meus Eryx ab Hercule occiſus eſt.
[c] Germanus propriè, vt tradit Seruius ex Varrone, eſt de eadem genitrice: fuerunt autem Eryx & Æneas fratres vterini, ab eadem matre Venere procreati. Erycis autem Butes pater fuit, auus Amycus illi Rex Bebryciorum, nobilis pugilatu:
[d] Eryx his cæſtibus inſtructus contra Herculem pugnauit. qui Alcides ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à fortitudine.
[e] Virtutibus aduerſa & inuida.
[f] Caneſcebat, candicabat.
[g] Si ita decreuit Aeneas qui adeo pius eſt vt nolit Daretem in apertum vitæ periculum adduci.
[h] Qui mihi fuit auctor huius certaminis: qui me ad hanc pugnam hortatus eſt. Vel ſi mihi eſt auctor & approbator huius mei conſilij de cæſtibus mutandis.
[i] Paribus cæſtibus inſtructi ambo dimicemus. Paratus ſum, ô Dares, id tibi concedere, hanc tibi gratiam facere, & Erycis cæſtus è bubulo tergore factos deponere.
K Seruius, *id eſt abollam, quæ duplex.*

*Exuit,* a *atque ingens mediâ conſiſtit arenâ.*
*Tum ſatus Anchiſa cæſtus pater extulit æquos,* b
*Et paribus palmas amborum innexuit armis.*
*Conſtitit in digitos* c *extemplo arrectus vterque,*
*Brachiâque ad ſuperas interritus extulit auras.*
*Abduxere retrò longè capita ardua ab ictu:*
*Immiſcentq; manus manibus, pugnãq; laceſſunt.* d Entelli & Daretis pugnatus.
*Ille* e *pedum melior motu fretúſque iuuenta:*
*Hic* f *membris, & mole valens, ſed tarda trementi*
*Genua labant,* g *vaſtos quatit æger anhelitus artus.*
*Multa viri nequicquam* h *inter ſe vulnera iactãt,*
*Multa cauo lateri ingeminant, & pectore vaſtos*
*Dant ſonitus, erratque aures & tempora circum*
*Crebra manus, duro crepitant ſub vulnere* k *malæ.*
*Stat grauis Entellus; niſúque immotus eodem,*

*a* Quidam legerunt *magnóſque lacertos Exuit.* ſed fruſtra. Eſt enim verſus hypermeter ſiue communem hexametri menſuram excedens, quemadmodum Entellus communem hominum magnitudinem ſuperabat. Artus autem proprie ſunt illa internodia ſiue commiſſuræ, quibus membra inter ſe apta ſunt & colligata, ſicut articuli ſunt iuncturæ digitorum

*b* Pares & æquales inter ſe, vt ſequenti verſu explicatur. Paria enim arma ſunt pares cæſtus, quibus vtriuſque manus fuerunt inuolutæ.

*c* Statim atque cæſtus manibus induerunt, vterque conſtitit arrectus in digitos pedum extremos & brachijs elatis, capita retraxerunt, ne ferirentur. ſed ſe ab ictibus liberarent.

*d* Præludunt certamini futuro, & quaſi ventilantes pugnam prouocant, & irritant.

*e* Dares. *f* Entellus.

*g* Iam iam videntur lapſura.

*h* Multos ſibi inuicem ictus infligunt non profuturos victoriæ, & ideo nequicquam, ideſt, fruſtra.

*i* Qua parte latus cauatum eſt, videlicet ſupra lumbos.

*k* Sub ictu: tropus eſt, effectus pro cauſa.

Compa-ratio.

*Corpore tela modo* a *atque oculis vigilantibus exit.*
*Ille ,* b *velut celſam oppugnat qui mollibus vrbem*
*Aut montana ſedet circum* c *caſtella ſub armis,*
*Nunc hos , nunc illos aditus, omnémque pererrat*
*Arte locum , & varijs aſſultibus irritus* d *vrget.*
*Oſtendit dextram inſurgens Entellus , & altè*
*Extulit : ille ictum venientem à vertice velox*
*Præuidit , celerique elapſus corpore ceſſit.*
*Entellus vires in ventum effudit , & vltro*
*Ipſe grauis , grauitérque ad terram pondere vaſto*
*Concidit, vt quondam caua concidit aut Erymãtho,*
*Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.*
*Conſurgunt ſtudijs* f *Teucri ; & Trinacria pubes;*
*It clamor cælo , primúſque accurrit Aceſtes,*
*Æquæuumque* g *ab humo miſerãs attollit amicum.*
*At non tardatus caſu , neque territus heros ,* h
*Acrior ad pugnam redit , & vim ſuſcitat irâ.*

Compa-ratio.

*a* Non mouetur admodum Entellus , ſed in eodem loco nitens atque conſiſtens leui tantùm declinatione corporis eludit & euitat ictus , quos ſubitò infert Dares , & impreſſione facta tam celeriter refugit , vt non cominus pugnis, ſed eminus telis pugnare , & pugnos è longinquo mittere videatur. *Exit* autem eſt *vitat* ſiue *declinat*, vt lib. 11.

*—— Vim viribus exit.* Manilius lib. 5.

*Ille cito motu rigidos eludere cæſtus. Nunc exire, &c.*

*b* Dares. *c* Obſidet.

*d* Fruſtra tentans aditum.

*e* Dares præuidit ictum quem elata manu è ſublimi Entellus inferebat. Erymanthus mons Arcadiæ, id eſt Phrygiæ

*f* Troiani ſimul omnes ſurgunt è conſeſſu, & Dareti plaudentes magnis clamoribus ſua ſtudia teſtantur.

*g* Entellum ſibi coætaneum : licitum autem fuiſſe in pugilatu lapſos attollere , ex Homero , Theocrito , Calabro notant Germanus & noſter de la Cerda, *h* Entellus.

*a* Virtus

*Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus* a,
*Præcipitemque Daren ardens agit æquore* b *toto,*
*Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtrâ.* Dares grauiter percutitur.
*Nec mora, nec requies: quàm multa grandine* c *nimbi*
*Culminibus crepitant, ſic denſis ictibus heros*
*Creber vtraque manu pulſat, verſatque Dareta.*
*Tum pater Æneas procedere longiùs iras,*
*Et ſæuire animis* d *Entellum haud paſſus acerbis,*
*Sed finem impoſuit pugnæ, feſſumque Dareta*
*Eripuit mulcens dictis, ac talia fatur:* Æneas Daretis
*Infelix* e *quæ tanta animum dementia cœpit?*
*Non vires alias* f *conuerſaque numina ſentis?*
*Cede Deo: dixitque, & prælia voce diremit.*
*Aſt illum,* g *fidi æquales genua ægra trahentem,*

a Virtus propria, cuius ſibi conſcius erat Entellus.
b Toto campo, tota planitie.
c Quam multa & denſa grando cum ingenti crepitu è nimbis in domorum tecta delabitur, tam denſi ſunt ictus quos ingeminat Entellus vtraque manu.
d Donatus. *Sic illi ſi in Darem ictus crepitabant, vt ſolet denſa grando, cùm tectis infunditur, perſonare.*
e Donatus. *Infelix eſt, qui vltrà quam poteſt, audet appetere. Infelix eſt, qui ſecundis rebus modum neſcit imponere: quod contigit in ipſius Daretis cauſſa. Cùm enim ſuperbia intolerandа ferretur, & exiſtimaret ſe inuictum, atque vniuerſis eſſet terrori, ſic diſcrimen propriæ ſalutis inuenit. Demens autem eſt qui excluſa ſanitate conſilii mente perdita non cernit aduerſum ſe non tantùm homines, verum etiam deos ex aperto contendere.*
f Nonne animaduertis iam alias eſſe Entelli vires, quàm erant initio certaminis, & Deorum numina ad eius auxilium eſſe conuerſa? Cede non homini, ſed Deo, nimirum Eryci, qui Entellum veterem amicum & ſocium iuuat in hoc pugilatu.
g Daretem.

*Iactantémque vtroque caput, craſſúmque cruorem*
*Ore eiectantem, mixtóſque in ſanguine dentes*
*Ducunt ad naues, galeámque, enſémque vocati* a
*Accipiunt: palmã* b *Entello, taurúmq; relinquunt.*
Entelli victoris oratio. *Hîc victor ſuperans animis* c *tauróque ſuperbus:*
*Nate dea, voſque hæc, inquit, cognoſcite Teucri,*
*Et mihi quæ fuerint iuuenili in corpore vires,*
*Et qua ſeruetis reuocatum à morte Dareta.*
*Dixit, & aduerſi* d *contra ſtetit ora iuuenci,*
*Qui donum adſtabat pugnæ, duróſque reducta*
*Librauit dextrâ* e *media inter cornua cæſtus*
*Arduus, effractóque illiſit in oſſa* f *cerebro.*
*Sternitur, exanimiſq; tremẽs procumbit humi bos.*
*Ille* g *ſuper tales effudit pectore voces:*
*Hanc tibi Eryx meliorem* h *animam pro morte Daretis*

a Donatus. *Vocati acceperunt præmium Dareti, quoniam vltro victi hominis ſortem puduit poſtulare.*
b Iam dictum palmam omnibus certaminibus fuiſſe communem: quamuis propria ſingulis fuerit corona. Olympicis ex oleaſtro, Pythicis è malo vel lauro, Nemeis ex apio, Iſthmicis è pinu.
c In hoc rerum articulo victor Entellus elatus animo propter adeptam victoriam: ſiue maiorem etiam animum demonſtrans, quam adhibuerat in ipſo certamine.
d E regione oppoſiti.
e Retractâ ſiue adductâ retrò dexterâ librauit cæſtus, hæc enim manus reductio maiorem vim imprimit ictui, quia maiore ſpatio libratur.
f Enallage, inquit Seruius, qui cæſtus effracto cranio in cerebrum illiditur, ſiue, effractis oſſibus, cæſtus vſque ad ipſum cerebrum penetrauit.
g Entellus ſuper taurum, quem vno ictu occiderat.
h Tibi gratiorem & acceptiorem victimam, vel, vt commode notat noſter Cerdanus, cùm prima hoſtia non litabatur, aut ea effugerat, & ſuccidaneæ hoſtiæ immolantur ad

*Perſoluo; hic victor cæſtus, artémque repono* a.
*Protinus Æneas celeri certare ſagitta*
*Inuitat, qui fortè velint, & præmia ponit:*
*Ingentique manu* b *malum de naue Sereſti* Sagittarum certamen.
*Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,*
*Quò tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.*
*Conuenere viri, deiectáque* c *aerea ſortem*
*Accepit galea: & primus clamore ſecundo*
*Hyrtacidæ ante omneis exit locus Hippocoontis.* Sortitio.
*Quem modò nauali Mneſtheus certamine victor*
*Conſequitur, viridi Mneſtheus euinctus oliua* d.
*Tertius Eurytion, tuus ô clariſſime frater*
*Pandare, qui quondam iuſſus confundere fœdus,*

Placandos deos, meliores dari dicebantur lib. 12.
—— *Hæc melior magnis data victima diuis.*

*a* De more, ſolebant enim, cùm alicui arti renuntiarent, illius artis inſtrumenta alicui deo conſecrare, vt paſtores Pani fiſtulam, gladiatores Herculi arma, de his Horatius epiſt. 1. lib. 1. —— *Veianius armis*
*Herculis ad poſtem fixis,*

De illis Poëta.
*Hîc arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.*

Ex eodem ritu cùm pueritiæ annos excederent, vt è Perſio liquet. —— *Veneri donatæ à virgine puppæ.*
*Bullàque ſuccincti Laribus donata pependit.*

*b* Magna hominum multitudine, malum erigit, & illigat columbam fune per malum tranſmiſſo.

*c* Eorum nomina, qui ſagittis certaturi conuenerant in galeam coniecta ſunt; vt ſorte ducerentur, iſque primus omnium ſagittam mitteret cuius nomen primùm exiiſſet, & primum, ſociis plaudentibus; Hippocoon Hyrtaci filius locum ſortitur, nomine educto.

*d* Cloanthus primus victor lauro donatus eſt. vt dicitur verſu. 246.

*e* De Pandaro vide 4. Iliados: is iuſſus à Minerua diſcutere fœdus quod inibatur inter Græcos & Troianos, in conſertam

*In medios telum torſiſti primus Achiuos.*
*Extremus, galeáque imâ ſubſedit* a *Aceſtes,*
*Auſus & ipſe manu iuuenum tentare laborem:*
*Tum validis flexos* b *incuruant viribus arcus*
*Pro ſe quiſque viri,* c *& depromunt tela pharetris.*
*Primáque per cælum neruo ſtridente ſagitta*
Hippocoon malum percutit.
*Hirtacidæ iuuenis volucres diuerberat auras,*
*Et venit, aduerſique infigitur arbore* d *mali:*
*Intremuit malus, timuitque exterrita* e *pennis*
*Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu.*
*Poſt acer Mneſtheus adducto* f *conſtitit arcu*
Mneſtheus rumpit funem quo alligatur columba.
*Alta petens, pariterque oculos, telumque tetendit.*
*Aſt ipſam miſerandus* g *auem contingere ferro*
*Non valuit, nodos & vincula* h *linea rupit,*
*Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.*
*Illa notos, atque atra volans in nubila fugit.*

Græcorum turba telum intorſit, quo Menelaus eſt vulneratus. Dicitur primus torſiſſe, quia pugna grauis inde exarſit, qua cæteri quoque Troiani tela torſerunt.

a Aceſtæ nomen in fundo galeæ ſubſederat, ideóque cæteris eductis remanſit in galea, vel ſaltem poſtremo loco extractum eſt.

b Enallage pro curuos arcus inflectunt.

c Non vt facere ſolent molles & effœminati, qui arcus ab aliis inflecti iubent, ſed ipſi, pro ſequiſque, inflectunt, vt decebat viros fortes & generoſos.

d Infigitur malo oppoſito ex vna arbore integra confecto.

e Exterrita fuit columba, & tremula pinnarum concuſſione ſuum timorem indicauit.

f Arcus adduci dicitur, cùm incuruatur & contenditur: quia funis & arcûs cornua pectori admouentur.

g Quia cùm tam prope abfuerit à victoria, tamque præclare iaculatus fuerit, non potuit tamen victor euadere.

h Nodos vinculorum, ſiue funem quo pedes alligatos & innexos habebat columba pendens è mali ſummitate.

*Tum rapidus iam dudum arcu contenta* a *parato*
*Tela tenens, fratrem* b *Eurytion in vota vocauit:*
*Iam vacuo lætam cœlo ſpeculatus, & alis*
*Plaudentem* c, *nigra figit ſub nube columbam.*
*Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris*
*Aeriis* d, *fixamque refert delapſa ſagittam.*
*Amiſſa ſolus palma* e *ſuperabat Aceſtes:*
*Qui tamen ætherias telum contorſit in auras,*
*Oſtentans artem pariter* f *arcúmque ſonantem.*
*Hîc oculis ſubitò obiicitur, magnoque futurum*
*Augurio monſtrum* g, *docuit poſt exitus ingens;*
*Seràque terrifici cecinerunt omina vates.*

*Eurytion ferit columbam.*

a Enallage *pro contento arcu tela tenens parata.*
b Pandarum, qui apud Lycios colebatur tanquam heros.
c *Qui battoit des aiſles.*
d Macrobius lib. 3. Sat. c. 8. *Hyginus de proprietatibus Deorum cùm de aſtris ac ſtellis loqueretur, ait oportere his volucres immolari. Hoc ergo Virgilius dixit, apud ea numina animam volucris remanſiſſe quibus ad litandum data eſt.* Sed cur *aëriis*? Opinor ſumi pro *æthereis*. æther autem ſecundum multos nihil eſt aliud quàm aër liquidior & flagrantior.
e Solus ſupererat Aceſtes; cùm enim cæteri ſagittas miſiſſent, ipſe nondum ſuam exploſerat: iam tamen amiſerat palmam quia Eurytion columbam deiecerat.
f Seruius *Carpit hæc Virgilii maſtix. Artem enim in vacuo aëre oſtendere non poterat: quanquam dicant periti, poſſe ex ipſo ſagittariorum geſtu artis peritiam comprobari.*
g Donatus. *Cùm Aceſtes ſagittam iecisset, ſubitò oculis omnium obiectum eſt magnum monſtrum, quod prævidendo nec intelligi potuit, nec aliqua interpretatione diſſolui: Probabit hoc exitus rerum* (portendebat enim illud incendium, quo paulò poſt naues deflagrarunt) *& vatum tarda reſponſa docuerunt.* Hîc vates reprehenduntur, quòd nec intelligere potuerunt, nec aduertere, ſed deflagrantibus iam nauibus, magno verborum ſtrepitu, quaſi terrorem auditoribus incutere vellent, cecinerunt portendi claſſis incendium.

Aceſtæ ſagitta incenditur.

*Namque volans liquidis in nubibus* a *arſit arũdo* b,
*Signauitque viam flammis, tenuiſque receßit*
*Conſumpta in ventos: cœlo ceu ſæpe refixa*
*Tranſcurrunt* c, *crinémque volantia ſidera ducunt:*
*Attonitis hæſere animis, ſuperoſque precati* d
*Trinacrij, Teucrique viri, nec maximus omen*
*Abnuit Æneas* e, *ſed lætum amplexus Aceſten*
*Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur.*
*Sume pater (nam te voluit rex magnus Olympi*
*Talibus auſpicijs, exortem* f *ducere honorem)*
*Ipſius Anchiſæ longæui hoc munus habebis,*
*Cratera impreſſum ſignis* g, *quem Thracius olim*
*Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus* h
*Ferre ſui dederat monimentum, & pignus amoris.*
*Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro:*
*Et primum ante omnes victorem appellat Aceſten:*
*Nec bonus Eurytion prælato* i *inuidit honori.*

*a* In liquido & nitido aëre.

*b* Sagitta è calamo ſiue arundine confecta ſubitò arſit, & totum illum aëris tractum, quo volauerat, ſignauit & notauit quibuſdam flammarum veſtigiis, mox conſumpta eſt & in tenues auras euanuit.

*c* Tenues terræ exhalationes, cùm noctibus ſerenis ignem conceperint, ſpeciem exhibent ſtellarum è cœlo labentium, & has refixa cœlo ſidera vocat ex opinione communi.

*d* *Vt Rite ſecundarent viſum omen, ut leuarent.*

*e* Et Æneas falſa coniectatione deluſus omen amplexus eſt, & probauit vt proſperum, quod reiicere debebat, tanquam ad ſe non pertineret. *f* Extra ſortem, ſine ſorte.

*g* Seruius. *impreſſa ſigna haben: en id eſt emblemata.*

*h* Rex fuit Thraciæ, Hecubæ pater, qui pro magno munere, magníque beneficij loco craterem illum Anchiſæ donauerat.

*i* Nec Eurytion vt erat facilis & bonus, inuidit Aceſten honori ſibi fuiſſe prælatum: quamuis ipſe ſolus columbam rupto vinculis auolantem ex aëre deiecerat.

*Quamuis ſolus auem cælo deiecit ab alto.*
*Proximus ingreditur donis* a*, qui vincula rupit.*  Præmia
*Extremus,* b *volucri qui fixit arundine malum.*
*At pater Æneas nondum certamine miſſo,* c
*Cuſtodem* d *ad ſeſe comitémque impubis Iuli*
*Epitidem vocat, & fidam ſic fatur* e *ad aurem* f*:*
*Vade age, & Aſcanio, ſi iam puerile paratum*
*Agmen habet ſecum, curſúſque inſtruxit equorū,*
*Ducat auo* f *turmas, & ſeſe oſtendat in armis,*
*Dic, ait: ipſe omnem longo decedere circo*
*Infuſum populum, & campos iubet eſſe patentes.*
*Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum*
*Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes*
*Trinacriæ mirata fremit, Troiæque iuuentus.*
*Omnibus in morem tonsâ coma* g *preſſa corona:*

a Proximus poſt Eurytionem iuſto præmio donatum ingreditur, & gloriabundus incedit Mneſtheus propter dona ſiue præmium, quo donatus eſt ob illam ſagittandi peritiam, qua rupit funem, quo annexa tenebatur columba.
b Hippocoon.
c Nondum finito ſagittarum certamine iuſſit Aſcanium euocari, vt adeſſet ſtatim atque certamen eſſet abſolutum, ne theatrum vacuum remaneret.
d Seruius. *Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari filiis eſſe cuſtodes, à quibus primo tyrocinii anno regerentur.*
e In aurem inſuſurrat, vt eò iucundius eſſet, quò inexpectatius ſpectaculum.
f Ad tumulum Anchiſæ, qui eſt auus Aſcanij, pater Æneæ.
g Omnes iſti pueri comam habebant de more tonſam & coronâ ſiue galeà preſſam, vt interpretatur Seruius, & ſanè galeam στεφάνην, id eſt *coronam* Homerus appellat. Alij, & quidem meliùs vt opinor. Omnes habebant comam preſſam tonsâ coronâ galeæ impoſitâ. Nam galeatos fuiſſe conſtat è verſu. 674. Quid ſit autem tonſa corona liquebit ex illo verſu. 774. *Ipſe caput tonſæ foliis euinctus oliuæ.*

*Cornea a bina ferunt præfixa haſtilia ferro,*
Pueri Troiani. *Pars læueis humero pharetras, it pectore b ſummo*
*Flexilis obtorti c per collum circulus auri.*
*Tres equitum numero turmæ d, terniqne vagantur*
*Ductores: pueri bis ſeni quemque ſecuti*
Priamus. *Agmine partito fulgent paribuſque magiſtris e.*
*Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem*
*Nomen aui referens Priamus, tua clara Polite f*
*Progenies, auctura Italos: quem Thracius g albis*
*Portat equus bicolor maculis, veſtigia primi*
*Alba pedis, frontemque oſtentans arduus albam.*

a Ex cornu arbore facta. Seruius: *Bæbius Macer ait à Cæſare Auguſto, pueris qui luſerunt Troiam, donatas eſſe galeas, & bina haſtilia: ad quod Virgilium conſtat alludere.*

b Torques militares gerebant in pectoris ſummitate, ſiue in pectoris & colli confinio. Sunt autem, vt ſcribit Iſidorus, *Torques circuli aurei à collo ad pectus deſcendentes, & à viris geruntur, vt à fœminis monilia.*

c Vel quòd huiuſmodi torques ex annellis aureis tortis & inflexis conſtarent, vel quod eſſent funiculi filis aureis tortis contexti, vnde & nomen *torquis* à torquendo.

d Notant vulgo Poëtam alludere ad tres populi Romani turmas. Varro lib. 4. de ling. lat. *Turma terma eſt, & in u abiit, quòd terdeni equites ex tribus tribubus Tatienſium, Rhamnium, & Lucerum fiebant.*

e Iterum ad magiſtros equitum videtur alludere.

f *Illum* Politen, *dicit* (verba ſunt Seruij *quem ſuprà* (lib. 2. verſu. 532.) *à Pyrrho introduxit occiſum: de quo Cato in originibus dixit, quòd ad Italiam venerit, & ſegregatus ab Ænea condiderit oppidum Politorium à ſuo nomine.* Quod autem Cato Politæ tribuit, id Poëta Priamo eius filio maluit tribuere.

g Equi Thracij inter totius orbis nobiliſſimos celebrantur etiam ab Oppiano lib. 3. κυνηγετικῶν, verſu 172. hic autem bicolor albis maculis ita ſparſus erat, vt primores pedes albos & frontem albam oſtentaret.

*Alter* a *Atys, genus vnde Atyi* b *duxêre Latini;*
*Paruus Atys, pueróque puer dilectus Iulo,* Atys.
*Extremus, formáque ante omnes pulcher Iulus*
*Sidonio eſt inuectus equo, quem candida* c *Dido*
*Eſſe ſui dederat monimentum, & pignus amoris.*
*Cætera Trinacrijs pubes ſenioris* d *Aceſtæ*
*Fertur equis.*
*Excipiunt plauſu pauidos,* e *gaudéntque tuentes*
*Dardanidæ, veterumque agnoſcunt ora* f *parentum:* Iulus.
*Poſtquam omnem læti* g *conſeſſū, oculóſque ſuorum*
*Luſtrauêre in equis, ſignum clamore paratis*
*Epitides* h *longè dedit, inſonuitque flagello.*

a Secundus dux puerorum Troiam ludentium.
b Seruius *Propter Atiam dicit matrem Auguſti: de qua Antonius ait Aricina mater: vult enim* (Poëta) *etiam maternum eſſe genus* Auguſti *antiquum.*
c Donatus *Candidam Didonem dixit animo potiùs quàm corpore, quia cùm ſe patris eius conſideraret uxorem non eum ut priuignum habuit, ſed dilexit ut filium, vſque adeo ut affectum, quem retinebat mente donis & muneribus comprobaret.*
d *Pubes ſenioris*, anthiteſis non ingrata.
e Troiani pueros lætis plauſibus excipiunt gloriæ cupiditate ſollicitos & euentus expectatione ſuſpenſos. vt
*Corda pauor pulſans.* —
vel, excipiunt pueros pauidos plauſu, quia videlicet tum pueri, tum equi puerorum ad ſubitum & ingentem plauſum expauerant.
f Similitudinem patrum expreſſam in ore filiorum.
g Poſtquam pueri equis inuecti luſtrauerunt & circuiuerunt omnem conſeſſum ſuorum, videlicet Troianorum, qui oculos habebant in pueris defixos.
h Cùm luſtrato ſuorum conſeſſu, iam parati eſſent, Epitides Aſcanij cuſtos è longinquo clamans ſignum dedit ineundi certaminis flagello tam acriter concuſſo vt clare reſonaret.

*Et clypeum efferri iuſſit, Didymaonis artes,*
*Neptuni ſacro Danais de poſte reſixum, a*
*Hoc iuuenem egregium præſtanti munere donat.*
Pugilatus. *Poſt vbi confecti curſus, & dona peregit:*
*Nunc ſi cui virtus, animúſque in pectore præſens*
*Adſit, & euinctis* b *attollat brachia palmis.*
*Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem,*
*Victori velatum auro,* c *vittiſque iuuencum,*
*Enſem, atque inſignem galeam ſolatia victo.*
*Nec mora: continuò vaſtis cum viribus effert*
*Ora Dares, magnóque virûm ſe murmure tollit:*
*Solus qui Paridem* d *ſolitus contendere contra,*
Dares.

*a* Hic clypeus olim à Græcis refixus & detractus fuerat de poſtibus ſacris templi Neptuno dedicati, & è Phrygia in Græciam delatus à Pyrrho, & inde ad Helenum, ab Heleno ad Æneam peruenerat. Niſi malumus dicere Æneam ipſum Danais abſtuliſſe, & refixiſſe de poſte Neptuni: quod tamen credibile non eſt. Neque enim adeo impius fuit Æneas vt deorum templa ſacrilegio violaret.
*b* Attollat brachia manus habens cæſtibus inuolutas. Cæſtus fuerunt manuum inuolucra, quibus vtebantur pugiles vt validiorem ictum impingerent.
*c* Coronatum laminis aureis, vt ait Seruius, vt lib. 9.

*Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum*

vel cornibus inauratis. Tibullus carmine Heroico.

*Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.*

*d* Paris fuit pugil fortiſſimus, adeo vt, teſte Seruio, ſecundum Neronis Troica ipſum Hectorem pugilatu ſuperaret.

*Ideq; a ad tumulũ, quo maximus occubat b Hector*
*Victorem Buten immani corpore, qui ſe*
*Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,*
*Perculit, & fulua moribundum extendit arena.*
*Talis prima c Dares caput altum in prælia tollit:*
*Oſtenditque humeros latos, alternáque iactat*
*Brachia protendens, & verberat ictibus auras.*
*Quæritur huic alius: d nec quiſquam ex agmine tanto*
*Audet adire virum, manibúſque inducere cæſtus.*
*Ergo alacris, cunctóſque putans excedere pugna:*
*Æneæ ſtetit ante pedes, nec plura moratus,*
*Tum læua taurum e cornu tenet, atque ita fatur:*

Nemo audet congredi cum Darete

*a* Idem Dares, ludis funebribus ad Hectoris tumulum celebratis, Buten multorum aliorum victorem, immani corporis magnitudine præditum, qui gloriabatur ſe venire & originem traxiſſe à gente Amyci Bebryciorum Regis, qui & pugil optimus fuit, & cum ipſo Polluce certauit, hunc, inquam, Buten Dares perculit & ſemimortuum, vel potius morientem in arena extendit. *Se ferebat veniens* ſe venire iactabat, eſt helleniſmus vt —— *ſenſit medios delapſus in hoſtes*

*b* In quo tumulo ſepulta ſunt oſſa & cineres Hectoris, qui pro patriæ ſalute occubuit. Quod ſi cui hæc locutio minus arridet, dicendum vel eodem loco ſepultum fuiſſe Hectorem vbi occubuit, vel ſaltem ibi ludos funebres editos fuiſſe, non quidem ad ſepulchrum, ſe ad quemdam tumulum, id eſt, locum editum & eminentem.

*c* Tam fortis & generoſus Dares; capite elato, primus in arenam procedit daturus initium certaminis, oſtentat humeros latos, quæ latitudo roboris eſt ſignum; & brachia protendens, ea vicibus alternis ita iactat, vt ſiniſtrum poſt dextrum, & viciſſim dextrum poſt ſiniſtrum exporrigat.

*d* Quæritur alius qui par ſit, poſſitque cum eo committi. Neque quiſquam è tanta Troianorum Siculorúmque multitudine audet contra Dareten ſtare, aut cæſtus in palmas immittere. *e* Qui fuerat promiſſus victori.

*Nate dea ſi nemo audet ſe credere pugnæ,*
*Quæ finis ſtandi? quò me decet vſque teneri?*
*Ducere dona iube, cuncti ſimul ore fremebant*
*Dardanidæ, reddique viro promiſſa iubebant.*
*Hic grauis Entellum dictis caſtigat Aceſtes.*
Aceſtes Entello. *Proximus vt viridante toro* a *conſederat herbæ.*
*Entelle heroum quondam fortiſſime fruſtra,*
*Tantáne tam patiens nullo certamine tolli*
*Dona ſines?* b *vbi nunc nobis Deus ille magiſter,*
*Ne quicquam memoratus Eryx, vbi fama per omnẽ*
Entellus. *Trinacriã?* c *&* *ſpolia* d *illa tuis pendentia tectis?*
*Ille ſub hæc. Non laudis amor, nec gloria ceſſit*
*Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta*
*Sãguis hebet,* e *frigentq́; effœtæ* f *in corpore vires.*
*Si mihi quæ quondam fuerat, quáque improbus iſte*

a Propriè: nam, vt auctor eſt Varro, torus dicitur ab herba torta.

b Et hoc proprie, ſinit enim qui prohibere poteſt, patitur etiam inuitus: vnde & tribuni plebis *ſinere* dicuntur, qui poſſunt intercedere.

c Trinacria dicta eſt ἀπὸ τῶν τριῶν ἀκρῶν à tribus promontorijs quibus cingitur, Lilybæo verſus Africam, Pachino verſus Græciam, Peloro verſus Italiam: nec te decipiat næuus ille, qui ex perturbatione vocum noſtris notis adſperſus eſt lib 7. verſu 190.

d Solebant hoſtium ſpolia in veſtibulis ad fores appendere. Vide lib. 8. verſu 194.

e Non amor laudis & gloriæ è meo pectore metu depulſus eſt: ſed ſenectute, quæ me tardiorem facit, ita vires exhauſtæ ſunt, vt ſanguis ſpiritibus tum vitalibus, tum animalibus abſumptis, hebeſcere videatur: Metaphora eſt à gladijs vſu obtuſis & hebetatis.

f Exhauſtæ, quæ iam non poſſunt fortia facta parturire. Et eſt tranſlatio à mulieribus, quas partus frequens debiles reddit.

*Exultat fidens, ſi nunc foret illa iuuenta:*
*Haud equidem pretio inductus, pulchróque juuenco*
*Veniſſem, nec dona moror.* a *Sic deinde locutus,*
*In medium geminos immani pondere cæſtus* b
*Proiecit, quibus acer Eryx in prælia ſuetus* Ceſtus
*Ferre manum, duróque intendere brachia* c *tergo.* Entelli.
*Obſtupuêre animi tantorum ingentia ſeptem*
*Terga boum plumbo inſuto, ferroque rigebant.*
*Ante omnes ſtupet ipſe Dares* d *longéque recuſat.*
*Magnanimúſque Anchiſiades, & pondus, & ipſa*
*Huc illuc vinclorũ* e *immenſa volumina* f *verſat.*

*a* Aceſtes Entellum dictis caſtigans ſpe vtilitatis & præmij hortatus eum fuerat ad certamen. Reſpõdet ille ſe ne in adoleſcentia quidem ſpe vtilitatis & emolumenti, ſed ſolius gloriæ deſiderio pugnaturum fuiſſe, multóque minus conuenire vt ſenex ſpe donorum ad pugnam excitetur: *Nec dona moror*, inquit, id eſt, non præmij, ſed laudis ſtudio volo in certamen deſcendere.

*b* Cæſtus erant quædam inuolucra è pellibus ſiue tergoribus bubulis facta, quibus pugiles non ſolùm manus, ſed etiam extremas brachij partes, ſiue carpum contegebant, vt validiorem ictum infligerent: Hi autem cæſtus, quos Entellus protulit, præter pelles illas bubulas habebant etiam plombum & ferrum inſutum.

*c* *Vel ligare*, vt interpretatur Seruius, vel brachia in duros illos cæſtus è crudo corio factos intendere.

*d* Præ cæteris ſtupet Dares, vt pote periculo vicinior. Addit *ipſe* per emphaſim, ipſe qui paulò antè vires adeò iactabat, nunc ſtupet, & longè refugit à congreſſu, valdéque recuſat cum Entello huiuſmodi cæſtibus inſtructo manus conſerere. Ipſe etiam Æneas, quantumuis magnanimus, tamen cæſtus illos ingentes & ponderoſos huc illuc præ admiratione verſabat, eos attentè conſiderans

*e* Cæſtuum quibus pugiles manus vinciebant ſupra.
*Euinctis attollit brachia palmis.*

*f* Cæſtus erant è pluribus loris in ſe replicatis & conuolutis contexti.

Tum ſenior [a] tales referebat pectore voces.
Quid, ſi quis cæſtus ipſius & Herculis arma
Vidiſſet, triſtemque [b] hoc ipſo in littore pugnam?
Entelli oratio. Hæc germanus [c] Eryx quondã tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc, ſparſóque infecta cerebro.
His magnũ Alciden contra ſtetit: [d] his ego ſuetus,
Dum melior vires ſanguis dabat, æmula [e] necdum
Temporibus geminis canebat [f] ſparſa ſenectus.
Sed, ſi noſtra Dares hæc Troius arma recuſat,
Idque pio ſedet [g] Æneæ, probat auctor [h] Aceſtes:
Æquemus pugnas, [i] Erycis tibi terga remitto:
Solue metus, & tu Troianos exue cæſtus.
Hæc fatus duplicem [k] ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertoſq;

[a] Entellus.
[b] Quam magiſter meus Eryx ab Hercule occiſus eſt.
[c] Germanus propriè, vt tradit Seruius ex Varrone, eſt de eadem genitrice: fuerunt autem Eryx & Æneas fratres vterini, ab eadem matre Venere procreati. Erycis autem Butes pater fuit, auus Amycus illi Rex Bebryciorum, nobilis pugilatu:
[d] Eryx his cæſtibus inſtructus contra Herculem pugnauit. qui Alcides ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à fortitudine.
[e] Virtutibus aduerſa & inuida.
[f] Caneſcebat, candicabat.
[g] Si ita decreuit Aeneas qui adeo pius eſt vt nolit Daretem in apertum vitæ periculum adduci.
[h] Qui mihi fuit auctor huius certaminis: qui me ad hanc pugnam hortatus eſt. Vel ſi mihi eſt auctor & approbator huius mei conſilij de cæſtibus mutandis.
[i] Paribus cæſtibus inſtructi ambo dimicemus. Paratus ſum, ô Dares, id tibi concedere, hanc tibi gratiam facere, & Erycis cæſtus è bubulo tergore factos deponere.
[k] Seruius, id eſt abollam, quæ duplex.

*Exuit, a atque ingens mediâ conſiſtit arenâ.*
*Tum ſatus Anchiſa cæſtus pater extulit æquos, b*
*Et paribus palmas amborum innexuit armis.*
*Conſtitit in digitos c extemplo arrectus vterque,*
*Brachiâque ad ſuperas interritus extulit auras.*
*Abduxere retrò longè capita ardua ab ictu:*
*Immiſcentq; manus manibus, pugnãq; laceſſunt. d*

Entelli & Daretis pugilatus.

*Ille e pedum melior motu fretúſque iuuenta:*
*Hic f membris, & mole valens, ſed tarda trementi*
*Genua labant, g vaſtos quatit æger anhelitus artus.*
*Multa viri nequicquam h inter ſe vulnera iactãt,*
*Multa cauo lateri ingeminant, & pectore vaſtos*
*Dant ſonitus, erratque aures & tempora circum*
*Crebra manus, duro crepitant ſub vulnere k malæ.*
*Stat grauis Entellus, niſúque immotus eodem,*

*a* Quidam legerunt *magnóſque lacertos Exuit*. ſed fruſtra. Eſt enim verſus hypermeter ſiue communem hexametri menſuram excedens, quemadmodum Entellus communem hominum magnitudinem ſuperabat. Artus autem proprie ſunt illa internodia ſiue commiſſuræ, quibus membra inter ſe apta ſunt & colligata, ſicut articuli ſunt iuncturæ digitorum.

*b* Pares & æquales inter ſe, vt ſequenti verſu explicatur. Paria enim arma ſunt pares cæſtus, quibus vtriuſque manus fuerunt inuolutæ.

*c* Statim atque cæſtus manibus induerunt, vterque conſtitit arrectus in digitos pedum extremos & brachijs elatis, capita retraxerunt, ne ferirentur. ſed ſe ab ictibus liberarent.

*d* Præludunt certamini futuro, & quaſi ventilantes pugnam prouocant, & irritant.

*e* Dares. *f* Entellus.

*g* Iam iam videntur lapſura.

*h* Multos ſibi inuicem ictus infligunt non profuturos victoriæ, & ideo nequicquam, ideſt, fruſtra.

*i* Qua parte latus cauatum eſt, videlicet ſupra lumbos.

*k* Sub ictu: tropus eſt, effectus pro cauſa.

Compa- Corpore tela modo a atque oculis vigilantibus exit.
ratio. Ille, b velut celſam oppugnat qui mollibus vrbem
Aut montana ſedet circum c caſtella ſub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnémque pererrat
Arte locum, & varijs aſſultibus irritus d vrget.
Oſtendit dextram inſurgens Entellus, & altè
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Præuidit, celerique elapſus corpore ceſſit.
Entellus vires in ventum effudit, & vltro
Compa- Ipſe grauis, grauitérque ad terram pondere vaſto
ratio. Concidit, vt quondam caua concidit aut Erymãtho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Conſurgunt ſtudijs f Teucri; & Trinacria pubes;
It clamor cælo, primúſque accurrit Aceſtes,
Æquæuumque g ab humo miſerãs attollit amicum.
At non tardatus caſu, neque territus heros, h
Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat irâ.

*a* Non mouetur admodum Entellus, ſed in eodem loco nitens atque conſiſtens leui tantùm declinatione corporis eludit & euitat ictus, quos ſubitò infert Dares, & impreſſione facta tam celeriter refugit, vt non cominus pugnis, ſed eminus telis pugnare, & pugnos è longinquo mittere videatur. *Exit* autem eſt *vitat* ſiue *declinat*, vt lib. 11.

*——Vim viribus exit.* Manilius lib. 5.

*Ille cito motu rigidos eludere cæſtus. Nunc exire, &c.*

*b* Dares. *c* Obſidet.

*d* Fruſtra tentans aditum.

*e* Dares præuidit ictum quem elata manu è ſublimi Entellus inferebat. Erymanthus mons Arcadiæ, id eſt Phrygiæ

*f* Troiani ſimul omnes ſurgunt è conſeſſu, & Dareti plaudentes magnis clamoribus ſua ſtudia teſtantur.

*g* Entellum ſibi coætaneum: licitum autem fuiſſe in pugilatu lapſos attollere, ex Homero, Theocrito, Calabro notant Germanus & noſter de la Cerda, *h* Entellus.

*a* Virtus

*Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus* a,
*Præcipitemque Daren ardens agit æquore* b *toto,*
*Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtrâ.* **Dares grauiter percutitur.**
*Nec mora, nec requies: quàm multa grandine* c *nimbi*
*Culminibus crepitant, ſic denſis ictibus heros*
*Creber vtraque manu pulſat, verſatque Dareta.*
*Tum pater Æneas procedere longiùs iras,*
*Et ſæuire animis* d *Entellum haud paſſus acerbis,*
*Sed finem impoſuit pugnæ, feſſumque Dareta*
*Eripuit mulcens dictis, ac talia fatur:* **Æneas Daretis**
*Infelix* e *quæ tanta animum dementia cœpit?*
*Non vires alias* f *conuerſaque numina ſentis?*
*Cede Deo: dixitque, & prælia voce diremit.*
*Aſt illum,* g *fidi æquales genua ægra trahentem,*

a Virtus propria, cuius ſibi conſcius erat Entellus.

b Toto campo, tota planitie.

c Quam multa & denſa grando cum ingenti crepitu è nimbis in domorum tecta delabitur, tam denſi ſunt ictus quos ingeminat Entellus vtraque manu.

d Donatus. *Sic illi ſi in Darem ictus crepitabant, vt ſolet denſa grando, cùm tectis infunditur, perſonare.*

e Donatus. *Infelix eſt, qui vltrà quam poteſt, audet appetere. Infelix eſt, qui ſecundis rebus modum neſcit imponere: quod contigit in ipſius Daretis cauſſa. Cùm enim ſuperbia intoleranda ferretur, & exiſtimaret ſe inuictum, atque vniuerſis eſſet terrori, ſic diſcrimen propriæ ſalutis inuenit. Demens autem eſt qui excluſa ſanitate conſilii mente perdita non cernit aduerſum ſe non tantùm homines, verum etiam deos ex aperto contendere.*

f Nonne animaduertis iam alias eſſe Entelli vires, quàm erant initio certaminis, & Deorum numina ad eius auxilium eſſe conuerſa? Cede non homini, ſed Deo, nimirum Eryci, qui Entellum veterem amicum & ſocium iuuat in hoc pugilatu.

g Daretem.

*Perſoluo; hic victor cæſtus, artémque repono* a.
*Protinus Æneas celeri certare ſagitta*
*Inuitat, qui fortè velint, & præmia ponit:*
*Ingentique manu* b *malum de naue Sereſti* Sagittarum certamen.
*Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,*
*Quò tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.*
*Conuenere viri, deiectáque* c *aerea ſortem*
*Accepit galea: & primus clamore ſecundo*
*Hyrtacidæ ante omneis exit locus Hippocoontis.* Sortitio.
*Quem modò nauali Mneſtheus certamine victor*
*Conſequitur, viridi Mneſtheus euinctus oliua* d.
*Tertius Eurytion, tuus ô clariſſime frater*
*Pandare, qui quondam iuſſus confundere fœdus,*

Placandos deos, meliores dari dicebantur lib. 12.

*—— Hæc melior magnis data victima diuis.*

a De more, ſolebant enim, cùm alicui arti renuntiarent, illius artis inſtrumenta alicui deo conſecrare, vt paſtores Pani fiſtulam, gladiatores Herculi arma, de his Horatius epiſt. 1. lib. 1. *—— Veianius armis*
*Herculis ad poſtem fixis,*

De illis Poëta:

*Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.*

Ex eodem ritu cùm pueritiæ annos excederent, vt è Perſio liquet. *—— Veneri donatæ à virgine puppæ.*
*Bulláque ſuccinctis Laribus donata pependit.*

b Magna hominum multitudine, malum erigit, & illigat columbam fune per malum tranſmiſſo.

c Eorum nomina, qui ſagittis certaturi conuenerant in galeam coniecta ſunt; vt ſorte ducerentur, iſque primus omnium ſagittam mitteret cuius nomen primùm exiiſſet, & primum, ſociis plaudentibus; Hippocoon Hyrtaci filius locum ſortitur, nomine educto.

d Cloanthus primus victor lauro donatus eſt. vt dicitur verſu. 246.

e De Pandaro vide 4. Iliados: is iuſſus à Minerua diſcutere fœdus quod inibatur inter Græcos & Troianos, in conſertam

*In medios telum torſiſti primus Achiuos.*
*Extremus, galeáque imâ ſubſedit* a *Aceſtes,*
*Auſus & ipſe manu iuuenum tentare laborem:*
*Tum validis flexos* b *incuruant viribus arcus*
*Pro ſe quiſque viri,* c *& depromunt tela pharetris.*
*Primáque per cælum neruo ſtridente ſagitta*
Hippocoon malum percutit. *Hirtacidæ iuuenis volucres diuerberat auras,*
*Et venit, aduerſique infigitur arbore* d *mali:*
*Intremuit malus, timuitque exterrita* e *pennis*
*Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu.*
*Poſt acer Mneſtheus adducto* f *conſtitit arcu*
Mneſtheus rumpit funem quo alligatur columba. *Alta petens, pariterque oculos, telumque tetendit.*
*Aſt ipſam miſerandus* g *auem contingere ferro*
*Non valuit, nodos & vincula* h *linea rupit,*
*Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.*
*Illa notos, atque atra volans in nubila fugit.*

Græcorum turba telum intorſit, quo Menelaus eſt vulneratus. Dicitur primus torſiſſe, quia pugna grauis inde exarſit, qua cæteri quoque Troiani tela torſerunt.

a Aceſtæ nomen in fundo galeæ ſubſederat, ideóque cæteris eductis remanſit in galea, vel ſaltem poſtremo loco extractum eſt.

b Enallage pro curuos arcus inflectunt.

c Non vt facere ſolent molles & effœminati, qui arcus ab aliis inflecti iubent, ſed ipſi, pro ſe quiſque, inflectunt, vt decebat viros fortes & generoſos.

d Infigitur malo oppoſito ex vna arbore integra confecto.

e Exterrita fuit columba, & tremula pinnarum concuſſione ſuum timorem indicauit.

f Arcus adduci dicitur, cùm incuruatur & contenditur: quia funis & arcûs cornua pectori admouentur.

g Quia cùm tam prope abfuerit à victoria, tamque præclare iaculatus fuerit, non potuit tamen victor euadere.

h Nodos vinculorum, ſiue funem quo pedes alligatos & innexos habebat columba pendens è mali ſummitate.

*Tum rapidus iam dudum arcu contenta* a *parato*
*Tela tenens, fratrem* b *Eurytion in vota vocauit:*
*Iam vacuo lætam cælo ſpeculatus, & alis*
*Plaudentem* c, *nigra figit ſub nube columbam.*
*Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris*
*Aëriis* d, *fixamque refert delapſa ſagittam.*
*Amiſſa ſolus palma* e *ſuperabat Aceſtes:*
*Qui tamen ætherias telum contorſit in auras,*
*Oſtentans artemque pariter* f *arcúmque ſonantem.*
*Hic oculis ſubito obiicitur, magnoque futurum*
*Augurio monſtrum* g, *docuit poſt exitus ingens;*
*Seraque terrifici cecinerunt omina vates.*

*Eurytion ferit columbam.*

a Enallage *pro contento arcu tela tenens parata.*
b Pandarum, qui apud Lycios colebatur tanquam heros.
c *Qui battoit des aiſles.*
d Macrobius lib. 3. Sat. c. 8. *Hyginus de proprietatibus Deorum cùm de aſtris ac ſtellis loqueretur, ait oportere his volucres immolari. Dicere ergo Virgilius dixit, apud ea numina animam volucris remanſiſſe quibus ad litandum data eſt.* Sed cur *aëriis*? Opinor ſumi pro *æthereis*. æther autem ſecundum multos nihil eſt aliud quàm aër liquidior & flagrantior.
e Solus ſupererat Aceſtes; cùm enim cæteri ſagittas miſiſſent, ipſe nondum ſuam exploſerat: iam tamen amiſerat palmam quia Eurytion columbam deiecerat.
f Seruius *Cu[illegible] Virgilii maſtix. Artem enim in vacuo aëre oſtendere non poterat: quanquam dicant periti, poſſe ex ipſo ſagittariorum geſtu artis peritiam comprobari.*
g Donatus. *Cùm Aceſtes ſagittam iecisſet, ſubito oculis omnium obiectum eſt magnum monſtrum, quod præuidendo nec intelligi potuit, nec aliqua interpretatione diſſolui: Probabit hoc exitus rerum* (portendebat enim illud incendium, quo paulò poſt naues deflagrarunt) *& vatum tarda reſponſa docuerunt.* Hic vates reprehenduntur, quòd nec intelligere potuerunt, nec aduertere, ſed deflagrantibus iam nauibus, magno verborum ſtrepitu, quaſi terrorem auditoribus incutere vellent, cecinerunt portendi claſſis incendium.

*Aceſtæ ſagitta incenditur.*

*Namque volans liquidis in nubibus* a *arſit arūdo* b,
*Signauitque viam flammis, tenuiſque receſsit*
*Conſumpta in ventos: cœlo ceu ſæpe refixa*
*Tranſcurrunt* c, *crinémque volantia ſidera ducunt:*
*Attonitis hæſere animis, ſuperoſque precati* d
*Trinacrij, Teucrique viri, nec maximus omen*
*Abnuit Æneas* e, *ſed lætum amplexus Aceſten*
*Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur.*
*Sume pater (nam te voluit rex magnus Olympi*
*Talibus auſpicijs, exortem* f *ducere honorem)*
*Ipſius Anchiſæ longæui hoc munus habebis,*
*Cratera impreſſum ſignis* g, *quem Thracius olim*
*Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus* h
*Ferre ſui dederat monimentum, & pignus amoris.*
*Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro:*
*Et primum ante omnes victorem appellat Aceſten:*
*Nec bonus Eurytion prælato* i *inuidit honori:*

*a* In liquido & nitido aëre.

*b* Sagitta è calamo ſiue arundine confecta ſubitò arſit, & totum illum aëris tractum, quo volauerat, ſignauit & notauit quibuſdam flammarum veſtigiis, mox conſumpta eſt & in tenues auras euanuit.

*c* Tenues terræ exhalationes, cùm noctibus ſerenis ignem conceperint, ſpeciem exhibent ſtellarum è cœlo labentium, & has refixa cœlo ſidera vocat ex opinione communi.

*d* Vt Rite ſecundarent viſum omen ... leuarent.

*e* Et Æneas falſa coniectatione deluſus omen amplexus eſt, & probauit vt proſperum, quod reiicere debebat, tanquam ad ſe non pertineret. *f* Extra ſortem, ſine ſorte.

*g* Seruius. *impreſſa ſigna habentem id eſt emblemata.*

*h* Rex fuit Thraciæ, Hecubæ pater, qui pro magno munere, ſigníque beneficij loco craterem illum Anchiſæ donauerat.

*i* Nec Eurytion vt erat facilis & bonus, inuidit Aceſten honorem ſibi fuiſſe prælatum: quamuis ipſe ſolus columbam ruptis vinculis auolantem ex aëre deiecerat.

*Quamuis ſolus auem cœlo deiecit ab alto.* Præmia
*Proximus ingreditur donis* a, *qui vincula rupit.*
*Extremus*, b *volucri qui fixit arundine malum.*
*At pater Æneas nondum certamine miſſo,* c
*Cuſtodem* d *ad ſeſe comitémque impubis Iuli*
*Epitidem vocat, & fidam ſic fatur* e *ad aurem:*
*Vade age, & Aſcanio, ſi iam puerile paratum*
*Agmen habet ſecum, curſúſque inſtruxit equorũ,*
*Ducat auo* f *turmas, & ſeſe oſtendat in armis,*
*Dic, ait: ipſe omnem longo decedere circo*
*Infuſum populum, & campos iubet eſſe patentes.*
*Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum*
*Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes*
*Trinacriæ mirata fremit, Troiæque iuuentus.*
*Omnibus in morem tonsâ coma* g *preſſa corona:*

a Proximus poſt Eurytionem iuſto præmio donatum ingreditur, & gloriabundus incedit Mneſtheus propter dona ſiue præmium, quo donatus eſt ob illam ſagittandi peritiam, qua rupit funem, quò annexa tenebatur columba.
b Hippocoon.
c Nondum finito ſagittarum certamine iuſſit Aſcanium euocari, vt adeſſet ſtatim atque certamen eſſet abſolutum, ne theatrum vacuum remaneret.
d Seruius. *Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari ſolitos eſſe cuſtodes, à quibus primo tyrocinii anno regerentur.*
e In aurem inſuſurrat, vt eò iucundius eſſet, quò inexpectatius ſpectaculum.
f Ad tumulum Anchiſæ, qui eſt auus Aſcanij, pater Æneæ.
g Omnes iſti pueri comam habebant de more tonſam & coronâ ſiue galeâ preſſam, vt interpretatur Seruius, & ſanè galeam στεφάνην, id eſt *coronam* Homerus appellat. Alij, & quidem meliùs vt opinor. Omnes habebant comam preſſam tonſâ coronâ galeæ impoſitâ. Nam galeatos fuiſſe conſtat è verſu. 674. Quid ſit autem tonſa corona liquebit ex illo verſu. 774. *Ipſe caput tonſæ foliis euinctus oliuæ.*

*Cornea* a *bina ferunt præfixa haſtilia ferro,*
Pueri Troiani. *Pars læueis humero pharetras, it pectore* b *ſummo*
*Flexilis obtorti* c *per collum circulus auri.*
*Tres equitum numero turmæ* d*, ternique vagantur*
*Ductores: pueri bis ſeni quemque ſecuti*
Priamus. *Agmine partito fulgent paribuſque magiſtris* e.
*Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem*
*Nomen aui referens Priamus, tua clara Polite* f
*Progenies, auctura Italos: quem Thracius* g *albis*
*Portat equus bicolor maculis, veſtigia primi*
*Alba pedis, frontemque oſtentans arduus albam.*

*a* Ex cornu arbore facta. Seruius: *Bebius Macer ait à Cæſare Auguſto, pueris qui luſerunt Troiam, donatas eſſe galeas, & bina haſtilia: ad quod Virgilium conſtat alludere.*

*b* Torques militares gerebant in pectoris ſummitate, ſiue in pectoris & colli confinio. Sunt autem, vt ſcribit Iſidorus, *Torques circuli aurei à collo ad pectus deſcendentes, & à viris geruntur, vt à fœminis monilia.*

*c* Vel quòd huiuſmodi torques ex annellis aureis tortis & inflexis conſtarent, vel quod eſſent funiculi filis aureis tortis contexti, vnde & nomen *torquis* à torquendo.

*d* Notant vulgo Poëtam alludere ad tres populi Romani turmas. Varro lib. 4. de ling. lat. *Turma terma eſt, & in v abiit, quòd terdeni equites ex tribus tribubus Tatienſium, Rhamnium, & Lucerum fiebant.*

*e* Iterum ad magiſtros equitum videtur alludere.

*f* *Illum* Politen, *dicit* (verba ſunt Seruij) *quem ſuprà* (lib. 2. verſu. 532.) *à Pyrrho introduxit occiſum: de quo Cato in originibus dixit, quòd ad Italiam venerit, & ſegregatus ab Ænea condiderit oppidum Politorium à ſuo nomine.* Quod autem Cato Politæ tribuit, id Poëta Priamo eius filio mauult tribuere.

*g* Equi Thracij inter totius orbis nobiliſſimos celebrantur etiam ab Oppiano lib. 3. κυνηγετικῶν, verſu 172. hic autem bicolor albis maculis ita ſparſus erat, vt primores pedes albos & frontem albam oſtentaret.

*Alter* a *Atys, genus vnde Atyi* b *dux ère Latini;* Atys.
*Paruus Atys, pueróque puer dilectus Iulo,*
*Extremus, formáque ante omnes pulcher Iulus*
*Sidonio eſt inuectus equo, quem candida* c *Dido*
*Eſſe ſui dederat monimentum, & pignus amoris.*
*Cætera Trinacrijs pubes ſenioris* d *Aceſtæ*
*Fertur equis.*
*Excipiunt plauſu pauidos,* e *gaudéntque tuentes*
*Dardanidæ, veterumque agnoſcunt ora* f *parentum:* Iulus.
*Poſtquam omnem læti* g *conſeſſū, oculóſque ſuorum*
*Luſtrauêre in equis, ſignum clamore paratis*
*Epitides* h *longè dedit, inſonuitque flagello.*

a Secundus dux puerorum Troiam ludentium.
b Seruius *Propter Atiam dicit matrem Auguſti: de qua Antonius ait Aricina mater: vult enim* (Poëta) *etiam maternum eſſe genus* Auguſti *antiquum.*
c Donatus *Candidam Didonem dixit animo potiùs quàm corpore, quia cùm ſe patris eius conſideraret uxorem non eum ut priuignum habuit, ſed dilexit ut filium, vſque adeo ut affectum, quem retinebat mente donis & muneribus comprobaret.*
d *Pubes ſenioris*, anthitheſis non ingrata.
e Troiani pueros lætis plauſibus excipiunt gloriæ cupiditate ſollicitos & euentus expectatione ſuſpenſos. vt
*Corda pauor pulſans.* —
vel, excipiunt pueros pauidos plauſu, quia videlicet tum pueri, tum equi puerorum ad ſubitum & ingentem plauſum expauerant.
f Similitudinem patrum expreſſam in ore filiorum.
g Poſtquam pueri equis inuecti luſtrauerunt & circuiuerunt omnem conſeſſum ſuorum, videlicet Troianorum, qui oculos habebant in pueris defixos.
h Cùm luſtrato ſuorum conſeſſu, iam parati eſſent, Epitides Aſcanij cuſtos è longinquo clamans ſignum dedit ineundi certaminis flagello tam acriter concuſſo vt clare reſonaret.

Olli diſcurrêre pares, a atque agmina terni
Diductis ſoluêre choris, rurſúſque vocati
Conuertêre vias, infeſtaque tela tulêre.
Lusus Troiæ. Inde alios ineunt curſus, alióſque recurſus
Aduerſis ſpatiis, alternóſque orbibus b orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fugâ nudant, nunc ſpicula vertunt
Infenſi, facta pariter nunc pace feruntur.
Vt quondam Creta fertur Labyrinthus d in altâ
Comparatio. Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolum: qua f ſigna ſequendi

*a* Pueri primùm diſcurrerunt bini: vel potius, omnes initio pariter & vno agmine diſcurrerunt; mox diductis ſiue diuiſis ordinibus in tria ſe agmina ſepararunt, reuocati deinde ita ſe conuerterunt vt terni illi ordines infeſtis telis ſibi occurrerent. Legit Donatus, *agmina terni*, vocat choros quaſi prælibans quod dicturus eſt ea fuiſſe pugnæ ſimulacra.

*b* Multos orbes, vnum ex alio ita deſcribunt equitantes, vt vnus circulus altero impeditus, ideſt ſerie quadam alteri implicitus implexúſque videatur.

*c* Pugnæ ſpeciem mouent, & armati verum prælium imitantur.

*d* Et nunc oſtendunt terga fugientes. Legitur ex antiquis codicibus: *terga fugâ nudant* id eſt *per fugam*: quæ lectio magis arridet. Nàm quid ſi terga fugæ nudare explicare vix poſſis, bene monet autem Seruius *tria quæ in bellis geruntur* commemorari, fugam, pugnam, pacem.

*e* Hic curſus recurſuſque puerorum ſimilis fuit illi Labyrintho, qui fuiſſe dicitur in Creta inſula, alta, ſiue inter fluctus eminente, & *elata mari*, vt dicitur 6. Æneidos: is autem Labyrinthus habuiſſe fertur iter cæcum & obſcurum parietibus ita textum & implexum, vt multis viarum ambagibus occurſibus, recurſibus ingreſſus in fraudem induceret, dubios & ancipites in quam partem ſe conuerterent, ſeque ab illis viarum flexibus expedirent.

*f* Qua parte, ſiue quibus viarum perplexitatibus error indeprehenſus & inextricabilis falleret & frangeret ea ſigna

*Falleret indeprenſus, & irremeabilis error:*
*Haud a aliter Teucrûm nati veſtigia curſu*
*Impediunt, texuntque fugas, & prælia ludo,*
*Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando*
*Carpathiū, b Libycumq; ſecant, luduntq; per vndas.*
*Hunc morē hos curſus, atque hæc certamina primus*
*Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam,*
*Rettulit, c & priſcos docuit celebrare Latinos:*
*Quo puer ipſe modo, quo ſecum Troia pubes,*
*Albani docuere ſuos: hinc maxima porrò d*
*Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem:* Troia.
*Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.*
*Hac celebrata tenus e ſancto certamina patri.*
*Hic primum fortuna fidem mutata nouauit:*
*Dum variis f tumulo referunt ſolennia ludis,*
*Irim g de cælo miſit Saturnia Iuno*

quæ ingreſſi ſibi poſuerant, vt exire volentes eo ſequerentur.
a Non aliter Troianorum liberi frequenter per eadem veſtigia redeuntes variis occurſibus orbes implicant, & intexunt.
b Seruius. *Mare eſt inter Ægyptum & Rhodum ab inſula Carpatho.* hic autem ponitur συνεκδοχικῶς pro mari abſolute.
c Renouauit, inſtaurauit.
d Poſt longum temporis interuallum.
e Hactenus, huc vſque celebrati ſunt ludi funebres Anchiſæ. Cúmque huc vſque proſpera fuiſſet fortuna, rurſus in aduerſam mutata eſt, & priſtinam ſuam perfidiam renouauit: *fides* pro *perfidia*, quaſi dicatur fortuna nihil aliud quàm perfidiam promittere: & in hoc vno ſeruare fidem, vt in ſola inconſtantia ſeruat conſtantiam.
f Dum Troiani Anchiſæ iuſta perſoluunt, & variis ludis occupati de ſeruanda tuendaque claſſe non cogitant.
g Deorum quidem omnium nuntiam, ſed peculiarem Iunonis miniſtram. Iuno enim eſt dea aëris, Iris arcus cœleſtis in aëre generatur.

*Iliacam ad claſſem, ventoſque aſpirat* a *eunti,*
*Multa mouens,* b *necdum antiquum exſaturata dolorem.*

Iuno mittit Iridem.

*Illa viam celerans* c *per mille coloribus arcum,*
*Nulli viſa cito decurrit tramite* d *virgo;*
*Conſpicit ingentem cōcurſum,* e *& littora luſtrat,*
*Deſertoſque videt portus, claſſemque relictam.*
*At procul in ſola* f *ſecretæ Troades acta*
*Amiſſum Anchiſen flebant, cunctæque profundum*
*Pontum aſpectabant flentes: heu tot vada feſſis,*
*Et tantum ſupereſſe maris, vox omnibus vna.*
*Vrbem orant,* g *tædet pelagi perferre laborem.*
*Ergo* h *inter medias ſeſe haud ignara nocendi*
*Coniicit: & faciémque Deæ, veſtemque reponit,*

*a* Iridi ventos adſpirat Iuno, vt illa ventorum flatibus inuecta celeriùs ad terram deferatur.

*b* Multis verbis monens Iridem, quomodo Troianis maximè noceret. Nondum enim Iuno iram in Troianos à longo tempore conceptam expleuerat.

*c* Iris celeriter è cælo delapſa eſt per arcum magna colorum varietate diſtinctum.

*d* Arcum commode tramitem appellat, quia, vt *tramites ſunt tranſuerſa in agris itinera*, vt ait Iſidorus, ita arcus per nubes tranſuerſus extenditur.

*e* Videt magnam Troianorum & Siculorum multitudinem ad tumulum Anchiſæ congregatam, & littora circumſpicit, portuſque deſertos à Troianis qui ad ludos confluxerant.

*f* Interea Troianæ mulieres in ſola acta ſiue deſerto littore (Græci ἀκτὴν Latini *actam* littus appellant) ſecretæ & à viris ſeparatæ, flebant Anchiſen, non quidem extinctum, quia relatus in deos, ſed amiſſum, ſibique ereptum. Quod eas ſecretas ait à viris, alludit ad morem ſacrorum ludorum, ad quos non poterant mulieres accedere.

*g* Orant ſibi condi vrbem, in qua habitent, & à tot erroribus conquieſcant.

*h* Hanc igitur nacta nocendi Troianis occaſionem Iris, nec

*Fit Beroë Iſmarij* a *conjux longæua Dorycli,*
*Cui genus, & quondam nomen, natique* b *fuiſſent.*
*Ac ſic Dardanidum mediam ſe matribus infert.*
*O miſeræ* c *quas non manus, inquit, Achaica bello*
*Traxerit ad lethum patriæ ſub mœnibus: ô gens*
*Infelix, cui te exitio fortuna reſeruat?*
*Septima poſt Troiæ excidium iam vertitur* d *æſtas,*
*Cum freta, cùm terras omnes, tot in hoſpita ſaxa.*
*Sideraq;* e *emenſæ ferimur, dum per mare magnum* f

*Iris Troianas matronas excitat ad incendendas naues.*

ignara quo pacto maximè noceret, ſe coniicit in mediam mulierum turbam, in ſpeciem Beroës mutata.

*a* Iſmarus eſt mons Thraciæ: legit Seruius *Tmarij* & interpretatur *Illyrii. Tmarus enim,* inquit, *mons eſt Epiri.* Parum refert.

*b* Videtur ad ius trium liberorum alludere de quo plura pro Marcello. § 24. Nota. 7.

*c* O miſeræ Troianæ mulieres, quæ non eſtis in patria veſtra Græcorum manibus interemptæ! quanta vobis felicitas obtigiſſet, ſi ante tam miſeram nauigationem potuiſſetis in excitæ patriæ cineribus ſepeliri!

*d* Æſtas hic ponitur pro anno: nam de æſtate proprie non poteſt intelligi. Cùm enim lib. 1. ſeptima æſtate dicatur appulſus eſſe Carthaginem.

*—— Nam te iam ſeptima portat*
*Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.*

Hyemémque in Africa tranſegerit (alioquin fama de Didone & Ænea fingere nullo modo potuiſſet.

*Nunc hyemem inter ſe luxu quàm longa fouere)*

Si de æſtate proprie ſumpta loqueretur non iam ſeptima, ſed octaua diceretur. At ſi nomine æſtatis annum ipſum intelligas facilis eſt & expedita ratio. Nam Æneas anno nauigationis ſeptimo ineunte in Africam appulſus eſt, anno vertente & ad finem vergente ludos patri celebrauit.

*e* Seruius. *Aut tempeſtates ait quæ ortu vel occaſu ſiderum ſæpe naſcuntur: aut prouincias quæ ſideribus ſubiacent.*

*f* Vel immenſum: vel procelloſum vt lib. 3. verſu 196.

*—— Magnaque ſurgunt Æquora. ——*

*Italiam ſequimur fugientē* [a] *& voluimur vndis.*
*Hic Erycis fines fraterni* ,[b] *atque hoſpes Aceſtes,*
*Quis prohibet muros iacere , & dare ciuibus vrbē?*
*O patria & rapti nequicquam* [c] *ex hoſte penates,*
*Nullane iam Troiæ dicentur mœnia? nuſquam*
*Hectoreos amnes ,* [d] *Xanthum & Simoënta videbo?*
*Quin agite & mecum infauſtas,*[e] *exurite puppes.*
*Nam mihi Caſſandræ* [f] *per ſomnum vatis imago*
*Ardentes dare viſa faces : hîc quærite Troiam,*
*Hic domus eſt , inquit vobis : iam tempus agi res.*
*Nec tantis mora prodigijs :* [g] *en quatuor aræ*
*Neptuno : Deus ipſe faces , animúmque miniſtrat.*
Ignis in naues iniicit. *Hæc memorans , prima infenſum vi corripit ignem.*
*Sublatáque procul dextrâ connixa* [h] *coruſcat,*
*Et iacit , arrectæ mentes , ſtupefactíque corda*
*Iliadum : hîc vna è multis , quæ maxima natu*
Pyrgo. *Pyrgo , tot Priami natorum regia nutrix:*
*Non Beroë vobis , non hæc Rhœteia , matres,*
*Eſt Dorycli coniux ,* [i] *diuinis ſigna decoris.*

[a] Quæ ſemper remotior videtur : & fortaſſe nulla omninò.
[b] Quia Eryx frater Æneæ.
[c] Fruſtrà,ſiquidem ſtabilem ſedem non inuenietis.
[d] Troianos,vide librum 3 verſu.350. & 497.
[e] Inauſpicatas,quæ nobis tot miſerias attulerunt.
[f] De Caſſandra lib. 2. verſu. 146.
[g] Seruius. Ecce prodigium de bono : & argumentatur ad incendium nauium aras ardere Neptuni.
[h] Totis viribus enitens vibrat.
[i] Suprà Dorycli patriam oſtendit,eum Iſmarium , ſiue Tmarium appellans,nunc ipſam Beroen vocat Rhœteiam à Rhœteio Phrygiæ promontorio , & vrbe ei cognomine. *Non eſt autem hæc diſſuaſio , vt multi putant* , inquit Seruius,*ſed magis hortatur perſuadendo numinis auctoritate.*

*Ardentéſque notate oculos, qui ſpiritus a illi,*
*Qui vultus, vocíſque ſonus, vel greſſus eunti.*
*Ipſa egomet dudum Beroën digreſſa reliqui*
*Ægram*, b *indignantem tali quòd ſola careret*
*Munere, nec meritos Anchiſæ inferret honores.*
*Hæc effata.*
*At matres primò* c *ancipites, oculíſque malignis*
*Ambiguæ ſpectare rates, miſerum* d *inter amorem,*
*Præſentis terræ, fatíſque vocantia regna:*
*Cùm* e *Dea ſe paribus per cœlum ſuſtulit alis,*
*Ingentémque fugâ ſecuit* f *ſub nubibus arcum.*
*Tum verò attonitæ* g *monſtris, actæque furore*

**Iris in cœlum redit.**

*a* Videte quem odorem expiret vt lib. 1.

*Ambroſiæque comæ diuinum vertice odorem Spirauere.* — vel, videte quos ſpiritus gerat, quàm viuida ſit eius oratio, quàm altum ſpiret.

*b* Propriè dicitur animi ægritudo, morbus corporis: hic tamen *egram* pro ægrotantem, ſiue morbo laborantem vſurpat, indignabatur enim & dolebat quòd morbo corporis impedita non poſſet ſacrificiis funebribus intereſſe, quibus interfuerant reliquæ matronæ: licet, vt antè dictum eſt, nefas iis eſſet ad ipſos ludos accedere.

*c* At matronæ initio ancipites & dubiæ,& quid agerent compertum non habentes cœperunt oculis malignis, id eſt toruis, tranſuerſis, & ita ſemiapertis vt animi malignitatem oſtenderent, naues intueri, vario cogitationum æſtu inter amorem præſentis terræ, videlicet Siciliæ, & amorem Italiæ fluctuantes.

*d* Seruius. *Aut magnum*, vt Terentius, *eam miſerè amat*, id eſt efflictim, perditè amat, aut *miſerum*, quo fiebant miſeriores, cùm eis regna negarentur.

*e* Cùm adhuc matres ita dubiæ fluctuarent, Iris ad cœlum euolauit, alis pari vtrinque momento nitentibus.

*f* Vide infrà. lib. 9. verſu. 15.

*g* Vbi matres Iridem viderunt auolantem, hoc prodigio tanquam fulmine tonitruque perculſæ (Græci ἐμβροντήτους appellant) & in furorem actæ conclamant. *Non ſuſſiciebat*

*Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:*
Nauiũ incendium. *Pars ſpoliant aras,* a *frondem ac virgulta, facéſque*
*Coniiciunt: furit immiſſis Vulcanus* b *habenis*
*Tranſtra per & remos, & pictas abiete* c *puppes.*
*Nuntius Anchiſæ ad tumulum, cuneóſq;* d *theatri*
*Incenſas perfert naues Eumelus: & ipſi*
*Reſpiciunt atram in nimbo volitare fauillam.*
*Primus & Aſcanius, curſus vt lætus equeſtres*
*Ducebat, ſic acer equo turbata petiuit*
*Caſtra,* e *nec exanimes poſſunt retinere magiſtri.* f
*Quis furor iſte nouus? quò nunc, quò tēditis? inquit.*
Aſcanius accurrit. *Heu miſeræ ciues! non hoſtem, inimicáque caſtra*
*Argiuûm, veſtras ſpes vritis:* g *en ego veſter*
*Aſcanius: galeam ante pedes* h *proiecit inanem,*

*furentibus*, inquit Donatus, *quod ſuggerebant aræ, ex interioribus quoque partibus incendia repetebant, ut futuro ſceleri omne genus criminum iungeretur.* Quare per focos penetrales æternum illum ſiue ſacrum ignem intelligo in penetralibus ſeruari ſolitum, de quo lib. 2. verſu. 297.

*Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

infrà verſu. 744. —— *canæ penetralia Veſtæ.*

a Rapiunt ignem & ligna ex aris.

b Per totam claſſem ſerpit, vel potiùs celeriter currit ignis (cui Vulcanus præſidet) incendium, vt currere ſolent equi laxatis habenis.

c Puppes ex abiete contextas, & Deorum tutelarium picturis ornatas.

d Vide 2. Georg. verſu. 509.

e Claſſem, vt lib. 3. *Nos caſtra mouemus.*

f Cuſtodes.

g Veſtram claſſem incenditis, in qua ſpes omnis obtinendæ Italiæ, & inſtaurandi regni Troianorum eſt conſtituta. En ego ille veſter Aſcanius per quem fata promittunt Troiæ reliquias eſſe reparandas.

h His dictis vt agnoſci poſſet, & quod verbis ſignificarat re ipſa oſtenderet, proiecit ante pedes geleam caputque nudauit

*Qua ludo indutus belli ſimulacra* a *ciebat.*
*Accelerat ſimul Æneas, ſimul agmina Teucrum.*
*Aſt illæ diuerſa* b *metu per littora paſſim* Aufugiunt.
*Diffugiunt, ſiluáſque, & ſicubi concaua furtim* matronæ.
*Saxa petunt:* c *piget incœpti, luciſque: ſuóſque*
*Mutatæ* d *agnoſcunt, excuſſáque pectore Iuno eſt.*
*Sed non idcirco* e *flammæ, atque incendia vires*
*Indomitas poſuêre, vdo ſub robore viuit*
*Stupa vomens tardum fumum, lentúſque carinas*
*Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis.*
*Nec vires heroum, infusáque flumina proſunt,*

dauit inanem galeam, id eſt *concauam, vacuam, ſine capite*, vt exponit Seruius, vel vt Cerdanus, *vacuam corona, hac amiſſa, vel in agitatione equeſtri, vel in tumultu ſubito qui exortus ab incendio nauium.* Malim interpretari *inanem*, inutilem rei quæ tum agebatur, cùm enim vellet agnoſci, officiebat potiùs galea quàm iuuabat hanc notitiam.

a Qua galea indutus adumbratam belli ſpeciem exhibebat.

b Præ formidine fugientes petunt diuerſa, in quibus lateant *ſcilicet aut abdita littorum, aut caua ſaxorū aut ſyluarū deuia, aut ſumma montium, aut longinqua camporum*, inquit Donatus.

c *Piget incœpti*, quia pœnitet illas immiſſi in claſſem incendij, *luciſque*, quia vellent mortem oppetere.

d Reſipiſcentes & ad meliorem mentem conuerſæ Troianos ſuos agnoſcunt, quos initio non agnoſcebant præ furore, & furor à Iunone per Iridem immiſſus è matronarum pectore excuſſus eſt.

e Etiamſi matronæ ſuos agnouerint, furorem excuſſerint, doluerint immiſſum à ſe incendium, non tamen idcirco ignis compreſſus eſt. Viuebat enim & paulatim creſcebat ignis in ligno, quo contextæ fuerant naues, humido ſiue aquis marinis madefacto & in ſtupa, qua nauium rimæ aſſerúmque & tignorum commiſſuræ compactæ fuerant. Ita inquam, creſcebat ignis vt non totus ſimul emicaret, ſed propter humiditatem materiæ denſum craſſúmq; fumum atque adeo tarde erumpentem emitteret, lentúſque vapor ſiue calor ignis ſenſum ſine ſenſu carinas exedebat, & incendium ſuperiora

*Tum pius Æneas humeris abſcindere* a *veſtem,*
*Auxilioque vocare Deos, & tendere palmas:*
*Iuppiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad vnum* b
*Troianos, ſi quid pietas antiqua labores*
*Reſpicit humanos, da flammam euadere claſſi*
*Nunc pater, & tenues Teucrûm res eripe letho.*
*Vel tu, quod ſupereſt* c, *infeſto fulmine morti,*
*Si mereor demitte: tuaque hic obrue dextrâ.*
*Vix hæc ediderat, cùm effuſis imbribus atra*
*Tempeſtas ſine more* d *furit, tonitrúque tremiſcunt*
*Ardua terrarum* e, *& campi: ruit æthere toto*
*Turbidus imber aqua, denſiſq; nigerrimus auſtris* f,
*Implentúrque ſuper puppes: ſemiuſta madeſcunt*
*Robora, reſtinctus donec vapor omnis* g: *& omnes*
*Quatuor amiſſis ſeruatæ à peſte carinæ.*
*At pater Æneas caſu concuſſus acerbo,*
*Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas*
*Mutabat: verſans* h *Siculiſne reſideret auis*

*Æneas Deos orat.*

*Pluuia oritur.*

*Ignis reſtinguitur.*

depaſtum ad fundum nauium ſerpebat. Iſidorus, *Dicta peſtilentia, quaſi paſtulentia, quòd veluti incendium, depaſcat.* per flumina autem ſignificant aquæ copiam.

*a* De more veſtes ſcindebant in luctu. Tranquillus in Nerone, cap. 42. *Veſteq; diſciſſa, & capite conuerberato, actum de ſe pronuntiauit.* Cerdanus plena manu exempla congeſſit.

*b* Ne vno quidem excepto.

*c* Ex omnibus cladibus, vna mihi reſtat inferenda: mors videlicet, eam etiam mihi adfer, vt nullum ſuperſit malum quod non Troianis inflixeris.

*d* Vltra morem & modum reliquarum tempeſtatum.

*e* Montes.

*f* Auſter ventus pluuioſus.

*g* Donec ignis omnis extinctus eſt, & omnes naues, quatuor exceptis, ſunt ab incendio liberatæ.

*h* Animo volutans, ſiue apud ſe conſiderans.

*Oblitus fatorum* a*, Italáſne capeſſeret oras.*
*Tum ſenior Nautes* b *vnum Tritonia* c *Pallas,*
*Quem docuit, multáque inſignem reddidit arte,*
*Hæc reſponſa dabat, vel quæ portenderet ira* Nautes.
*Magna Deûm,* d *vel quæ fatorum poſceret ordo,*
*Iſque his Æneam ſolatus vocibus infit:*
*Nate Dea, quò fata trahunt retrahuntque* e*, ſequamur:*
*Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.*
*Eſt tibi Dardanius diuinæ ſtirpis* f *Aceſtes:*
*Hunc cape conſilijs ſocium & coniunge volentem,* Nautæ
*Hunc trade, amiſſis ſuperāt* g *qui nauibus, & quos* cōſilium.
*Pertæſum magni incœpti rerumque tuarum eſt,*

*a* Quæ ipſi & Aſcanio filio regnum Latij deſtinabant.

*b* Monet Seruius & alii poſt ipſum interpretes, Nautem Sacerdotem Mineruæ fuiſſe, & Palladium ſecum habuiſſe, ſiue illud ſecum attulerit è Phrygia, ſiue iuſſu oraculi à Diomede redditum, Ænea ſacris operante capite, vt moris fuit, obuoluto, acceperit: à quo propagata fuerit familia Nautiorum, ad quam pertinebat Palladij cuſtodia. Meritò igitur à Minerua fingitur edoctus. Vide Halicarnaſſeum lib. 6.

*c* Vide lib. 2. verſu. 171.

*d* Ira Iunonis portendebat Troianis in Sicilia manſionem, idcirco enim naues incenderat, vt cogeretur Aeneas in Sicilia remanere: fatorum ordo poſcebat, vt Aeneas in Italiam nauigaret. Nautes igitur monita dabat, & quaſi vaticinans reſponſa reddebat vt partem Troianorum in Sicilia relinqueret, vt Iunonis ira portendebat: partem in Italiam ſecum adduceret, vt fatorum ordo, ſeries, connexióque poſcebat.

*e* Fatis obſequamur, quia

*Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

& fortunam patientiâ ſuperemus.

*f Troia Criniſo conceptum flumine mater Quem genuit*

*g Superſunt, ſuperfluunt*, inquit Seruius. Poſtquam quindecim naues, quæ, vnâ Orontis demerſâ, quatuor exuſtis, tibi ſuperſunt è viginti, militibus compleueris, trade Aceſti eos qui ſuperfuerint, nec potuerint tuis nauibus conuehi.

Longæuóſque ſenes: ac feſſas æquore matris:
Et quicquid tecum inualidū metuenſq; pericli eſt,
Delige: & his habeant terris ſine [a] mœnia feſſi.
Vrbem appellabunt permiſſo [b] nomine Aceſtam.
Talibus incenſus dictis ſenioris [c] amici.
*Anchiſes in ſomnis apparet.*
Tum verò in curas animus deducitur [d] omneis:
Et nox atra polum bigis [e] ſubuecta tenebat.
Viſa de hinc cœlo facies [f] delapſa parentis
Anchiſæ, ſubitò taleis effundere voces:
Nate mihi vita quondam, dum vita manebat,
Chare magis: nate Iliacis exercite fatis,
Imperio Iouis huc venio, qui claßibus ignem
*Anchiſes Aeneæ.*
Depulit, & cœlo tandem miſeratus [g] ab alto eſt.
Conſilijs pare quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat ſenior; lectos iuuenes, fortißima corda,
Defer in Italiam: gens dura, atque aſpera [h] cultu
Debellanda tibi Latio eſt: Ditis [i] tamen antè

*a* Permitte vt iuuenes, qui ſequi nolunt, vt ſenes & matronæ, vt omnes huius nauigationis longitudine fatigati, hæreant in Sicilia, condantque ciuitatem.
*b* Vrbem à ſe conditam appellabunt Aceſtam de nomine Aceſtis, ſi ille permiſerit. *c* Nautæ.
*d* Diſtrahitur, & quaſi vario cogitationum æſtu diſcerpitur.
*e* Bigæ nocti tribuuntur. Claudianus de Proſerp. raptu.

*——— ſparſo nox humida ſomno.*
*Languida cæruleis innexerat otia bigis.*

*f* Vel quia putabant animas heorum ad cœlum euolare: ſolas vmbras & ſimulacra ad inferos deſcendere, vel ſignificat non ipſum Anchiſen, ſed aliquem deſim aſſumpta Anchiſæ facie ſiue ſimilitudine è cælo fuiſſe demiſſum.
*g* Immiſſa pluuia ad reſtinguendum incendium.
*h* Vide librum 9. verſu 600. ad 613.
*i* Plutonis qui Dis dicitur à diuitijs, vt Pluto ἀπὸ τοῦ πλούτου, qui profunditatem terræ ſortitus eſt, vnde aurum & cætera metalla eruuntur.

*Infernas accede domos: & Auerna* a *per alta*
*Congreſſus pete nate meos; non me impia namque*
*Tartara habent: triſtéſque vmbræ, ſed amœna piorũ*
*Concilia, Elyſiúmque colo: huc* b *caſta* c *Sibylla*
*Nigrarum multo* d *pecudum te ſanguine ducet.*
*Tum genus omne tuũ & quæ dentur mœnia diſces.*
*Iãque vale* e *, torquet* f *medios nox humida curſus,*
*Et me ſæuus equis Oriens* g *afflauit anhelis,*

a De Auerno vide 6. à verſu. lib. 238. de tartaro à verſu. 577. d: Elyſiis à verſu. 638. Nomen deducitur ἀπὸ τῆς λύσεως à ſolutione quòd eo deuolent piorum animæ corporeis vinculis exolutæ.

b Ad campos Elyſios.

c Virgines enim fuerunt Sibyllæ, dictæ quòd θεῦ βουλὴν, vel vt loquuntur Spartani σιῦ βουλὴν Dei conſilium aperiant mortalibus.

d Multis victimis nigris immolatis. lib. 6. à verſu. 243.

e Vale non enim poſſum ampliùs tecum loqui, quia media nox eſt, diéſque ciuilis exoritur mihi ſæuus, quippe qui me cógit abs te ſeparari.

f Vox è circo tranſlata, vbi cùm ad metam aurigæ peruenerint, curſum torquent & reflectunt ad carceres vnde diſceſſerant. Ita nox cùm ad mediam peruenit, quaſi metam circumiens, rurſus ad lucem deflectitur.

g Quidam ſolem orientem, ſiue lucis ortum intelligunt. Sed malè, non enim media nocte ſol oritur. Quare diei ciuilis ortum cum Seruio & alijs viris doctis interpretor, ſecundum Romanos, qui diem ſuum ciuilem à media nocte inchoabãt. Anchiſes autem, qui Iouis imperio veniebat ea conditione videtur adſtrictus fuiſſe, vt eo duntaxat die, quo celebrati ſunt ludi, cum filio loqueretur, ſequẽti die appetente ſtatim à colloquio diſcederet. Neque refert, quod obiiciunt, ſomnia ſub auroram eſſe veriora & defæcatiora. Nam vel ſomnium non fuit, ſed, vt ſatis apertè ſignificari videtur, vera viſio, οὐκ ὄναρ ἀλλ᾽ ὕπαρ, vel id verum eſt non in Ænea homine ſobrio & temperante, ſed in iis qui ſe cibo potûque plenis faucibus ingurgitant, & ne per ſomnium quidem vera videre poſſunt, priuſquam crapulæ cruditatem concoxerint.

*Dixerat: & tenuis fugit ceu fumus in auras.*
Æneas Anchiſæ. *Æneas, Quò deinde ruis? quò proripis* a*? inquit,*
*Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?*
*Hæc memorans cinerē, & ſopitos* b *ſuſcitat ignes,*
*Pergameumq; larem* c*, & canæ* d *penetralia Veſtæ*
*Farre pio* e*, & plenâ ſupplex veneratur acerrâ* f*.*
*Extemplo ſocios, primumque accerſit Aceſten:*
*Et Iouis imperium, & chari præcepta parentis*
*Edocet, & quæ nunc animo ſententia conſtet.*
*Haud mora conſilijs: nec iuſſa recuſat Aceſtes:*
Vrbs cõditur. *Tranſcribunt* g *vrbi matres, populumq; volentem*
*Deponunt, animos nil magnæ laudis* h *egentes.*
*Ipſi tranſtra nouant, flammiſque ambeſa reponunt*
Naues inſtaurantur. *Robora nauigijs: aptant remóſque, rudentéſque*
*Exigui numero: ſed bello viuida virtus.*
*Intereà Æneas vrbem deſignat* i *aratro.*

a Quo te proripis?
b Cinere coopertos, & quaſi ſub cinere dormientes. Vide lib. 8 verſu. 543.
c De Laribus ſecunda Philippica §. 63. Nota 8.
d Seruius. *Aut antiquæ, aut propter ignis fauillas.*
e Seruius. *Vel quia exinde ſacrificabatur: vel quia mos fuit apud maiores vt diuinum ignem farre ſeruarent.*
f Acerra vaſculum thuris. Pauperes thuris micam, diuites plenam acerram dijs offerebant.
g Idem. *Romani moris verbum eſt. Tranſcripti enim in colonias deducebantur.*
h Qui non ad magnam gloriam adſpirabant.
i Idem Seruius. *Quem Cato in originibus dicit morem fuiſſe, conditori enim ciuitates taurum in dextra, vaccam in ſiniſtra iungebant, & cincti ritu Sabino* (Gabino) *id eſt togæ parte caput velati, parte ſuccincti: tenebant ſtiuam obliquam vt glebæ omnes intrinſecus caderent & ita ſulco ducto loca deſignabant murorum aratrum ſuſpendentes circa loca portarum, unde & territorium di-*

*Sortiturque domos* a, *hoc Ilium, & hæc loca Troiæ* — Vrbs ædificatur.
*Eſſe iubet, gaudet regno* b *Troianus Aceſtes,*
*Indicitque forum* c, *& Patribus dat iura vocatis.*
*Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes*
*Fundatur Veneri Idaliæ* d, *tumuloque ſacerdos,*
*Et lucus latè ſacer* e *additur Anchiſæo:*
*Iamque dies epulata nouem* f *gens omnis, & aris*
*Factus honos, placidi ſtrauerunt* g *æquora venti,*
*Creber & aſpirans rurſus vocat Auſter in altum.*
*Exoritur procurua ingens per littora fletus:* — Troiani à ſe inuicem ſeparantur.
*Complexi inter ſe noctémque diémque morantur.*
*Ipſæ iam matres, ipſi quibus aſpera quondam*
*Viſa maris facies, & non tolerabile numen* h,
*Ire volunt, omnémque fugæ* i *perferre laborem.*
*Quos bonus Æneas dictis ſolatur amicis:*

*Hum eſt, quaſi tritorium, tritum bobus & aratro.* Idem Varro, Plutarchus aliique teſtantur. Vide ſecundam Philippicam. §. 86. nota 4.

*a* Sortitò diſtribuit loca quibus ædes excitentur.

*b* Gaudet acceſſiſſe regno ſuo nouam ciuitatem,

*c* Indicit conuentum ad diſceptanda negotia, & Senatoribus conuocatis iura præſcribit: de appellatione Patrum vide 2. Philipp. §. 1. Nota 2.

*d* A Luco Idalio inſulæ Cypri Veneri conſecrato.

*e* Vide librum. 8. ad verſum. 598.

*Religione patrum latè ſacer.*——

Porro moris fuit vt lucos, Græci τεμένη apppellant, dijs & heroibus conſecrarent.

*f* Donatus in Phormionem. *In nuptiis ſeptimus dies Inſtaurationem voti habet, vt in funere nouus, quo parentalia concluduntur.*

*g* Placidis ventorum flatibus ita æquata fuit & læuigata maris ſuperficies, vt nulli fluctus in tumorem attollerentur, nulli in lacunas ſubſiderent lib. 8. verſu. 88. Auſter verò ſecundus nauigantibus in Italiam è Sicilia.

*h* Numen ipſius maris videlicet Neptunus, aut Amphitrite, Profectionis.

*Et conſanguineo lacrymans commendat Aceſtæ.*
*Tres Eryci vitulos, & tempeſtatibus agnam*
*Cædere deinde iubet, ſoluique ex ordine* a *funes,*
*Ipſe caput* b *tonſæ foliis euinctus oliuæ,*
*Stans procul in prora pateram tenet, extáque ſalſos*
*Porricit in fluctus* c *ac vina liquentia fundit.*
Nauigatio adornatur. *Proſequitur, taléſque effundit pectore queſtus:*
*Certatim ſocij feriunt mare, & æquora verrunt.*
*Ac Venus intereà Neptunum* e *exercita curis*
*Allòquitur, taléſque effundit pectore queſtus:*
Venus Neptuno. *Iunonis grauis ira, & inexſaturabile pectus,*
*Cogunt me, Neptune, preces deſcendere in omnes:*
*Quam nec longa dies* f, *pietas nec mitigat vlla:*

a Vel quia rerum ordo poſcebat, vt peractis priùs ſacrificijs tum demum funes & nauium retinacula ſoluerentur, vel quia certus erat nauium ordo inter ſe, & primo loco ſoluendus erat funis nauis prætoriæ, deinde cæterarum.

b Æneas ipſe caput habens ramo oleæ ad venuſtatem tonſæ ſiue *comptæ minutis frondibus* redimitum.

c Vide ſupra verſu. 238. Liuius lib. 29. de Scipione. *Cruda exta, cæsâ victimâ vti mos, in mare porricit, tubáque ſignum dedit proficiſcendi.* Procul autem eſt paulo remotiùs à terra, ita tamen vt præ oculis adhuc eſſet eorum qui in littore remanebant.

d Auſter nauigantibus obſecundat, eóſque proſequens à puppi, id eſt à poſteriore nauium parte, naues impellit.

e Commode noſter Cerdanus. Venus inducitur ſollicita de rebus filij imò *exercita*, id eſt vexata curis, fatigata, enecta: ideoque *effundit*, pro nato non verba, vt incaſſum: ſed *queſtus*, quo exprimitur habitus interni doloris, & quia *queſtus*, ideo *e pectore*, vbi altiùs dolor inſederat.

f Iuno tam infeſta eſt Troianis, vt eius pectus nullis Troianorũ malis ſatietur, nulla temporis diuturnitate, nulla Æneæ qui toties ei ſacrificauit (vt lib. 3. verſu. 547.) pietate mitigetur, non cedat imperio Ioui, nulla fati neceſſitate franga-

*Nec Iouis imperio, fatiſue infracta quieſcit.*
*Non media de gente Phrygum exediſſe nefandis*
*Vrbem odiis ſatis eſt, pœnam traxiſſe per omnem*
*Relliquias, Troiæ cineres, atqu oſſa peremptæ*
*Inſequitur, cauſſas tanti* a *ſciat illa furoris.* **Veneris querela.**
*Ipſe mihi nuper Libycis tu teſtis in vndis*
*Quam molem ſubitò excierit:* b *maria omnia cœlo*
*Miſcuit,* c *Æoliis* d *nequicquam* e *freta procellis:*
*In regnis hoc auſa tuis* f.
*Pro ſcelus: ecce etiam Troianis matribus actis* g
*Excuſſit fœdè puppes, & claſſe ſubegit*
*Amiſſa ſocios ignotæ* h *linquere terræ.*

tur. Nec ei ſufficit quòd vrbem in media Phrygia dominantem inde ſuſtulit, expedit, & inſatiabili quodam odio deuorauit, Troianos qui ſuperfuerant vrbis incendio vexauit, miſeréque per omne ſuppliciorum genus traxit atque raptauit: Non, inquam, hæc ſufficiunt ad explendam ſatiandámque eius iram etiam in ciuitatis exciſæ cineres & oſſa ſuam crudelitatem expromit.

*a* Viderit illa quibus de cauſſis tanto furore contra Troianos exarſerit. Nam ego neque ſcio, neque aſſequi coniecturâ poſſim.

*b* Tu mihi teſtis, ô Neptune, quantam anno præterito fluctuum molem, quas procellas in Libyco mari excitarit de hac tempeſtate 1. Æneidos.

*c* Adagium eſt, quod tamen propriè quadrat in hunc locum: vbi de tempeſtate, & fluctibus propemodum ad cœlum elatis agitur.

*d* Ex inſula Æolia ventorum eruptione concitatis. vt fusè lib. 1. deſcribitur.

*e* Seruius. *Vel ſine cauſa, id eſt nulla extante ratione*: vel fruſtra, quia duntaxat vnam nauem amiſerunt Troiani, venti cæteras incolumes in Africam appulerunt.

*f* Hoc adſit inuidiæ exaggerandæ cauſsâ, & vt Neptunum quoque oſtendat à Iunone contemni.

*g* Furore compulſis, redactis ad inſaniam.

*h* Hoc miſerationis potiùs cauſa dictum, quam veritatis,

Precatio.

*Quod ſupereſt oro, liceat dare tuta per vndas*
*Vela tibi,* a *liceat Laurentem* b *attingere Tybrim,*
*Si conceſſa peto: ſi dant ea mœnia* c *Parcæ.*
*Tum Saturnius hæc domitor maris edidit altit:*
*Fas omne eſt, Cytheræa,* d *tuis te fidere regnis,*

Neptuni reſponſio.

*Vnde genus ducis, merui quoque: ſæpè furores*
*Compreſſi, & rabiem tantam cœlique, mariſque:*
*Nec minor in terris (Xanthũ, Simoëntaq;* e *teſtor)*
*Æneæ mihi cura tui. Cùm Troia* f *Achilles*
*Exanimata ſequens impingeret agmina muris,*
*Millia multa daret letho, gemerentque repleti*
*Amnes, nec reperire viam,* g *atque euoluere poſſet*

non enim ignota potuit eſſe Troianis, in qua bis fuerant commorati, vel ignotam appellat quaſi obſcuram & ignobilem Italiæ comparatione, vel denique *ignotam*, quia licet in ea diutiùs hæſiſſent, nullis tamen oraculis eam in perpetuum habitandam eſſe cognouerant.

*a* Non liceat tibi dare vela, ſed liceat Troianis dare tibi vela, id eſt naues mari committere, & ventis expandere.

*b* Qui Laurentinum agrum præterfluit.

*c* Mœnia vrbis Lauinij. De parcis vide lib. 1. verſu 25.

*d* Venus à monte Cythero vbi colebatur. Fas eſt, ô Venus meis regnis te confidere, propter duas maximè rationes altera eſt, quia genus ducis à mari, & è ſanguine Saturni ac ſpuma maris fuiſti procreata. vnde & nomen Ἀφροδίτης Veneris ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, à ſpuma. Altera fiduciæ ratio, quia merui priſtinis beneuolentiæ meæ ſignificationibus vt mihi confideres. Nam ſæpe tempeſtates compreſſi atque ſedaui, quæ fuerant contra Troianos excitatæ.

*e* Fluuios qui Troiam præterfluunt, viderúntque Græcorum & Troianorum certamina.

*f* Cùm Achilles ſequens Troianos eorum agmina metu exanimata Troianis muris impingeret, id eſt tanto impetu propelleret, vt ad ipſos muros alliderentur.

*g* Præ multitudine cadauerum viam in mare reperire, fluctúſque ſuos eluctari non poſſet, Vide autem vt etiam ipſe verſus ſe difficulter euoluat.

*In mare ſe Xanthus, Peleidæ, a tunc ego forti*
*Congreſſum Æneam, nec Diis, nec viribus æquis*
*Nube caua b eripui: cuperem cùm vertere ab imo*
*Structa meis manibus c periuræ mœnia Troiæ:*
*Nūc quoq; mens eadē d perſtat mihi: pelle timores:*
*Tutus quos optas, portus accedet Auerni.*
*Vnus erit e tantum amiſſum quem gurgite quæret.*
*Vnum pro multis dabitur caput.*
*His vbi læta f Deæ permulſit pectora dictis,*
*Iungit equos g curru genitor ſpumantiáque addit* — Mare tranquillat.
*Frena feris, h manibuſque omneis effūdit habenas:*
*Cæruleo per ſumma leuis volat æquora curru.*
*Subſidunt vndæ, i tumidúmque ſub axe tonanti*

*a* Cùm Achille Pelei filio congreſſus eſt Æneas: *nec diis, nec viribus æquis*, Achilles enim fortior. Et Iuno, Minerua, Neptunus, ipſe Iupiter Achillem protegebant: Æneam Mars & Venus.

*b* Vide lib. 10. in verſum 81.

*c* Neptunus & Apollo mœnibus Ilium cinxerant: promiſerat illis Laomedon magnam mercedem, ſed fidem datam periurio violauit. Eam ob rem iratus Neptunus mœnia ſuis manibus conſtructa, & Troiæ, cuius Rex periurus fuerat, circundata funditus euertere cupiebat.

*d* Aeneæ ab omnibus periculis liberandi.

*e* Palinurus, qui paulò poſt, vt dicetur, in mare delapſus eſt.

*f* Vbi Pater Neptunus deæ Veneris pectora demulſit, & ea demulcens læta fecit, ſiue delectatione compleuit.

*g* Equi Neptuno tribuuntur, & ipſe vocatur *ἵππιος equeſter*, putabatúrque ludis conſualibus equeſtribus præſidere.

*h* Vel equis vt lib. 2.

*Inque feri curuam compagibus aluum.*

vel ferocientibus.

*i* Vndæ ſub curru Neptuni complanantur, & æquor quod priùs elatis fluctibus tumeſcebat, æquatur in planitiem ſub axe tonanti, ideſt ſub curru ſonante, & tonitrui ſtrepitum imitante.

*Sternitur equor æquis, fugiunt vaſto æthere nimbi.*
Neptuni comitatus. *Tum variæ comitum facies, immania cete,* a
*Et ſenior Glauci chorus,* b *Inoúſque Palæmon,* c
*Tritonéſque citi, Phorcíque exercitus omnis.*
*Leua* d *tenet Thetis, & Melite, Panopeiaq; virgo,*
*Neſæę, Speióque, Thaleiáque, Cymodocéque.*
*Hîc patris Æneæ ſuſpenſam* e *blanda viciſſim*
*Gaudiá pertentant mentem: iubet ocyus omnes*
Nauigant Troiani. *Attolli malos, intendi brachia velis.*
*Vna omnes fecêre pedem,* f *paritérque ſiniſtros,*
*Nunc dextros ſoluêre ſinus,* g *vnà ardua torquent,*

*a* Balænæ corporis magnitudine immanes.
*b* Enallage pro *chorus* ſiue comitatus Glauci ſenioris, fuit autem piſcator Anthedonius, quem guſtatis quibuſdam herbis in Deum marinum mutatum fuiſſe fabulantur.
*c* Melicertes Thebanus fuit, quem mater Ino complexa deſilijt in mare vterque in deos allectus. Melicertes dictus Palæmon, Ino Leucothea ſiue Matuta. Tritones Neptuni tubicines. Phorcus Thooſæ nymphæ & Neptuni filius. *Vt autē Varro* dicit (verba sũt Seruij) *Rex fuit Corſicæ & Sardiniæ, qui cùm ab Atlante nauali certamine cum magna exercitus parte fuiſſet obrutus finxerunt ſocij eius in Deum marinum fuiſſe conuerſum.*
*d* Commode dijs Neptuni dextram, deabus læuam aſſignat.
*e* Æneas in hac maris tranquillitate lætabatur viciſſim, id eſt poſt dolorem quem è claſſis incendio, & ſuorum ſeparatione perceperat: ita tamen blanda gaudij titillatione ſollicitabatur, vt præſenti fortunæ non plane confideret, ſed ſuſpenſus animo de eius ſtabilitate dubitaret.
*f* Pes, vt ait Seruius, eſt funis quo velum intenditur: vt alij, infima pars veli. Quidquid ſit pes pro ipſo velo, pars pro toto ſumitur. Itaq; facere pedem, idem eſt atque vela fecerunt.
*g* Et omnes pariter nunc dextram, nunc ſiniſtram velorum partem in rugas contractam & replicatam, ſoluerunt, laxauerunt, exſinuarunt, vt iuſſerat Æneas *intendi brachia velis*, id eſt, manum velis admoueri, vel per enallagen vela brachijs intendi, & ad captandam auram explicari.

*Cornua,* a *detorquéntq;:ferunt sua* b *flamina classẽ.*
*Princeps ante omnes densum Palinurus agebat*
*Agmen: ad hunc* c *alij cursum contendere iussi.*
*Iámque ferè mediam cœli nox humida metam*
*Contigerat,* d *placidà laxarant* e *membra quiete* Somnus venit ad Palinurum.
*Sub remis fusi* f *per dura sedilia nautæ:*
*Cùm leuis ætherijs* g *delapsus Somnus ab astris*
*Aëra dimouit tenebrosum,* h *& dispulit umbras*
*Te Palinure petens, tibi tristia somnia* i *portans*

*a* Vna omnes antennarum extremitates siue cornua, in eam partem obuertunt vnde ſpirat ventus. Antenna eſt lignum ſummæ mali parti tranſuerſim alligatum, vnde vela dependent: *vlua* igitur *cornua*, quaſi poſita circa mali faſtigium. Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem. *Nam in antenna, quæ crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur.*

*b* Hæ duæ voces tranquillitatem & nauigationis felicitatem important. *ferunt*, promouent à puppi proſequuntur, lib. 4.

*Expectet facilémque fugam, ventoſque ferentes.*

*Sua*, ſecunda, propitiæ. Horatius.

*Ventis iturus non ſuis.*

Ouidius 1. de remedio.

*Gaudeat & vento nauiget ille ſuo:*

*c* Ad Palinurum.

*d* Vt ſuprà dictum eſt, medium noctis meta dicitur, quia vt fieri ſolet in ludis Circenſibus, cùm nox ad medium peruenerit; videtur curſum retorquere, & quaſi metâ circumacta ad lucem redire.

*e* Proprie, quia neruorum contentio ſopore remittitur & laxatur, vnde quod manu tenetur excidit, ſtatim atque ſopor tenentem inuaſerit.

*f* Tranſtra in quibus ſedere ſolent remiges.

*g* Aſtra nocti dominantur. Somnus nocti ſocius: eam ob rem fingitur ab aſtris deſcendere.

*h* Vt conuerſus in Phorbantis faciem videri poſſet & agnoſci, aërem tenebroſum à ſe remouit, quo circundatus & inuolutus acceſſerat, & circumfuſam caliginem diſſipauit.

*i* Soporem, qui tibi triſtiſſimus erit, tibíque mortis cauſam exhibebit.

*Inſonti, puppique Deus conſedit in alta*
*Phorbanti ſimilis, funditque has ore loquelas:*
Somnus Palinuro. *Iaſide [a] Palinure, ferunt ipſa æquora claſſem:*
*Æquatæ ſpirant auræ: [b] datur hora quieti,*
*Pone caput [c] feſſoſque oculos furare labori.*
*Ipſe ego pauliſper pro te tua munera inibo:*
Palinurus Somno. *Cui vix attollens Palinurus lumina [d] fatur.*
*Méne ſalis [e] placidi vultum, fluctúſque quietos,*
*Ignorare iubes? méne huic confidere monſtro?*
*Æneam credam [f] quid enim fallacibus Auſtris,*
*Et cœli toties deceptus fraude sereni?*
*Talia dicta dabat, clauúmque [g] affixus & hærens*

*a* Fili Iaſi, ipſa æquora ſuâ tranquillitate ferunt claſſem, vt etiam ſi nulla gubernatoris ars adhibeatur, poſſit tamen ſua ſponte, adiuuante maris placiditate, ventis obſecundantibus ad portum peruenire.

*b* Venti tam æquabiliter ſpirant, vt nulla obliquitate vela compleant, & nauigantibus obſecundent.

*c* Demitte caput, & oculos diuturna ſiderum inſpectione fatigatos obiter & quaſi furtim à labore & contentione refice, vt ne ipſa quidem maria ſciant te quieuiſſe: interim pro te vigilabo, tuaſque vices implens nauem gubernabo.

*d* Vix attollens oculos ſomni vicinitate iam grauatos & oppreſſos.

*e* Ironia. O te bellum admonitorem, Phorba, qui me rei nauticæ peritiſſimum iubes præſenti tranquillitati confidere, nec metuere inſidias maris infidi, quod veluti monſtrum ex vna in aliam faciem ſubitò conuertitur, & poſt aliquantulam fluctuum quietem rurſus procellis agitatur. Pulchre Lucretius. *Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti.*

*f* Ego ſcilicet, qui ſum toties ſerenitatis fraude deceptus, Æneam meum principem, ſpémque vnicam Troiani nominis, velim perfidorum ventorum fidei committere.

*g* Ita loquebatur Palinurus & affixus gubernaculo tam firmiter inhærebat vt illud nuſquam è manu dimitteret, & oculos iam numinis præſentia prægrauatos, ne penitus in ſomnum laberentur, cœlo tenebat affixos.

*Nuſquam amittebat, oculóſque ſub aſtra tenebat.*
*Ecce Deus ramum, lethæo rore madentem,*
*Vique ſoporatum Stygia, ſuper vtraque quaſſat* a — *Sopitur.*
*Tempora, cunctantique* b *natantia lumina ſoluit.*
*Vix primos* c *inopina quies laxauerat artus:*
*Et ſuper incumbens,* d *cum puppis parte reuulſa,* — *In mare deturbatur.*
*Cúmque gubernaculo liquidas proiecit in vndas*
*Præcipitem, ac ſocios nequicquam ſæpe vocantem.*
*Ipſe volans tenues ſe ſuſtulit ales in auras.*
*Currit iter tutum non ſecius* e *æquore claſſis*
*Promiſſiſque patri Neptuni interrita fertur.* — *Sirenum ſcopuli.*
*Iamque adeò ſcopulos Sirenum* f *aduecta ſubibat,*

*a* Somnus virgam lethæi fluminis & ſtygiæ paludis aqua madefactam ſuper vtraque Palinuri tempora frequenti agitatione concuſſit, vt ei ſoporem & rerum omnium obliuionem induceret. λήθη obliuio.

*b* Reluctanti Palinuro contra vim ſoporis ingruentem oculos natantes & ſomni vicinitate fluitantes ſoluit & relaxat remiſſa contentione neruorum opticorum.

*c* Præclare noſter Ludouicus de la Cerda. Qui ſunt *artus primi*? Somnus ita ſolet irrepere, vt primum quæ ſunt exteriora in homine relaxet, ac paulatim procedens interiora alliget, & conſtringat. Ergo vt explicet Poëta celerem mortem Palinuri, ait illum lapſum nondum ſomno ſerpente ad interiora animæ, ſed primos tantùm artus occupante, vel eſt enallage. vix prima quies laxauerat artus inopinos, quos videlicet ſomnus inopinatò fuerat aggreſſus.

*d* Tum ſomnus ſuper Palinurum incumbens eum præcipitauit in vndas liquidas & immotas, deinde auolauit.

*e* Nihilo tamen minùs claſſis ſecura nauigat perinde ac ſi gubernatorem non amiſiſſet.

*f* Sirenes dicuntur in quadam inſula iuxta Neapolin habitaſſe, quæ præter nauigantes cantûs ſuauitate allectos trahebant in naufragia. Has Vlyſſes contemnendo deduxit ad mortem. Difficiles itaque olim, ante Vlyſſis aduentum, erant illi ſcopuli, vt iudicium erat ab oſſibus miſerorum: Cùm au-

Æneas ſuccedit Palinuro.

*Difficiles quondam multorúmque oſsibus albos:*
*Tum rauca aſsiduo longè ſale ſaxa ſonabant,*
*Cum pater* a *amiſſo fluitantem errare magiſtro* b
*Senſit, & ipſe ratem nocturnis rexit in vndis,*
*Multa gemens, casúque animum concuſſus amici:*
*O nimiùm,* c *cœlo, & pelago confiſe ſereno*
*Nudus* d *in ignota, Palinure, iacebis arena.*

tem prætvery nauigauit Æneas, ſublatis Sirenibus priſtinæ cantus ſuauitati raucus vndarum fremitus ſucceſſerat, & ſaxa marinis fluctibus aſſiduè verberata reſonabant.

*a* Æneas.

*b* Gubernatore Palinuro.

*c* Verba ſunt Æneæ, vt conſtat ex initio libri ſequentis.

*d* Inſepultus.

*F I N I S.*

# PVB. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

## LIBER VI.

### MODESTINI IVRISCONSVLTI in ſextum Æneidos Librum.

### *ARGVMENTVM.*

Cumas deinde venit, fert hinc reſponſa Sibyllæ.
Miſenum ſepelit : mons ſeruat nomen humati.
Ramum etiam diuûm placato numine portat,
Et vates longæua vnà deſcendit Auernum,
Agnoſcit Palinurum, & ibi ſolatur Eliſam,
Deiphobúmque videt lacerum crudeliter ora.
Vmbrarum pœnas diſcit, narrante Sybilla.
Conuenit Anchiſen penitùs in valle virenti,
Agnoſcit que ſuam prolem, monſtrante parente.
Hæc vbi percepit, graditur, ſociósque reuiſit.

S*IC fatur lacrymans*, a *claſſique immittit habenas* b,
*Et tandem* c *Euboicis* d *Cumarum allabitur* e *oris*.

*a* Aeneas ita loquitur lacrymans & deplorans mortē Palinuri.
*b* A re equeſtri ducta tranſlatio. Laxat, inquit, & excutit rudentes ad explicanda vela, & auram captandam: vel, vt alij malunt, Naui ſuæ nouum gubernaculum immittit, loco prioris, quod ſecum traxerat Palinurus in mare delabens.
*c* Hanc particulam vel ad Aeneæ deſiderium retulit, iampridem ad Italiam venire cupientis, vel ait *tandem*, quia iam à ſeptem annis Aeneas nauigationem occœperat.
*d* Chalcis inſulæ Eubœæ ciuitas, ex qua profecti Cumarum conditores in Italiam appulſi ſunt.
*e* Secundo & tranquillo curſu ad littus Cumarum appellitur

*Obuertunt pelago proras* a *: tum dente* b *tenaci*
*Anchora fundabat naueis, & littora curuæ*
*Prætexunt puppes, iuuenũ* c *manus emicat* d *ardẽs.*
*Troianorum appulſus ad Italiam.* *Littus in Heſperium: quærit pars ſemina flãmæ*
*Abſtruſa in venis ſilicis* e *, pars denſa ferarum*
*Tecta rapit, ſyluas,* f *inuentaque flumina monſtrat.*
*At pius Æneas arces* g *, quibus altus Apollo*
*Præſidet, horrendæque* h *procul ſecreta Sibyllæ*

*a* Prora eſt anterior pars nauis, quæ proinde terræ vicinior eſt, cùm nauis ad portum accedit: puppis autem, quæ pars eſt poſterior, etiam remotior eſt à terra,& mari,quòd à tergo relictum eſt, vicinior. Iam nautæ nauibus appulſis, proram in pelagus,puppem in littus obuertunt, vt paratior ſit nauis, cùm fuerit denuo nauigandum. Quod hoc loco ita Troiani præſtiterunt, vt nauibus anchora, & veluti quodam fundamento ſtabilitis, puppes in currum diſpoſitæ flexuoſam portus in arcum ſinuati curuitatem prætexerent, proræ in mare verterentur.

*b* Lib. 1. —*Vnco non alligat anchora morſu.*

*c* Plerique iuuenes erant, ſenes enim cum matronis in Sicilia conſederant.

*d* E nauibus exilit in littus Italicum.

*e* Alij ad ignem excitandum, ſilicem ſilice collidunt, vt ex illo conflictu extundant & educant ſcintillas, quas natura in imas ſilicum venas abſtruſerat, ſiue abſconderat.

*f* Alij eunt lignatum, & tantam vim lignorum tam celeriter afferunt, vt ipſas ſyluas, quæ ſunt ferarum latibula, rapere videantur: & ſociis ſuis monſtrant flumina, fontes & aquarum ſcaturigines, quas quærendo inuenerint.

*g* Cæteris res corporis curantibus, Æneas, vt erat pius & religioſus, petit templum Apollinis in arce Cumana, & alto montis faſtigio conſtitutum, vnde & altus Apollo dicitur.

*h* Æneas petit penetralia Sibyllæ procul ſecreta & remota, in ingenti antro in magnam cauitatem extenſo, *horrendæ* tam venerabilis, vt accedentes ſacro quodam horrore, & religione perfunderet.

*Antrum immane petit: magnam cui mentem, animúmque* a
*Delius* b *inſpirat vates, aperitque futura.* Sibylla.
*Iam ſubeunt Triuiæ* c *lucos, atque aurea tecta.*
*Dædalus* d *(vt fama eſt) fugiens Minoia* e *regna,*

a De mentis & animi diſtinctione, vide dicta in ſecundam Philippicam, parag. 33 nota 3.

b Apollo futurorum præſcius: cui Delos inſula conſecrata.

c Dianæ quæ in triuiis & compitis adorabatur.

d Phaſiphaë ſolis filia taurum adamauit. Dædalus ligneum finxit vaccæ ſimulacrum, & bubulo corio contexit, vt eo incluſa Paſiphaë tauro iungeretur: natus inde Minotaurus, quem *Semibouemque virum, ſemiuirúmque bouem* fuiſſe fabulantur. Dædalus labyrinthum exſtruxit, vt eius inextricabilibus flexibus Minotaurum includeret. Interim proficiſcitur Androgeos Minoïs filius Athenas, & ab Athenienſibus occiditur. Minos eis bellum indicit, & ea conditione pacem victis concedit, vt quotannis ſeptem è liberis ſuis ſorte ductos in Cretam ſubmittant à Minotauro deuorandos. Theſeus ſponte ſe offert, proficiſcitur in Cretam: Ariadne Minoïs filia amore Theſei capta, cùm videret fore vt Theſeus, etiam ſi Minotaurum occideret, tamen in illis labyrinthi flexibus & ambagibus hæreret, à Dædalo edocta dat Theſeo glomum fili, monétque vti per inexpicabiles illos viarum flexus & recurſus iter faciens, illum fili glomum euoluat, & rediturus, necato Minotauro, filum colligat ſequatúrque relegens eadem ſua veſtigia. Ingreditur Theſeus, pugnat, vincit, euadit. Iratus Minos Dædalum in carcerem includit. Ille ſibi & Icaro filio fingit alas &, cerâ compingit. Vterque aëri ſe committit, ſed Icarus dum altiùs volare contendit, alis calore reſolutis in mare delabitur: inde maris Icarij nomen: Dædalus ad Italiam peruenit, & iuxta Cumas primùm à volatu requieſcit ibi conſecrat alas Apollini, templum exſtruit, in templi foribus rei geſtæ ſeriem effingit.

e Cretam, vbi regnauit Minos filius Iouis & Europæ.

*Præpetibus* a *pennis auſus ſe credere* b *cælo,*

Dædalus. *Inſuetum per iter gelidas euanit* c *ad Arctos* d;

Templum Cumanū. *Chalcidicáque* e *leuis tandem ſuper adſtitit arce.*

*Redditus* f *his primùm terris, tibi Phœbe ſacrauit*

*Remigium* g *alarum, poſuitque immania* h *templa:*

a Vel velocibus, vel, vt exponit Gellius contra Hyginum lib.6.cap 6.Noctium Atticarum. *Quoniam non ipſæ tãtum aues quæ proſperiùs volant, ſed etiam loci, quos capiunt, quòd idonei feliceſque ſunt, præpetes appellãtur, idcirco Dædali pennas præpetes dixit, quoniam ex illis locis, in quibus periculũ metuebat in locatutiora peruenerat.* Hæc Gellius, quæ Seruius verbatim exſcripſit. Adde quòd aues præpetes, ſunt aues felicis augurij, quas etiamſi ſiniſtras vocabant, quòd ad auguria captantis ſiniſtram apparerent. Augur autem conuerſus erat ad orientem, ac proinde ſeptentrionem habebat ad ſiniſtram. (Vide dicta in librum 2. verſu 693.) Præpetes igitur, ſiue felicis augurij fuerunt alæ Dædali, quia *gelidas enauit ad arctos*, id eſt, verſus Sẽptentrionem volauit, vt in Boreali regione ſedem caperet, quæ ſiniſtra eſt ortum ſpectantibus.

b Bene *ſe credere*, ſe committere aëri; tum propter periculum decidendi, tum propter rei nouitatem & inſolentiam, ſic Horatius lib 11.

*Expertus vacuum Dædalus aëra.*
*Pennis non homini datis.*

c Hac tranſlatione, & alterâ, *remigio alarum*, innuit hiſtoriæ veritatem, reuera enim Dædalus non volauit ad Italiam, ſed nauigauit.

d Ad ſeptentrionem, ſiue ad polum arcticum. Duæ ſunt circa polum conſtellationes quæ ἄρκτοι. j. vrſæ vocantur. Vrſa maior quæ Helice, Vrſa minor quæ & Cynoſura. Iam Italia reſpectu Cretæ ſeptentrionalis eſt regio: quare Dædalus è Creta petens Italiam dicitur, *ad Arctos*, ſiue ad ſeptentrionalem mundi plagam volare.

e Cumanâ Velleius lib.1. *Chalcidenſes orti Atticis, Hippocle & Megaſthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Huius claſſis curſum eſſe directum, alij columbæ antecedentis volatu dicunt, alij nocturno æris ſono, qualis Cerealibus ſacris cieri ſolet.*

f Ex alieno elemento, videlicet aëre in ſuum elementum reſtitutus. g Lucretius lib. 6.

*Remigii oblitæ pennarum vela remittunt.*

1. Æneidos. *Remigio alarum.*

h Ingentia, vt lib. 4. verſu 199.

*In foribus, lethum Androgeo:* a *tum pendere pœnas*
*Cecropidæ iuſſi ( miſerum ) ſeptena quotannis*
*Corpora natorum, ſtat ductis ſortibus vrna* b.
*Contra elata mari reſpondet* c *Gnoſia tellus:*
*Hîc crudelis* d *amor tauri, ſuppoſtáque furto* Paſiphaë
*Paſiphaë, miſtúmque genus, proléſque biformis*
*Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.*
*Hîc labor ille domus* e, *& inextricabilis error.* Minotaurus.
*Magnum reginæ* f *ſed enim miſeratus amorem*
*Dædalus, ipſe* g *dolos tecti, ambagéſque reſoluit,*

*a* In foribus illius templi depictum erat & figuris expreſſum, quo pacto Androgeos Minoïs filius ab Athenienſibus fuerit occiſus, & Athenienſes ( quos à Cecrope, Rege Cecropidas appellat ) pro ſcelere iuſſi fuerint pœnas exſoluere.

*b* In illis foribus ſculpta erat vrna, ſiue ſitula, ea qua ſortitò educta fuerant eorum nomina, qui mittendi erant in Cretam à Minotauro deuorandi.

*c* In altera forium parte ſculpta erat inſula Creta inter fluctus eminens; & Athenis è regione reſpondens, dicitur Gnoſia à Gnoſo Cretæ ciuitate.

*d* In ipſa Creta in foribus templi cælata, ſculptum fuerat quo pacto Paſiphaë crudeli amoris vulnere ſauciata, tauro quem efflictim deperibat, ſuppoſita fuerit per furtum & fraudem, latens in vaccæ ligneæ ſimulacro: & ita mixtum fuerit genus humanum cum natura belluina, natáque fuerit inde proles biformis, ſiue monſtrum ex hominis & bouis natura conflatum, id eſt, Minotaurus, cuius productio fuit effectus & monumentum amoris illius nefarij.

*e* In eadem Cretæ cælatura erat labyrinthus ille nobilis variis viarum in ſe recurrentium flexibus & ambagibus implicatus, ( de quo lib. 5. verſu 588. ) è quibus flexibus extricare & expedire ſe non poterant, qui ſemel fuerant ingreſſi.

*f* Ariadnes filiæ Minois Regis Cretenſium; quæ vt primùm vidit Theſeum, eius amore ſic exarſit, vt eum magnopere doleret in labyrinthum ingredi, ſalutémque ſuam in apertum diſcrimen promouere.

*g* Emphaſis, ipſe ille artifex qui labyrinthum exſtruxerat,

*Cæca regens filo veſtigia, tu quoque magnam*
*Partem opere in tanto (ſineret dolor) Icare haberes.*
Icarus. *Bis conatus erat caſus effingere in auro,*
*Bis patriæ* a *cecidêre manus; quin protinus omnia*
*Perlegerent oculis: ni iam præmiſſus Achates*
*Afforet, atque vnà Phœbi, Triuiæque ſacerdos,*
Deiphobe *Deiphobe Glauci, fatur quæ talia Regi.* b
Æneæ. *Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit;*
*Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos*
*Præſtiterit, totidem lectas* c *de more bidentes.*
*Talibus affata Aenean (nec ſacra morantur*
*Iuſſa viri.) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.*
Antrum *Excisum Euboïcæ* d *latus ingens rupis in antrum.*
Sibyllæ. *Quo lati ducunt aditus centum, oſtia* e *centum,*
*Vnde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.*
*Ventum erat ad limen, cùm virgo, poſcere fata*
*Tempus ait: Deus ecce, Deus,* f *cui talia fanti*
*Ante fores* g *ſubitò non vultus, non color vnus,*

*dolos ambageſque*, primò ambages doloſas & fraudulentas, extricat & reſoluit, monens vt Theſeo filum daret, ad relegenda ſua veſtigia. *cæca* appellat, quaſi obſeruatu difficilia, de filo Ariadnes Ouidius. *Fila per adductas ſæpe recepta manus.*

*a* Dædali patris.

*b* Quidam hoc hemiſtichium vt ſuperfluum ſuſtulerunt. *Glauci* autem ſupple filia.

*c* Vide librum 4. verſu 56. cùm autem ait, *grege de intacto*, vult dicere iuuencos iugi expertes & indomitos eſſe immolandos.

*d* Cumanæ, Vide ſuprà, verſu 2.

*e* Vitruuius apud Seruium, *Oſtium dicit per quod ab aliquo arcemur ingreſſu, ab obſtando* (lege ab obſtando) dictum: *aditum ab eundo per quem ingredimur.*

*f* Apollo Sibyllam inſtigaturus appropinquat.

*g* Sibyllæ talia dicenti, ita vultus repentè mutatus eſt, vt in

*Non compta manſere comæ, ſed pectus anhelum,* Sibylla
*Et rabie fera corda tument, maiorque videri,* ab Apol-
*Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando* line in-
*Iam propiore Dei. Ceſſas in vota, a precéſque* ſtincta
*Tros, ait, Ænea? ceſſas? nec enim antè dehiſcent*
*Attonitæ magna ora domus.* b, *& talia fata*
*Conticuit. gelidus* c *Teucris per dura* d *cucurrit*
*Oſſa tremor, fuditque preces Rex* e *pectore ab imo.*
*Phœbe graues Troiæ ſemper miſerate labores*
*Dardana qui Paridis direxti* f *tela, manúſque*

varios colores verteretur, & crines qui priùs compti compoſitique fuerant, horreſcerent, pectus anhelaret, cur furore, ſiue diuino inſtinctum afflatu tumeſceret, ipſa deníque ſolito maior videretur, vt propiùs furore Apollinis afflata eſt. *Nondũ ten, plena,* inquit Seruius, *ſed afflatu vicinitate numinis.* Porrò moris fuiſſe, vt dæmon ſpectantium oculis illuderet, & diuinantium ſpeciem humanâ ſtaturâ maiorem exhiberet, conſtat ex Seneca in Agamemnone.

*Nunc leuat in auras altior ſolito caput, Graditúque celſa.*

a Tardus es ad vota nuncupanda, precéſque fundendas.

b Per domum attonitam, vel Sibyllæ antrum, vel inferos ipſos intelligit. Non enim priùs, inquit, aperientur oſtia illius domus, quàm tu vota, precéſque conceperis. Attonitam vocat, vel quia venientes reddit attonitos, ſiue. ἐνθουσιῶντας & ſacro quodam horrore perfundit; vel quia antrum Sibyllæ vocibus per centum oſtia ruentibus, inferorum verò ſedes diris damnatorum fremitibus attonatur, & quaſi tonitru quodam remugit.

c Timentibus ſanguis è cæteris corporis partibus ad pectus confluit, & circa cor conglobatur, vnde cæteræ partes frigent, tremunt, pallent ſanguine deſtitutæ.

d Laboribus aſſueta: magnus itaque fuit horror, qui Troianos tot exantlatis ante cladibus obfirmatos & obduratos perculſit

e Æneas non tantùm labris, vt aiunt, primoribus orauit, ſed ex intimo corde preces effudit.

f Direxiſti telum à Paride Troiano coniectum in eam partem corporis quæ vulneri patebat, quo Achilles filius Pelei

*Aeneæ preces.*

*Corpus in Æacidæ : magnas obeuntia* a *terras*
*Tot maria intraui duce te* b *penituſque repoſtas*
*Maſſylûm gentes* c *prætentaque Syrtibus* d *arua:*
*Iam tandem* e *Italiæ fugientis prendimus oras.*
*Hac Troiana tenus* f *fuerit fortuna ſecuta.*
*Vos quoque Pergameæ iam fas eſt parcere genti*
*Dîque, Deæque* g *omnes, quibus obſtitit Ilium, & ingens*
*Gloria Dardaniæ, túque, ô ſanctiſſima vates.*
*Præſcia venturi* h, *da* i *( non indebita poſco*
*Regna meis fatis ) Latio conſidere Teucros,*

nepos Æaci fuit interemptus. Achilles autem, vt eſt in fabulis, à Thetide matre tinctus in Styge palude toto corpore inuulnerabilis fuit, excepta parte qua tenebatur: *Dardanæ autem*, inquit Seruius, *ideò, vt non adultero, ſed genti præſtitiſſe videatur.*

a Obire eſt circuire. vnde Seruius & Cerdanus hic Oceanum terras cingentem intelligunt. Verùm id dici non poteſt. Neque enim Æneas in Oceano, ſed in mari mediterraneo nauigauit. Quid obire terras dicitur, quod eas alluat, ſéque in diuerſas terras per varios tractus infundat.

b Tuis compulſus oraculis.

c Africæ populos longè diſſitos & remotos.

d Illas Africæ regiones, quibus duæ Syrtes prætenduntur. vide 1. Æneidos v. 115.

e Tandem poſt ſeptennij nauigationem peruenimus ad Italiam, quæ tam difficilis inuentu fuit, vt à nobis fugere videretur lib. 5. *Italiam ſequimur fugientem, & voluimur vndis*

f Oro te, ô Apollo, vt hactenus, id eſt, vſque ad hunc diem mala fortuna Troianorum, & labores Troianis deſtinati nos fuerint inſecuti, & ab ijs tandem aliquando reſpiremus.

g Neptunus, Vulcanus, Iuno, Minerua, qui Troianis fuiſtis inimici.

h Sibylla futura præſagiens.

i Sibyllam cum deorum immortalitate coniungit, quaſi non ſolùm penes eam ſit futura prædicere, ſed etiam præſtare vt eueniant quæ prædixerint: ſic enim interpretari malo quàm cum alijs *da*, id eſt, *dic.*

*Errantéſque Deos, agitataque numina Troiæ.*
*Tum* a *Phœbo, & Triuiæ ſolido de marmore templa*
*Inſtituam, feſtoſque dies* b *de nomine Phœbi.*
*Tequoque magna manent regnis penetralia noſtris.*
*Hic ego namque tuas ſortes, arcanaque fata*
*Dicta meæ genti ponam: lectóſque ſacrabo*
*Alma viros: folijs* c *tantùm ne carmina manda,*
*Ne turbata volent rapidis ludibria ventis,*
*Ipſa canas, oro, finem dedit ore* d *loquendi.* Furor Sibyllæ.
*At Phœbi nondum patiens immanis in antro*
*Bacchatur vates* e*: magnum ſi pectore poſſit*

*a* Cùm in Italia conſedero.

*b* Non Æneas quidem, ſed eius poſteri ea præſtiterunt, quæ hîc in poſterorum ſuorum perſona ſe facturum eſſe pollicetur. Nam Auguſtus, vt è Suetonio patet, Apollinis Palatini templum excitauit, & carmina Sibyllæ, quibus arcana populi Romani fata cõtinebantur, *condidit duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.* Ludi Apollinares bello Punico ſecundo ſunt inſtituti. Quindecim viri librorum Sibyllinorum cuſtodes. De ludis vide 2. Philipp. §. 21. nota 8. De ſortibus dictum nonnihil ad 4. Aeneidos. *Nunc Lyciæ ſortes.* Cerdanus hoc loco. *Erant ſortes taleolæ aut ſurculi è ligno quibus litteræ quædam aut notæ erant inſculptæ ad diuinandum. ipſæ teniis & vittis quibuſdam inuolutæ aſſeruabantur.*

*c* Vnum rogo dumtaxat, vt tu ipſa loquaris, nec tuas vaticinationes folijs inſcribas, ne ſubito venti impetu diſſipentur, vide lib. 3. à verſu 440. ad 452.

*d* Fortaſſe ſuperfluum non eſt quod *ore*, quaſi dicat, finiuit quidem preces quas ore proferebat, ſed non finiuit preces & vota quæ mente conceperat. Vel, vt ait Seruius, *definiuit ei vt ore loqueretur, nec in foliis ſcriberet.*

*e* Initio cùm Apollo in Sibyllam ſe immitteret, necdum penitus eam poſſideret, reluctabatur Sibylla, necdum patiens erat Phœbi, ſed conabatur eum excutere, vt equus ſeſſorem, ſed Phœbus, inſtar equitis calcar admouentis & habenas moderantis, eam eò magis fatigabat, quò magis reluctabatur, domabat, premebat, fingebat, & ita componebat, vt illius ore ad edendum oraculum vteretur.

*Excuſſiſſe Deum, tantò magis ille fatigat*
*Os rabidum fera corda domans, fingitq; premendo,*
*Oſtia iamque domûs* a *patuêre ingentia centum*
*Sponte ſua, vatiſque ferunt reſponſa per auras.*
Vaticinium. *O tandem magnis pelagi defuncte periclis,*
*Sed terra grauiora manent: in regna Lauini*
*Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam)*
*Sed non & veniſſe volent* b *: bella horrida, bella,*
*Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.* c
*Non Simoys tibi, nec Xanthus* d*, nec Dorica caſtra*
*Defuerint: alius Latio iam partus Achilles* e
*Natus & ipſe Dea: nec Teucris addita* f *Iuno*
*Vſquam aberit: cùm tu ſupplex in rebus egenis,*
*Quas gentes Italûm, aut quas non oraueris vrbes* g*?*
*Cauſſa mali tanti coniux iterum hoſpita Teucris* h*,*

*a* Antri in quo Sibylla vaticinabatur.

*b* Tot cladibus afflictabuntur in Italia, vt dolituri ſint, quòd ad Italiam peruenerint.

*c* Hæc tam certò & determinatè futura præuideo, vt quaſi præſentia iam nunc oculis videar intueri.

*d* Quemadmodum bello Troiano Xanthum & Simoënta cadaueribus plenos vidiſti, ita cùm ad Italiam perueneris, Tybrim & Numicium videbis cæſorum corporibus oppletos, & exercitum Latinorum non deteriorem Græcorum exercitu.

*e* Notus eſt in Italia Turnus, qui non inferior Achille futurus eſt, nec ei ſiue Troianorum odio, ſiue bellica virtute concederet: filius deæ Veniliæ, ſicut Achilles deæ Thetidis.

*f* Infeſta & veluti affixa, vt exponit Macrobius ex Lucilio lib. 14. Satyr.

*Si mihi non Prætor ſiet additus. atque agitet me.*

vel dicitur *addita* quaſi ſuperimpoſita, quòd ad cæteros Troianorum hoſtes acceſſerat.

*g* Auxilium à duodecim Hetruriæ populis implorauit Æneas.

*h* Inter Rutulos & Troianos bellum exarſit propter Lauiniam, quam Latinus Æneæ promiſerat, cúmque ad iungen-

*Externique iterum thalami.*
*Tu ne cede malis: ſed contra audentior ito,*
*Quàm tua te fortuna ſinet* a *via prima ſalutis.*
*Quod minimè reris, Graja pandetur ab vrbe* b.
*Talibus ex adyto* c *dictis Cumæa Sibylla*
*Horrendas canit ambages* d, *antróque remugit,*
*Obſcuris vera inuoluens, ea frena furenti*
*Concutit* e, *& ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.*
*Vt primùm ceſſit furor, & rabida ora quierunt:*
*Incipit Æneas heros* f: *non vlla laborum* *Æneæ*
*O virgo noua mî facies, inopináve ſurgit;* *reſpõſio.*
*Omnia præcepi,* g *atque animo mecum ante peregi.*

dum hoſpitii fœdus aduocarat, vt dicitur lib. ſequenti. Cauſſa igitur mali fuit Lauinia, quia propter eam bellum conflatum eſt: ſicut propter Helenam Menali coniugem ab Alexandro Paride raptam bellum Troianum exarſerat.

*a* Ito contra mala, aduerſámque fortunam, eique obſiſte maiore animo & fiducia, quàm illa permittet, ſiue fortunam virtute ſuperato.

*b* Ab vrbe Pallantæo, quam Euander & Arcades cum eo è Græcia profecti in Italia condiderunt, prima ſalutis aperietur via; quia Euander quadringentos equites dedit Æneæ, eumque miſit ad Etruriam, vt auxilium à Tarchonte poſtularet, Æneas autem minimè rebatur id futurum, cùm putaret omnes Græcos à Troianis capitali odio diſſidere.

*c* Ex intimo penetrali.

*d* Oracula reddit várijs verborum ambagibus implexa, quibus horrendæ periculorum minæ continentur, & obſcuritate quadam tegit futurorum euentuum veritatem.

*e* Redit ad ſuperiorem allegoriam equi & ſeſſoris, qua Sibylla cum equo, Apollo cum equite comparatur.

*f* Signate, *heros* fortis & generoſus ſupra communem virtutis humanæ modum, quippe qui nullis minis terreatur.

*g* Omnia pericula quæ hominibus in vita contingere poſſunt animo proſpexi, & ad ea fortiter toleranda me comparaui. Seneca Hippolyto.

*Non imparatum pectus ærumnis gero*

*Vnum oro ( quando hîc inferni* a *janua Regis*
*Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo )*
*Ire ad conſpectum chari genitoris* b *& ora*
*Contingat : doceas iter ,* & c *ſacra oſtia pandas.*
*Illum* d *ego per flammas, & mille ſequentia tela*
*Eripui his humeris, medióque ex hoſte recepi:*
*Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,*
*Atque omnes pelagique minas, cælique ferebat*
*Inualidus , vires vltra, ſortémque ſenectæ.*
*Quin, vt te ſupplex peterem, & tua limina adirem*
*Idem* e *orans mandata dabat , natique, patriſque,*
*Alma precor miſerere , potes namque omnia: nec te*
*Nequicquam* f *lucis Hecate præfecit Auernis.*
*Si potuit manes arceſſere coniugis Orpheus*
*Threicia* g *fretus cithara fidibúſque canoris:*
*Si fratrem Pollux* h *alterna morte redemit,*

*Argumentum ab occaſione.* — *Ab honeſta.* — *A neceſſario.* — *Ab exempli, ſiue A comparatis.*

*a* Quoniam hoc loco dicitur eſſe ianua Plutonis Regis inferorum : & palus Acheruſia, quæ efficitur ex refuſione Acherontis , vel potiùs Lucrinum lacum intelligit, quem ait naſci ex Acherontis æſtuario.

*b* Anchiſæ.

*c* Vel venerabilia & Diti conſecrata , vel dira & execranda.

*d* Patrem Anchiſen. vide lib. 2. exeuntem.

*e* Pater meus Anchiſes. lib. 5. à verſu 732.

*f* Nec fruſtra, Diana , quæ ἀπὸ τοῦ ἑκὰς βάλλειν , *à longe iaculando* Hecate vocatur , te præfecit, & ſacerdotem inſtituit lucis Auerni.

*g* Orpheus Calliopes filius, Eurydicen vxorem ſuam ab inferis euocauit. Vide fusè 4 Georg. ſub finem.

*h* Thracius enim erat Orpheus.

*i* Si Pollux Helenæ frater , Iouis & Ledæ filius , fratri ſuo Caſtori immortalitatem impertiit , ea conditione, vt alternis viuerent, alternis morerentur , iiſque permiſſum eſt toties per eandem inferorum viam ire & redire , mihi negari non debet ingreſſus inferorum.

*Itque, reditque viam toties, quid Theſea? magnum*
*Quid memorem Alciden* a, *& mî genus ab Ioue ſummo.*
*Talibus orabat dictis, aráſque tenebat.*
*Tum ſic orſa loqui vates. Sate ſanguine* b *diuûm*
*Tros Anchiſiade, facilis deſcenſus Auerni:*
*Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:*
*Sed reuocare gradum ſuperáſque euadere ad auras,*
*Hoc opus, hic labor eſt, pauci quos æquus amauit*
*Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,*
*Dis geniti potuêre, tenent media omnia ſyluæ,*
*Cocytúſque* c *ſinu labens circumfluit atro.*
*Quòd ſi tantus amor, menti ſi tanta cupido eſt*
*Bis* d *Stygios innare lacus, bis nigra videre*
*Tartara* e, *& inſano iuuat indulgere labori:*
*Accipe quæ peragenda priùs: latet arbore opacâ*

Facilis deſcenſus Auerni.

Sed reditus difficilis

*a* Theſeus & Hercules inferos petierunt: ille vt Proſerpinam caperet, hic vt cerberum educeret. Quare igitur non potero ad inferos deſcendere, vt patrem alloquar, cùm præſertim Veneris ſim filius, Iouis nepos, vt Hercules, Iouis filius fuit. Theſeus Neptuni?

*b* Commodè vt notat Seruius, inde Sibylla ducit exordium, vbi finierat Æneas.

*c* Fluuius inferorum ἀπὸ τοῦ κωκύειν *lamentari* vt Styx ἀπὸ τοῦ στυγεῖν odiſſe. *Acheron* ἄνευ χαρᾶς ſinè gaudio, ἔρεβος obſcurus τάρταρος quaſi *tremor*.

*d* Semel in vita, iterum poſt mortem, nam etſi Aeneas poſt mortem erat in Deos referendus, tamen eius vmbra debebat ad inferos deſcendere. vide dicta libro 4.

*e* Homerus Odyſſ. 12. verſu 387.

ὀχέθλιοι οἱ ζώοντες ὑπήλθετε δῶμ' Ἀΐδαο
διθάνεες, ὅτε τ' ἀντοιάπαξ θνήσκουσ' ἀνθρώποι.
*O miſeri, vini qui deſcendiſtis ad Orcum.*
*Bis morte extincti, reliquos quando vna manet mors.*

*Sedibus* a *nunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro*
*Duc nigras pecudes, ea prima piacula* b *ſunto.*
*Sic demum lucos Stygios, regna inuia viuis*
*Aſpicies, dixit, preſſóque obmutuit ore.*
*Æneas mæſto defixus lumina* c *vultu*
*Ingreditur,* d *linquens antrum, cæcóſque* e *voluntat*
*Euentus animo ſecum: cui fidus Achates*
*It comes, & paribus curis veſtigia figit* f.
*Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant:*
*Quem ſocium exanimum vates, quod corpus humandum*
*Diceret, atque illi* g *Miſenum in littore ſicco,*
*Vt venêre, vident indigna* h *morte peremptum,*
*Miſenum Æoliden* i, *quo non præſtantior alter*

*a* Hunc amicum tuum exanimem, ex alieno elemento (videlicet è mari, in quo demerſus eſt) refer in terram, quæ eſt propria ſedes hominum, eúmque iniectâ terrâ ſepelito. Vel potiùs, quia paulo poſt inuentum dicet in ſicco littore, ſenſus eſt, eum conde ſepulchro, quod eſt propria ſedes mortuorum.

*b* Vel ad expiandam claſſem funere Miſeni pollutam (de qua funeſtarum familiarum expiatione pluribus in Miloniana, parag. 66.) ea ſacrificia ſint omnium prima & efficaciſſima, vel ad placandos manes antequàm ad inferos deſcendas.

*c* Tenens oculos vno defixos obtutu.

*d* Hìc *ingred.*, ſignificat, non intrare ſiue introgredi, ſed ambulare & incedere.

*e* Incertos vaticinationis euentus tacitus apud ſe conſiderat.

*f* Crebro conſiſtit cogitabundus, hærétque fixis in terra veſtigiis.

*g* Æneas & Achates.

*h* Quia ipſe indignus erat, quæ meritis eius non congruebat. Vel indigna mors erat in aquis, quod, vt putabant, elementi contrarietate, animas ipſas extingueret. Vide Piſonianam parag. 44. Nota 2.

i Æoli vel filium, vel nepotem.

*Fraxineæque trabes cuneis & fiſſile robur* *Ligna ſcinduntur ad pyram funebrem.*
*Sciuditur: aduoluunt ingentes montibus ornos.*
*Nec non Æneas opera inter talia primus*
*Hortatur ſocios, paribûſque accingitur armis,* a
*Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat,*
*Adſpectãs ſyluam immenſam & ſic ore* b *precatur:*
*Si* c *nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus*
*Oſtendat nemore in tanto, quando omnia verè*
*Heu nimiùm de te vates, Miſene, locuta eſt.*
*Vix ea fatus erat: geminæ cum fortè* d *columbæ* *Columbæ geminæ ſe dans in conſpectum.*
*Ipſa ſub ora viri* e *cælo venêre volantes:*
*Et viridi ſedêre ſolo, tum maximus heros*
*Maternas* f *agnoſcit aues, lætúſque precatur:*
*Eſte duces, ô ſi qua via eſt, curſúmq; per auras,*
*Dirigite in lucos, vbi pinguem diues opacat*

nius lib. 16. cap. 10. eſt *feralis arbor, & funebri indicio ad fores poſita*: ilex autem & robur ſunt ſpecies quercus.

a Inſtrumentis, vt —*Cerealiáque arma Expediunt.* ſecures igitur Poëta intelligit.

b Non redundat *ore*: ſuperioribus enim opponitur *corde volutat, ore precatur.*

c Optantis eſt. O vtinam ſe nobis oſtendat ille ramus aureus à Sibylla prædictus, qui latet in arbore opaca, & tam denſo nemore circundatur, vt vix inueniri poſſit: quem tamen repertum iri non deſpero: inſinuauit enim Sibylla fore vt mihi ramus appareat, quam nimis veracem eſſe cognoui meo ipſius diſpendio, & morte Miſeni.

d Notat Seruius auguriorum aliud eſſe oblatiuum; aliud impetratiuum. Oblatiua quæ non poſcuntur, ſed fortuitò contingunt: impetratiua quæ optata veniunt, hic ergo quia oblatiuum eſt dicit *fortè*.

Idem Seruius: *Peritè ne ſi longiùs volarent non ad eum pertinere viderentur: nam moris erat vt captantes auguria, certa ſibi ſpatia deſignarent: quibus volebant videnda ad ſe pertinere.*

f Matri Veneri ſacras.

*Ramus humum : túque o dubiis ne deſice* a *rebus,*
*Diua parens* b, *ſic effatus veſtigia preſſit,*
*Obſeruans quæ ſigna ferant, quò tendere pergant.*
*Paſcentes* c *illæ tantum prodire volando,*
*Quantum acie poſſent oculi ſeruare ſequentum.*
*Inde vbi venêre ad fauces graueolentis Auerni,*
*Tollunt ſe celeres* d *liquidúmque per aëra lapſæ,*
Ramus aureus. *Sedibus optatis* e *gemina ſupèr arbore ſidunt:*
*Diſcolor vnde auri per ramos aura* f *refulſit.*
*Quale ſolet ſyluis brumali frigore* g *viſcum*

*a* Ne deſere nos in rebus incertis. *b* Venus.

*c* Boni erat auſpicij ſi áues paſcerentur, vnde tripudium ſoliſtimum dicebant : cùm præ auiditate eſca de roſtris auium decidebat, terramque pauiebat.

*d* Aues ideo ſe ſuſtuliſſe dicit ne ipſas teter Auerni odor afflaret. Cùm ad ea loca, vt ait Lucretius,

*—— Adire volantes*
*Remigii oblitæ pennarum vela remittunt.*
*Præcipitéſque cadunt molli ceruice profuſæ.*

Eeam igitur ob cauſam cùm ad Auerni fauces venerunt columbæ celeriter ex illo peſtilenti aëris tractu in aërem puriorem & liquidum ſe ſuſtulerunt. Vide infrà verſu 240.

*e* Vel quas ipſæ columbe deſiderabant attingere, vt ibi paſcerentur, aut quas optabat Æneas vt ad aurei rami notitiam perueniret.

*f* Splendor. Horatius.

*—— Tua ne retardet* *Aura maritos*

vnde & *aurum* ab *aura*, id eſt, ſplendore nomen accepit.

*g* Galli omnes ſe à Dite patre prognatos putabant, vt ſcribit Cæſar commentario ſexto libri Gallici. Druidis Gallorum ſacrificulis nihil viſco ſacratius, vt fusè ſcribit Plinius libro 16. cap. 41. Viſcus alterius ſpeciei arboribus adnaſcitur : idem brumali tempore maturum eſt, & auri colorem imitatur, vt & notat Seruius, & experientia compertum eſt. Quare meritò ramus aureus Proſerpinæ ſacer, cum viſco aurei coloris, qui Diti patri ſacer eſt, comparatur. Et fortaſſe ramus ille aureus nihil aliud fuit, quàm viſcus, quem

*Fronde virere noua* a*, quod non ſua ſeminat arbos* Comparatio.
*Et croceo fœtu teretes* b *circumdare truncos:*
*Talis erat ſpecies auri frondentis opacâ*
*Ilice* c*: ſic leni crepitabat bractea* d *vento.*
*Corripit exemplo* e *Æneas, auidúſque refringit*
*Cunctantem* f*, & vatis portat ſub tecta Sibyllæ.*
*Nec minùs* g *intereà Miſenum in littore Teucr*
*Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant:*
*Principio pinguem tædis* h*, & robore ſecto*
*Ingentem ſtruxêre pyram, cui frondibus atris*

magi ad eliciendos manes ſuis ſacrificiis adhibebant, quia ſterilis eſt viſcus, & non ex ſua ſed ex aliena arbore generatur.

a Vel perpetua, & ita perenni vt nunquam vetuſtate marceſcat vel magna. vt lib. 8. *nouam cædem*. lib. 2. *nouus pauor*, & alibi paſſim.

b *Teres*, inquit Seruius, *eſt rotundum aliquid cum proceritate*.

c Ilex ſpècies quercus præcipuam apud Druidas dignitatem habebat is viſcus qui ex quercu generatur.

d Bractea eſt lamella metalli cuiuſlibet in exilitatem tenuata: *du clinquans*.

e Notat Seruius augurum verbo vſum fuiſſe Poëtam, propter augurium columbarum, quo Æneas ad aurei rami notitiam deuenerat.

f Supra dictum eſt.

*—— Namque ipſe volens faciliſque ſequetur*
*Si te fata vocant ——*

Tamen hoc loco *cunctantem* ait, quia auibus refringebat, vt oſtendat tantam fuiſſe eius refringendi auiditatem, vt quamuis ramus volens & facilis ſequeretur, nulla tamen ei celeritas ſatisfaceret.

g Etiam ſi alijs negotijs occupatus erat Æneas, nihilo tamen minus Miſenum lugebat Troiani, & iuſta ſoluebant illius cineri, qui & illis triſtis erat, & gratiam ſibi collatam non ſentiebat.

h Tæda pinus eſt abundans pinguedine, vnde & adhibetur pyris quia facilè ignem concipit, & cætera ligna accendit.

*Funus Miſeni.*

*Intexunt latera, & ferales* a *antê cupreſſos*
*Conſtituunt, decorantque ſuper fulgentibus armis:*
*Pars calidos latices* b, *& ahena vndantia flãmis*
*Expediunt, corpúſque lauant frigẽtis & vngũt* c
*Fit genitus; tum membra toro defleta reponunt:*
*Purpureáſque ſuper veſtes, velamina nota* d
*Conijciunt: pars ingenti ſubiêre feretro*
*Triſte miniſterium & ſubjectam more parentum*
*Auerſi* e *tenuêre facem: congeſta cremantur*
*Thurea dona* f, *dapes,* g *fuſo crateres oliuo* h,

a Funeſtas, infelices, luctuoſas Seruius. *Cupreſſus adhibetur ad funera, vel quod cæſa non repullulat, vel quod per eam funeſtata oſtenditur domus, ſicut lætam frondes indicant feſtæ.* Vide Miloniam parag. 34. Nota. 10.

b De more. Vide Mil. parag. 34. Nota 4. & parag. 87. Nota 7.

c Hoc etiam de more, Iuuenalis ſat. 4.

*Et matutino ſudans Criſpinus amomo*
*Quantum non redolent duo funera.*

d Veſtes quibus aſſuetus erat Miſenus, quibus vſus eſt viuus. Sic enim & veriùs & ſimpliciùs interpretandum reor, quàm cùm alijs ad morem referendum. De more pheretri ad rogum efferendi pro Milone parag. 34. Nota 8.

e Ordo verborum eſt, pars pheretro ſubierunt, id eſt humeros ſuos portando pheretro ſubdiderunt (quod erat triſte miniſterium) & facem pyræ ſubditam à tergo & auerſi tenuerunt ſecundum maiorum conſuetudinem. Aliò trahit Seruius *more parentum*: quaſi dictum eſſet more propinquorum. *Propinquioribus enim*, inquit, *virilis ſexus hoc dabatur officium.*

f Thus ſolebat ſepulturis adhiberi, Plinius lib. 12. cap. 17. quærens cur Arabia Felix dicatur. *Ingrata*, inquit, *cognouimus, quia id acceptum fert ſuperis, cùm debeat inferis plus ex eo. Beatam ſi quidem eam fecit hominum in morte luxuria. Non tantum fert annuo fœtu ſuo, quantum Nero Poppeæ funere concremauit: æſtimentur tot acerui congeſti in cadauera, cùm diis per micas detur.*

g Cœnam feralem intelligit. Sed de his dapibus lib. 3 v. 301. & lib. v. 92. h Oliuum vel libatum dijs Manibus honoris & religionis cauſa, vel pyræ infuſum, vt ea faciliùs arderet.

*Poſtquàm collapſi cineres; & flamma quieuit:*
*Relliquias vino* a *& bibulam* b *lauêre fauillam,*
*Oſſáque lecta cado texit Chorineus* c *aheno,*
*Idem* d *ter ſocios purâ circuntulit vndâ,*
*Spargens rore* e *leui, & ramo felicis* f *oliuæ.*
*Luſtrauitque* g *viros, dixitque nouiſſima verba* h.
*Ac pius Æneas ingenti mole* e *ſepulchrum*
*Imponit, ſuáque arma* i *viro, remúmq; tubámque,*

a De more Tibullus lib. 3. eleg. 2.

*Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa*
*Incinctæ nigrâ candida veſte legant.*
*Et primùm annoſo ſpargam collecta Lyæo:*
*Mox etiam niueo fundere lacte parent.*

b Quæ infuſum vinum bibit & exſiccat.

c Chorineus ſacerdos fuit Troianorum de quo lib. 12. verſu 298. qui cado aheno, id eſt vrnâ ex ære confectâ texit oſſa Miſeni, eáque ſepeliuit.

d Idem Chorineus qui oſſa collegerat, ſocios ſuos, qui interfuerát exequiis, erantq; cadaueris præſentia polluti, adſperſorio ex olea facto, leuibus aquæ luſtricæ guttis adſperſit, eóſq; circuntulit ſiue purgauit, *circumferre* eſt, *purgare, expiare* Plautus *Pro laruato te circumferam.* pura vnda; quæ non ex mortui, ſed ex alterius domo petebatur: vide Milonianam paragr. 66. Nota 1.

e Alij aquam ipſam leuiter irrorantem, alij adſperſorium è rore marino factum intelligunt.

f Fœcundæ, feracis, ad diſtinctionem oleaſtri qui infelix in Georgicis nominatur.

g Aqua luſtrali adſperſit, eóſque purgauit.

h Id eſt, *ilicet*, inquit Seruius. Nam *vale* dicebatur poſt tumuli quoque peracta ſolennia.

i Arma quidem Miſeni iam fuerant combuſta, ſed epitaphio eadem arma inſculpta ſunt: item remus & tuba, quibus verbis ad illam claſſem alludit Virgilius quæ iuſſu Cæſaris Auguſti ad cuſtodiam Italiæ fuit propè montem Miſenum collocata per remum claſſem, per tubam milites intelligit. Licet poſſumus etiam ſolam tubam accipere. *Remus enim*, teſte Seruio, *dicitur lorum quod continet tubam.*

*Monte ſub aerio* a*, qui nunc Miſenus ab illo*
Miſenus. *Dicitur, æternumque tenet per ſecula nomen:*
*His actis, properè exequitur præcepta Sibyllæ* b.
Auerni deſcriptio *Spelunca alta fuit, vaſtóque immanis hiatu:*
*Scrupea* c*, tuta lacu nigro, nemorumque tenbris;*
*Quam ſuper haud vllæ poterant impunè volantes* d
*Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris*
*Faucibus effundens ſupera ad conuexa* e *ferebat:*
*Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum* f*,*
Sacrificij ritus. *Quatuor* g*, hîc primùm nigrantes terga iuuencos*
*Conſtituit* h*, frontique inuergit* i *vina ſacerdos.*

*a* Tam alto vt attingat mediam aëris regionem. Seruius tamen & Donatus *Aërium* nomen priſtinum montis Miſeni fuiſſe tradunt.

*b* Quæ præceperat vt nigræ pecudes ducerentur, verſu 153.

*c* Scrupis ſiue lapillis plena, lacu profundo, & obſcuris nemoribus circundata.

*d* Volucres, participium pro nomine, vt lib. 11. quadrupedans pro quadrupede.

*e* Ad cæli curuitatem.

*f* Auernus quaſi ἄορνος, ſine auibus ὄρνις ὄρνιθος, auem ſignificat.

*g* *Numero Deus impare gaudet*, vt dicitur in Bucolicis, vnde & ſupra verſu 38. Aeneas *ſeptem mactare iuuencas* iubetur accepturus Apollinis oraculum: at numerus impar eſt infelix ſecundum Pythagoreos & dijs inferis ſacer, item color ater, vnde iuuenci & atri colore, & numero quatuor dijs inferis immolantur.

*h* Ad aram ſiſtit, de quo more lib. 8. verſ. 85. ſtanti autem ad aram victimæ vinum libabatur inter cornua. Notum illud

*Rode caper vites, tamen hinc cùm ſtabit ad aram*
*In tua quod fundi cornua poſſit, erit.*

*i* 4. Aeneidos, — *media inter cornua fundit.*
Statius lib. 6. *Spumantéſque mero pateræ verguntur* —
Notat Seruius vinum infundi victimis Deorum ſuperorum inferorum, inuergi, ſed hæc diſtinguit obſcuriùs. Molam etiam falſam imponebant, quod propriè fuit immolare.

*Et ſummas* a *carpens media inter cornua ſetas,*
*Ignibus imponit ſacris, libamina prima,*
*Voce vocan: Hecaten* b *cæloque, Erebôq; potentẽ.*
*Supponunt* c *alij cultros, tepidumque cruorem*
*Suſcipiunt pateris: ipſe atri velleris agnam*
*Æneas matri Eumenidum* d, *magnæque ſorori* e
*Enſe* f *ferit, ſterilémque* g *tibi Proſerpina vaccam,*
*Tum Stygio Regi nocturnas incohat* h *aras:*
*Et ſolida* i *imponit taurorum viſcera flammis,*
*Pingue ſupérque oleum fundens ardentibus extis.*
*Ecce autem primi ſub lumina ſolis* k *& ortus,*

*a* Hunc etiam morem attingit lib. 12.

*Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro*
*Summa notant pecudum.* ——

Adfert Cerdanus Homerum, Nonnum, Statium: ſed adeantur: ſetas autem è capite ferro decerptas, & quaſi quaſdam ſacrificij primitias in ſacrum ignem coniectas dijs offerebat.

*b* Hecate in cœlo Luna, in ſyluis Diana, in inferis Proſerpina Dictæ ἀπὸ τȣ̃ ἑκας id eſt *longè*: quòd longè iaculetur.

*c* Culter victimæ iugulo imponitur in ſacris deorum cœleſtium, quia os victimæ ad cœlum conuertitur: in ſacris inferorum iugulo ſupponitur, quia victima prono in terram capite mactatur.

*d* Nocti quam matrem Eumenidum ſiue Furiarum eſſe fabulantur.

*e* Terræ quam Noctis ſororem eſſe dicunt, quia nox nihil eſt aliud quam vmbra terræ.

*f* Seruius. *Vt eum contra vmbras haberet conſecratum.*

*g* Meritò *ſterilem* quia nihil apud inferos generatur: & ipſa Proſerpina ſterilis fuit.

*h* Vel initiat & conſecrat Plutôni, vel, interprete Seruio, *Perficit, & eſt verbum ſacrorum*: certè quæ initiationes Latinis dicuntur, à Græcis τελέται quaſi perfectiones nominantur.

*i* Holocauſtum ſignificari tradunt Seruius & Macrobius.

*k* Cùm maximam noctis partem operans ſacris exegiſſent, luce iam appetente.

*Sub pedibus mugire ſolum, & iuga cœpta moueri*
Solum mugit. *Syluarum, viſæque canes* a *vlulare per vmbram,*
*Aduentante Dea, Procul,* b *procul eſte profani,*
*Conclamat vates, totóque abſiſtite luco.*
*Túque inuade viam, vaginaque eripe ferrum* c*:*
*Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.*
*Tantum effata, furens* d *antro ſe immiſit aperto,*
*Ille ducẽ* e *haud timidis vadentem paſſibus æquat.*
*Dÿ, quibus imperium eſt animarum, vmbræque ſilentes* Inuocatio.
*Et chaos, & Phlegethon loca nocte ſilentia latè.*
*Sit mihi fas audita* f *loqui, ſit numine veſtro*
Iter ad inferos. *Pandere res alta terra & caligine merſas.*
*Ibant obſcuri ſola* g *ſub nocte per vmbras,*
*Pérque domos Ditis vacuas, & inania* h *regna.*

a Vel Furiæ cum Seruio, vel, veræ canes, cum alijs, poſſunt intelligi.
b Cerdanus his verbis alios manes, qui cum Proſerpina venerant, remoueri putat. Alij malunt interpretari de hominibus prophanis, qui non erant initiati.
c Stringe gladium ad vmbras ſubmouendas. Platonici & inter Chriſtianos etiam nonnulli putauerunt olim aërea corpora dæmonibus eſſe. Vnde Poëta poſt Homerum eos ſignificat intenta ferri acie terreri, quaſi poſſint vulnerari.
d Diuino afflatu inſtincto ſe immiſit in Auernum.
e Æneas Sibyllam.
f Non comperta dicit & cognita, ſed audita, & incerta, vt fabuloſa eſſe ſignificet, quæ de inferis dicturus eſt.
g Hypallage. Ibant Æneas & Sibylla ſoli obſcura nocte, vel incedebant in antro obſcuro vbi nihil lucis erat, ſed nox ſola regnabat: prior interpretatio commodior, ob ea quæ ſequuntur.
h Vacua & inania dicit inferorum regna, quia non cõplentur ſolidis corporibus, ſed dũtaxat vmbris, & inanibus ſimulacris.

*Quale per incertam* a *Lunam ſub luce maligna*
*Eſt iter in ſyluis: vbi cælum condidit vmbra*
*Iupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.* Comparatio.
*Veſtibulum* b *ante ipſum primiſq; in faucibus Orci,* c
*Luctus* d *& vltrices poſuère cubilia Curæ,*
*Pallentéſque habitant Morbi, triſtiſque Senectus,*
*Et Metus & maleſuada Fames, & turpis Egeſtas* Monſtra in aditu inferorum.
*Terribiles viſu formæ, Lethúmque, Laborque.*
*Tum conſanguineus Lethi Sopor, & mala mentis*
*Gaudia, mortiferúmque aduerſo in limine Bellum,*
*Ferreique Eumenidum* e *thalami, & Diſcordia demens*
*Vipereum crinem vittis innexa cruentis,*

a Erat quidem aliquid luminis ſed parum: quemadmodum *per incertam lunam*, (id eſt interprete Donato, *in ipſis initijs poſitam aut in ſuo nubilo conſtitutam,*) eſt iter in ſyluis, quæ ramorum opacitate modicum illud lumen magis obſcurant, & efficiunt *lucem malignam*, id eſt non plenam, ſed quæ per anguſtas & malignas nubium rimas, & per arborum denſitatem ad oculos viatorum tranſmittitur, quando nox tam obſcura cœlum occupauit, vt nulli prorſus colores appareant. Incertam igitur lunam vocat non plena ſed incerta & dubia luce fulgentem, vt lib. 3. —*Incertos cæca caligine ſoles.*
Lucem malignam, vt lib. 11. —*Tenuis quà ſemita ducit,*
*Anguſtæque ferunt fauces, aditúſque maligni.*
b De veſtibulo vide 2. Philippicam §. 58. Nota 5. & Gellium lib. 16. cap. 5.
c Plutonis. Cicero in Verrinis. *Vt alter Orcus veniſſe Ænam, & non Proſerpinam ſed ipſam Cererem rapuiſſe videatur.*
d In ipſo aditu inferorum ponit ea quæ homines ad inferos deducunt, & quaſi antecedúnt, aliæ ſunt cauſæ naturales, vt morbi, ſenectus, labor, mors, &c. aliæ morales, vt ſcelera & ſcelerum conſcientia, quam vltrices curas appellat.
e Furiarum per antiphraſim quòd minimè εὐμενεῖς id eſt beneuolæ.

Somnia in aditu Orci. *In medio a ramos, annoſaque brachia pandit*
*Vlmus opaca, ingens: quam ſedem Somnia vulgò*
*Vana b tenere ferunt, foliiſque ſub omnibus hærent.*
*Multâque prætereà variarum monſtra ferarum,*
*Centauri c in foribus ſtabulãt, Scyllæq; d biformes*
*Et centum geminus Briareus, e ac bellua Lernæ*
Mõſtra. *Horrendum ſtridens, flammiſq; armata Chimæra g*
*Gorgones, h Harpyiæque, i & forma tricorporis k vmbræ.*
*Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum*
*Æneas, ſtrictâmque aciem venientibus offert.*
*Et, ni docta comes l tenues ſine corpore vitas*

*a* in medio veſtibuli inferorum.

*b* Aduerte lepidam ſcriptoris vrbanitatem. ſignificare voluit omnia quæ de inferis dicturus eſt, eſſe fabuloſa & vana vetularum inſomnia: eam ob rem ſomniorum ſedem in ipſis inferorum faucibus collocauit & exeunte libro Aeneam ex inferis per eburneam vanorum ſomniorum portã emittet: *omnia*, inquit Seruius, *indicat eſſe ſimulata, ſi & ingreſſus & exitus ſimulatus ſit, & falſus.*

*c* Monſtra fuerunt, à capite ad vmbilicum homines, infrà vmbilicum equi, ideò ſignatè dicuntur ſtabulari; eos autem Ixionis & Nubis filios fuiſſe fabulantur.

*d* Vide ecl. 6. ſub finem, & 3. Aeneidos verſu 424.

*e* Scribit Homerus 1. Iliados eundem eſſe qui Briareus à diis, Aegeon ad hominibus nominatur: de quo Noſter 10. Aeneidos verſu 565.

*f* Hydra ſepticeps, cui vno abſciſſo capite duo pullulabant. Vide lib. 8. verſu 298. *g* Vide lib. 7. verſu 785.

*h* Gorgones ſiue Lamiæ tres fuerunt Stheno, Euryale, Meduſa: quæ vnicum oculum habuiſſe dicuntur, quo viciſſim vterentur: de quibus fusè Ouidius in Metamorphoſi.

*i* De his 3. Aeneidos à verſu 212.

k Geryonis de quo lib. 7. verſu 662. & lib. 8. verſu 202. & Herili de quo eodem libro verſu 562.

*l* Niſi, inquit, Sibylla admoneat Aeneam ea ſpectra non eſſe

*Admoneat volitare caua ſub imagine formæ,*
*Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.*
*Hinc via Tartarei quæ fert Acherõtis ad vndas,*
*Turbidus hic* a *cœno, vaſtáque voragine gurges* Acherõ.
*Æſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.* Cocytus
*Portitor* b *has horrendus aquas, & flumina ſeruat*
*Terribili ſqualore Charon: cui plurima mento*
*Canicies inculta iacet:* c *ſtant* d *lumina flammâ:*
*Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,* Charon.
*Ipſe ratem conto* e *ſubigit, velíſque miniſtrat* f.

corpora, ſed vites tenues, & inania rerũ ſimulacra, corporúmque quaſdam phantaſticas imagines, irruat Æneas & fruſtra ſtricto gladio vmbras diuerberet. Sed quorſum Sibylla prohibet nunc vti ferro quod paulò ante ſtringi præceperat. Duplex adferri ratio poteſt. Fortaſſe ſuperiùs enſem nudari præcepit, non vt Æneas eo diuerberaret vmbras: ſed vt eum oſtẽderet adhuc victimarum ſanguine ſtillantem, eóque pacto ſignificaret ſe priuſquam ad inferos deſcenderet, ſacrificio religioſè perfunctum. Vel quia vtilis erat gladius contra Manes qui ſibi corpus ex aëre finxerant: aëreum enim corpus acie ferri facilè diſſipatur: inutilis autem erat contra has inanes formas & tenues ſine corpore vitas, quæ ſibi nullũ corpus ex aëre formarant. Vel *fruſtra*, non ſignificat Æneam non poſſe vmbras ferire & terrere: ſed fruſtra & ſine cauſa id eſſe facturum quia etiam ſi id ille non faceret, nihil erãt ipſi nocituræ.

a Deſcribit Stygiam paludem quæ eſt æſtuarium ex Acheronte & Cocyto fluuijs inferorum emiſſum.

b Donatus. Portitores dicuntur qui portus obſeruant idcirco, vt ſine ipſorum iuſſu nullus tranſeat in alienas regiones. Vide Vat. §. 12. Nota 6. Piſonianam. §. 88. Nota 2.

c Habens barbam canam, prolixam, impexam

d Horreſcunt vt. —— *Stat puluere calum.*
Horatius —— *Alta ſtet niue candidum Soracte.*
Vel interprete Donato, oculi inflexibiles & ſemper ſtantes ſcintillant.

e Perticâ ferro præfixa.

f Tacitus de moribus Germanorum. *Nec velis miniſtrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt.*

*Et ferrugineâ ſubuectat corpora* [a] *cymbâ,*
*Iam ſenior:* [b] *ſed cruda* [c] *Deo viridiſque ſenectus.*
*Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat,*
*Matres, atque viri, defunctaque corpora vitâ*
Animarum transfuctio. *Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ.*
*Impoſitîque rogis juuenes ante ora parentum.*
*Quam multa in ſyluis Autumni frigore primo* [d]
*Lapſa cadunt folia: aut ad terram gurgite ab alto*
*Quam multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus*
*Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.* [e]
*Stabant orantes primi tranſmittere curſum,*
*Tendebántque, manus ripæ vlterioris amore:*
*Nauita, ſed triſtis* [f] *nunc hos, nunc accipit illos:*
*Aſt alios longè ſummotos arcet arenâ.*
Æneas Sybellæ *Æneas (miratus enim, motúſque tumultu)*
*Dic, ait ô virgo, quid vult concurſus ad amnem?*
*Quidve petunt animæ? vel quo diſcrimine* [g] *ripas*
*Hæ linquunt, illæ remis vada liuida verrunt?*
*Olli ſic breuiter fata eſt longæua* [h] *ſacerdos:*

*a* Idola & vmbras corporum, vel eorũ animas qui ſe corporis voluptatibus dediderũt, quas alicubi Clemens Alexandrinus *σωματοποιημένας incorporatas* appellat. Prior ſenſus mihi magis arridet, quia etiam *orpora* vocat *Magnanimûm heroum* qui ſe in voluptates non immerſerant: ferrugineus color eſt ſubnigricans inſtar ferri.

*b* Tantiſper ſenex, vt negligentior; id eſt ſubnegligens.

*c* Voces ab arboribus ductæ, quæ crudæ & virides dicuntur, cùm vitalis earum ſuccus nondum ætate decoctus eſt.

*d* Extremo autumno, cùm primùm frigus accedit.

*e* Soli magis expoſitis, quaſi ἄνευ φρίκης, id eſt ſine frigore.

*f* Charon animarum tranſuector, aſper, ſeuerus, inexorabilis.

*g* Qua differentia, & quam ob cauſam aliæ animæ à ripa ſubmouentur, aliæ tranant paludem.

*h* Congeſtâ in manum arenâ, tot ſibi annos vitæ ab Apolline

*Anchiſâ generate, Deûm certiſsima proles,* Æneæ
*Cocyti ſtagna alta vides, ſtygiámque paludem,* Sybilla
*Dij cuius iurare timent* a *& fallere numen (eſt.*
*Hæc omnis, quam cernis, inops,* b *inhumatâq; turba*
*Portitor ille, Charon: hi quos vehit vnda, ſepulti.*
*Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta*
*Tranſportare* c *prius, quàm ſedibus* d *oſſa quierũt.*
*Cẽtum errãt* e *annos, volitántq; hæc littora* f *circũ:*
*Tum demum admiſsi* g *ſtagna exoptata reuiſunt,*
*Conſtitit Anchiſâ ſatus, & veſtigia preſsit*
*Multa putãs, ſortémq; animo miſeratus iniquam.* h
*Cernit ibi mæſtos, & mortis honore* i *carentes*
*Leucaſpim* k *& Lyciæ ductorem claſsis* l *Orontem.*
*Quos ſimul à Troia ventoſa per æquora vectos*
*Obruit Auſter, aqua inoluens nauémque viróſque*

petierat, quot arenæ corpuſcula manu contineret, tamdiúque vixit, vt nihil ex eo ferè præter vocem ſuperfuiſſe fabulẽtur.

a Libro 12 verſu 817. *Vna ſuperſtitio ſuperis quæ reddita diuis.* Vide.

b Ops & Tellus eadem Dea; vnde inops: ope ſiue terra deſtitutus. Dicit autem hoc eſſe diſcrimen, quòd inopes & inſepulti à Charonte ſubmoueantur, ſepulti autem & inhumati tranſmittant paludem.

c Tranſmittere, traiicere.

d Sepulchro: ſuprà *Sedibus hunc refer antè ſuis.*]

e Inſepulti.

f Circum ripas Stygiæ paludis.

g Ad cymbam Charontis.

h Non culpa mortuorum eſt ſi non ſepeliantur: iniquum eſt igitur eos ab ingreſſu cymbæ ſubmoueri.

i Sepultura, vt *Quiſque honos tumuli:*
Item *Qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.*

k Videtur fuiſſe gubernator nauis Lyciorum.

l Claſſis pro naui. Vide. Æneidos, verſu 117.

Palinurus.

*Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat:*
*Qui Libyco* [a] *nuper curſu, dum ſidera* [b] *ſeruat,*
*Exciderat puppi, mediis effuſus in vndis.*
*Hunc vbi multa mœſtum cognouit in vmbra,*
*Sic prior alloquitur: Quis te, Palinure, Deorum*
*Eripuit nobis, medióque ſub æquore merſit?*
*Dic age, namque mihi fallax haud ante repertus,*
*Hoc vno reſponſo animum deluſit Apollo:*
*Qui fore te ponto incolumen finéſque canebat*
*Venturum Auſonios:* [c] *en hæc promiſſa fides eſt?*
*Ille autem,* [d] *Neque te Phœbi cortina* [e] *fefellit,*
*Dux Anchiſiade: nec me* [f] *Deus æquore merſit:*
*Namque gubernaclum multa vi fortè reuulſum,*
*Cui datus hærebam cuſtos, curſúſque regebam,*
*Præcipitans traxi mecum, maria aſpera* [g] *iuro.*

Æneas Palinuro.

Palinurus Æneæ.

[a] Proximè quidem ſoluerat è Sicilia, cùm in mare deiectus eſt Palinyrus. Libycum tamen curſum appellat; quia Sicilia inter Africam & Italiam interiecta. De Palinuri morte vidè lib. 5. deſinentem.

[b] Ibidem verſu 853. —— *Oculóſque ſub aſtra tenebat.*

[c] Italicos [d] Reſpondit Palinurus.

[e] Pythia vaticinans tripodi inſidebat. Cortina verò integumentum erat ita dictum, vel quòd è corio Pythonis ſerpentis ab Apolline occiſi factum eſſet; vel quòd certa illic reſponſa funderentur, quaſi *certina*, vel quòd cor vatis illic teneretur, Prudentius.

*Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra,*
*Non tripodes cortina tegit*, &c.

[f] Reſpondet ad illum: Quis te Deorum ſubmerſit? Nullus, inquit, Deus me ſubmerſit. Et ſi enim Somnus Deus me deiecerit in mare, tamen ad terram enarauit, ibique ferro non aquis ſum interemptus.

[g] Libro 5. æquatas auras ſpiraſſe, vndas ſubſediſſe, ſtratum æquor & alia dicit in hanc ſententiam. Nunc maria aſpera, ſurgentes vndas, Notum violentum, hybernas, & procellę

*Non vllum pro me tantum cepiſſe timorem,*
*Quam tua ne ſpoliata armis, excuſſa magiſtro*
*Deficeret tantis nauis ſurgentibus vndis.*
*Tres Notus hybernas immenſa per æquora noctes*
*Vexit me violentus aquà: vix lumine* a *quarto*
*Proſpexi Italiam ſummâ ſublimis ab vnda.*
*Paulatim adnabam terræ, & iam tuta tenebam:*
*Ni gens* b *crudelis madida cum veſte grauatum,*
*Prenſantémq; vncis manibus* c *capita aſpera mõtis*
*Ferro inuaſiſſet, prædámque ignara putaſſet.*
*Nunc me* d *fluctus habet, versántq; in littore vẽti:*
*Quod per te cæli iucundum lumen & auras,*
*Per genitorem* e *oro, per ſpem ſurgentis Iuli,*
*Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram*
*Iniice (nam; potes.) portúſque; require Velinos* f
*Aut tu, ſi qua via eſt, ſi quam tibi Diua* g *creatrix*

ſas noctes exaggerat. Sed ibi in ſua perſona loquitur Poëta, hic in perſona Palinuri, cui tamdiu fluctuanti quæuis tranquillitas videbatur aſperrima.

a Die.

b Lucanos intelligit.

c Digitis in aduncitatem inflexis ſaxi faſtagium frequenter apprehendentem, vt ad illud eniterer.

d Corpus meum.

e Anchiſen.

f Velia vrbs fuit in Lucania ſexcentis annis poſt Æneam condita. Iam tamen portus Velini dici potuerunt: non quidem ab vrbe quæ tum non erat, ſed à paludibus quæ tum erant & iam loco nomen indiderant, à quibus vrbs ipſa poſteà nomen accepit. ἕλος paludem ſignat Dicta Velia quaſi Ε'λία inquit Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2. antiquit. Rom. Veteres enim Græci digamma Æolicum frequenter adhibebant vt Φελένη, Φάναξ, Φοῖκος, Φαίνε, Φελία, pro Ε'λένη ἄναξ οἶκος, ἀμὴρ, Ε'λία.

g Venus, vt lib 8 verſu 533.

*Oſtendit, (neque enim, credo, ſine numine Diuûm*
*Flumina tanta paras, Stygiámq; innare paludem)*
*Da dextram miſero, & tecum me tolle per vndas,*
Sibylla Palinuro. *Sedibus vt ſaltem placidis in morte a quieſcam.*
*Talia fatus erat, cœpit cum talia vates.* b
*Vnde hæc, ô Palinure, tibi tam dira cupido?*
*Tu Stygias inhumatus aquas amnémque ſeuerum*
*Eumenidum aſpicies? ripamve iniuſſus abibis?*
*Deſine fata Deûm flecti ſperare precando:*
*Sed cape dicta memor, duri ſolatia caſus,*
*Nam tua finitimi longè,* c *latéque per vrbes*
*Prodigijs acti cæleſtibus,* d *oſſa piabunt:* e
*Et ſtatuent tumulum, & tumulo* f *ſolemnia mittent,*
*Æternúmque locus Palinuri nomen habebit.*
*His dictis curæ emotæ, pulſúſque parumper*
*Corde dolor triſti: gaudet cognomine* g *terrâ.*
*Ergo iter inceptum peragunt, fluuióq; propinquãt*

a Quandoquidem viuus ad Latium peruenire non potui
—— *Sedes vbi fata quietas. Oſtendunt* ——
vel qui viuus nunquam quieui, ſempérque nauigaui.
b Sibylla.
c Seruius. *De hiſtoria hoc traxit. Lucanis enim peſtilentia laborantibus reſpondit oraculum manes Palinuri eſſe placandos: ob quam rem non longè à Velia & lucum & tumulum cenotaphion dederũt.*
d Idem. *Compendiosè & peſtilentiam ortam & petitum ſignificat oraculum.*
e *Placabunt, expiabunt*: Vel vt explicat Nonius *condent, conſecrabunt.*
f Ad tumulum tibi iuſta perſoluent.
g Ὁμωνύμῳ γῇ vt interpretatur Valens, id eſt, Palinurus gaudet propter terram ſibi cognominem vt *terrâ* ſit ſextus caſus. Neque enim *Palinurus* cognomen fuit, ſed proprium montis nomen.

a Charo

*Nauita a quos iã inde vt Stygia proſpexit ab vnda*
*Per tacitum b nemus ire, pedémque aduertere ripæ,*
*Sic prior aggreditur dictis, atque increpat vltrò.*
*Quiſquis es, armatus qui noſtra ad flumina tẽdis,* Charon Æneæ
*Fare, age, quid venias? iam iſtinc & cõprime greſſũ:* & Si-
*Vmbrarum locus eſt, ſomni, noctiſque ſoporæ:* byllæ.
*Corpora viua nefas Stygiâ vectare carinâ.*
*Ne verò Alciden c me ſum lætatus d euntem*
*Accepiſſe lacu, nec Theſea, Pirithoúmque:*
*Dijs quanquã geniti e, atque inuicti viribus eſſet.*
*Tartareum ille f manu cuſtodem in vincla petiuit,*
*Ipſius à ſolio Regis traxitque trementem:*
*Hi Dominam g Ditis thalamo deducere adorti.*

a Charon.
b Hypallage pro *tacitos ire per nemus*.
c Herculem ἀπὸ τῆς ἀλκῆς à fortitudine ſic dictum, vel ab Alceo Amphitryonis patre.
d [illegible] ſiue liptote, pro *dolui* me in cymbam illos admiſiſſe, fabulatur Seruius Charontem anno integro in compedibus fuiſſe, quia Herculem in cymbam admiſerat.
e Hercules & Pirithous Ioue, Theſeus Neptuno genitus.
f Hercules Cerberum. Ouidius 7. Metam.

*—Tirynthius heros*
*Reſtantem, contráque diem radiiſque micantes,*
*Obliquantem oculos, nexis adamante catenis*
*Cerberon extraxit.*

g Theſeus & Pirithous dominam meam Proſerpinam ab ipſius Plutonis thalamo deducere adorti ſunt: licet conatus eis non ſucceſſerit. Vel dominam, id eſt vxorem Plutonis à ſuo ipſius thalamo deducere conati ſunt: ſic Græci δέσποιναν & δάμαρτα vxorem appellant. Germanus & Cordanus laudant Martialem lib. 11. ep. 51.

*Non aliena vides, ſed amat Proſerpina raptas,*
*Iſte tibi dominam conciliauit amor.*

Vbi Proſerpinam manifeſtè dominam appellat.

*Quæ contra breuiter fata eſt Amphryſia a vates:*
*Nullæ hic inſidiæ tales b (abſiſte moueri)*
*Nec vim tela ferunt: licet c ingens ianitor antro*
Sibylla Charonti. *Æternum latrans exangues terreat vmbras.*
*Caſta licet patrui d ſeruet Proſerpina limen.*
*Troius Æneas pietate inſignis, & armis,*
*Ad genitorem imas Erebi deſcendit ad vmbras,*
*Si te nulla mouet tantæ pietatis imago,*
*At ramum e hũc (aperit ramum, qui veſte latebat)*
*Agnoſcas: tumida f ex ira tum corda reſidunt.*
*Nec plura his g, ille admirans venerabile donum*
*Fatalis h virgæ, longo pòſt tempore viſum,*
*Cæruleam aduertit puppim, ripæque propinquat.*
*Inde alias animas, quæ per iuga longa i ſedebant*

a Apollo dictus Amphryſius, quia iuxta Amphryſum Theſſaliæ fluuium pauit armenta Regis Admeti. inde Sibylla ſacerdos Apollinis Amphryſia nominatur.
b Quales Hercules, Theſeus, Pirithous moliti ſunt.
c Per nos licet & permittitur, vt Cerberus qui ad inferorum ianuam excubat, perpetuo vmbras latratu exterreat: & Proſerpina maneat in ædibus Plutonis caſta & intacta, quia nulla vis eius pudicitiæ inferetur.
d Plutonis, Proſerpina Iouis filia & Cereris. Pluto Iouis & Cereris frater, ergo patruus Proſerpinæ. Putat Cerdanus voce patrui ad priſcam & tetricam Plutonis ſeueritatem alluſum. vide Cœlianam §. 25. Nota 1.
e Aureum, ſacrum Proſerpinæ.
f Ira quæ Charontem inflauerat, ſedatur, & cor irâ turgidum detumeſcit.
g Nec plura his addenda fuerunt ad leniendum Charontem.
h Quæ indicabat fatale eſſe vt is ad inferos viuus diſcenderet, qui eam ſecum detuliſſet, ſuprà
—*Namque ipſe volens facilisque ſequetur, Si te fata vocant*—
i In tranſtris ſiue ſedilibus remigum: animæ enim ipſæ dum tranſuehuntur. —*Remis vada cærula verrunt.*

*Deturbat, laxátque foros* a *, ſimul accipit alueo* b
*Ingentem Æneam, gemuit ſub pondere cymba*
*Sutilis* c *, & multam accepit rimoſa paludem.*
*Tandem* d *trans fluuiũ incolumes, vatémq; virũq;*
*Informi limo, glaucáque exponit in vlua* e.
*Cerberus* f *hæc ingens latratu regna trifauci* g
*Perſonat, aduerſo recubans immanis in antro.*
*Cui vates* h *horrere videns iam colla colubris* i,

*Æneas & Sybylla tranſuehuntur.*

*Cerberus.*

a Deturbatis vectoribus facit vt fori latiores appareant. *laxare, facere largos*. Statius de ingenti arbore cùm exſcinditur.

—— *Ingentemque aëra laxat.*

Fori vectorum ſedes, vt etiam in theatro ſpectatorum loca fori dicuntur. Lutius lib. 1. *A Tarquinio loca diuiſa Patribus, Equitibuſque vbi ſpectacula ſibi quiſque facerent, fori appellati.*
b Vel alueo fluminis, vt exponit Seruius, vel nauis conceptaculo & capacitate, vt Germanus mauult. Propertius lib. 3.

*Aut quidnam fracta gaudet Neptune carina?*
*Portabat ſanctos alueus ille viros.*

c Cymbam Charontis facit ſutilem (vt notat Turnebus lib. 28. cap. 45.) nouitatis aucupio & miraculo, quod poëtarum proprium eſt. Tales fuiſſe naues Britannorum quorumdam Plinius ſcribit lib. 7 cap. 56. his verbis. *Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circumſuto fiunt.*
d Seruius. *Aut propter pondus Æneæ, quod ſupra dixi: aut propter paludis magnitudinem, aut propter cœni denſitatem e* Herba paluſtri.
f Canis inferorum triceps poëtis paſſim: πεντηκοντακέφαλον *quinquaginticeps* Heſiodo in Theog. *Centiceps*. Horatio lib. 2. Ode 3. *Demittit atras bellua centiceps* *Aures.*
antrum aduerſum eſt oppoſitum ingredientibus & reſpondẽs è regione. g Qui per tres fauces emittitur.
h Vates Sibylla videns Cerberum Æneæ adſpectu concitatum inflato collo & tumidis ità ceruicibus ità cohorruiſſe, vt colubri, qui pro iubis erant, ſubrigerentur, eidem Cerbero offam melle & ſoporiferis quibuſdam frugibus medicatam ad conciliandum ſoporem obiicit.
i Seneca Hercule furente —— *Sordidum tabo caput,*
*Lambunt colubri, viperis horrent iubæ*
*Longuſque torta ſibilat cauda draco.*

*Melle ſoporatã* a, *& medicatis frugibus* b *offam* c
*Obijcit: ille fame rabidâ tria guttura pandens,*
*Corripit obiectam, atque immania terga* d *reſoluit*
*Fuſus humi: totoque ingens extenditur antro:* e
*Occupat Æneas aditum, cuſtode ſepultò* f,
*Euaditque celer ripam irremeabilis vndæ.*
*Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,*
*Infantúmque animæ flentes in limine primo:*
*Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos*
*Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo* g.
*Hos iuxta falſò damnati crimine mortis.*
*Nec verò hæ ſine ſorte datæ, ſine iudice ſedes,*
*Quæſitor* h *Minos* i *vrnam* k *mouet: ille ſilentum* l

*Prima inferorũ ſedes pueris deſtinata.*

*Secunda falſo damnatis.*

*a* vel conditam, & condimentis ſopita & hebetata guſtus acrimonia. vel legendum cùm Turnebo *ſaporatam* vel *ſoporatam* dicit pro *ſoporantem*.
*b* Papauere, amygdalis & alijs ſomnum conciliantibus.
*c* Pulpam carnis intelligit, vt Iuuenalis.
— *Et patruo ſimiles effunderet offas.*
vel etiam eſt cibus canis. Minutius Felix in Octauio. *Canis qui candelabro nexus eſt iactis offulæ vltra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur.*
*d* Terga, quæ Aeneæ conſpectu per iram cohorruerant, ſéque contraxerant, explicat & extendit humi poſtratus.
*e* Emphaſis qua exprimitur corporis magnitudo. vt lib. 3. de Cyclope.
*Iacuitque per antrum Immenſum.* —
*f* Cerbero conſopito ſiue dormiente.
*g* Immaturo vox à fructibus tranſlata.
*h* Vide Milon. §. 13. Nota 1. *Quæſitor* ſiue *prætor*, qui præeſt quæſtioni.
*i* Iouis & Europæ filius, qui propter iuſtitiam inexorabilem creditus eſt iudex inferorum.
*k* Vide Vatinianam §. 34. Nota 2. Aliæ fuerunt vrnæ ſiue ſitulæ in quas coniiciebantur reorum nomina: aliæ in quas iudicum ſententiæ.
*l* Mortuorum.

*Conciliúmque vocat, vitaſque & crimina diſcit.*
*Proxima deinde tenent mæſti loca, qui ſibi lethum*
*Inſontes peperêre manu, lucémque peroſi* Tertia ſui homicidis.
*Proiecêre animas, quàm vellent æthere in alto*
*Nunc & pauperiem & duros perferre labores!*
*Fata obſtant, triſtique palus innabilis vndâ*
*Alligat, & nouies a Styx interfuſa coërcet.*
*Nec procul hinc partē fuſi monſtrantur in omnem*
*Lugentes campi: ſic illos nomine dicunt.* Quarta ſedes, ſiue campi Lugentes.
*Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,*
*Secreti celant* b *calles, & myrtea circùm*
*Sylua tegit: curæ* c *non ipſa in morte relinquunt.*
*His Phædram*, d, *Procrinque* e *locis, mæſtámque Eryphilen* f

a Laudatur paſſim Statius lib. 2.
—— *Styx inde nouem circumflua campis,*
*Hinc obiecta vias torrentum incendia claudunt.*
*Nouies* vel ſimpliciter multoties, vt ait ex Nicandro Cœlius Rhodiginus, vel vt putat Germanus, indicat nouendialia ſacra, de quibus lib. 5. quo ſenſu Styx nouies interfuſa dicetur coërcere mortuos, quia ſepulti peractis nouendialibus ſacris non poſſunt ab inferis excitari.
b Commode, quia amores ſecretum amant & latebras, & myrtus Veneri dedicata.
c Amores vehementes. lib. 4 verſ. 1.
d Phædra Minois filia, Theſei coniux, Hyppolytū priuignum adamauit, & cùm ab eo ſperneretur, apud patrē Theſeum accuſauit. Theſei precibus interfectus Hyppolytes: Phædra facti pœnitens ſeipsā interemit. Vide lib. 7. Aeneidos verſu 765.
e Procris Cephalum maritū credens Auroræ nymphæ amoribus deditum, eum clam ſequebatur in ſyluis, ſed eam Cephalus, audito foliorum ſtrepitu, feram eſſe ratus inter vepres latentem interemit. Vide Ouidium Metamorph. 7.
f Amphiarus vates cùm videret fore vt bello Thebano terræ hiatu ſorberetur, ſe ne ad illud bellum proficiſceretur, in

*Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit,*
*Euadnénque*, a, *& Paſiphaën* b *his Laodamia* c
Cæneus. *It comes, & iuuenis quondam, nunc fœmina,*
*Cæneus* d,
*Rurſus & in veterem fato reuoluta figuram.*
*Inter quas Phœniſſa recens*, e *à vulnere Dido*
Dido. *Errabat ſylua in magna: quam Troyus heros,*
*Vt primum iuxta ſtetit, agnouitque per vmbram*
*Obſcuram (qualem primo qui ſurgere menſe*
*Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam)*
*Demiſit lacrymas, dulcíque affatus amore eſt.*
*Infelix Dido, verus mihi nuncius ergo*
Æneas excuſat ſe Didoni. *Venerat extinctam, ferróque extrema ſecutam.*
*Funeris heu tibi cauſa fui: per ſidera iuro,*
*Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt,*
*Inuitus, Regina, tuo de littore ceſſi.*
Anceſſitate. *Sed me iuſſa Deûm, quæ nunc has ire per vmbras,*

latebras abſtruſerat. Eriphyle coniux aureo monili corrupta mariti detexit latebras. Alcmæon filius, patris vlciſcendi causâ matrem interemit. Eam ob rem Eriphyle in campis lugentibus monſtrabat vulnera quæ crudeliter filius Alcmæon inflixerat.

a Euadne Capanei coniux, quæ marito ad Thebas ictu fulminis occiſo, in eius rogum inſiliit, vt eodem igne deflagraret.

b Solis filiam, Minois coniugem, quæ taurum adamauit, de qua initio libri.

c Laodamia Proteſilai coniux, quæ mariti ad Troiam interfecti deſiderio contrabuit.

d Cænis à Neptuno adamata, impetrauit ab eo vt in virum è fœmina verteretur, & factus eſt è Cænide Cæneus: occiſus eſt à Lapithis: poſt mortem in fœminam rediit, & facta eſt iterum Cænis: vide Ouidium metamorph. lib. 12.

e Quæ paucis ante menſibus ſibi vulnus inflixerat, mortémque conſciuerat.

*Per loca ſenta a ſitu cogunt, noctémq; profundam,*
*Imperijs egêre ſuis, nec credere quiui,*
*Hunc tantum b tibi me diſceſſu ferre dolorem.*
*Siſte gradum, téque aſpectu c ne ſubtrahe noſtro.*
*Quem fugis? extremũ fato quod te alloquor, hoc eſt.*
*Talibus Æneas ardentem, & torua tuentem*
*Lenibat dictis animum, lacrymáſque ciebat d.* Dido Æneam auerſatur.
*Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat:*
*Nec magis incœpto vultum ſermone mouetur,*
*Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia e cautes.*
*Tandem proripuit ſeſe, atque inimica refugit*
*In nemus vmbriferum: coniux vbi priſtinus illi*
*Reſpondet curis f æquátque Sichæus amorem.*
*Nec minus Æneas caſu percuſſus iniquo*
*Proſequitur lacrymans longè, & miſeratus euntem eſt.*
*Inde datum g molitur iter: iámque arua tenebat*

a Sentibus & ſquallore obſita, inculta, ſquallida, horrida, & inamœna.
b Nec potui credere me tibi tantum dolorem adferre meo diſceſſu vt tibi ipſi præ doloris impatientia mortem acceſſeres: alioquin diſcedere noluiſſem.
c Adſpectui.
d Lacrymas ex imo pectore in oculos excitantem & euocantem, ſic Catullus. *Frigidulos imo ſingultus corde cientem.*
e Marpeſos mons inſulæ Pari candidis marmoribus abundans, vel vt ait Iordanus de rebus Gothicis, eſt pars Caucaſi montis à regina quadam Amazonum ſic nominata.
f Sichæus amore Didoni reſpondet, ideſt tantùm amat Didònem, quantùm ipſe amatur à Didone.
g Fatorum lege conceſſum. Neque enim aliam Seruij interpretationem admiſerim. *Fortuito* [illegible], τὸ τυχὸν. Certo enim conſilio, Sibyllæ ductu iter faciebat.

Quinta des vribus aſſignata.

*Vltima, a quæ bello clari ſecreta frequentant.*
*Hic illi occurrit Tydeus b: hîc inclytus armis c*
*Parthenopæus, & Adraſti d pallentis imago,*
*Hîc multùm fleti ad ſuperos, belloque caduci e*
*Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens*
*Ingemuit, Glaucúmque, Medontáque, f Therſilochúmque,* — Troiani.
*Tres Antenoridas g, Cererìq; ſacrum Polybœtem:*
*Idæúmque h etiam currus, etiam arma tenentem,*
*Circunſtant animæ dextrâ, læuáque frequentes.*
*Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: iuuat vſque morari,*
*Et conferre gradum, & veniendi diſcere cauſas.*
*At Danaûm proceres, Agamēnoniæq; i phalanges,*

*a* Proxima illi biuio, quod ad tartarum, & Ditis regiam, & Elyſium ducebat.
*b* Oenei filius, Rex Ætoliæ, pater Diomedis, vir fortiſſimus, qui bello Thebano occiſus eſt à Menalippo, de quo fusè Statius in Thebaide.
*c* Atalantæ filius, Rex Arcadiæ, qui eodem bello iuuenis ad modum extinctus eſt.
*d* Regis Argiuorum, qui ex ſeptem ducibus qui bellum Thebanum geſſerunt, ſolus fugâ elapſus eſt, vnde & pallens inducitur, quia pallor fugæ comes.
*e* Qui bello Troiano ceciderunt.
*f* Notant interpretes nullam aut Medontis aut Polybœtæ Troiani ab Homero ficti mentionem: parum refert. Quidni enim potuit nomina Troianorum ſuo arbitratu confingere?
*g* Tres filios Antenoris qui ab Homero Archilochus, Acamas, Helycon; à Pomponio Sabino Polybus, Agenor, Athamas nominantur.
*h* Aurigam Priami, de quo 24. Iliados.
*i* Phalanx propriè Macedonum fuit: hic pro quibuſuis Græcorum copijs vſurpat. Agamemnonias vocat, quia bello Troiano ſummus omnium Imperator fuit Agamemnon. Tam multi autem Græcorum bello Troiano ceciderant, vt

*Vt vidêre virum, fulgentiáque arma per vmbras,*
*Ingenti trepidare metu: pars vertere terga.* Græci.
*Ceu quondam petiêre rates: pars tollere vocem*
*Exiguam: incœptus clamor fruſtratur* a *hiantes.*
*Atque hîc* b *Priamidem* c *laniatum corpore toto*
*Deiphobum vidit, lacerum* d *crudeliter ora,*
*Ora, manúſque ambas, populatáque tempora raptis* Deiphobi mutilatio.
*Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.*
*Vix adeo* e *agnouit pauitantem, & dira tegentem*
*Supplicia, & notis compellat vocibus vltro.*
*Deiphobe armipotens, genus alto à ſanguine Teucri*
*Quis tam crudeles optauit* f *ſumere pœnas?*

eorum denſæ phalanges, apud inferos viſerentur. Eæ ſtatim atque viderunt Æneam armatum ingenti metu trepidarunt, vt olim trepidantes fugerant, naueſque fugâ petierant, Hectore & Ænea inſtantibus. Græci autem caſtra vallorum loco nauibus in terram ſubductis munierant.

*a* Cùm clamare vellent in ipſo conatu ita deficiebant vt vox exigua ſequeretur: ſic enim pauor omnes vocis meatus obſtruxerat, vt ore aperto & hianti nullum penè clamorem expromerent. Dicunt alij eos in ipſo conatu fruſtratos eſſe non pauore, ſed quia erant inania ſimulacra & organis vocis deſtituta. Non placent, quia loquuntur Deïphobus, Palinurus, Muſæus, Anchiſes,

*b* In hac fortium virorum regione.

*c* Filium Priami, qui poſt necem Paridis Helenam duxit vxorem.

*d* Habentem ora & ambas manus crudeliter laceratas, tempora ſublatis auribus vaſtata & deformia, & nares turpi vulnere truncatas.

*e* Vſque adeo deformis erat & mutilatus vt eum Æneas vix agnoſceret metuentem agnoſci, & vulnera, quæ ipſi ſupplicij loco inflicta fuerant, tegere cupientem.

*f* Quis adeò tibi præualuit vt ei daretur optio eligendi ſupplicij quod de te ſumeret ſuo arbitratu.

*Cui tantum de te licuit? mihi fama ſupremâ* a
*Nocte tulit, feſſum vaſta te cæde Pelaſgûm*
*Procubuiſſe ſuper confuſæ ſtragis aceruum,*
*Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem* b
*Conſtitui, & magna manes ter voce* c *vocaui.*
*Nomẽ & arma locũ ſeruãt* d*: te* e*, ô amice, nequiui*
*Conſpicere, & patria* f *decedens ponere terra.*
*Atque hîc Priamides: Nihil ô tibi* g*, amice, relictum eſt.*
Deiphobus Æneæ. *Omnia Deiphobo ſoluiſti, & funeris* h *vmbris*
*Sed me fata mea, & ſcelus exitiale Lacenæ* i
*His merſere malis: illa hæc monumenta reliquit.*
*Namque vt ſupremam falſa* k *inter gaudia noctem*
*Egerimus noſti: & nimium meminiſſe neceſſe eſt* l*.*
*Cum fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit*

*a* Supremam noctem & hic & paulò poſt appellat eam qua Troiana ciuitas deflagrauit.
*b* Cenotaphium ſiue tumulum inanem & vacuum cadauere.
*c* De more. 9 Odyſſ. verſu 6. — ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἄυσαι
*Ciθαvov Cum tem ter quémque vocare Cæſorum.*
Vide Tertium Æneidos 68.
*d* Locus ille ſeruat nomen tuum, & arma ſiue inſignia tumulo inſculpta.
*e* Tuum corpus vt *Nunc me fluctus habet.*
*f* Vide Milon. §. 104. Nota 3.
*g* Nullum amici officium præteriſti, omnia quæ mutuæ neceſſitudinis ratio exigebat, affatim præſtitiſti.
*h* Non verò funeri: quia verum corpus non aderat, quod funerari poſſet: ſed vmbris & inani ſimulacro funeris.
*i* Helenæ coniugis Menelai Lacedæmoniorum Regis.
*k* Falſo enim putabant Troiani ſoluta obſidione Græcos abiiſſe.
*l* Commodè Seruius laudat in hunc locum Ciceronem. *Cui placet, obliuiſcitur; cui dolet, meminit,* ergo quia dolet, meminerit neceſſe eſt.

*Pergama* a, *& armatū peditem grauis attulit aluo.* Equus Troianus.
*Illa chorum ſimulans, Euantes* b *Orgia circum*
*Ducebat Phrygias: flammam media ipſa tenebat*
*Ingentem, & ſumma Danaos ex arce* c *vocabat.* Helenæ proditio.
*Tum me confectum curis* d, *ſomnóque grauatum*
*Infelix* e *habuit thalamus: preſſitque iacentem*
*Dulcis & alta quies* f, *placidæque ſimillima morti.*
*Egregia* g *intereà coniux arma omnia tectis*

*a* Vide 2. Æneid. verſu 240. 260. &c. Pergamus autem, vt iam alibi monuimus, fuit arx: Troia, regio: Ilium vrbs Troianorum.

*b* Helena ſimulans & fingens chorum, id eſt interprete Seruio, multitudinem in ſacra collectam, vel ſimulans ſe choreas agere. vt lib. 1. *Exercet Diana choros.* Helena inquam, *Phrygias* matronas *euantes*, ſiue bacchantes, & Bacchici furoris inſtinctu, *Euoe Bacche* de more clamantes, *ducebat circum orgia*, id eſt circum ciſtas quibus orgia Bacchi ſeruabantur incluſa. De orgijs vide 4. Æneid. verſu 303. Alij aliter ordinant hoc pacto. *circumducebat Phrygias, euantes orgia*, id eſt Bacchi ſacra celebrantes: Bacchus Euan, & Euius nominatur

*c* Ipſa in arce exiſtens elata face Græcos ad vrbem vocabat ex inſula Tenedo venientes.

*d* Atqui vacauerat gaudijs (verba ſunt Seruij) ſed illud oſtendit, quod ait Statius.

*Stant veteres ante ora metus:*

quia videlicet præſens vnius diei lætitia non omnem præcedentium dierum curam ſiue dolorem abſterſerat.

*e* Qui mihi infelicitatis cauſſa fuit.

*f* Expreſſum pene verbatim ex Homero 13. Odyſſ.

Νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς

*g* εἰρωνικῶς Poſt mortem Paridis Deiphobus Helenam duxit vxorem.

Alibi —— *Duplici ſquamâ lorica fidelis* ——

*Item* —— *Perfidus enſis* *Frangitur.* ——

Solebant veteres dormituri enſem ſiue pugionem iuxta lectum apponere, vel etiam ceruicali ſupponere, vt Alexander Macedo qui ſuppoſito capiti Homero & pugione dormiebat,

*Emouet, & fidum capiti ſubduxerat enſem:*
*Intra tecta vocat Menelaum & limina pandit.*
*Scilicet id magnum ſperans fore munus amanti,*
*Et famam extingui* a *veterum ſic poſſe malorum.*
*Quid moror? irrumpit thalamo* b, *comes additur vnà*
*Hortator ſcelerum Æolides* c, *Dij talia Graijs*
*Inſtaurate* d, *pio ſi pœnas ore repoſco* e.
*Sed te qui viuum caſus, age fare viciſſim* f,
*Attulerint: pelagine venis erroribus actus?*
*An monitu diuûm? an quæ te fortuna fatigat,*
*Vt triſteis ſine ſole domos, loca turbida adires?*
*Hac vice ſermonum* g *roſeis Aurora quadrigis*
*Iam medium ætherio curſu traiecerat axem:*

*a* Exiſtimans fore vt ſi me necandum Menelao tradidiſſet, veterem iniuriam, qua olim Paridem ſequens maritum Menelaum deſeruerat, recenti beneficio & quaſi compenſatione vel extingueret, vel æterna obliuione ſepeliret.

*b* Impreſſione facta in thalamum irrumpunt.

*c* Vlyſſes quem contumeliæ cauſa Siſyphi infamis latronis filium, Aeoli nepotem eſſe iactabant inimici. Aiax Ouidius 13. Metamorph. —— *Quid ſanguine cretus*
*Siſyphio, furtique & fraude ſimillimus illi.*

*d* O dij, talia ſupplicia Græcis inſtar meorum ſuppliciorum imponite.

*e* Non ait, *poſco*, ſed *repoſco*, quaſi rem debitam.

*f* Vt ego tibi meos caſus narraui, ita tu vice verſa tuos mihi caſus narra.

*g* Cùm hi ſermones inter Aenean & Deiphobum viciſſitudine quadam vltro citróque ſererentur, iam aurora mediam crepuſculi partem prætericrat: crepuſculum vocat axẽ, quòd ex varietate axis, ſiue diuerſa poli eleuatione magna crepuſculorum varietas oriatur. Sacra necromantica, vt ex Seruio aliiſque conſtat, peragi debebant ſpatio viginti quatuor horarum à media nocte ad mediam noctem. Aeneas *nocturnas inchoat aras*, & à media nocte vſque ad crepuſculum

*Et fors omne datum a traherent per talia tempus:*
*Sed comes admonuit, breuitérq; affata Sibylla eſt:*
*Nox ruit* b *, Ænea, nos flendo ducimus horas.* Sibylla.
*Hic locus eſt, partes vbi ſe via findit in ambas:*
*Dextera quæ Ditis magni ſub mœnia tendit:*
*Hac iter Elyſium nobis: at læua malorum*
*Exercet pœnas: & ad impia* c *Tartara mittit.*
*Deiphobus contra: Ne ſæui* d *magna ſacerdos,*
*Diſcedam: explebo numerum, reddarque tenebris* e
*I decus, i, noſtrum, melioribus* f *vtere fatis.* Deiphobus.

ſacrificat. *Primi ſub lumina ſolis & ortus*, id eſt, ineunte crepuſculo ſolum immugit: Æneas & Sibylla in antrum ſe immittunt: alloquitur Æneas Palinurum, Stygiam paludem tranſuehitur. Tranſit ſedem puerorum immatura morte raptorum, ſedem eorum qui inſontes ſeipſos occiderant, Lugentes campos, vbi & Didonem compellat. Adit loca *quæ bella cari ſecreta frequentant*, ibique cum Deiphobo ſermocinatur, cùm itaque media pars crepuſculi iam effluxerit, monet Sibylla noctem ruere, id eſt finiri, & lucem appetere, paret Æneas, reliquumque diei tempus rebus, quæ ſupererant, impendit, docetur quæ ſupplicia ſint conſceleratis irrogata, Anchiſen conuenit, cum eo loquitur, & ante mediam noctem ad naues reuertitur.

a Conceſſum tempus viginti quatuor horarum ad ſacra peragenda.

b Nox cadit & in diem euoluitur.

c Vbi puniuntur impij.

d Noli ſæuire, & iraſci, ô Sibylla, diſcedã; & implebo numerũ annorum mille qui conſtitutus eſt animabus ad corpora rediturisprius quã ad lethæum fluuium euocentur quaſi dicat: Diſcedam à vobis in tenebras, ibique annos meæ purgationis explebo de qua purgatione infrà 748. vel ſenſus eſt explebo, euacuabo, & diminuam numerum, vt loco trium, qui nunc ſumus, vos duo duntaxat reſidui maneatis. Viderint eruditi.

e Repetam tenebras vnde diſceſſi vt ad vos qui viui eſtis, ac proinde luce circumfuſi, accederem.

f Quàm aut ego aut cæteri Troiani vſi ſumus.

Mœnia Tartari. *Tantum effatus: & in verbo veſtigia torſit.*
*Reſpicit Æneas ſubitò, & ſub rupe ſiniſtrâ*
*Mœnia lata a videt, triplici circundata muro,*
Phlegethon. *Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis,*
*Tartareus Phlegethon, torquétque ſonantia ſaxa,*
*Porta aduerſa b, ingens, ſolidóq; adamante colũnæ:*
*Vis vt nulla virûm, non ipſi exſcindere ferro*
*Cælicolæ valeant: ſtat ferrea turris ad auras.*
Tiſiphone. *Tiſiphonéque ſedens, pallâ ſuccincta c cruenta,*
*Veſtibulum inſomnis ſeruat noctéſque, diéſque.*
*Hinc exaudiri gemitus, & ſæua ſonare*
*Verbera: tum ſtridor ferri, tractæque catenæ.*
Æneas. *Conſtitit Æneas, ſtrepitúmque exterritus hauſit d.*
*Quæ ſcelerum facies e? ô virgo f, effare, quibúſve*
*Vrgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras?*
Sibylla. *Tum vates ſic orſa loqui: Dux inclyte Teucrûm,*
*Nulli fas caſto g ſceleratum inſiſtere limen.*
*Sed me, cum lucis Hecate præfecit Auernis,*

a Lata dicit ad multitudinem nocentium, qui in Tartaro torquentur, indicandam.

b E regione oppoſita Æneæ venienti.

c Succinctam ait quaſi ſemper paratam veſtibus collectis, expeditam & in procinctu.

d Hoc verbum ſemper aliquam perturbationem importat, vt
*Haurius hunc oculis ignem —*
*— Animo ſpem turbidus hauſit inanem, &c.*

e Species vt ſuprà *malorum noua facie*. f Sibylla.

g Pio & religioſo, vt *Quique ſacerdotes caſti. —*
Item lib. 3. *Hac caſti maneant in relligione nepotes.*
Commodiſſimè Germanus. Furias in limine ſediſſe notat, quod, vt ait Naſo 4. Metamorph.
*— Sedes ſcelerata vocatur.*
Tibullus lib. 1. el. 3. *At ſcelerata iacet ſedes ſub nocte profunda, &c.*

*Ipſa Deûm a pœnas docuit, pérque omnia duxit.*
*Gnoſſius b hæc Rhadamãthus habet duriſſima regna* Rhadamãthus.
*Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri*
*Quæ quis apud ſuperos, furto c lætatus inani,*
*Diſtulit in ſeram d commiſſa piacula mortem.*
*Continuò e ſontes vltrix accincta flagello,*
*Tiſiphone quatit inſultans, toruóſque ſiniſtrâ*
*Intentans angues, vocat agmina f ſæua ſororum.*
*Tum demum g horriſono ſtridentes cardine ſacræ h*
*Panduntur portæ, cernis cuſtodia qualis i*

a Quæ deorum iuſſu nefarijs & conſceleratis apud inferos irrogantur.
b Cretenſis à Gnoſſo ciuitate. Rhadamanthus Minois frater propter iuſtitiam factus iudex inferorum.
c Latebrâ non profutura: poſt mortem enim omnia deteguntur. Donatus. Hanc, inquit, ille habet poteſtatem vt verberibus & tormentis extorqueat, & ad confeſſionem vſque perducat.
d Quo tempore ſerum eſt & inutile de admiſſis in vita piaculis pœnitere: non enim ampliùs ſacrificijs, precibus, & initijs expiantur.
e Statim atque Rhadamanthus habita de ſceleratis queſtione, confeſſionem ab eis ſcelerum in vita cõmiſſorum expreſſerit.
f Duas tantum habuit ſorores Tiſiphone, Alecto & Megæram: agmina tamen ſororum appellat, quia caput earum tot erat ſerpentibus implicatum, vt iis ſe ſubrigentibus non duæ eſſe viderentur, ſed quandam aciei ſpeciem exhiberent.
g Poſtquam, inquit Sibylla, ſontes à Rhadamantho conuicti, & Tiſiphonæ vltrici traditi fuerint ad ſupplicium, tum demum Tartari fauces reſerantur, vt damnatos abſorbeant.
h Diræ, execrandæ.
i Tiſiphone ponitur extra tartarum, non longè à Rhadamantho: Furiarum maxima, id eſt, Megæra paulò pòſt dicetur iuxta Tantalum excubare. Reſtat igitur vt hanc portarum cuſtodiam vel ipſi Alecto, vel alij monſtro commiſſam fuiſſe dicamus.

*Veſtibulo ſedeat? facies* a *quæ limina ſeruet?*
Tartarus. *Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra*
*Sæuior intus habet ſedem* b*: tum Tartarus ipſe*
*Bis patet in præceps tantum, tenditq́; ſub vmbras,*
*Quantus ad æthereum cœli ſuſpectus Olympum.*
*Hîc genus antiquum terræ, Titania* d *pubes,*
Titanes. *Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo,*
Aloidæ. *Hîc & Aloidas geminos* e *immania vidi*
*Corpora: qui manibus magnum reſcindere cœlum*
*Aggreſsi, ſuperiſque Iouem detrudere regnis.*
*Vidi & crudeles dantem Salmonea* f *pœnas,*
Salmoneus. *Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi?*
*Quatuor hic inuectus equis* g*, & lãpada quaſſans*

a Quæ forma, quàm monſtroſa ſpecies.

b Hydra immanis, & Furijs ipſis crudelior quinquaginta fauces immani rictu diducens, tamque profundis hiatibus aperiens, vt atri & caliginoſi appareant, intus habitat. Quam Hydram excipit Tartarus, id eſt carcer inferorum, cuius profunditas eſt duplò maior illo ſpatio quod eſt inter cœlum & terram, ſuſpectus eſt adſpectus ex inferiore loco in ſuperiorem. Tartarus in præceps patere dicitur, quia dehiſcens oſtendit præcipitia, rupeſque præruptas.

c In Tartaro.

d Titanes Terræ filij bellum dijs intulerunt, de quibus aliter alij fabulantur.

e Othus & Ephialtes fratres gemini fuerunt, ex matre Iphimedia & patre Neptuno. Dicuntur tamen Aloïdæ ab Aloëo Iphimediæ marito, vt Hercules Iouis filius Amphitryoniades ab Amphitryone Alcmenæ coniuge: de immani corporis eorum magnitudine conſulendus Homerus Odyſſ. 11.

f In eodem Tartari fundo vidi Salmoneum Regem Elidis ſiue Olympiæ grauiter punitum propter ſuperbiam qua fulmen & tonitru voluit imitari.

g Credebatur Iupiter quadrigis per cœlum inuehi, & rotarum ſonitu tonitrui fragorem excitare. Horatius.

—*Tu graui curru quaties olympum.*

*Per Graïum populos, mediæque per Elidis vrbem*
*Ibat ouans: Diuûmque ſibi poſcebat honorem,*
*Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen*
*Ære, & cornipedum curſu ſimularet equorum.*
*At pater omnipotens denſa inter nubila telum*
*Contorſit* a *( non ille faces, nec fumea tædis*
*Lumina ) præcipitemque immani turbine adegit.*
*Nec non & Tityon* b *terræ omniparentis alum-*
*num* b
*Cernere erat: per tota nouem cui iugera corpus* Tityus.
*Porrigitur, roſtróque immanis vultur adunco*
*Immortale iecur tundens, fæcundáque pœnis*
*Viſcera* d, *rimatúrque epulis, habitatque ſub alto*
*Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.*

Item —*Namque Dieſpiter*
*Plerumque per purum tonantes*
*Egit equos volucrémque currum.*
Quare Salmoneus æreis quadrigis tonitru, lampade fulgura voluit imitari
a At Iupiter non faculas tantùm, tædáſque è craſſiore materia fumantes, quaſſauit vt Salmoneus, ſed verum telum verúmque fulmen ita contorſit è nubibus, vt illum immani turbine inuolueret, & præcipitem ad terram affligeret.
b Tityus cùm Latonæ vim inferret, ſagittis ab Apolline confoſſus eſt eã ob rem apud inferos cruciatur. de quo Ouidius
*Sic inconſumptum Tityi ſempérque renaſcens*
*Non perit, vt poßit ſæpè perire, iecur.*
c Vel filium, vt ait Homerus 11. Odyſſ.
γαίης ἐρικυδέος υἱόν.
vel quia cùm eſſet filius Elaræ, natus eſt tamen ſub terra & ibi educatus. Apollonius lib 1. ἔτεκέν γε
δὴ Ἐλάρη θρέψεν τ' καὶ ἂψ ἐλοχεύσατο γαῖα.
*Hunc Elare peperit, Tellus nutriuit alumnum.*
d Quæ ſemper renaſcuntur ad pœnam.

*Quid memorem Lapithas* [a]*, Inioxa* [b]*, Pirithoúmque* [c]*?*
*Quos ſuper atra ſilex iam iam lapſura, cadentique*
*Imminet aſsimilis: lucent genialibus altis*
*Aurea fulcra toris* [d]*: epulæque ante ora paratæ*
*Regifico luxu: Furiarum maxima* [e] *iuxtà*
*Accubat, & manibus prohibet contingere menſas:*
*Exurgitque facem attollens, atque intonat ore.*

Alij ſcelerati.

[a] Populos Thraciæ impios & ſceleratos, de quibus lib. 7. verſu 305. de horum pœna nihil apud poëtas memini me vidĕre: horum Rex fuit Ixion.

[b] Iunonem amauit, nubem pro Iunone amplexus eſt: nati inde Centauri: ipſe apud inferos ſerpentibus & rota cruciatur, de ſerpentibus. 3. Georg. verſu 38.

*——Tortoſque Ixionis angues.*

de rota 4. Georg. verſu 484.

*Atque Ixionei vento rota conſtitit orbis.*

religatus enim fuit ad rotam circumfuſam ſerpentibus, eíque perinde ac Pirithoo ſilex cadenti ſimilis imminebat.

[c] Vnus è Lapthis fuit, qui deſcendit cum Theſeo ad rapiendam Proſerpinam.

[d] Ad Tantali pœnam alludit, qui ſiue quòd deorum ſecreta detexerit, ſiue quòd Pelopen filium dijs epulandum appoſuerit, in fluuio mento tenus demerſus bibere nequit, nec frui pomis ad caput pendentibus, vt ſcribit Homerus, álij tamen putant hoc etiam ſupplicium ex mente Virgilij Ixioni & Pirithoo fuiſſe irrogatum. *Genialis* autem *lectus* auctore Feſto *qui nuptiis ſternitur in honorem Genij, unde & appellatur.* fulcra ſunt adminicula & pedes quibus lecti diſcubitorij fulciuntur.

[e] Alij Alecto, alij Megæram. Seruius famem ipſam intelligit, huic interpretationi fauet Homerus 12. Odyſſ.

πάντες μὲν ϛυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι.
λιμῷ δ' οἴκτιϛον θανέειν, καὶ πότμον ἐπιςπεῖν.
*Omne genus lethi eſt odio mortalibus ægris.*
*Sed quam dira fames tulit eſt odioſior omni.*

Nihilo tamen ſeciùs ab eruditis viris explóditur.

*Hic* , a *quibus inuiſi fratres , dum vita manebat,*
*Pulſatuſve parens , & fraus innexa clienti* b:
*Aut qui diuitijs ſoli incubuêre repertis* c,
*Nec partem poſuêre ſuis : quæ maxima turba eſt:*
*Quique ob adulterium cæſi* d : *quique arma ſecuti*
*Impia , nec veriti dominorum fallere dextras.*
*Incluſi pœnam exſpectant* e , *ne quære doceri*
*Quam pœnam , aut quæ forma* f *viros fortunáve merſit.*

a In eodem Tartaro.
b De clientibus & patronis, vide Sextianam §. 8. & alibi l LexXII.tabularum hæc fuit, *Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto.* Alij hunc verſum de præuaricatoribus intelligunt, qui decipiunt ſuos clientes.
c Aut qui diuitias nacti ad ſe hæreditate tranſmiſſas, vel propria ſollicitudine quæſitas, eas ita conſeruant & ampleċtuntur vt eas fouere , & tanquam gallinæ ouis incubare videantur,nec ſuis amicis & propinquis partem diuitiarum ſuarum tribuerunt.
d Putant interpretes obiter attingi quædam quæ ſub ea tempora quibus ſcribebat Virgilius contigerunt , verbi cauſa, Criſpus Salluſtius in adulterio deprehenſus eſt , & virgis cæſus à Milone. Arma ſecuti ſunt impia, qui Iulium Cæſarem à quo ſeruati fuerant occiderunt,& patriæ bellum intulerunt; non autem Auguſtus qui pietatis & vlciſcendi patris cauſſa bellum ciuile ſuſcepit. Sextus Pompeius ſeruos armauit.

*Minatus vrbi vincla,quæ detraxerat.*
*Seruis amicus perfidis.*

vt auċtor eſt Horatius, qui non ſunt *veriti dominorum fallere dextras* , id eſt fidem dominis ſuis debitam perfidia violare. Fidei enim ſedes in dextera, vt vidimus 3 Æneid. verſu 610.
e Non ſolum præſentis pœnæ dolore, ſed etiam impendentis expeċtatione torquentur, quia ſemper veteribus ſupplicijs noua ſuccedunt, & *Finis vnius mali*

*Gradus eſt futuri.*

Quod ſupplicij genus.

*Saxum ingens voluunt alij* a, *radiiſque rotarum*
*Diſtricti pendent,* b *ſedet, æternúmque ſedebit* c
*Infelix Theſeus, Phlegyaſque* d *miſerrimus omnes*
*Admonet, & magna teſtatur voce per vmbras:*
*Diſcite iuſtitiam moniti & non temnere Diuos:*
*Vendidit hic auro patriam* e *dominúmq; potentem*

a Vt Siſyphus, quem tradit Lucretius, perpetuo nixantem trudere *ſaxum, quod tamen à ſummo iam vertice rurſum*
*Voluitur, ac plani raptim petit æquora campi.*

b Alij rotis torquentur, vt apud Tibullum, Ixionis
*Verſantur celeri nox in membra rotâ.*

apud Naſonem. *Voluitur Ixion, & ſe ſequiturque fugitque.* Radij porro rotarum ſunt ligna quibus rotarum curuatura ſiue canthus axi connectitur. Naſo 2. metamorph.
*Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ*
*Curuatura rotæ, radiorum argenteus orbis.*

c Theſeus, vt ſuprà dictum, Proſerpinam rapturus ad inferos viuus deſcenderat, fueratque detentus à Plutone: ſed Hercules eum liberauit. Quomodo igitur *ſedet æternumque ſedebit?* Quia poſt mortem iiſdem ſupliciis redditus eſt, à quibus viuus euaſerat. Nam quod aiunt tam vehementer abreptum fuiſſe, vt ea pars corporis, qua ſedebat, in ſede remaneret, per quàm inſulſum eſt, & contortum.

d Phlegyas Ixionis pater fuit, qui cùm Apollinis templum incendiſſet, eiuſdem Dei telis ad inferos detruſus eſt. Phlegyæ item, vt ait Euphorion, populi fuerunt in Deos impij, quos Neptunus aquis inuoluit: vt Horemus, in Thracia iuxta Cephiſſidem paludem habitarunt, quos crebris fulminibus, vt ſcribit Pauſanias, & aquarum inundationibus Deus funditus aboleuit vnde duplex ſenſus elici poteſt: alter, Theſeus miſerrimus omnes Phlegyas monet, vt ſuo exemplo moniti diſcant Deos non contemnere. Alter, Phlegyas pater Ixionis admonet omnes vt ſuo exemplo moniti diſcant exercere iuſtitiam, & Deos non contemnere.

e Quidā de C. Curione dictum volunt qui pecuniis à Cæſare corruptus, turbauit Remp. bellis ciuilibus facem admouit, cauſſaque fuit vt Cæſar ſummā in Rep. poteſtatē occuparet. Non placet, id enim valdè Auguſtum offenderet, ſi Iulius Cæſar dominus patriæ, inuidioſo planè nomine diceretur.

*Impoſuit : fixit leges* a *pretio , atque refixit.*
*Hic thalamũ inuaſit natæ* b, *vetiróſq;* c *hymenæos:*
*Auſi omnes immane nefas* d *, auſoque potiti .*
*Non mihi ſi linguæ centum ſint , oráque centum,*
*Ferrea vox , omnes ſcelerum comprendere formas,*
*Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.*
*Hæc vbi dicta dedit Phœbi longæua* e *ſacerdos:*
*Sed iam age , carpe viam , & ſuſceptum* f *perfice munus,*
*Acceleremus , ait , Cyclopum educta caminis*
*Mœnia conſpicio* g, *atque aduerſo fornice* h *portas:* *Mœnia Plutonis.*
*Hæc vbi* i *nos præcepta iubent deponere dona.*

*a* Leges in tabulas æreas inciſæ clauis ad parietem in Capitolio figebantur: vnde leges figere eſt eas ferre : refigere verò eſt fixas huiuſmodi tabulas auellere & leges abrogare. Seruius hoc de Antonio Triumuiro dictum exiſtimat, de cuius legibus pretio fixis & refixis, vide Philippicas.
*b* Nonnulli de Cicerone dictum putant : non credo licet, id crimen Salluſtius & alij quidam per calumniam obiecerint.
*c* Nuptias & legibus & natura prohibitas , quantumuis Seruius refragetur.
*d* Id Seruius ait dici *ſecundum Romanum ritum, in quo non tantùm exitus punitur, ſed & voluntas.* Sed vide Milonianam §. 19. Nota 3.
*e* Vide ſuprà verſu 321.
*f* Æneas ſuperiùs ramum aureum Proſerpinæ ſacrum decerpſerat , ac proinde munus dijs offerendum ſuſceperat: monet igitur Sibylla vt perficiat ſiue abſoluat opus inchoatum, munuſque deponat.
*g* Cyclopes artem ferrariam inuenerunt, primíque vrbes munierunt , vt ſcribit Plinius. Cyclopum caminis educta fuiſſe dicit Maro, vt innuant ferrea fuiſſe, eaque firmiſſima: vide interpretes. *h* Portas Plutonis è regione nobis oppoſitas, & fornice cameratas. *voutées.*
*i* In quibus portis dij nobis præcipiunt ramum hunc aureum deponere.

*Dixerat, & pariter greſſi* a *per opaca viarum*
*Corripiunt ſpatium medium, foribúſq; propinquant,*
*Occupat Æneas aditum, corpúſque recenti*
*Spargit aqua* b, *ramúmque aduerſo in limine figit.*
Elyſii campi. *His demum exactis, perfecto munere Diuæ,*
*Deuenêre locos lætos, & amœna vireta*
*Fortunatorum nemorum,* c *ſedéſque beatas.*
*Largior hîc* d *campos æther, & lumine veſtit*
*Purpureo* e: *ſolémque ſuum ſua ſidera norunt.*
*Pars in gramineis exercent membra palæſtris* f:
*Contendunt ludo, & fulua luctantur arena.*
*Pars pedibus plaudant choreas, & carmina dicunt:*
*Nec non Threicius* g *longa cum veſte* h *ſacerdos*

*a* Æneas & Sibylla pariter ingreſſi per vias vel caligine obſcuras, vel denſis arborum ramis opacatas.

*b* Qui cœleſtibus litabant, inquit commodiſſime Cerdanus, abluebantur: qui in inferis, ſatis erat ſi leniter ſpargerentur, vt in 4. *Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.* ſupra *Spargens rore leui* ——
Ideò autem, vt Seruius notat expiare ſe debuit Aeneas, quia aſpectu Tartari pollutus fuerat & inquinatus.

*c* Deuenerunt ad campos Elyſios.

*d* In campis Elyſiis.

*e* Splendido, quemuis enim colorem viuidum & ſplendentem purpuram dicebant. Horatius,

*Viſam purpureis ales oloribus.*

Pedo Albinouanus de obitu Mecœnatis.

*Brachia purpurea candidiora niue.*

*f* Palæſtra locus luctæ deſtinatus: παλαίειν luctari.

*g* Orpheus qui plurima ſacra cæremoniaſq; Græcis inſtituit.

*h* De more, tibicines & citharœdi longa veſte prodibant in theatrum. Horatius de Arte.

*Tibicen traxitque vagus per pulpita veſtem.*

Propertius lib. 2. eleg. 32.

*Pythius in longa carmina veſte ſonat.* Tibullus lib. 4. Elegia 4. *Ima videbatur talis alludere palla*, &c.

*Obloquitur numeris* a *ſeptem diſcrimina* b *vocum,* Orpheus.
*Iámq; eadem digitis* c, *iam pectine pulſat eburno:*
*Hîc genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,*
*Magnanimi heroës, nati melioribus* d *annis,*
*Ilúſque, Aſſaracúſq; & Troiæ Dardanus* e *auctor:*
*Arma procul, currúſque virûm miratur inanes* f: Troiani in Elyſiis.
*Stant terræ defixæ haſtæ, paſſimque ſoluti*
*Per campos paſcuntur equi: quæ cura nitentes*
*Armorumque fuit viuis, quæ gratia currûm,*
*Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.*
*Conſpicit ecce alios dextrâ, læuâque per herbam*
*Veſcentes* g, *lætúmque choro pæana* h *canentes,*

Talis fuit ille Euangelus Tarentinus, de quo plura Lucianus ad indoctum multos libros coëmentem.

*a* Citharæ fides numerosè carpit, & ſimul voce modulatur. obloqui enim numeris eſt τῇ κιθάρᾳ ἀντιφωνεῖν *occinere.*

*b* Citharæ ſeptem fides ſiue chordas habuerunt: quarum ſingulæ peculiarem ſonum edebant. Septem itaque vocum diſcrimina ſunt, ſeptem modulorum differentiæ, ſiue ſonorum inflectiones. Fulgentius ad ſeptem muſicæ genera putat alludi, diaſtemata, ſyſtemata, phthongos, tonos, metabolas, melopœias.

*c* Digitis pulſat vocum diſcrimina, qui ſiniſtra manu fides carpit ad citharæ manubrium: pulſat pectine, qui ad citharæ medium eburneo quodam inſtrumento eaſdem fides percutit. vnde & plectrum ἀπὸ τοῦ πλήττειν vocatur

*d* Quo tempore priſca morum ſanctitas vigebat: vel quo tempore res Troianæ florebant, quæ Priami regno ſunt peſſundatæ.

*e* Alibi. *Dardanus Iliacæ primus pater vrbis, & auctor.* Hi tres fuerunt Reges Troiæ, ex Æneæ maioribus.

*f* Vacuos ſeſſoribus.

*g* Videtur ad Muſæum alludere, qui, vt teſtatur Plato libris de rep. dicebat beatorum animas perpetuò epulari.

*h* Pæan propriè carmen eſt in laudem Apollinis qui Pæan

*Inter odoratum lauri nemus: unde ſupernè*
*Plurimus Eridani* a *per ſyluam voluitur amnis.*
*Hîc manus* b *ob patriam pugando vulnera paſſi,*
*Quique ſacerdotes caſti,* c *dum vita manebat:*
*Quique pij vates, & Phœbo digna locuti:*
*Inuentas aut qui vitam* d *excoluêre per artes:*
*Quique ſui* e *memores alios fecêre merendo:*
*Omnibus his niueâ* f *cinguntur tempore vittâ,*
*Quos circumfuſos ſic eſt affata Sibylla.*
Muſæus *Muſæum* g *ante omnes medium nam plurima turba*
*Hunc habet, atque humeris extantem ſuſpicit altis.*
Sibylla Muſæo. *Dicite felices animæ, túque optime vates* h,
*Quæ regio Anchiſen, quis habet locus? illius ergò* i
*Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.*

vocatur: hic ſumitur pro quouis cantu lætitiæ & gratulationis. Pæana autem canere vno verbo apud Latinos dicitur, *vitulari*; in ſacris maximè teſte Macrobio.

*a* Eridanus ſiue Padus fluuius eſt Longobardiam præterfluens in quem, ſi credere dignum eſt Phaëthon è cælo deiectus eſt. Eum alij in cœlo, alij in inferis eſſe fabulantur, quia plurima eius pars abſorbetur in profundum barathrum præcipitata, vt notat Cerdanus, poſt Goropium.

*b* In campis Elyſijs eſt manus ſiue multitudo eorum qui pro patria pugnantes, in acie ſunt vulnerati.

*c* Puri & religioſi. vide Sextianam §. 56. Nota 6.

*d* Qui vitam humanam incultam priùs & belluinam, artium inuentione polierunt, & ex priſtina illa immanitate, ad humanitatem manſuetudinémque traduxerunt.

*e* Et qui collatis in genus humanum beneficijs virtutis ſuæ memoriam poſteritati tranſmiſerunt.

*f* Hi omnes diademate, quod nihil eſt aliud quàm vitta ſiue faſcia candida coronantur. Vide Sextianam §. 58. Nota 4.

*g* Poëtam inſignem qui floruit ante bellum Troianum.

*h* O Muſæe.

*i* Illius cauſa, propter illum.

*Atque huic a reſponſum paucis ita reddidit hero.* Muſæi ἡρῷο.
*Nulli certa domus: lucis* b *habitamus opacis,*
*Ripárumque toros,* c *& prata recentia riuis* d
*Incolimus: ſed vos (ſi fert ita corde voluntas)*
*Hoc ſuperate iugum,* e *& facili iam tramite ſiſtam.*
*Dixit & antè tulit greſſum campóſque nitentes*
*Deſuper oſtentat: dehinc ſũma cacumina linquunt.*
*At pater Anchiſes penitùs* f *conualle virenti*

*a* Sibyllæ interroganti paucis reſpondit Muſæus.
*b* Luci propriè ſunt ſyluæ opacæ, diis & heroibus conſecratæ τὰ τεμένη. Vide Milonianam §. 86. Nota 3.
*c* Tori dicuntur à torta herba, vt auctor eſt Varr. Noſter lib. 5.

*—Viridante toro conſederat herbæ.*

quos Orator 2 de natura deorum. *Riparum veſtitus viridiſſimos* appellat. *tori* igitur *riparum* ſunt ripæ herbidæ èminentes, alij. vt diximus in Nonnum, ὀφρύας & ſupercilia riparum dicere maluerunt quod ripæ ſuperciliorum inſtar emineant, & herbis, quaſi pilis veſtiantur.
*d* Prata recentibus perennitérque fluentibus riuis irrigata.
*e* Seruius. *Diuiduntur montes in radices, latera, vertices pro locorum qualitate* — & Ouidius 4. Metamorph. Atlantem in montem conuerſum ita deſcribit.

*——Iuga ſunt humeri que manúſque,*
*Quod caput ante fuit, ſummum eſt in monte cacumen.*

hic tamen vix vlla videtur eſſe inter iugum & cacumen diſtinctio: niſi ſi dicamus eos ſuperato iugo etiam montis verticem adſcendiſſe, vnde deſcenderunt in ſubiectam conuallem.
*f* Vel *penitùs virenti*, id eſt valdè virenti. Seruio interprete, vel *penitùs incluſas*, id eſt in intima & penitiſſima conuallis parte. Porrò incluſas ait, vel quibus adhuc apud inferos incluſis libertas nondum erat ad vitam exeundi. Vel in variis ſeptis ſeparatas, vt ſingularum ſortem faciliùs agnoſceret. Vel multitudinem animarum innuit, per emphaſin, quaſi diceret tot erant animæ, vt eas Anchiſes numerare non poſſet, ſed eas in locum certum includeret per partes, vt ex vnius partis numero de tota multitudine iudicaret. Quemadmodum fecerunt Xerxes & Darius, qui

*Incluſas animas ſuperúmque ad lumen ituras,*
*Luſtràbat* b *ſtudio recolens : omnémque ſuorum* — Anchiſes luſtrat animas poſterorum.
*Fortè recenſebat numerum, charóſque nepotes,*
*Fatáque, fortunáſque virûm, moréſque, manuſque* c.
*Iſque,* d *vbi tendentẽ aduerſum per gramina vidit*
*Ænean, alacris palmas vtraſque tetendit:*
*Effuſæque genis* e *lacrymæ, & vox excidit ore* f — Æneam excipit.
*Veniſti tandem, tuáque expectata parenti*
*Vicit iter durum pietas : datur ora tueri* — Anchiſes Æneæ.
*Nate tua, & notas audire, & reddere voces:*
*Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,*
*Tempora dinumerans :* g *nec me mea cura fefellit.*
*Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum*
*Accipio! quantis iactatum, nate, periclis!*
*Quàm metui ne quid Libyæ tibi regna nocerent!*
*Ille autem : Tua me genitor, tua triſtis* h *imago* — Æneas Anchiſæ.
*Sæpius occurrens hæc limina* i *tendere adegit.*

ſuum exercitum præ multitudine non numerabant, ſed vno loco incluſos per myriadas metiebantur.

*a* Alludit an μετεμψύχωσιν Pythagoræorum & Platonicorum qui dicebant animas ex aliis corporibus in alia tranſmigrare.

*b* His verbis ad cenſum & luſtra pop. Romani alludit, quæ ſingulis quinquenniis fiebant à Cenſoribus.

*c* Res manu præclare geſtas.

*d* Anchiſes

*e* Palpebris. Ennius, apud Seruium, de dormiente. *Imprimiſque genæ genam.* Tamen vt ait Plinius, *antiqui malas genas vocabant*, quod etiam nunc magis eſt viſitatum.

*f* Non cogitanti præ lætitia vox effuſa eſt.

*g* Dies & horas præ deſiderio numerans, quibus aduentum tuum differebas.

*h* Quæ me terrebat in ſomnis, mihique triſtitiam pariebat.

*i* Catachreſis pro, ad has oras, ad hanc regionem.

*Stant ſale Tyrrheno claſſes :* a *da iungere dextram,*
*Da genitor, téque amplexu ne ſubtrahe noſtro.*
*Sic memorans largo fletu ſimul ora rigabat.*
*Ter conatus ibi collo dare brachia* b *circùm:*
*Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,*
*Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.*
*Intereà* c *videt Æneas in valle reducta*
*Seclusum nemus, & virgulta ſonantia ſyluis,*
*Lethæúmque, domos placidas quipræ natat, amnem,*
*Hunc circum innumeræ gentes, populique* d *volabant:* Lethe.
*Ac veluti* e *in pratis, vbi apes æſtate ſerena*

*a* Naues meæ iam ad Italiam appulſæ ſunt, & in littore maris Tyrrheni iactis anchoris ſtabilitæ, id autem, vel non interrogatus dicit ex effectu, vt omnem ſollicitudinem è patris animo detergat: vel quia dixerat.

*Quàm metui ne quid Libyæ tibi regna nocerent.*

Reſpondet, interprete Cerdano. Pone hanc curam, ô pater, nihil mihi nocuerunt, non me Carthago, non Dido auertit, ſum iam in aditu Italiæ.

*b* Vide lib. 2. verſu 792.

*c* Dum inter ſe loquuntur mutuiſque affectibus ſibi blandiuntur, videt Æneas nemus ſecluſum: id eſt, vel ab aliis ſyluis denſioribus ſeparatum, vel apertum & non clauſum, & ſyluas virgultis ſonantes, lenique Zephyri ſuſurrantis aura ventilatas, & Lethæum fluuium qui campos Elyſios præterfluit, hic eſt figurata locutio non enim fluuius natat, ſed nos in fluuio natamus, vt Seruius aduertit.

*d* Quæ ſit inter gentes & populum diſtinctio videri poteſt è verſu 202. lib 10. Æneidos.

*Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni,*

*e* Perſpicua eſt comparatio, niſi quòd videtur eſſe ἀνακόλουθον hæ enim particulæ, *Ac veluti*, antapodoſin exigebant. Niſi dicamus hæc verba. —— *Strepit omnis murmure campus*, non de apibus ſed de animabus eſſe prolata, hoc ſenſu. Ac omnis campus Elyſius ſtrepit murmure circumuolitantium animarum veluti in campis cùm apes variis inſident floribus, &c.

Comparatio.

*Floribus inſidunt variis, & candida circum*
*Lilia funduntur, ſtrepit omnis murmure campus.*
*Horreſcit viſus ſubito, cauſſaſque requirit*
*Inſcius Æneas, quæ ſint ea flumina porrò,*
*Quive viri tanto complerint agmine ripas.*

Anchiſes exponit cur animæ eant ad Lethen.

*Tum pater Anchiſes: [a] Animæ quibus altera fato*
*Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam*
*Securos latices, & longa obliuia potant,*
*Has equidem memorare tibi atque oſtendere coram*
*Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum,*
*Quò magis Italiâ tandem lætere repertâ.*

Æneas.

*O pater! anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt.*
*Sublimeis animas? iterúmque ad tarda reuerti*
*Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?*

*Dicam equidem, nec te ſuſpenſum nate tenebo:*

Anchiſes.

*Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.*
*Principio cœlum, ac terras, [c] campoſque liquenteis*

a Animæ quibus fatis conceſſum eſt in altera corpora tranſmigrare, (altera vocat reſpectu priorum, in quibus fuerant) hæ, inquam animæ iuxta fluuium Lethen aquas bibunt, quæ ipſis & longam præteritarum rerum obliuionem, & futurarum ſecuritatem impertiant.

b Vitæ. Vide Milonianı §.7. Nota 1.

c Pythagoras, vt ſcribit Cicero 1. de nat. Deorum, *cenſuit animum eſſe per naturam intentum & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur*, id eſt, cenſuit mentem diuinam per omnia elementa eſſe diffuſam, & animos hominum ex vniuerſa mente diuina delibatos atque decerptos. vt dicitur tum libro de Senectute, tum quinta Tuſculana, & pulcherrimè 3. Georg. à verſu 220. Addebat idem Pythagoras animas ex alijs corporibus belluarum & hominum vltro citróque tranſmigrare. Ex hac doctrina reſpondet Anchiſes Æneæ

*Lucentémque globum Lunæ, Titaniaque* a *aſtra* 629.
*Spiritus intus alit :* b *totamque infuſa per artus* c
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore* d *miſcet.*
*Inde hominum,* e *pecudúmque genus, vitæque volantum,*
*Et quæ marmoreo* f *fert monſtra* g *ſub æquore põtus.*

*Mens diuina per mūdum diffuſa. Animæ particulæ.*

ſciſcitanti an animæ cupiant ad corpora reuerti, hunc in modum. Cùm animi, inquit, humani ſint quædam auræ diuinæ particula, & à diuina illa mente deducti, ſunt immortales, & quicquid in iis eſt paſſionibus ſiue perturbationibus obnoxium, id habent non à ſeipſis, ſed à corporibus, materiæ contagio. Quod ſi per ſe ſunt immortales & ipſi agitatione perpetua vegetantur, & ad vegetanda corpora propendent quadam inclinatione naturæ : niſi impediantur ſordibus quas in vita è corporis coniunctione contraxerant, memoriâ præteritorum & præuiſione malorum impendentium. Poſtquam igitur per mortem è corporis vinculis euolarint, ſupplicia veterum malorum expendunt, vt à contractis ſuperiore vita ſordibus expiantur, deinde proficiſcuntur ad Lethen quæ præteritorum malorum obliuionem, & futurorum ſecuritatem inducit: & ita cupiunt rurſus ad corpora reuerti, & ſublatis impedimentis, quibus retardari poterant, inclinationi ſuæ naturæ obſequuntur, vt corporibus vitam impertiant, per *campos autem liquentes* intelligit mare, quod camporum inſtar liquidos fluctus extendit in planum.

a Aſtra quibus præſidet ſol, quem vnum è Titanibus eſſe fabulantur.

b Spiritus diuinus implet, vegetat, & informat.

c Per elementa quæ veluti ſunt membra & artus vniuerſi.

d Videtur eſſe antipthoſis pro *miſcet ſe magno corpori, vt hæret —— pede pes.*

e Ex illa vniuerſa mente ſpirituque diuino vita hominum, pecudum, auium piſcium, dimanat, & quaſi riuulus quidam à fonte accerſitur.

f Cuius ſuperficies marmoris inſtar eſt læuigata.

g Piſces, quorum plerique ſunt portentoſæ magnitudinis, facilius quàm cæteræ animantes in monſtruoſas figuras degenerant propter materiæ, è qua concreti ſunt, fluiditatem

*Igneus eſt ollis* a *vigor, & cæleſtis origo*
*Seminibus: quantùm non noxia corpora tardant,*
*Terreníque hebetant artus, moribundáque membra.*
*Hinc* b *metuunt, cupiuntque, dolent, gaudéntque: nec auras*
*Reſpiciunt,* c *clauſæ tenebris & carcere* d *cæco.*
*Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,*
*Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes*
*Corporeæ excedunt peſtes:* e *penitúſque neceſſe eſt*
*Multa diu concreta modis inoleſcere miris.*
*Ergo exercentur pœnis,* f *veterúmque malorum*
*Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos:* g *alijs ſub gurgite vaſto*

Animi perturbationes.

Sordes animæ quomodo eleuantur.

*a* Animabus eſt igneus vigor & origo cœleſtis propter ſemina è quibus illæ conflatæ ſunt, qui vigor in perpetuo eſſet motu, & ad originem ſuam perenni agitatione contenderet, niſi ipſum terrenum corpus & materia retardaret, & hebetaret obtunderétque.

*b* Ex hac concretione materiæ timor, deſiderium, dolor, gaudium, & aliæ paſſiones oriuntur.

*c* Nec animæ auras & lucem reſpiciunt corporibus, quaſi quibuſdam ergaſtulis, incluſæ.

*d* Corpus Græcis dicitur σῶμα quaſi σῆμα *ſepulchrum*, & δέμας quaſi δεσμὸς *vinculum*.

*e* Sordes è corporis coniunctione contractæ per mortem non exterguntur, ſed neceſſe eſt multas labes animabus quodammodo incorporari. *Funditus excedere* eſt ea penitiſſimis partibus, & velut ex ipſo animæ fundo penitus auelli.

*f* Ad abſtergendas labes ſuperiore vita contractas apud inferos cruciantur.

*g* Vt veſtes aurâ peſtilenti infectæ panduntur & explicantur ad ventum, ita quædam animæ ad detergendas ſuperioris vitæ maculas exponuntur ventis per inane, id eſt, per aërem ſolidorum corporum inanem ſpirantibus.

*Infectum* a *eluitur ſcelus, aut exuritur igni.*
*( Quiſque ſuos patimur manes,*b *exinde per amplũ*
*Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus)*
*Donec longa dies* c *perfecto temporis orbe*
*Concretam exemit labem, purúmque reliquit*
*Ætherium ſenſum, atque auraï ſimplicis* d *ignem.*
*Has omnes, vbi mille rotam voluêre per annos,*
*Lethæum ad fluuium Deus* e *euocat agmine magno*

*Animarum purgatio.*
*Lethe.*

*a* Vel inquinatum & quaſi lutulentum, vel non perfectum, non conſummatum: quia putabant non omnia peccata, ſed minora duntaxat expiari. Plato certe in Gorgia peccata in *ἰατὰ ſanabilia, & ἀνίατα inſanabilia*, quaſi in venialia & mortalia diſtinguit.

*b* Vnuſquiſque noſtrûm, prout magis aut minùs peccauit in vita, patitur pœnas, ſuis manibus deſtinatas: nos autem, qui excellentioris meriti ſumus, nec multis ſordibus inquinati, facilè purgamur, & in campos Elyſios ſubinde miſſi ſtabilem & perpetuam ibi ſedem obtinemus, qui pauci ſumus comparatione aliarum animarum quæ ſunt in corpora rediture.

*c* Superiores verſus duos includo parentheſi, vt ita cohæreat oratio. Aliæ animæ vento purgantur, aliis ſcelus aquâ eluitur: aliis igne exuritur, donec longa dies, ſiue temporis longitudo, confectis aliquot, & euolutis annorum circulis, labem concretam & penitus inhærentem atque inoletam exemerit, & animas reddiderit priſtinæ puritati.

*d* Animum homini datum ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſtellæ vocantur, putauerunt antiqui, vt dicitur in Somnio Scipionis.

*e* Has omnes animas quæ quidem ſunt expiatæ, non tamen tanti ſunt meriti vt perpetuum habeant in campis Elyſiis domicilium, vbi mille annos, qui quaſi rota voluuntur, indéque ſua per veſtigia redeunt, apud inferos exegerint: has, inquam, omnes animas Mercurius euocat ad Lethen, vt illius fluuij hauſtu præteritarum miſeriarum obliuiſcantur, & ad vitam redire deſiderent. De Mercurio animarum deductore & euocatore vide Homerum 24. Odyſſ. & alios paſſim: de mille annis Ciceronem, de vniuerſo, ſub finem.

*Scilicet immemores ſupera vt conuexa* a *reuiſant,*
*Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.*
Anchiſes eſt dit Æneæ poſteros. *Dixerat Anchiſes, natúmque, vnáque Sibyllam*
*Conuentus trahit in medios, turbámq; ſonantem* b*:*
*Et tumulum capit, vnde omnes longo ordine poſſit*
*Aduerſos legere,* c *& venientem diſcere vultus.*
*Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde ſequatur*
*Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,*
*Illuſtreis animas, noſtrúmque in nomen* d *ituras,*
*Expediam dictis, & te tua fata docebo.*
*Ille (vides?) purâ* e *iuuenis qui nititur haſtâ,*
*Proxima ſorte* f *tenet lucis loca: primus ad auras*
Syluius. *Ætherias Italo* g *commixtus ſanguine ſurget*

*a* Vide 4. Æneid. 411. —*Tædet cæli conuexa tueri.*

*b* Animarum obſtrepentitum. vt ſuprà.
—*Strepit omnis murmure campus.*

*c* Ex aduerſo venientes eligere, & ab aliis, qui è poſteris ſuis futuri non erant, dignoſcere.

*d* Familiam. vt apud Catullum, interprete Achille Statio.
—*Non decet Tam vetus ſine liberis Nomen.*

*e* Vel ſine ferro, vel incruenta. Cerdanus regale ſceptrum intelligit.

*f* Signatè Putabant enim animas apud Lacheſin non ſolùm genus, ſed ordinem vitæ ſortiri, quis primo, quis ſecundo loco naſceretur. Plato decimo de Rep. ſub finem multa refert in hanc ſententiam πρῶτος δ' ὁ λαχὼν, πρῶτος αἱρείσθω βίον, ᾧ συνέσται ἐξ ἀνάγκης. *Qui primus ſortitus fuerit, primus vitam ſumat, quam ex neceſſitate obtinebit.* Vide Cicero de vniuerſo. *Anno autem milleſimo vterque ad ſortitionem optionémque vitæ ſecundæ perueniens, optabit quod quiſque vitæ genus velit.*

*g* Quia Itala fuit Lauinia, Syluij mater.

*Syluius* a, *Albanũ nomen* b, *tua poſthuma* c *proles,*
*Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux*
*Educet ſyluis* d *regem, regúmque parentem,*
*Vnde genus Longa noſtrum dominabitur Albâ.* *Alii Reges Albani.*
*Proximus* e *ille Procas Troianæ gloria gentis,*
*Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet*
*Syluius Æneas, pariter pietate, vel armis,* f
*Egregius, ſi vnquam* g *regnandã acceperit Albam:*
*Qui iuuenes quantas oſtentent* h, *aſpice, vires.*

a Hunc Liuius & alii nepotem Æneæ, Aſcanij filium fuiſſe tradiderunt: Sextus Rufus Aſcanium Poſthumum appellat.
b Vel nihil aliud indicatur quàm *Albanus homo*, vt apud Horatium. *O relictum filiæ nomen*: vel innuit omnibus Albæ Lõgæ regibus nomen illud adhæſiſſe, vt etiam teſtatur Liuius lib. 1.
c Alij *Poſtuma* legunt, id eſt, *Poſtrema*: & Syluium volũt Æneæ iam ſeni & ætate prouecto natum fuiſſe. Sed teſtantur omnes Ænean ad ſenectutem non perueniſſe, ſed tertio, poſtquam ad Italiam acceſſerat anno, in humanis eſſe deſiiſſe. Alij *poſthuma*, & is poſthumus dicitur qui poſt humatum patrem natus eſt, quo ſenſu apud Gellium cap. 16. lib. 2. Noct. Attic. interpretans Apollinaris Sulpitius. *Longæuo*, inquit, *non ſeni (ſignificatio enim eſt contra hiſtoriæ fidem) ſed in longum iam æuum & perpetuum recepto, immortalique facto. Anchiſes enim qui hæc dicit ad filium, ſciebat eum, cùm ex hominum vita diſceſſiſſet, immortalem, indigetem futurum & longo perpetuóque æuo fruiturũ.*
d Poſt mortem Æneæ: vt narrat Seruius, Lauinia metu Aſcanij priuigni ſui confugerat ad ſyluas, ibique filium peperit: vnde Syluij nomen. Aſcanius non ſolùm eam reuocauit, ſed etiam Syluiam adoptauit, vnde Reges Albani.
e Proximus ſtandi ordine, non naſcendi, nam ſextus fuit Rex Albæ.
f Qui te nòn ſolùm nomine referet, ſed etiam tuam fortitudinem bellicam imitabitur, & pietatem.
g Ideò *ſi vnquam*, quia vix tandem anno quinquageſimo tertio regnum accepit, quod ipſius tutor inuaſerat: vt narrat Seruius.
h Præ ſe ferant.

*Coloniæ Albanorum.*

*At qui* a *vmbrata gerunt ciuili tempora quercu,*
*Hi tibi Nomẽtum, & Gabios, vrbémq; Fidenam,*
*Hi collatinas imponent montibus arces,*
*Pometios, Caſtrúmque Inüi* b, *Bolamq; Coramq;*
*Hæc tũ nomina erunt, nũc ſunt ſine nomine terræ.*
*Quin & auo* c *comitem ſeſe Mauortius* d *addet*
*Romulus, Aſſaraci* e *quem ſanguinis Ilia* f *mater*

*Romulus.*

*Educet, viden' vt geminæ* g *ſtent vertice criſtæ?*
*Et pater ipſe ſuo ſuperûm* h *iam ſignet honore?*

a Alii legunt, *Atque vmbrata*; malò cum viris eruditis legere. *At qui*, hoc ſenſu, At iſti quos vides corona ciuica redimitos, illi erunt coloniarum conditores: de corona ciuica ob ciues ſeruatos dari ſolita. Vide Piſon. §. 6. Nota 3.

b Notant Panem à Latinis Inuum fuiſſe nominatum. Sunt autem hæc nomina coloniarum Latinarum, licet incerti ſint earum conditores, ideò non appellat Poëta, ſed fingit ab Anchiſa intento digito fuiſſe monſtratos.

c Numitori.

d Filius Martis.

e Troiani ab Aſſaraco Troianorum Rege.

f Quæ etiam Rhea Syluia nominatur, hiſtoria communis eſt. Dicitur autẽ auo Numitori ſe comitem addidiſſe, quia cum reſtituit in regnum, è quo deiecerat eum Amulius, & cum eo per annum regnauit.

g De more, vnde & Imperatores à Græcis Δικόρυφοι & Δίλοφοι vocantur, vt aduertit Germanus, quòd duplicibus criſtis vterentur. Seruius ait Romulum omnia duplicia habuiſſe, quaſi cum fratre communia: ne reus parricidij videretur, vel vt eius interempti manes placaret.

h Et Iupiter ipſe pater ſuperûm, id eſt Deorum, iam hinc Romulum quodam diuinitatis radio perfundit, & quaſi notat & ad immortalitatem prædeſtinat. Alij nomine patris ipſum Martem intelligunt. Si quidem vt ait Horatius.

——— *Quirinus. Martis equis Acheronta fugit.*

Ouid. 2. faſt.

*Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther.*
*Fit fuga: Rex patriis aſtra petebat equis.*

*En huius, nate auſpiciis* a *illa inclyta Roma* Roma.
*Imperium terris, animos æquabit Olympo.*
*Septémque vna ſibi muro* b *circundabit arces,*
*Felix prole virûm* c *: qualis Berecynthia* d *mater*
*Inuehitur curru* e *Phrygias* f *turrita* g *per vrbes* h,
*Læta Deum partu, centum complexa nepotes,* Comparatio.

*a* Soli Imperatores in exercitu auſpicia habuere, Legati auſpiciis imperatorum pugnare dicebantur. Quare non ait rebus à Romulo geſtis imperium Rom. orbis terrarum finibus limitatum fuiſſe, ſed auſpiciis, & quaſi nomine, ſiue auctoritate. Vel *auſpiciis* dicit, quia Romulus vrbem condidit auſpicio vulturum duodecim. Vide Vatinianam.
*b* Atqui, vt ait Florus. *Ad tutelam nouæ* vrbis *ſufficere vallum videbatur*, & poſteà Ancus Martius *mœnia*; id eſt, munitionem illam & vallum, *muro amplexus eſt*. Sed hoc ipſum factum eſt auſpiciis Romuli primi conditoris. Atque vt obiter id attingam, vides cur Poëta lib. 2. muros à mœnibus diſtinxerit.

*Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis.*

& lib. 9 *Quæſitum ad muros & mœnia Pallantea.*
*c* Signanter virûm, ideſt fortium & bellicoſorum, vide Milonianam §. 83. Nota 3. & 2 Philipp. §. 23 Nota 2.
*d* Mater Deorũ à Berecyntho caſtello Phrygiæ iuxta fluuium Sangarium. Eadem Ops, Rhea, Magna mater, Cybele, Dindymene, Mater Phrygia nominatur. Eadem & Terra.
*e* Lucretius lib. 2. verſu. 600.

*Hanc veteres Graiûm docti cecinere poëtæ*
*Sublimem in curru biiugos agitare leones.*

*f* Idem *Idæam vocitant matrem, Phrygiaſque catervas.*
*g* *Muralique caput ſummum cinxere corona,*
*Eximiis munita locis quod ſuſtinet vrbes.*

*h* Sacerdotes Phrygii Idææ matris imaginem per vrbes inuehebant. Modus huius inuectionis ſic ab eodem poëta deſcribitur.

*Ergo cùm primùm magnas inuecta per vrbes.*
*Munificat tacitâ mortaleis muta ſalute,*
*Ære atque argento ſternuntiter omne viarum.*
*Largifica ſtipe ditantes, ninguntque roſarum.*
*Floribus vmbrantes Matrem, comitúmque catervas.*

*Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes.*
*Huc geminas huc flecte acies* a *hanc aſpice gẽtem*
*Romanóſque tuos: hic Cæſar, & omnis Iuli*
Augu-ſtus. *Progenies, magnum cœli ventura ſub axem.*
*Hic vir, hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis,*
*Auguſtus Cæſar, Diuûm* b *genus: aurea condet*
*Sæcula, qui rurſus* c *Latio, regnata per arua*
*Saturno quondam: ſuper & Garamantas* d *&*
*Indos.*

*a* Huc conuerte aciem oculorum.
*b* A Ioue, Venere, Aenea aliiſque dijs oriundum. Alij legunt *Diui genus*: videlicet adoptatus à Diuo Iulio, qui poſt mortem conſecratus eſt, & Diui nomen conſecutus.
*c* Qui reducet auream illam ætatem, qua fruebatur Latium regnante Saturno; vide librum 8 verſu 319.
*d* Auguſti laudes exaggerans dixerat forte vt is imperij Romani terminos, *ſuper* id eſt, vltra *Garamantas & Indos* promoueret, quia tamen Garamantes in extrema Africa, Indi in extrema Aſia degebant, nec vlterior terra cognoſcebatur: explicare debuit quænam eſſet ea terra. *Iacet*, inquit, *tellus* ideſt, in longum extenditur, *extra ſidera*, id eſt, vel extra conſpectum aſtrorum borealium, ſiue vrſæ maioris & minoris, quæ videri non poſſunt à populis alteris polo ſubiectis, vel *extra ſidera*, id eſt trans duodecim ſigna zodiaci. Eſt autem zodiacus, ſiue ſignifer circulus ſpatium illud quod ſol anno curſu conficit, cuius obliquitas extenditur à Cancro ad Capricornum: quas duas extremas zodiaci partes tropicos appellant, quia ſol reuertitur per eandem viam, &, vt ſic loquar, per ſua ipſius veſtigia, ſtatim atque ad alterutrum tropicum peruenerit. Eam ob rem zodiacum inter duos illos tropicos contentum *anni ſoliſque vias* nominat. Quænam igitur ea tellus *ſuper Garamantas & Indos*, *extra ſidera* zodiaci, *extra anni ſoliſque viam* iacens? Eam vt liquidiùs explicet, ait ibi Atlantem cœlum ſuis ceruicibus ſuſtinere. Significat enim terram illam continentem trans Herculis columnas, & Oceanum Atlanticum ſitam, (nunc Americam ſiue nouum orbem & Indias Occidentales vocamus) quam

*Proferet imperium: iacet extra ſidera tellus,*
*Extra anni Soliſque vias, vbi cælifer Atlas*
*Axem humero a torquet ſtellis ardentibus aptum.*
*Huius in aduentu iam nunc & Caſpia* b *regna*
*Reſponſis horrent diuûm, & Mæotica tellus,*

Plato in Timæo & in Critia noſtri orbis in colis olim peruiũ fuiſſe ſcribit, ſed inſulam Atlanticam Europa & Aſia maiorem terræ motibus quibuſdam & diluuijs ſic hauſtam fuiſſe, vt non poſſet amplius Oceanus Atlanticus nauigari. Certè iam ad antiquos tenuis quædam occidentalis Indiæ, quæ eſt vltra tropicum Capricorni, fama peruenerat, & Clemens Romanus, Origenes, Hieronymus orbis illius noui meminerunt, quorum verba retulimus pro Milone parag. 74. Nota 4. & Chriſtophorus Columbus ſuperioris ſeculi Tiphis nouos orbes detexit, vt Seneca neſcio quo ſpiritu inſtinctus choro ſecundo Medeæ lõge ante prædixerat: Iam cùm dicat Poëta *ſuper Garamantas & Indos extra anni ſoliſque vias* imperij limites eſſe proferendos, indicat nouũ orbem vltra tropicũ Capricorni, armis Auguſti eſſe ſubiugandum. Quod etſi non euenerit, tamen optat Virgilius ſub Anchiſæ perſona, & *qui amant ſibi ſomnia fingunt.* Et quamuis mea ſomnia nolim pro veris oraculis obtrudere, ſic tamen explicare malui quàm cum Seruio & alijs hos verſus de Aethiopia dictos putantibus, & aduocantibus illud Lucani,

*Æthiopúmque ſolum, quod non promeretur ab vlla*
*Signiferi regione poli, in poplite flexo*
*Vltima curuati procederet ungula tauri.*

Non placet, quia deſcribit Poëta regionem quæ ſit trans Aequatorem & tropicum Capricorni, at Aethiopia eſt penè quidem ſub Aequatore, qui vngulæ Tauri ſubiecta eſt, maxima tamen parte eſt cis Æquatorem, vt ex eo conſtat, quod Taurus eſt ſignum Boreale.

a Vide librum 4. verſu 482.

b Tres mundi partes metu Cæſaris in lucem venturi ait fuiſſe turbatas. Mare Caſpiũ eſt in media Aſia iuxta Parthos, palus Mæotis verſus Scythiam diuidit Aſiam ab Europa, Nilus, qui Aegyptum alluit, & ſeptem oſtijs in mare euoluitur, Aſiam ab Africa diſtinguit. *turbant*, id eſt turbantur, vel ſe turbant.

*Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili,*
*Nec verò Alcides* a *tantum telluris obiuit,*
*Fixerit æripedem* b *ceruam licet, aut Erymanthi*
*Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.*
*Nec qui pampineis victor* c *iuga flectit habenis*
*Liber, agens celſo Nyſæ de vertice tigres.*
Epithonema *Et dubitamus* d *adhuc virtutem extendere factis?*
*Aut metus Auſoniâ prohibet conſiſtere terra?*
*Quis procul ille* e *autem ramis inſignis oliuæ* f,

*a* Nec vero Hercules, qui ἀπὸ τῆς ἀλκῆς *à fortitudine.* Alcides vocatur: tot regiones luſtrauit paſſibus, quot Auguſtus illuſtrabit ſuis victoriis, licet Hercules ceruam Dianæ ſacram ſagittis confixerit, aprum vel ceperit vel occiderit in Erymantho Arcadiæ monte, Hydram in Lernæa palude occiderit. De quibus ab Hercule geſtis varijs varia fabulantur.
*b* Fortes & ſolidos pedes habantem: ſic Homerus χαλκόποδ' ἵππω Æripedes equos appellat. Auſonius.

*Vincunt æripedes ter terno Neſtore cerui.*

Alij *æripedem* pro *aëripedem* id eſt, velocem dictum volunt.
*c* Neque Liber pater ſiue Bacchus de tam multis regionibus triumphauit: victorem ait agere tigres vt ad triumphi nomen alludat. Nam & Bacchus eſt deus triumphorum, vt ſcribit Tertullianus libro de corona, & coguominatur θρίαμβος, quaſi θηρίαμβος ab agendis feris, vt ſcribit Suidas: ſed vide Notam 6. §. 59. Piſonianæ. Per pampineas habenas quidam thyrſos Bacchi, id eſt, haſtas pampinis inuolutas intelligunt. Non video quid eos cogat à recepta habenæ ſignificatione diſcedere Quidni enim dicamus feras ſic à Baccho manſuefactas fuiſſe, vt pampinis & palmitibus pro loris vteretur?
*d* Cùm tibi parata ſit tanta poſteritas, dubitaſne adhuc gloriam, qui fructus virtutis eſt, rebus præclarè geſtis extendere, virtus ponitur pro gloria, cauſſa pro effectu.
*e* Commodè noſter Cerda. Fingit Anchiſes ſe illum non noſſe, quia videlicet Numa non Romanus, ſed Sabinus.
*f* Oliua pacis index lib. 6.

*Paci feræque manu ramum prætendit oliuæ.*

Liuius de Numa Pompilio ſecundum Romanorum Rege

*Sacra ferens* a *noſco crines* b, *incanaque* c *menta*
*Regis Romani, primus qui legibus* d *vrbem* Numa.
*Fundabit, Curibus paruis,* & e *paupere terra*
*Miſſus in imperium magnum* f, *cui deinde ſubibit,*
*Otia qui rumpet patriæ, reſidéſque mouebit*
*Tullus* g *in arma viros, & iam deſueta triumphis* Reges.
*Agmina: quem iuxtà ſequitur iactãtior Ancus* h,

*Omnium tamen maximum eius operum tutela per omne regni tempus haud minor pacis, quàm regni: ita duo deinceps Reges alius alia via, ille bello, hic pace, ciuitatem auxerunt.* Eam ob rem templum Iani per omne regni illius tempus clauſum fuit.

*a* Intellige vittas, ſimpulum & alia ſacrorum inſtrumenta, Florus. *Ille ſacra, & ceremonias omnémque cultum deorum immortalem docuit.*

*b* Antiquiſſimi Romanorum barbam & comam prolixam nutriebant, nec ante annum Vrbis 454. tonſores habuerũt. Vide orationem pro Sextio §. 19. Nota 4. Pro Cœlio §. 33. Nota 2.

*c* Valde cana, vel quia, vt aiunt quidam interpretes, ab adoleſcentia incanuit, vel quia diu regnauit, annos videlicet tres, & quadraginta, vel canities denotat prudentiam. *Cani enim ſenſus hominis*, vt loquitur ſcriptura.

*d* Non negat priùs leges à Romulo latas fuiſſe: ſed Numam ait primùm legibus fundaſſe Remp. quia cùm ciuitatem recentem, & quaſi in dubio bellorum ſalo fluitantem inueniſſet, eam legibus latis firmiùs ſtabiliuit, quod ante eum fecerat nemo.

*e* Oppidulo Sabinorum. vnde Numa Pompilius ad regnum euocatur,

*f* Quod magnum ſucceſſu temporis futurum erat: tunc autem anguſtis admodum finibus continebatur.

*g* Numæ ſuccedet Tullus Hoſtilius, de quo Liuius. *Hic non ſolùm, proximo Regi diſſimilis, ſed ferocior etiam Romulo fuit: cum ætas viréſque, cum auita quoque gloria animum ſtimulabat. Seneſcere igitur ciuitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quærebat.* Florus. *Hic omnem militarem diſciplinam artémque bellandi condidit.*

*h* Tullo Hoſtilio ſucceſſit Ancus Martius: ſed cur Tullo iactantior? An quia generis nobilitatem iactabat? Anni-

*Nunc quoq; iam nimiũ gaudẽs popularibus auris* a
*Vis & Tarquinios reges* b *animámque ſuperbam* c
Conſules. *Vltoris Bruti* d *faſcéſque videre receptos* e?
*Conſulis imperium hic primus, ſæuáſque ſecures* f
*Accipiet: natóſque pater, noua bella* g *mouentes,*
*Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit*
*Infelix: vtcumque* h *ferent ea fata minores,*
*Vincet amor patriæ laudúmque immenſa cupido.*

miùm gaudens fauore populari? an quia promotus ad regnum fuerat populi ſuffragiis? erat quidem ille *numæ Pompilij Regis nepos ex filia ortus.* Sed non video cur eam ob rem dicatur Tullo iactantior.

*a* Fauore populari. Vide Sextianam §. 101. Nota 9. Horat.
*Arbitri popularis auræ.*

*b* Tarquinium Priſcum, qui Anco ſucceſſit, & Tarquinium Superbum qui ob ſtuprum à Regis ipſius filio Lucretiæ oblatum regno priuatus eſt.

*c* Generoſam & excelſam.

*d* Qui Reges expulit ad vlciſcendum contumeliam illatam Lucretiæ.

*e* De faſcibus Conſularibus, ideſt virgarum faſciculis quos lictores conſulibus præferebant. vide Sextianam §. 17. Nota 3. Receptos, ait, id eſt, acceptos, & à Regibus populo Romano, qui regibus eos dederat vindicatos. Vide Liuium, lib. 2. Dionyſium lib 4. & alios paſſim.

*f* Initio ſecures præferebantur Cõſulibus, eas depoſuit L. Valerius Poplicola, Prætores tamen in prouinciis, & Proconſules ſecures faſcibus alligatas habuerunt. *Sæuas* appellat, quia Iulius Brutus Conſul *adoleſcentes nobiles, in quibus ſuos quoque & fratris filios* (verba ſunt epitomes Liuianæ) *quia coniurauerant de recipiendis regibus, ſecuri percuſſit.*

*g* Tarquinium reuocare cupientes, è cuius reditu nouum bellum extitiſſet: vel cupientes Tarquinium armis reſtituere in priſtinum ſtatum.

*h* Pronuntiat infelicem Brutum Anchiſes, quòd eò calamitatis deuenit vt liberos ſuos necare cogeretur. Mea inquit, ſententia es infelix vtcunque poſteri de tuo facto iudicabunt. Mox tamen eum conſolatur ſubdens, Vincet amor

*Quin Decios,* a *Druſóſq;* b *procul, ſæuúmque ſecuri*
*Adſpice Torquatũ* c, *& referentẽ ſigna* d *Camillũ.*
*Illæ autem paribus* e *quas fulgere cernis in armis,*

patriæ, & laudum cupiditas tam arrecta vt amore liberorum flecti detorquerique non poſſit.

a P. Decius Mus pater bello Latino: filius bello Gallico & Sãnitico, cùm ſe pro patria & exercitu dijs Manibus certa verborum formula deuouiſſent, in hoſtium cateruas & fulgentes gladios equis incitatis irruerunt, vt Cicero paſſim, Liuius. aliique teſtantur. Sed hic verſus etiam de Decio nepote poteſt intelligi. Si quidem vt ait Cicero. 1. Tuſc. *cum Latinis decertans pater Decius cùm Etruſcis, filius etiam cum Pyrrho nepos ſe hoſtium telis obiecerunt.*

b Plures Druſi in Rep. floruerunt, vt ille qui Aſdrubalem deleuit, de quo Liuius lib. 27. vt ille qui contra Tiberium Gracchum cauſſam Senatus defendit, de quo epitome Liuiana libris 70. 71. vt Druſus Liuiæ filius Auguſti priuignus rebus in Rhetia & Germania geſtis clariſſimus, de quo Dio, Tacitus Velleius.

c Titus Manlius adoleſcens (verba ſunt epitomes Liuianæ lib 7. *contra Gallum prouocantem aliquem è militibus Romanis, in ſingulare certamen deſcendit, eique occiſo torquem aureum detraxit, quem ipſe poſteà tulit, & ex ea Torquatus eſt nuncupatus.* Sed cur *ſæuus ſecuri.*) Quia, vt dicitur libro ſequenti, *Tit. Manlius Conſul filium ſuum, quòd contra edictum pugnauerat aduerſus Latinos, quamuis proſpere pugnaſſet* (ſingulari certamine) *ſecuri percuſſit.*

d Galli ad fluuium Alliam Romanorum exercitum fuderant, vrbem incenderant, Capitolium obſidebant, mille pondo auri receſſum ſuum venditabant. *Subitò aggreſſus à tergo*, inquit Florus, *Furius Camillus* (qui abſens Dictator creatus fuerat) *adeò cecidit, vt omnia incendiorũ veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret.* Et ita retulit ſigna videlicet aquilas & alia ſigna militaria de Gallorum manibus extorta, quæ ipſi Galli victis ad Alliam Romanis abſtulerant.

e Cæſarem & Pompeium intelligit, qui pares inter ſe penè fuerunt rebus geſtis & dignitate, & luctuoſum illud bellum ciuile excitarunt. Vide vtriúſque comparationem pro Ligario par. 10. Nota 4 ad illa verba: *Principum dignitas erat pene par.* Quod autem ait hoc loco Seruius eos *concordiam in bu-*

*Cæſar & Pompeius.*

*Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur,*
*Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ*
*Attigerint! quantas acies, ſtragemque ciebunt!*
*Aggeribus* a *ſocer Alpinis, atque arce Monœci* b
*Deſcendens: gener aduerſis inſtructus Eois.*
*Ne, pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella:*
*Neu patriæ validas in viſcera vertite vires:*
*Túque prior, tu parce genus qui ducis* c *Olympo.*
*Proiice tela manu, ſanguis meus.*

*L. Memmius.*

*Ille* d *triumphatâ Capitolia ad alta* e *Corintho*

*militate tenuiſſe, cum nobilitate vero in bella veniſſe*, frigidum eſt, ne dicam inſulſum. Quando enim obſcurus, aut humilis Pompeius, *qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum*, (verba ſunt Ciceronis pro Cornelio Balbo) adeò vt bis triumphauerit, antequam per ætatem Senator eſſe poſſet Hic igitur, *nocte premi* nihil eſt aliud quam in inferis verſari: vnde & addit,

—— *Si lumina vitæ Attigerint.* ——

a Cæſar, ſocer: Pompeius gener, per Iuliam Cæſaris filiam vxorem Pompeij. Alpes vocat aggeres, quia muri inſtar muniunt Italiam. Vide de Prouincijs Conſularibus §. 34. in Piſonem § 81. Cæſar autem cum patriæ bellum intulit per Alpes è Gallis veniebat. Reges & prouinciæ ad ſolis ortum ſitæ fauebant Pompeio.

b Seruius: *De Liguria, vbi eſt portus Monœci Herculis. Dictus autem μόνοικος, vel quod pulſis omnibus, illic ſolus habitauit, vel quod in eius templo nunquam aliquis deorũ ſimul colitur, ſicut in Iouis, Minerua & Iuno: in Veneris Cupido.* Herculis autem Monœci, vt Cerdanus notat, Strabo lib. 4. Plinius lib. 3. Tacitus 19. annal meminerunt.

c Cæſar qui naſceris ex progenie deorum, Iouis, Veneris, Æneæ. Eſt autem emphaſis, qua indicat penes Cæſarem fore victoriam, dum eum ad parcendum hortatur, ſimul ad egregiam eius vocem alludit qua vſus eſt pugna Pharſalica fuſo iam Pompeianorum exercitu. *Parce ciuibus.*

d Lucius Memmius eodem penè tempore Corinthum deleuit quo Scipio Carthaginem.

e De more, vide de Prouincijs Conſ. §. 35. Nota. 8, De cur-

*Victor aget currum, cæſis inſignis Achiuis,*
*Eruet ille Argos* a, *Agamemnoniáſque Mycenas,* 8,5.
*Ipſumque Æaciaem, genus armipotentis Achillis,*
*Vltus auos Troiæ,*b *tẽpla & temerata* c *Mineruæ.* Paulus Æmilius.
*Quis te magne Cato*, d *tacitum, aut te, Coſſe* e *relinquat?* *( belli,* 840.
*Quid Gracchi* f *genus? aut geminos, duo fulmina*

ru triumphali vide Piſonianam §. 60.

*a* Non extat in hiſtoriis Argorum aut Mycenarum euerſio. Hæ enim vrbes tempore Romanorum erant obſcuræ & ignobiles, ſed hoc dicit Anchiſes vt ſoletur Æneam dolentem ob excidium Troiæ ab Achæis & Agamemnone illatum. Memmius tamen videri poteſt Argos & Mycenas eruiſſe quia totam Achaiam, vbi floruerant illæ vrbes, redegit in pop. Romani ditionem. Satius eſt tamen de Aemilio Paulo interpretari, qui Perſen Macedoniæ Regem, ex Achillis atque adeò Aeaci progenie natum bello cepit, plurimas Macedoniæ vrbes euertit, Græciæ rex ſic afflixit, vt dici poſſit omnes earum vrbes eâ victoria diruiſſe.

*b* Vltus iniuriam à Græcis illatam populo Troiano, à quo populus Romanus ducit originem?

*c* Sacrilegio Aiacis Oilei violata, qui Caſſandram à Mineruæ templo abſtraxit: vt dicitur 1. & 2. Aeneid.

*d* Catonem Maiorem ſiue Cenſorium intelligit. Neque enim Catonem Vticenſem pertinaciſſimum Iulij Cæſaris hoſtem facilè laudaret.

*e* Epitome Liuiana lib. 4. *Cornelius Coſſus Tribunus militum occiſo Tolumnio Rege Veientium, opima ſpolia ſecunda retulit:* de quibus infra dicetur.

*f* Multi de Gracchorum familia in Rep. floruerunt: de quibus Liuius paſſim & alij conſulantur, vt etiam de Scipionibus quorum duo celeberrimi fuerunt. Alter Scipio Maior Africanus, qui Annibalem vicit: alter Scipio Minor Africanus, ſiue Æmilianus, qui Carthaginem deleuit: vnde & vterque clades Libyæ nominatur. Nam & Annibal Carthaginenſis erat, & Carthago in Libya. Lucretius.

*Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.*

*Scipiadas, cladem Libyæ? paruoque potentem*
*Fabricium? vel te ſulco Serrane* b *ſerentem?*
*Quò feſſum rapitis Fabij* c *? tu maximus ille es,*
*Vnus qui nobis cunctando reſtituis rem.*
*Excudent alij* d *ſpirantia* e *molliùs* f *æra,*
*Credo equidē, viuos ducent* g *de marmore vultus:*

a De huius frugalitate Florus *Fabricius oblatam ſibi à Rege* (Pyrrho) *imperii partem repudiauit.* Idem, vt ait Epitome Liuiana, *Cenſor P. Cornelium Rufinum Conſularem ſenatu mouit, quod decem argenti pondo facti haberet.* Ideo *paruo potens*, quia paucis contentus tam beatè viuebat, vt omnem Regum potentiam ſuperaret.

b C. Attilius Serranus, cùm agrum ſereret, euocatus eſt ad conſulatum, vnde & Serrani nomen accepit. De hoc orat pro Sextiò 72. *Non ille Serranus ab aratro.* Plinius lib. 18 cap. 3. *Serentem inuenerunt dati honores, Serranum, unde cognomen.*

c Cur me, ô Fabii feſſum, & commemorandis aliorū virtutibus iam fatigatum, ad veſtram trahitis narrationem? multi in Fabiorum gente magna gloria floruerunt: Ex his vna die ſex & trecenti bello contra Veientes inito ceciderunt. Sed alijs omnibus prætermiſſis ſe ad vnum Q. Fabium Maximum conuertit, qui Annibalem multis victorijs ferocem, & iuueniliter exultantem patientia & cunctatione ſuperauit vnde & Cunctator eſt appellatus. Ennius.

*Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.*

d Romani ſe ab alijs gentibus arte ſtatuaria, Rhetorica, Aſtrologia vinci facile patientur, etiam ſi enim his quoque artibus excellant: eas tamen quaſi propria ſibi non vendicabunt, ſed artem imperandi, quæ eſt τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιςήμα ἐπιςημῶν, cæteris artibus anteponent, in eáque cæteras gentes ſuperabunt.

e Aereas ſtatuas ad viuum ſic expreſſas vt viuere & ſpirare videantur.

f Delicatiùs, & ita expreſſis lineamentis vt carnis mollitiem imitentur.

g Ductu quodam, & certis lineamentis effigiabant.

*Viuis certantia vultibus ora.*

vt loquitur Papinius 2. Thebaïdos.

*Orabunt cauſſas meliùs* a : *cœlique meatus*
*Deſcribent radio* b , *& ſurgentia ſidera dicent.*
*Tu regere imperio populos, Romane, memento:*
*( Hæ tibi erunt artes ) pacique imponere morem:*
*Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.*
*Sic pater Anchiſes, atque hæc mirantibus addit:*
*Aſpice vt inſignis ſpoliis Marcellus opimis* c
*Ingreditur, victorque viros* d *ſupereminet omnes.* *Marcellus.*

a Quid igitur: putat Virgilius eloquentiorem eſſe Tullio Demoſthenem? non puto: ſed innuit tantùm Romanos magis de arte imperandi, quàm de eloquentia gloriari.

b Ecloga 3. *Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.* Vtraque dictio Mathematicorum eſt: nam, vt ibi dicit Seruius, eſt radius *Virga philoſophorũ, qua geometræ lineas indicãt.* Cicero 5. Tuſcul. de Archimede loquens, *homunculum*, inquit, *à puluere & radio excitabo.* Et 5. de finibus de eodem. *Dum in puluere quædam deſcribit attentiùs*, lib. 4. Academic quæſt. *Geometræ, &c. Omnia nobis, quæ deſcribunt, probant*, mox. *Archimedes, eo inſpectante, rationes omnes deſcripſerit.*

c Spolia dicuntur opima quæ Romani duces Regibus ducibúſque hoſtium propria manu interfectis referebant. Galli Inſubres, ait Florus lib. 2. *Viridomaro Rege Romana arma Vulcano promiſerant, aliorſum vota ceciderunt, occiſo enim Rege M. Claudius Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Ioui arma ſuſpendit.* Vnde ſic exponas Maronem, Tertia arma ſiue opima ſpolia Marcellus Ioui Feretrio ſuſpendit, qualia priùs à Patre Quirino capta fuerant & Ioui Feretrio ſuſpenſa. Alij dicunt à Numa Pompilio legem fuiſſe latam, qua præcepit *prima opima ſpolia Ioui Feretrio debere ſuſpendi, quod iam Romulus fecerat: ſecunda Marti, quod Coſſus fecit: tertia Quirino, quod fecit Marcellus*: de qua lege Seruius, & Plutarchus in Marcello.

d Signanter *viros*, ad excluſionem Iulij Cæſaris, qui non vir ſed deus erat, videlicet per apotheoſin in numerum deorum allectus. Plinius lib. 7 cap. 15. de Cæſare. *Signis collatis quinquagies dimicauit, ſolus M. Marcellum tranſgreſſus qui undequadragies dimicauerat.*

*Hic* a *rem Romanam magno turbante tumultu* b
*Siſtet eques,* c *ſternet Pœnos* d *Gallúmq; rebellem* e.
*Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.*
*Atque hic Æneas ( vna namque ire videbat*
*Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis:*
*Sed frons læta parum & deiecto lumina vultu.)*
*Marcellus filius Octauiæ* *Quis, pater, ille virum qui ſic comitatur euntem?*
*Filius* f, *anne aliquis magna de ſtirpe nepotum?*
*Quis ſtrepitus circa comitū! quātū inſtar in ipſo eſt?* g
*Sed nox atra caput triſti circumuolat vmbrā*

a Iſte M. Claudius Marcellus Romanæ Reip. Statum propemodum collabentem fulciet, & ſuſtinebit, & quaſi fugientem faciet conſiſtere.

b Propriè Cicero Philip. 8. *Maiores noſtri tumultum Italicum, quòd erat domeſticus: tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus. Præterea nullum tumultum nominabant*. Dictus *tumultus*, quaſi *timor multus*, vt ibidem teſtatur, .

c Et hoc ex hiſtoria ſcribit enim Plutarchus in eius vita, Marcellum omnes propemodum pedites Cornelio collegæ ſuo reliquiſſe: vt cum expeditis equitibus, Viridomato iuxta Claſtidium occurreret.

d Primus Marcellus exemplo docuit Annibalem poſſe ſuperari, cúmque pepulit è Campania, & ab obſidione Nolæ vrbis excuſſit.

e Gallos qui frequenter bellum renouarunt ſcribit Plutarchus nullum vnquam maiorem exercitum minoribus copiis fuiſſe ſuperatum.

f Marcellum intelligit filium Octauiæ ſororis Auguſti: quem Auguſtus adoptauerat & ſucceſſorem imperij deſtinabat, ſed decimo octauo ætatis anno, vel vt ſcribit Propertius, vigeſimo, morte ſublatus eſt.

g Quæ maieſtas? quæ dignitas oris? vel, Quæ ſimilitudo huius iuuenis cùm Marco Marcello? quàm bene Marcellum repræſentat, renouat, inſtaurat? Quàm iſte prioris eſt inſtar Marcelli? *inſtar* hoc loco eſt nomen, quaſi ſimilitudo & ſimulacrum Sympoſius.

*Non mediocre fuit magni certaminis inſtar.*

*Tum pater Anchiſes, lacrymis ingreſſus obortis.*
*O nate! ingentem luctum ne quære tuorum.*
*Oſtendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà*
*Eſſe ſinent, nimiùm vobis Romana propago*
*Viſa potens, ſuperi, propria* a *hæc ſi dona fuiſſent:*
*Quantos ille* b *virûm magnã Mauortis ad vrbem*
*Campus aget gemitus! vel Tiberine videbis*
*Funera* c *cùm tumulum præterlabêre recentem!*
*Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos*
*In tantùm ſpe* d *tollet auos: nec Romula quondam*
*Vllo ſe tantum tellus iactabit alumno.*
*Heu pietas, heu priſca fides* e*, inuictáque bello*
*Dextera! non illi quiſquam ſe impunè tuliſſet*
*Obuius armato, ſeu cùm pedes iret in hoſtem,*
*Seu ſpumantis equi foderet calcaribus* f *armos.*

a Certa & ſtabilia ſiue perpetua, vt lib 1.
*Connubio iungam ſtabili propriámque dicabo.*
Horat. ſat 6. lib. 2. —— *Nil ampliùs oro.*
*Maià nate, niſi vt propria hæc mihi munera faxis.*
b Quàm magna multitudo hominum, qui incredibili gemitu huius adoleſcentis funis exequentur, traducetur, per campum Martium, qui campus eſt ad vrbem magnam, id eſt, vrbi Romæ vicinus eſt.
c Commodè *funera*; non *funus*, quia ſexcentis lectulis ſiue pheretris elatus eſt Porro notant interpres tumulos iuxta fluuiorum ripas frequenter excitatos fuiſſe, vt 3. Æneid. Hectoreus tumulus. *Falſi Simoëntis ad vndam.*
d Spes in adoleſcentibus laudatur, & à Pindaro γηροτρόφος vocatur Vide Cœlianam §.2. nota 5. Nullus, inquit, maiorẽ vnquam de ſe expectationẽ concitabit, quàm iſte adoleſcens.
e Eſt apoſiopeſis ex intimo affectu. O pietas, ô fides, ô bellica fortitudo quam mercedem veſtro cultori refereti, vel, Quantum huius adoleſcentis morte perdetis: quantopere vos ille coleret, ſi vitam diutius propagaret.
f Equum calcaribus admotis excitaret. *Species pro genere*, in-

Anchiſæ lamentatio de Marcello.

*Heu miſerande puer, ſiquà fata aſpera a rumpas,*
*Tu Marcellus eris: manibus date lilia b plenis*
*Purpureos ſpargant flores, animámque nepotis*
*His ſaltem accumulem donis: & fungar inani c*
*Munere. Sic tota paſſim regione vagantur*
*Aëris d in campis latis, atque omnia luſtrant.*
*Quæ poſtquam Anchiſes natū per ſingula duxit,*
*Incenditque animum famæ venientis amore:*
*Ex in bella viro memorat quæ deinde gerenda:*
*Laurentéſque docet populos, vrbémque Latini:*
*Et quo quémque modo fugiátque ferátq; laborem.*
*Sunt geminæ ſomni portæ e quarum altera fertur,*

quit Seruius. *Equi armos pro equo poſuit. Non enim poſſunt armi calcaribus fodi.*

*a* Si qua via, ſi qua ratione poſſis fatorum neceſſitatem perrumpere, diutiúſque viuere quam tibi fata concedunt, talis eris, qualis ſuperior ille Marcellus.

*b* De more ſcribit Cicero pro Flacco. *L. Catilinæ ſepulchrum floribus exornatum.* Iuuenalis ſat. 7.

*Spirantéſque crocos & in vrna perpetuum ver.*

In Anthologia.

Βάλλετ' ὑπὲρ τύμβου πολιὰ κρίνα ——

*Cana ſuper tumulum date lilia.* ——

Idque præſertim in funeribus acerbis. Petale epiſtola ad Simalionem, στεφανία μοι καὶ ῥόδα ὥσπερ ἀώρῳ τάφῳ πέμπει, *Corollas mihi & roſas tanquam immaturo ſepulchro mittit.*

*c* Nihil pro futuro. Non enim diutiùs victurus eſt Marcellus, ſi cum floribus ornauero.

*d* Campos aëris vocat, interprete Turnebo, quod inanis tota illa ſit plaga, latéque diffuſa, habens vice corporum vmbras aëreas

*e* Inſinuat omnia quæ de inferis dicta ſunt eſſe fabuloſa: ſiue ingreſſum ſpectes, ſiue egreſſum Æneæ Nam in medio Orci veſtibulo, quo ingreſſus eſt Æneas, dixit vlmum eſſe opacam, ingentem, *quam ſedem ſomnia vulgo vana tenere ferunt*: nunc per portam eburneam, qua exeunt falſa inſomnia, eundem ait ex Inferis emiſſum fuiſſe. Hoc loco Seruius.

*Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.*
*Altera candenti perfecta nitens Elephanto:* a
*Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes.*
*His vbi iam natum Anchiſes, vnáque Sibyllam*
*Proſequitur dictis, portáque emittit eburna:*
*Ille viam ſecat* b *ad naues, ſóciósque reuiſit.*
*Tum ſe ad Caietæ recto fert littore* c *portum.*
*Anchora de prora iacitur: ſtant littore puppes.*

a Ebore, quod eſt dens elephanti.

b Compendioſâ & quàm breuiſſima viâ repetit naues quas in littore Cumano reliquerat, vt ad inferos cum Sibylla deſcenderet Secare viam dicitur, quia cùm duabus vijs ab eodem termino ad eundem terminum itur, quarum altéra recta eſt, altera ſpiralis & flexuoſa, neceſſe eſt vt recta flexuoſam interſecaret, & vel ſimpliciter, *il couppe chemin.*

c Deinde è portu Cumano nauigat Aeneas ad portum Caietanum Dicit *recto littore*, quia ſequebatur littus, & radebat è propinquo. Neque ſignificat id littus omnino rectum fuiſſe, quaſi inter Cumas & Caietam nulla promontoria in mare procurrerent. Ipſa ſiquidem Caieta in quodam ſinu & receſſu maris poſita eſt. Et Stab. lib. 5. à Lacedæmoniis huic ſinui nomen indutum putat à cauitate. τὰ γὰρ κοῖλα πάντα Καιέτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν. *Omnes enim cauitates.* Καιέτας *Lacones appellant.* Dicitur itaque recto littore nauigare, quia licet id littus curuum eſſet & flexuoſum, tamen illud ita ſequebatur, vt nunquam ab eo diſcederet Sic libro octauo Tiberinus Aeneæ promittit v. 57.

*Ipſe ego te ripis & recto flumine ducam.*

Hinc tamen non efficitur ripas & flumen nō eſſe flexuoſum. Nam paulò poſt ait v. 95.

*Et longos ſuperat flexus* ——

FINIS.

# PVBLII VIR. MARONIS ÆNEIDOS

## PARS POSTERIOR.

Res ab Ænea bello geſtæ.

## LIBER VII.

### MODESTINI IVRISCONSVLTI.

### ARGVMENTVM.

Hic quoque Caietam ſepelit, tum deinde profectus
Laurentum venit: hanc verbis cognouit Iuli
Fatalem terram. Menſis en veſcimur, inquit.
Centum oratores veniam pacémque petentes
Ad regem mittit, lectos tum ſorte, Latinum:
Qui cum pace etiam natæ connubia pactus,
Hoc ſorte Alecto Iunonis diſſipat ira.
Concurrunt dictis, quamuis pia fata repugnent.
Belli cauſa fuit violatus vulnere ceruus.
Tum gentes ſocia arma parant, fremit arma iuuentus.

*TV a quoq; littoribus noſtris Æneia nutrix,*
*Æternam moriens famam Caieta dediſti:*
*Et nunc* b *ſeruat honos ſedem tuus, oſſaque*c *nomen*
*Heſperia in magna (ſi qua eſt ea gloria) ſignat:*

A nutrice Æneæ Caietæ nomen imponitur.

a Quemadmodum, Palinurus & Miſenus, mõtibus Italicis, in quibus ſepulti ſunt, nomen ſuum indiderunt, ita tu etiam ô Caieta nutrix Aeneæ, nomen Italiæ portui, moriens indidiſti.
b Videtur eſſe hypallage dicendum erat. Et nunc illa ſecus ſeruat honorem tuum, vel ſenſus eſt, & honor tuus ibi manet tanquam in certa & ſtabili ſede.
c Nomen huic littori impoſitum, ſignat eum locum Italiæ in quo tua, oſſa ſepulta ſunt, dicitur *magna* ad differentia Hiſpaniæ, quæ etiam Heſperia nominatur.

At pius a exequiis Æneas ritè ſolutis,
Aggere b compoſito tumuli, poſtquam alta quierũt
Æquora: tendit c iter velis, portúmque relinquit.
Aſpirant auræ in noctem, nec d candida curſum
Luna negat: ſplendet tremulo ſub lumine pontus,
e Proxima Circææ raduntur littora terræ:
Diues f inaceſſos vbi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu: tectiſque ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens g pectine telas.
h Hinc exaudiri gemitus, i iræque leonum

*Troiani Circæam inſulam præternauigant.*

*a* Æneas ſepulta nutrice, & exequiis: quas pius alumnus nutrici ſuæ debebat perſolutis ritè & ſeruatis ceremoniis ſolemnibus.

*b* Terra in tumulum aggerata.

*c* Ita diſponit vela vt curſus nauium ad oſtia Tiberis dirigatur. *d* Notum illud.

*Pallida luna oluit., rubicunda fla, alba ſerenat:*

*e* Circæa terra olim parua erat inſula quæ nunc continenti Italiæ coniungitur, *proxima* vocat *littora*, vel quòd eſſent Caietæ vicina, vel quòd à nauigantibus de proximo raderentur, radere littora *coſtoyer le riuage.* hinc littus vocatur Gallice *la rade.*

*f* In qua Circæa terra, Circe ſolis filia, lucos, ad quos, accedere periculum eſt, aſſiduo cantu, facit reſonare, diuitem vocat, vt indicet telam quam faciebat, non fuiſſe vulgarem, ſed auri ſubtemine contextam.

*g* Telam texens, & pectinem textorium argute ſiue ſtridule ſonantem per tramam traiiciens. Externa ſpecies.

*h* Pecten inſtrumentum eſt illud textoriũ præacutis dentibus inſtructum; quod textores adducunt, vt fila in ſtamen congeſta, magis inter ſe compingantur, & comprimantur, vnde Iuuenalis. *Et male percuſſum textoris pectine Galli.*
quia videlicet iſta percuſſione tela magis ſibi ipſi compingitur.

*i* Rugitus iracundi, vel ex ira erumpentes.

*Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum:*
*Setigerique ſues, atque in præſepibus vrſi*
*Sæuire: ac* a *formæ magnorum vlulare luporum,*
*Quos hominũ ex* b *facie* c *Dea ſæua potẽtibus her-*
*Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum. (bis*
*Quæ ne* d *monſtra pij paterentur talia Troës*
*Delati in portus, neu littora dira ſubirent,*
*Neptunus ventis impleuit vela* e *ſecundis:*
*Atq; fugam dedit, & præter vada* f *feruida vexit.*
*Iamque rubeſcebat radijs mare, & æthere ab alto*
*Aurora in roſeis fulgebat* g *lutea bigis,*
*Cùm venti* h *poſuêre, omniſque repentè reſedit*
*Flatus, & in* i *lento luctantur* k *marmore* l *tonſæ.*

*Appelluntur ad oſtia Tiberina.*

*a* Circe aduenis magicã dabat potionẽ eoſq; virga tangebat. Illi ſtatim externã beſtiarũ ſpeciem induebãt, quare hinc videlicet ex Circæo exaudiebãtur à Troianis præter nauigãtibus gemitus beſtiarũ, ſiue potiùs hominum qui gemebant ſe quoad externã ſpeciem mente remanente, in beſtias eſſe mutatos. *exaudiri* autem dicit ſæuire vlulare, pro exaudiebantur, ſæuiebant, vlulabant.

*b* Non quidem ex natura humana mutauit in naturam belluinam, ſed ex hominum facie in vultus & terga belluarum.

*c* Circe magicis herbis. *d* Quem clamorẽ ne diutiùs ferre cogerentur, vel ne ipſi quoque Troiani in beſtias verterentur.

*e* Obſecundantibus, & à Puppi proſequentibus.

*f* Periculoſa nauigantibus, & quaſi feruentis aquæ bullas arenã commixtas eiicientia.

*g* Lutum priore breui idem eſt atque limus: priore producta eſt genus coloris croceide quo ecloga 4.

*Iã croceo mutabit vellera luto.* *h* Quieuerunt, vim remiſerunt.

*i* Deficientibus ventis, naues remis & contis ſubiguntur & propelluntur, cum aliquo conatu & quaſi luctamine.

*k* In mari quieto & tranquillo & inſtar marmoris ſuperficiẽ habente læuigatam. *l* Tonſa eſt contus ſiue pertica nautica, qua nauis propellitur in malacia, id eſt cùm nulli venti ſpirant, vel etiam tonſa eſt remus & palmula.

*Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili,*
*Nec verò Alcides* a *tantum telluris obiuit,*
*Fixerit æripedem* b *ceruam licet, aut Erymanthi*
*Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.*
*Nec qui pampineis victor* c *iuga flectit habenis*
*Liber, agens celſo Nyſæ de vertice tigres.*
Epiphonema
*Et dubitamus* d *adhuc virtutem extendere factis?*
*Aut metus Auſoniâ prohibet conſiſtere terra?*
*Quis procul ille* e *autem ramis inſignis oliuæ* f,

a Nec vero Hercules, qui ἀπὸ τῆς ἀλκῆς *à fortitudine*. Alcides vocatur: tot regiones luſtrauit paſſibus, quot Auguſtus illuſtrabit ſuis victoriis, licet Hercules ceruam Dianæ ſacram ſagittis confixerit, aprum vel ceperit vel occiderit in Erymantho Arcadiæ monte, Hydram in Lernæa palude occiderit. De quibus ab Hercule geſtis varijs varia fabulantur.
b Fortes & ſolidos pedes habantem: ſic Homerus χαλκόποδ' ἵππω Æripedes equos appellat. Auſonius.

*Vincunt æripedes ter terno Neſtore cerui.*

Alij *æripedem* pro *aëripedem* id eſt, velocem dictum volunt.
c Neque Liber pater ſiue Bacchus de tam multis regionibus triumphauit: victorem ait agere tigres vt ad triumphi nomen alludat. Nam & Bacchus eſt deus triumphorum, vt ſcribit Tertullianus libro de corona, & cognominatur θρίαμβος, quaſi θηρίαμβος ab agendis feris, vt ſcribit Suidas: ſed vide Notam 6. §. 59. Piſonianæ. Per pampineas habenas quidam thyrſos Bacchi, id eſt, haſtas pampinis inuolutas intelligunt. Non video quid eos cogat à recepta habenæ ſignificatione diſcedere Quidni enim dicamus feras ſic à Baccho manſuefactas fuiſſe, vt pampinis & palmitibus pro loris vteretur?
d Cùm tibi parata ſit tanta poſteritas, dubitaſne adhuc gloriam, qui fructus virtutis eſt, rebus præclarè geſtis extendere, virtus ponitur pro gloria, cauſſa pro effectu.
e Commodè noſter Cerda. Fingit Anchiſes ſe illum non noſſe, quia videlicet Numa non Romanus, ſed Sabinus.
f Oliua pacis index lib. 6.

*Paci feræque manu ramum prætendit oliuæ.*

Liuius de Numa Pompilio ſecundum Romanorum Rege.

*Sacra ferens* a*?noſco crines* b,*incanaque* c *menta*
*Regis Romani ,primus qui legibus* d *vrbem* Numa.
*Fundabit , Curibus paruis , & e paupere terra*
*Miſſus in imperium magnum* f,*cui deinde ſubibit,*
*Otia qui rumpet patriæ , reſidéſque mouebit*
*Tullus* g *in arma viros, & iam deſueta triumphis* Reges.
*Agmina : quem iuxtà ſequitur iactãtior Ancus* h,

*Omnium tamen maximum eius operum tutela per omne regni tempus haud minor pacis,quàm regni:ita duo deinceps Reges alius alia vis,ille bello,hic pace,ciuitatem auxerunt.* Eam ob rem templum Iani per omne regni illius tempus clauſum fuit.

*a* Intellige vittas , ſimpulum & alia ſacrorum inſtrumenta, Florus. *Ille ſacra, & cæremonias omnémque cultum deorum immortalem docuit.*

*b* Antiquiſſimi Romanorum barbam &comam prolixam nutriebant,nec ante annum Vrbis 454. tonſores habuerũt.Vide orationem pro Sextio§. 19.Nota 4. Pro Cœlio §. 33.Nota 2.

*c* Valde cana , vel quia , vt aiunt quidam interpretes,ab adoleſcentia incanuit,vel quia diu regnauit,annos videlicet tres, & quadraginta , vel canities denotat prudentiam. *Cani enim ſenſus hominis*, vt loquitur ſcriptura.

*d* Non negat priùs leges à Romulo latas fuiſſe : ſed Numam ait primùm legibus fundaſſe Remp. quia cùm ciuitatem recentem, & quaſi in dubio bellorum ſalo fluitantem inueniſſet', eam legibus latis firmiùs ſtabiliuit,quod ante eum fecerat nemo.

*e* Oppidulo Sabinorum. vnde Numa Pompilius ad regnum euocatur,

*f* Quodmagnum ſucceſſu temporis futurum erat:tunc autem anguſtis admodum finibus continebatur.

*g* Numæ ſuccedet Tullus Hoſtilius, de quo Liuius. *Hic non ſolùm,proximo Regi diſſimilis,ſed ferocior etiam Romulo fuit :cum ætas viréſque , cum auita quoque gloria animum ſtimulabat. Seneſcere igitur ciuitatem otio ratus , undique materiam excitandi belli quærebat.* Florus. *Hic omnem militarem diſciplinam artémque bellandi condidit.*

*h* Tullo Hoſtilio ſucceſſit Ancus Martius : ſed cur Tullo iactantior ? An quia generis nobilitatem iactabat ? Anni-

*Nunc quoq; iam nimiũ gaudẽs popularibus auris* a
*Vis & Tarquinios reges* b *animámque ſuperbam* c
Conſules. *Vltoris Bruti* d *faſcéſque videre receptos* e?
*Conſulis imperium hic primus, ſæuáſque ſecures*
*Accipiet: natóſque pater, noua bella* g *mouentes,*
*Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit*
*Infelix: vtcumque* h *ferent ea fata minores,*
*Vincet amor patriæ laudúmque immenſa cupido.*

miùm gaudens fauore populari? an quia promotus ad regnum fuerat populi ſuffragiis? erat quidem ille *nepos Numæ Pompilij Regis nepos ex filia ortus*. Sed non video cur eam ob rem dicatur Tullo iactantior.

*a* Fauore populari. Vide Sextianam §. 101. Nota 9. Horat.
*Arbitrio popularis auræ.*

*b* Tarquinium Priſcum, qui Anco ſucceſſit, & Tarquinium Superbum qui ob ſtuprum à Regis ipſius filio Lucretiæ oblatum regno priuatus eſt.

*c* Generoſam & excelſam.

*d* Qui Reges expulit ad vlciſcendum contumeliam illatam Lucretiæ.

*e* De faſcibus Conſularibus, ideſt virgarum faſciculis quos lictores conſulibus præferebant. vide Sextianam §. 17. Nota 3. Receptos, ait, id eſt, acceptos, & à Regibus populo Romano, qui regibus eos dederat vindicatos. Vide Liuium, lib. 2. Dionyſium lib 4. & alios paſſim.

*f* Initio ſecures præferebantur Cõſulibus, eas depoſuit L. Valerius Poplicola, Prætores tamen in prouinciis, & Proconſules ſecures faſcibus alligatas habuerunt. *Sæuas* appellat, quia Iulius Brutus Conſul *adoleſcentes nobiles, in quibus ſuos quoque & fratris filios* (verba ſunt epitomes Liuianæ) *quia coniurauerant de recipiendis regibus, ſecuri percuſſit.*

*g* Tarquinium reuocare cupientes, è cuius reditu nouum bellum extitiſſet: vel cupientes Tarquinium armis reſtituere in priſtinum ſtatum.

*h* Pronuntiat infelicem Brutum Anchiſes, quòd eò calamitatis deuenit vt liberos ſuos necare cogeretur. Mea inquit, ſententia es infelix vtcunque poſteri de tuo facto iudicabunt. Mox tamen eum conſolatur ſubdens, Vincet amor

*Quin Decios,* a *Druſóſq;* b *procul, ſæuúmque ſecuri*
*Adſpice Torquatũ* c, *& referentẽ ſigna* d *Camillũ.*
*Illæ autem paribus* e *quas fulgere cernis in armis,*

patriæ, & laudum cupiditas tam arrecta vt amore liberorum flecti detorquerique non poſſit

*a* P. Decius Mus pater bello Latino: filius bello Gallico & Sãnitico, cùm ſe pro patria & exercitu dijs Manibus certa verborum formula deuouiſſent, in hoſtium cateruas & fulgentes gladios equis incitatis irruerunt, vt Cicero paſſim, Liuius aliique teſtantur. Sed hic verſus etiam de Decio nepote poteſt intelligi. Si quidem vt ait Cicero. 1. Tuſc. *cum Latinis decertans pater Decius cùm Etruſcis, filius etiam cum Tyrrho nepos ſe hoſtium telis obiecerunt.*

*b* Plures Druſi in Rep. floruerunt, vt ille qui Aſdrubalem deleuit, de quo Liuius lib. 27. vt ille qui contra Tiberium Gracchum cauſſam Senatus defendit, de quo epitome Liuiana libris 70.71. vt Druſus Liuiæ filius Auguſti priuignus rebus in Rhetia & Germania geſtis clariſſimus, de quo Dio, Tacitus Velleius.

*c* Titus Manlius adoleſcens ( verba ſunt epitomes Liuianæ lib 7. *contra Gallum prouocantem aliquem è militibus Romanis, in ſingulare certamen deſcendit, eique occiſo torquem aureum detraxit, quem ipſe poſteà tulit, & ex ea Torquatus eſt nuncupatus.* Sed cur *ſæuus ſecuri.* ) Quia, vt dicitur libro ſequenti, *Tit. Manlius Conſul filium ſuum, quòd contra edictum pugnauerat aduerſus Latinos, quamuis proſpere pugnaſſet* (ſingulari certamine) *ſecuri percuſſit.*

*d* Galli ad fluuium Alliam Romanorum exercitum fuderant, vrbem incenderant, Capitolium obſidebant, mille pondo auri receſſum ſuum venditabant. *Subitò aggreſſus à tergo,* inquit Florus, *Furius Camillus* ( qui abſens Dictator creatus fuerat ) *adeò cecidit, vt omnia incendiorũ veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret.* Et ita retulit ſigna videlicet aquilas & alia ſigna militaria de Gallorum manibus extorta, quæ ipſi Galli victis ad Alliam Romanis abſtulerant.

*e* Cæſarem & Pompeium intelligit, qui pares inter ſe penè fuerunt rebus geſtis & dignitate, & luctuoſum illud bellum ciuile excitarunt. Vide vtriúſque comparationem pro Ligario par. 10. Nota 4 ad illa verba: *Principum dignitas erat pene par.* Quod autem ait hoc loco Seruius eos *concordiam in hu-*

Cæſar & Pompeius. Concordes animæ nunc,& dum nocte premuntur,
Heu quantum inter ſe bellum ,ſi lumina vitæ
Attigerint ! quantas acies ,ſtragemque ciebunt!
Aggeribus a ſocer Alpinis , atque arce Monœci b
Deſcendens : gener aduerſis inſtructus Eois.
Ne ,pueri , ne tanta animis aſſueſcite bella:
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires:
Túque prior ,tu parce genus qui ducis c Olympo.
L. Memmius. Proiice tela manu , ſanguis meus.
Ille d triumphatâ Capitolia ad alta e Corintho

militate tenuiſſe , cum nobilitate vero in bella veniſſe , frigidum eſt, ne dicam inſulſum. Quando enim obſcurus,aut humilis Pompeius , *qui pueritiæ tempus extremum , principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum*,( verba ſunt Ciceronis pro Cornelio Balbo ) adeò vt bis triumphauerit , antequam per ætatem Senator eſſe poſſet Hic igitur , *nocte premi* nihil eſt aliud quam in inferis verſari : vnde & addit,

—— *Si lumina vitæ* *Attigerint.* ——

a Cæſar , ſocer : Pompeius gener , per Iuliam Cæſaris filiam vxorem Pompeij. Alpes vocat aggeres , quia muri inſtar muniunt Italiam. Vide de Prouincijs Conſularibus §. 34. in Piſonem § 81. Cæſar autem cum patriæ bellum intulit per Alpes è Gallis veniebat. Reges & prouinciæ ad ſolis ortum ſitæ fauebant Pompeio.

b Seruius. *De Liguria, ubi eſt portus Monœci Herculis. Dictus autem* μόνοικος, *vel quod pulſis omnibus , illic ſolus habitauit, vel quod in eius templo nunquam aliquis deorũ ſimul colitur, ſicut in Iouis , Minerua & Iuno : in Veneris Cupido.* Herculis autem Monœci, vt Cerdanus notat,Strabo lib. 4. Plinius lib. 3. Tacitus 19. annal meminerunt.

c Cæſar qui naſceris ex progenie deorum,Iouis, Veneris , Æneæ. Eſt autem emphaſis , qua indicat penes Cæſarem fore victoriam , dum eum ad parcendum hortatur, ſimul ad egregiam eius vocem alludit qua vſus eſt pugna Pharſalica fuſo iam Pompeianorum exercitu. *Parce ciuibus.*

d Lucius Memmius eodem penè tempore Corinthum deleuit quo Scipio Carthaginem.

e De more, vide de Prouincijs Conſ. §. 35. Nota. 8, De cur-

*Victor aget currum, cæſis inſignis Achiuis,*
*Eruet ille Argos* a, *Agamemnoniáſque Mycenas,*
*Ipſumque Æaciaem, genus armipotentis Achillis,*
*Vltus auos Troiæ,* b *tẽpla & temerata* c *Mineruæ.* Paulus Æmilius.
*Quis te magne Cato,* d *tacitum, aut te, Coſſe* e *relinquat?* *(belli,*
*Quid Gracchi* f *genus? aut geminos, duo fulmina*

ru triumphali vide Piſonianam §. 60.

*a* Non extat in hiſtoriis Argorum aut Mycenarum euerſio. Hæ enim vrbes tempore Romanorum erant obſcuræ & ignobiles, ſed hoc dicit Anchiſes vt ſoletur Æneam dolentem ob excidium Troiæ ab Achæis & Agamemnone illatum. Memmius tamen videri poteſt Argos & Mycenas eruiſſe quia totam Achaiam, vbi floruerant illæ vrbes, redegit in pop. Romani ditionem. Satius eſt tamen de Aemilio Paulo interpretari, qui Perſen Macedoniæ Regem, ex Achillis atque adeò Aeaci progenie natum bello cepit, plurimas Macedoniæ vrbes euertit, Græciæ rex ſic afflixit, vt dici poſſit omnes earum vrbes eâ victoria diruiſſe.

*b* Vltus iniuriam à Græcis illatam populo Troiano, à quo populus Romanus ducit originem?

*c* Sacrilegio Aiacis Oilei violata, qui Caſſandram à Mineruæ templo abſtraxit: vt dicitur 1. & 2. Aeneid.

*d* Catonem Maiorem ſiue Cenſorium intelligit. Neque enim Catonem Vticenſem pertinaciſſimum Iulij Cæſaris hoſtem facilè laudaret.

*e* Epitome Liuiana lib. 4. *Cornelius Coßus Tribunus militum occiſo Tolumnio Rege Veientium, opima ſpolia ſecunda retulit*: de quibus infra dicetur.

*f* Multi de Gracchorum familia in Rep. floruerunt: de quibus Liuius paſſim & alij conſulantur, vt etiam de Scipionibus quorum duo celeberrimi fuerunt. Alter Scipio Maior Africanus, qui Annibalem vicit: alter Scipio Minor Africanus, ſiue Æmilianus, qui Carthaginem deleuit: vnde & vterque clades Libyæ nominatur. Nam & Annibal Carthaginenſis erat, & Carthago in Libya. Lucretius.

*Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.*

*Scipiadas, cladem Libyæ? paruoque potentem*
*Fabricium? vel te ſulco Serrane* b *ſerentem?*
*Quò feſſum rapitis Fabij* c *? tu maximus ille es,*
*Vnus qui nobis cunctando reſtituis rem.*
*Excudent alij* d *ſpirantia* e *molliùs* f *æra,*
*Credo equidē, viuos ducent* g *de marmore vultus:*

a De huius frugalitate Florus, *Fabricius oblatam ſibi à Rege* (Pyrrho) *imperii partem repudiauit.* Idem, vt ait Epitome Liuiana, *Cenſor P. Cornelium Rufinum Conſularem ſenatu mouit, quod decem argenti pondo facti haberet.* Ideo *paruo potens,* quia paucis contentus tam beatè viuebat, vt omnem Regum potentiam ſuperaret.

b C. Attilius Serranus, cùm agrum ſereret, euocatus eſt ad conſulatum, vnde & Serrani nomen accepit. De hoc orat pro Sextiò 72. *Non ille Serranus ab aratro.* Plinius lib. 18 cap. 3. *Serentem inuenerunt dati honores, Serranum, vnde cognomen.*

c Cur me, ô Fabii feſſum, & commemorandis aliorū virtutibus iam fatigatum, ad veſtram trahitis narrationem? multi in Fabiorum gente magna gloria floruerunt: Ex his vna die ſex & trecenti bello contra Veientes inito ceciderunt. Sed aliis omnibus prætermiſſis ſe ad vnum Q. Fabium Maximum conuertit, qui Annibalem multis victoriis ferocem, & iuueniliter exultantem patientia & cunctatione ſuperauit vnde & Cunctator eſt appellatus. Ennius.

*Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.*

d Romani ſe ab aliis gentibus arte ſtatuaria, Rhetorica, Aſtrologia vinci facile patientur, etiam ſi enim his quoque artibus excellant: eas tamen quaſi propria ſibi non vendicabunt, ſed artem imperandi, quæ eſt τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, cæteris artibus anteponent, in eáque cæteras gentes ſuperabunt.

e Aereas ſtatuas ad viuum ſic expreſſas vt viuere & ſpirare videantur.

f Delicatiùs, & ita expreſſis lineamentis vt carnis mollitiem imitentur.

g Ductu quodam, & certis lineamentis effigiabant.

*Viuis certantia vultibus ora.*

vt loquitur Papinius 2. Thebaïdos.

*Orabunt cauſſas meliùs* a *: cœlique meatus*
*Deſcribent radio* b *, & ſurgentia ſidera dicent.*
*Tu regere imperio populos, Romane, memento:*
*( Hæ tibi erunt artes ) pacique imponere morem:*
*Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.*
*Sic pater Anchiſes, atque hæc mirantibus addit:*
*Aſpice vt inſignis ſpoliis Marcellus opimis* c
*Ingreditur, victorque viros* d *ſupereminet omnes.* Marcellus.

a Quid igitur: putat Virgilius eloquentiorem eſſe Tullio Demoſthenem? non puto: ſed innuit tantùm Romanos magis de arte imperandi, quàm de eloquentia gloriari.
b Ecloga 3. *Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.* Vtraque dictio Mathematicorum eſt: nam, vt ibi dicit Seruius, eſt radius *Virga philoſophorũ, qua geometræ lineas indicãt.* Cicero 5. Tuſcul. de Archimede loquens, *homunculum*, inquit, *à puluere & radio excitabo.* Et 5. de finibus de eodem. *Dum in puluere quædam deſcribit attentiùs*, lib. 4. Academic quæſt. *Geometræ*, &c. *Omnia nobis, quæ deſcribunt, probant*, mox. *Archimedes, eo inſpectante, rationes omnes deſcripſerit.*
c Spolia dicuntur opima quæ Romani duces Regibus ducibúſque hoſtium propria manu interfectis referebant. Galli Inſubres, ait Florus lib. 2. *Viridomaro Rege Romana arma Vulcano promiſerant, alior ſum vota ceciderunt, occiſo enim Rege M. Claudius Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Ioui arma ſuſpendit.* Vnde ſic exponas Maronem, Tertia arma ſiue opima ſpolia Marcellus Ioui Feretrio ſuſpendit, qualia priùs à Patre Quirino capta fuerant & Ioui Feretrio ſuſpenſa. Alij dicunt à Numa Pompilio legem fuiſſe latam, qua præcepit *prima opima ſpolia Ioui Feretrio debere ſuſpendi, quod iam Romulus fecerat: ſecunda Marti, quod Coſſus fecit: tertia Quirino, quod fecit Marcellus*: de qua lege Seruius, & Plutarchus in Marcello.
d Signanter *viros*, ad excluſionem Iulij Cæſaris, qui non vir ſed deus erat, videlicet per apotheoſin in numerum deorum allectus. Plinius lib. 7 cap. 15. de Cæſare. *Signis collatis quinquagies dimicauit, ſolus M. Marcellum tranſgreſſus qui vndequadragies dimicauerat.*

*Tum pater Anchiſes, lacrymis ingreſſus obortis.*
*O nate! ingentem luctum ne quære tuorum.*
*Oſtendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà*
*Eſſe ſinent, nimiùm vobis Romana propago*
*Viſa potens, ſuperi, propria* a *hæc ſi dona fuiſſent:*
*Quantos ille* b *virûm magnā Mauortis ad vrbem*
*Campus aget gemitus! vel Tiberine videbis*
*Funera* c *cùm tumulum præterlabère recentem!*
*Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos*
*In tantùm ſpe* d *tollet auos: nec Romula quondam*
*Vllo ſe tantum tellus iactabit alumno.*
*Heu pietas, heu priſca fides* e, *inuictáque bello*
*Dextera! non illi quiſquam ſe impunè tuliſſet*
*Obuius armato, ſeu cùm pedes iret in hoſtem,*
*Seu ſpumantis equi foderet calcaribus* f *armos.*

a Certa & ſtabilia ſiue perpetua, vt lib 1.
*Connubio iungam ſtabili propriámque dicabo.*
Horat. ſat 6. lib. 2. ——— *Nil ampliùs oro.*
*Maiâ nate, niſi vt propria hæc mihi munera faxis.*
b Quàm magna multitudo hominum, qui incredibili gemitu huius adoleſcentis funis exequentur, traducetur, per campum Martium, qui campus eſt ad vrbem magnam, id eſt, vrbi Romæ vicinus eſt.
c Commodè *funera*; non *funus*, quia ſexcentis lectulis ſiue pheretris elatus eſt Porro notant interpres tumulos iuxta fluuiorum ripas frequenter excitatos fuiſſe, vt 3. Æneid. Hectoreus tumulus. *Falſi Simoëntis ad undam.*
d Spes in adoleſcentibus laudatur, & à Pindaro κυροτρόφος vocatur. Vide Cœlianam §.2. nota 5. Nullus, inquit, maiorē vnquam de ſe expectationē concitabit, quàm iſte adoleſcens.
e Eſt apoſiopeſis ex intimo affectu. O pietas, ô fides, ô bellica fortitudo quam mercedem veſtro cultori referetis, vel, Quantum huius adoleſcentis morte perdetis: quantopere vos ille coleret, ſi vitam diutius propagaret.
f Equum calcaribus admotis excitaret. *Species pro genere*, in-

*Anchiſæ lamẽtatio de Marcello.*

*Heu miſerande puer, ſiquà fata aſpera* a *rumpas,*
*Tu Marcellus eris: manibus date lilia* b *plenis*
*Purpureos ſpargant flores, animámque nepotis*
*His ſaltem accumulem donis: & fungar inani* c
*Munere. Sic tota paſſim regione vagantur*
*Aëris* d *in campis latis, atque omnia luſtrant.*
*Quæ poſtquam Anchiſes natũ per ſingula duxit,*
*Incenditque animum famæ venientis amore:*
*Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda:*
*Laurentéſque docet populos, vrbémque Latini:*
*Et quo quémque modo fugiátque ferátq; laborem.*
*Sunt geminæ ſomni portæ* e *quarum altera fertur,*

quit Seruius *Equi armos pro equo poſuit. Non enim poſſunt armi calcaribus fodi.*

a Si qua via, ſi qua ratione poſſis fatorum neceſſitatem perrumpere, diutiúſque viuere quam tibi fata concedunt, talis eris, qualis ſuperior ille Marcellus.

b De more ſcribit Cicero pro Flacco. *L. Catilinæ ſepulchrum floribus exornatum.* Iuuenalis ſat. 7.

*Spirantéſque crocos & in vrna perpetuum ver.*

In Anthologia.

Βάλλεθ' ὑπὲρ τύμβου πολιὰ κρίνα ——

*Cana ſuper tumulum date lilia.* ——

Idque præſertim in funeribus acerbis. Petale epiſtola ad Simalionem, στεφανία μοι καὶ ῥόδα ὥσπερ ἀώρῳ τάφῳ πέμπει, *Corollas mihi & roſas tanquam immaturo ſepulchro mittit.*

c Nihil pro futuro. Non enim diutiùs victurus eſt Marcellus, ſi cum floribus ornauero.

d Campos aëris vocat, interprete Turnebo, quod inanis tota illa ſit plaga, latéque diffuſa, habens vice corporum vmbras aëreas

e Inſinuat omnia quæ de inferis dicta ſunt eſſe fabuloſa: ſiue ingreſſum ſpectes, ſiue egreſſum Æneæ Nam in medio Orci veſtibulo, quo ingreſſus eſt Æneas, dixit vlmum eſſe opacam, ingentem, *quam ſedem ſomnia vulgo vana tenere ferunt* nunc per portam eburneam, qua exeunt falſa inſomnia, eundem ait ex Inferis emiſſum fuiſſe. Hoc loco Seruius.

*Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.*
*Altera candenti perfecta nitens Elephanto: a*
*Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes.*
*His vbi iam natum Anchiſes, vnáque Sibyllam*
*Proſequitur dictis, portáque emittit eburna:*
*Ille viam ſecat b ad naues, ſócióſque reuiſit.*
*Tum ſe ad Caietæ recto fert littore c portum.*
*Anchora de prora iacitur: ſtant littore puppes.*

*a* Ebore, quod eſt dens elephanti.

*b* Compendiosâ & quàm breuiſſima viâ repetit naues quas in littore Cumano reliquerat, vt ad inferos cum Sibylla deſcenderet. Secare viam dicitur, quia cùm duabus vijs ab eodem termino ad eundem terminum itur, quarum altera recta eſt, altera ſpiralis & flexuoſa, neceſſe eſt vt recta flexuoſam interſecaret, & vel ſimpliciter, *il couppe chemin.*

*c* Deinde è portu Cumano nauigat Aeneas ad portum Caietanum. Dicit *recto littore*, quia ſequebatur littus, & radebat è propinquo. Neque ſignificat id littus omnino rectum fuiſſe, quaſi inter Cumas & Caietam nulla promontoria in mare procurrerent. Ipſa ſiquidem Caieta in quodam ſinu & receſſu maris poſita eſt. Et Stab. lib. 5. à Lacedæmoniis huic ſinui nomen indutum putat à cauitate. τὰ γὰρ κοῖλα πάντα Καϊάτας οἱ λάκωνες προσαγορεύουσιν. *Omnes enim cauitates.* Καϊάτας *Lacones appellant.* Dicitur itaque recto littore nauigare, quia licet id littus curuum eſſet & flexuoſum, tamen illud ita ſequebatur, vt nunquam ab eo diſcederet. Sic libro octauo Tiberinus Aeneæ promittit v. 57.

*Ipſe ego te ripis & recto flumine ducam.*

Hinc tamen non efficitur ripas & flumen nõ eſſe flexuoſum. Nam paulò poſt ait v. 95.

*Et longos ſuperat flexus* ——

FINIS.

Anchiſæ lamẽtatio de Marcello.

*Heu miſerande puer, ſiquà fata aſpera a rumpas,*
*Tu Marcellus eris: manibus date lilia b plenis*
*Purpureos ſpargant flores, animámque nepotis*
*His ſaltem accumulem donis: & fungar inani c*
*Munere. Sic tota paſſim regione vagantur*
*Aëris d in campis latis, atque omnia luſtrant.*
*Quæ poſtquam Anchiſes natũ per ſingula duxit,*
*Incenditque animum famæ venientis amore:*
*Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda:*
*Laurentéſque docet populos, vrbémque Latini:*
*Et quo quémque modo fugiátque ferátq; laborem.*
*Sunt geminæ ſomni portæ e quarum altera fertur,*

quit Seruius. *Equi armos pro equo poſuit. Non enim poſſunt armica calcaribus fodi.*

*a* Si qua via, ſi qua ratione poſſis fatorum neceſſitatem perrumpere, diutiúſque viuere quam tibi fata concedunt, talis eris, qualis ſuperior ille Marcellus.

*b* De more ſcribit Cicero pro Flacco. *L. Catilinæ ſepulchrum floribus exornatum.* Iuuenalis ſat. 7.

*Spirantéſque crocos & in vrna perpetuum ver.*

In Anthologia.

Βάλλεθ' ὑπὲρ τύμβου πολιὰ κρίνα ———

*Cana ſuper tumulum date lilia.* ———

Idque præſertim in funeribus acerbis. Petale epiſtola ad Simalionem, ςεφανία μοι καὶ ῥόδα ὥσπερ ἀώρῳ τάφῳ πέμπει, *Corollas mihi & roſas tanquam immaturo ſepulchro mittit.*

*c* Nihil pro futuro. Non enim diutiùs victurus eſt Marcellus, ſi cum floribus ornauero.

*d* Campos aëris vocat, interprete Turnebo, quod inanis tota illa ſit plaga, latéque diffuſa, habens vice corporum vmbras aëreas

*e* Inſinuat omnia quæ de inferis dicta ſunt eſſe fabuloſa: ſiue ingreſſum ſpectes, ſiue egreſſum Æneæ Nam in medio Orci veſtibulo, quo ingreſſus eſt Æneas, dixit vlmum eſſe opacam, ingentem, *quam ſedem ſomnia vulgo vana tenere ferunt* nunc per portam eburneam, qua exeunt falſa inſomnia, eundem ait ex Inferis emiſſum fuiſſe. Hoc loco Seruius.

*Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.*
*Altera candenti perfecta nitens Elephanto: a*
*Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes.*
*His vbi iam natum Anchiſes, vnáque Sibyllam*
*Proſequitur dictis, portáque emittit eburna:*
*Ille viam ſecat b ad naues, ſóciόſque reuiſit.*
*Tum ſe ad Caietæ recto fert littore c portum:*
*Anchora de prora iacitur: ſtant littore puppes.*

a Ebore, quod eſt dens elephanti.

b Compendioſâ & quàm breuiſſima viâ repetit naues quas in littore Cumano reliquerat, vt ad inferos cum Sibylla deſcenderet. Secare viam dicitur, quia cùm duabus vijs ab eodem termino ad eundem terminum itur, quarum altera recta eſt, altera ſpiralis & flexuoſa, neceſſe eſt vt recta flexuoſam interſecaret, & vel ſimpliciter, *il couppe chemin*.

c Deinde è portu Cumano nauigat Aeneas ad portum Caietanum. Dicit *recto littore*, quia ſequebatur littus, & radebat è propinquo. Neque ſignificat id littus omnino rectum fuiſſe, quaſi inter Cumas & Caietam nulla promontoria in mare procurrerent. Ipſa ſiquidem Caieta in quodam ſinu & receſſu maris poſita eſt. Et Strab. lib. 5. à Lacedæmoniis huic ſinui nomen inductum putat à cauitate. τὰ γὰρ κοῖλα πάντα Καϊάτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν. *Omnes enim cauitates.* Καϊάτας *Lacones appellant*. Dicitur itaque recto littore nauigare, quia licet id littus curuum eſſet & flexuoſum, tamen illud ita ſequebatur, vt nunquam ab eo diſcederet. Sic libro octauo Tiberinus Aeneæ promittit v. 57.

*Ipſe ego te ripis & recto flumine ducam.*

Hinc tamen non efficitur ripas & flumen nō eſſe flexuoſum. Nam paulò poſt ait v. 95.

*Et longos ſuperat flexus* ——

FINIS.

PVBLII

# VIR. MARONIS

## ÆNEIDOS

### PARS POSTERIOR.

Res ab Ænea bello geſtæ.

## LIBER VII.

MODESTINI IVRISCONSVLTI

*ARGVMENTVM.*

Hic quoque Caietam ſepelit, tum deinde profectus
Laurentum venit: hanc verbis cognouit Iuli
Fatalem terram. Menſis en veſcimur, inquit.
Centum oratores veniam pacémque petentes
Ad regem mittit, lectos tum ſorte, Latinum:
Qui cum pace etiam natæ connubia pactus,
Hoc ſorte Alecto Iunonis diſſipat ira.
Concurrunt dictis, quamuis pia fata repugnent.
Belli cauſa fuit violatus vulnere ceruus.
Tum gentes ſocia arma parant, fremit arma iuuentus.

*TV a quoq; littoribus noſtris Æneia nutrix,*
*Æternam moriens famam Caieta dediſti:*
*Et nunc b ſeruat honos ſedem tuus, oſſaque c nomen*
*Heſperia in magna (ſi qua eſt ea gloria) ſignat:*

*A nutrice Æneæ Caietæ nomen impoſitum.*

a Quemadmodum, Palinurus & Miſenus, mõtibus Italicis, in quibus ſepulti ſunt, nomen ſuum indiderunt, ita tu etiam ô Caieta nutrix Aeneæ, nomen Italiæ portui, moriens indidiſti.
b Videtur eſſe hypallage dicendum erat. Et nunc illa ſecus ſeruat honorem tuum, vel ſenſus eſt, & honor tuus ibi manet tanquam in certa & ſtabili ſede.
c Nomen huic littori impoſitum, ſignat eum locum Italiæ in quo tua, oſſa ſepulta ſunt, dicitur *magna* ad differentia Hiſpaniæ, quæ etiam Heſperia nominatur.

*At pius* a *exequiis Æneas ritè ſolutis,*
*Aggere* b *compoſito tumuli, poſtquam alta quierūt*
*Æquora: tendit* c *iter velis, portúmque relinquit.*
*Aſpirant auræ in noctem, nec* d *candida curſum*
*Luna negat: ſplendet tremulo ſub lumine pontus,*
e *Proxima Circææ raduntur littora terræ:*
*Diues* f *inaceſſos vbi Solis filia lucos*
*Aßiduo reſonat cantu: tectiſque ſuperbis*
*Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,*
*Arguto tenues percurrens* g *pectine telas.*
h *Hinc exaudiri gemitus,* i *iræque leonum*

*Troiani Circæam inſulam prætèrnauigant.*

*a* Æneas ſepulta nutrice, & exequiis: quas pius alumnus nutrici ſuæ debebat perſolutis ritè & ſeruatis ceremoniis ſolemnibus.
*b* Terra in tumulum aggerata.
*c* Ita diſponit vela vt curſus nauium ad oſtia Tiberis dirigatur. *d* Notum illud.

*Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat:*

*e* Circæa terra olim parua erat inſula quæ nunc continenti Italiæ coniungitur, *proxima* vocat *littora*, vel quòd eſſent Caietæ vicina, vel quòd à nauigantibus de proximo raderentur, radere littora *coſtoyer le riuage.* hinc littus vocatur Gallice *la rade.*
*f* In qua Circæa terra, Circe ſolis filia, lucos, ad quos, accedere periculum eſt, aſſiduo cantu, facit reſonare, diuitem vocat, vt indicet telam quam faciebat, non fuiſſe vulgarem, ſed auri ſubtemine contextam.
*g* Telam texens, & pectinem textorium argute ſiue ſtridule ſonantem per tramam traiiciens. Externa ſpecies.
*h* Pecten inſtrumentum eſt illud textoriū præacutis dentibus inſtructum; quod textores adducunt, vt fila in ſtamen congeſta, magis inter ſe compingantur, & comprimantur, vnde Iuuenalis. *Et male percuſſum textoris pectine Galli.*
quia videlicet iſta percuſſione tela magis ſibi ipſi compingitur.
*i* Rugitus iracundi, vel ex ira erumpentes.

*Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum:*
*Setigerique ſues, atque in præſepibus vrſi*
*Sæuire: ac* a *formæ magnorum vlulare luporum,*
*Quos hominũ ex* b *facie* c *Dea ſæua potẽtibus her-*
*Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum. (bis*
*Quæ ne* d *monſtra pij paterentur talia Troës*
*Delati in portus, neu littora dira ſubirent,*
*Neptunus ventis impleuit vela* e *ſecundis:*
*Atq; fugam dedit, & præter vada* f *feruida vexit.*
*Iamque rubeſcebat radijs mare, & æthere ab alto*
*Aurora in roſeis fulgebat* g *lutea bigis,*
*Cùm venti* h *poſuêre, omniſque repentè reſedit* *Appelluntur ad oſtia Tiberina.*
*Flatus, & in* i *lento luctantur* k *marmore* l *tonſæ.*

*a* Circe aduenis magicã dabat potionẽ eoſq; virga tangebat. Illi ſtatim externã beſtiarũ ſpeciem induebãt, quare hinc videlicet ex Circæo exaudiebãtur à Troianis præter nauigãtibus gemitus beſtiarũ, ſiue potiùs hominum qui gemebant ſe quoad externã ſpeciem mente remanente, in beſtias eſſe mutatos. *exaudiri* autem dicit ſæuire vlulare, pro exaudiebantur, ſæuiebant, vlulabant.

*b* Non quidem ex natura humana mutauit in naturam belluinam, ſed ex hominum facie in vultus & terga belluarum.

*c* Circe magicis herbis. *d* Quem clamorẽ ne diutiùs ferre cogerentur, vel ne ipſi quoque Troiani in beſtias verterentur.

*e* Obſecundantibus, & à Puppi proſequentibus.

f Periculoſa nauigantibus, & quaſi feruentis aquæ bullas arenâ commixtas eiicientia.

g Lutum priore breui idem eſt atque limus: priore producta eſt genus coloris croceide quo ecloga 4.
*Iã croceo mutabit vellera luto.* *h* Quieuerunt, vim remiſerunt.

*i* Deficientibus ventis, naues remis & contis ſubiguntur & propelluntur, cum aliquo conatu & quaſi luctamine.

k In mari quieto & tranquillo & inſtar marmoris ſuperficiẽ habente læuigatam. *l* Tonſa eſt contus ſiue pertica nautica, qua nauis propellitur in malacia, id eſt cùm nulli venti ſpirant, vel etiam tonſa eſt remus & palmula.

*Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum*
*Proſpicit, hunc inter fluuio Tyberinus amœno*
*Vorticibus rapidis, & multa flauus arena*
*In mare* a *prorumpit : variæ circumque, ſupraque*
*Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alueo*
*Æthera* b *mulcebant cantu, lucóque volabant.*
*Flectere iter ſocÿs,* c *terræque aduertere proras*
Inuocatio Muſæ. *Imperat : &* d *lætus fluuio ſuccedit* e *opaco.*
*Nunc agè qui Reges,* f *Erato, quæ tẽpora rerum,*
*Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, aduena claſſem*
*Cùm primùm* g *Auſonÿs exercitus appulit oris,*
*Expediam : &* h *primæ reuocabo exordia pugnæ.*
Propoſitio ſequentis operis. *Tu vatem, tu Diua mone, dicam* i *horrida bella,*
*Dicam acies, actóſque, animis in funera Reges :*
*Tyrrhenámque* k *manum, totăque ſub arma coactã*
*Heſperiam :* l *maior rerum mihi naſcitur ordo:*
*Maius opus moueo. Rex arua Latinus & vrbes*
*Iam ſenior longa* m *placidas in pace regebat:*

*a* Cum impetu fertur & in mare euoluitur.
*b* Tam ſuauiter cantabant, vt ipſum aërem exhilarare & concentu mulcere viderentur.
*c* Anteriores nauium partes terræ applicare.
*d* Gaudens ſe laborum & peregrinationis finem attigiſſe.
*e* Ex mari intrat in fluuium arboribus inumbratum.
*f* Vna è nouem muſis, quam inuocat dicitur quaſis ἐρατεινὴ id eſt amabilis. *g* Italicis.
*h* Narrabo quibus ex cauſſis bellum inter Troianos & Latinos primùm exarſerit nimirum ex cerui cicuris interitu.
*i* Turnum, Mezentium, Camillam, qui bellum animosè ſuſceperint, in quo ſunt interempti.
*k* Copias Hetruſcorum qui odio Mezentij Regis quondam ſui Æneæ ſe contra Turnum & Mezentium adjunxerant.
*l* Milites ex tota Italia collectos ſub vexillis.
*m* Per annos 35. ait Dionyſius Halicannaſſeus.

*Hunc Fauno* a *& Nymphæ genitum Laurente*
*Marica*
*Accipimus. Fauno Picus pater: iſque parentem*
*Te Saturne refert: tu ſanguinis vltimus autor.*
*Filius huic* b *fato Diuûm, proléſque virilis*
*Nulla fuit: primáque oriens erepta iuuenta eſt.*
*Sola domum, & tantas ſeruabat* c *filia ſedes,*
*Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.*
*Multi illam magno è Latio, totáque petebant*
*Auſonia: petit ante alios pulcherrimus omnes*
*Turnus, auis* d *atauiſq; potens; quem regia* e *coniux*
*Adiungi generum miro properabat amore,*
*Sed varijs portenta* f *Deûm terroribus obſtant.*
*Laurus* g *erat tecti medio in penetralibus altis*
*Sacra* h *comam, multóſq; metu* i *ſeruata per annos:*

*Qui fuerit ſtatus Latii venientibus Troianis.*

*Turnus petit nuptias Lauiniæ.*

*Sed variis prodigiis impeditur.*

*a* Veteribus fabulis conſignatum accepimus, hunc Latinum filium fuiſſe Fauni & nymphæ Maricæ quæ fuit dea littoris *Minturnenſium* iuxta Lirim fluuium. Horatius *& innantem Maricæ Litteribus tenuiſſe Lirim.*
Faunus autem & Picus fuerunt dij Italorum.
*b* Latinus voluntate deorum filios nullos habuit, quia quos ſuſceperat à prima iuuentute extincti ſunt.
*c* Lauinia Latini filia ſola erat hæres regni Latini.
*d* 12 Æneidos, *Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.* Et hoc ipſo libro. *Et Turno ſi prima domus repetatur origo, Inachus acriſiuſque patres mediæque Mycenæ.*
*e* Amata coniux Regis Latini.
*f* Prodigia quædam & ſigna quibus dij voluntatem ſuam indicabant.
*g* Seruius. *Latinus poſt mortem fratris Lauini cum Lauinium amplificaret ab inuenta lauro Laurolauiniũ appellauit.* Poëta tamẽ aliud innuit & Lauinium ſignificat à Lauinia fuiſſe nominatum & Laurentum à Latino fuiſſe à fundamentis excitatum.
*h* Quæ frondes habebat Dijs conſecratas. *i* Religione.

*Quam pater inuentam primas cùm conderet arces*
*Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus,*
*Laurentiſque ab ea nomen poſuiſſe colonis.*
*Huius apes ſummum denſæ (mirabile dictu)*
1. Prodigium. *Stridore ingenti liquidum* a *trans æthera vectæ*
*Obſedêre apicem: & pedibus per mutua* b *nexis*
*Examen ſubitum ramo frondente pependit.*
*Continuò vates: Externum cernimus, inquit,*
*Aduentare virũ: & partes* c *petere agmen eaſdem*
*Partibus ex iiſdem, & ſumma dominarier arce.*
*Præterea caſtis* d *adolet* e *dum altaria tædis,*
*Ex iuxta genitorem adſtat Lauinia virgo,*
2. Prodigium. *Viſa (nefas) longis comprendere crinibus ignem:*
*Atque omnẽ ornatum* f *flamma crepitãte cremari,*
*Regaléſque accenſa comas, accenſa coronam*
*Inſignem gemmis: tum fumida lumine fuluo*
*Inuolui, ac totis Vulcanum* g *ſpargere tectis:*
*Id verò horrendum ac viſu mirabile ferri.*

a Per aërem ſerenum deuolantes.

b Pedibus inter ſe mutuò complicatis.

c Troiani per mare Tyrrhenum ad littus Laurentinum appulſi ſunt, vnde colligimus apes ex iiſdem partibus, id eſt è meridionali plaga ad arcem Laurentinam verſus ſeptentrionẽ deuolaſſe: prædicebat igitur haruſpex fore vt Troiani à meridie aduenirent, & arcem obtinerent, quemadmodum apes à meridie ad lauri faſtigium acceſſerant.

d Dum Latinus caſtos & religioſos ignes excitat in altaribus.

e Adolere, & mactare ſunt verba ſacrorum & propriè ſignificant facere auctius & auguſtius, vnde & victimæ, & aræ, & ipſi dii dicuntur ſacrificiis mactari ſiue adoleri vt
*Verbenáſque adole pingues.* *Et flammis adolere penates.*

f Viſa eſt Lauinia cremari omnem ornatum, eſt ſynecdoche id eſt cremari ſecundum omnem capitis ornatum.

g Ignẽ ſiue incendiũ quod futuri belli incendium denotabat.

*Námque fore illuſtrem fama, fatiſque canebant*
*Ipſam :* a *ſed populo magnum portendere bellum.* Oraculum fauni.
*At Rex ſollicitus monſtris, oracula Fauni*
*Fatidici* b *genitoris adit, lucóſque ſub alta* c
*Conſulit Albunea : nemorum quæ maxima ſacro*
*Fonte ſonat, ſæuamque exhalat opaca Mephitim.* d
*Hinc* Ital*æ gentes, omniſque Oenotria* e *tellus*
*In dubijs reſponſa petunt : huc dona ſacerdos*
*Contulit, & cæſarum ouium ſub nocte ſilenti*
*Pellibus incubuit* f *ſtratis, ſomnóſque petiuit,*
*Multa modis ſimulachra videt volitantia miris:*
*Et varias audit voces , fruiturque Deorum*
*Colloquio: atque imis Acherōta* g *affatur Auernis,*
*Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus*
*Centum lanigeras mactabat ritè bidentes:*

*a* Lauiniam.
*b* Faunus dictus eſt fatuus, à fandis fatis, id eſt, quod fata voce prædiceret.
*c* Albunea eſt in altiſſimis montibus: ibi fons eſt eiuſdem nominis ab aqua alba dictus de quo Lyrinus. *Et domus Albuneæ reſonantis.* Seruius. *Mephitis proprie eſt terræ putor qui de aquis naſcitur ſulpharatis, & eſt in nemoribus grauiter ex denſitate ſyluarum* Perſius *Gutture ſulphureas lente exhalante Mephiets.* Alij Mephitim volunt eſſe Deum coniunctum Albuneæ ſiue Leucothoæ, alij Iunonem ipſam quia ex corruptione aëris putor oritur: alij deam neſcio quam odoris grauiſſimi.
*d* Vel totam Italiam ſignificat, vel regionem Sabinorum ſiue à Rege Oenotro, ſiue à vini præſtantia quod Græci οἶνον appellant.
*e* Seruius, incubare propriè dicuntur hi qui dormiunt ad accipienda reſponſa.
*f* Deos infernos ex imis auernis euocatos, continens pro contento.
*g* Seruatis ritibus & cerimonijs ſolemnibus.

*Atque harum effultus tergo, a ſtratiſque iacebat*
*Velleribus, b ſubita ex alto vox reddita luco eſt:*
*Ne pete connubijs natam ſociare Latinis,*
*O mea progenies, thalamis c neu crede paratis.*
*Externi veniunt generi, d qui ſanguine noſtrum*
*Nomen in aſtra ferant, quorumq; à ſtirpe e nepotes*
*Omnia ſub pedibus quà Sol vtrumque recurrens*
*Aſpicit Oceanum, vertique regique videbunt.*
*Hæc reſponſa patris Fauni, monitúſque ſilenti*
*Nocte datos, non ipſe ſuo premit ore Latinus:*
*Sed circum late volitans iam fama per vrbes*
*Auſonias tulerat: cum Laomedontia f pubes*

*Troiani appulſi ad Italiam epulantur.*

*Gramineo ripæ religauit ab aggere claſſem.*
*Æneas, primique duces, & pulcher Iulus*
*Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ:*
*Inſtituúntque dapes, & adorea liba g per herbas*

*a* Tergore ſic 1. Æneidos.
*Taurino quantum poſſent circundare tergo.*
*b* Pellibus ſubſtratis crudis & vellera ſiue lanam habentibus.
*c* Matrimonio Turni, quod iam paratum eſt factis ſponſalibus noli confidere.
*d* Gener alienigena, nimirum Æneas, vtitur numero multitudinis, vt indicet Æneam non ſolum eſſe venturum; ſed cum exercitu.
*e* Romani ab Æneæ ſtirpe naſcituri, totum terrarum orbem obtinebunt ab ortu ſolis ad occaſum.
*f* Troiana iuuentus, à Laomedonte patre Priami Rege Troianorum anchoras iecit, & naues retinaculis religauit ad ripam altam & exaggeratam terra, graminibúſque veſtitam.
*g* Ador eſt genus farris delicati, adorea liba ſunt placentæ quædam ex farre confectæ, quas Troiani epulis ſuis ſubiecerant, cum orbiculos ſtanneos, vel etiam ligneos non haberent quibus ad epulas vterentur.

*Subijciunt epulis (ſic* Iuppiter *ipſe monebat* a*)*
*Et Cereale ſolum* b *pomis agreſtibus augent:*
*Conſumptis hic forte aliis, vt vertere morſus*
*Exiguam in Cererem* c *penuria adegit edendi,*
*Et violare manu, maliſque audacibus orbem*
*Fatalis Cruſti,* d *patulis nec parcere quadris:* e
*Heus etiam menſas conſumimus, inquit Iulus.*
*Nec plura alludens.* f *ea vox audita laborum*
*Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore*
*Eripuit* g *pater, ac ſtupefactus numine preſſit.*
*Continuo:* h *Salue fatis mihi debita tellus,*

*Omen menſarum conſumptarum.*

a Vt compleretur illud oraculum. *Sed non antè datam cingetis mœnibus vrbem. Quam vos dira fames ignota ad littora vectos Ambeſas ſubigat malis conſumere menſas.*

*b* Illa liba ex farre confecta ſiue paniceas tortas pomis onerant, ſolum vocatur quidquid alteri vel ſubſternitur eamque ſuſtinet, vt planta pedum Lucretio, *Auia Pieridum peragro loca, nullius antè Trita ſolo.* & 5. Aeneidos de aqua maris nauibus ſubſtrata. *Subſtrahiturque ſolum.*

*c* Panem.

*d* Cruſtum ſiue fragmentum panis rotundum & orbiculatum, ex quo Troianorum fata pendebant.

*e* Alia fortaſſe cruſta erant orbiculata, alia quadrata: vel per quadram intelligit quartam panis orbicularis partem, ſiue quadrantem: antiqui enim liba rotunda in decuſſim diuidebant, id eſt in quatuor partes quaſi cruce libis impreſſa: & ſingulas illas partes libi quadrifariam diuiſi quadras nominabant. vide illuſtriſſimum Baronium in annum. 34.

*f* Vel alluſionem faciens ad ea quæ Harpya Celæno prædixerat, vel iocãs & pueriliter laſciuiens, neque enim puer de oraculis cogitabat: & omnia petebantur ab vocibus fortuitò prolatis.

*g* Æneas vocem ab Aſcanij loquentis ore auide excepit ominis cauſſa, eámque tacitus apud ſe preſſit aliquantulùm, numinis quod rebus humanis prouidere agnoſcebat præſentia ſtupefactus.

*h* Poſtquam aliquantiſper apud ſe cogitauit.

*Voſque, ait, ô fidi* a *Troiæ ſaluete Penates.*
*Hic domus hæc patria eſt, genitor mihi talia nãque*
*(Nunc repeto) Anchiſes fatorum arcana* b *reliquit:*
*Cum te nate fames ignota ad littora vectum*
*Acciſis* c *coget dapibus conſumere menſas,*
Interpretatio ominis. *Tum ſperare domos defeſſus, ibique memento*
*Prima locare manu, molirique aggere tecta.*
*Hæc erat illa fames,* d *hæc nos ſuprema manebat*
*Exitijs poſitura modum.*
*Quare agite, & primo læti cum lumine Solis*
*Qui loca, quiue habeant homines, vbi mœnia gẽtis*
*Veſtigemus: & à portu diuerſa* e *petamus.*
*Nunc pateras libate* f *Ioui: precibúſque vocate* g
*Anchiſen genitorem: & vina reponite menſis.*
*Sic deinde effatus frondenti tempora ramo*
*Implicat: & Geniúmque loci* h *primamq;* i *Deorũ*
*Tellurem, Nymphaſque, & adhuc ignota precatur*
*Flumina: tunc Noctem* k *Noctiſque orientia ſigna,*

*a* Qui me fideliter comitati eſtis, nec me fefelliſti cùm mihi prædixiſtis petendam eſſe Italiam, vt ſcribitur 3. Æneidos.
*b* Fata ſecreta quæ hactenus non euulgaui.
*c* Vndique conſumptis.
*d* Quàm Anchiſes & Celæno mihi prædixerat: quæ erat impoſitura finem noſtris laboribus & periculis.
*e* Alius in aliam partem proficiſcatur ad explorandum.
*f* Nunc pateris vini primitias in honorem Iouis religioſè effundite.
*g* Filij defunctos patres diuinis honoribus proſequebantur, vt videre eſt initio Æneidos.
*h* Geniũ ſiue Deum peculiarem qui loco præſidebat. Seruius putat eſſe Apollinẽ propter laurum in arce Laurenti repertã.
*i* Terram Deorum omnium matrem eſſe fabulantur.
*k* Bene noctem inuocat, quia noctu ad lunam nauigabant, vt viſum eſt initio lib. 1. & rurſus aliam diem exegerant.

*Idæúmque Iouem, Phrygiámq; ex ordine* a *matrem*
*Inuocat, & duplices* b *cæloque Erebóque parentes.*
*Hic* c *pater omnipotens ter cælo clarus ab alto*
*Intonuit: radijſque ardentem lucis, &* d *auro*
*Ipſe manu quatiens oſtendit ab æthere nubem.*
*Diditur hîc ſubitò Troiana per* e *agmina rumor*
*Aduenisſe diem, quo debita* f *mœnia condant.*
*Certatim inſtaurant* g *epulas: atque omine magno*
*Crateras* h *læti ſtatuunt, & vina coronant.*
*Poſtera cùm prima luſtrabat lampade terras,*
*Orta dies: vrbem, & fines, & littora gentis*
*Diuerſi explorant: hæc fontis ſtagna* i *Numici,*
*Hunc Tyberim fluuiũ, hîc fortes habitare Latinos.*
*Tum ſatus* k *Anchiſa, delectos ordine ab omni*
*Centum Oratores auguſta ad mœnia Regis*

*Troiani mittunt exploratores.*

*a* Seruato ordine nam priùs deos Italicos inuocatat: nunc deas præſides Phrygiæ, vnde Troiani diſceſſerant. Mater autem Phrygia eſt Cybele, quæ Dindymene & Berecynthia nominatur, multi eandem cum terra, Ope, Rhea, eſſe exiſtimant.

*b* Duos parentes cœlo venerem, Erebo Anchiſen.

*c* In iſta deorum inuocatione.

*d* Radijs aureis refulgentem.

*e* Diſpergitur & diffunditur.

*f* Fatis deſtinata.

*g* Reuocant epulas inſtar priorum, & vina reponunt menſis. vi Æneas hortatus fuerat.

*h* Crateras vino plenos in medio conſtituunt ijſque coronas è floribus imponunt læti gaudentéſque quòd ad finem laborum ſuorum peruenerint.

*i* Explorando comperiunt in eo loco eſſe, aquas quietas & ſtagnantes illius fontis, ex quo fluuius Numicius emanat.

k Æneas Anchiſæ filius mittit centũ legatos ad vrbem Laurentum, vbi Rex Latinus habitabat, eóſque mittit oliuâ faſciis quibuſdam & tæniis implexa coronatos, vt eo indicio ſcirent Latini eos non bellum inferre, ſed pacem expoſcere.

*Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:*
*Donáque ferre viro, pacémque expoſcere Teucris.*
*Haud mora: feſtinant iuſsi, rapidiſque feruntur*
*Paſsibus, ipſe humili deſignat* a *mœnia foſſa.*
*Molitúrque locum, primaſque in littore ſedes*
*Caſtrorum in morem pinnis,* b *atq; aggere* c *cingit.*
*Iámque iter emenſi, turreis, ac tecta Latinorum*
*Ardua cernebant iuuenes,* d *muróque ſubibant.* e
*Ante vrbem* f *pueri, & primæuo flore iuuentus*
*Exercētur equis, domitántque in puluere currus* g,
*Aut acreis tendunt arcus: aut lenta* h *lacertis*
*Spicula contorquent, curſuque ictúque laceſſunt.*
*Cum præuectus equo longæui Regis* i *ad aures*
*Nuntius ingenteis* k *ignota in veſte reportat*
*Aduenìſſe viros: ille intra tecta vocari*
*Imperat: & ſolio medius conſedit auito.*
*Tectū auguſtū,* l *ingens, centum ſublime columnis,*

*a* Dum proficiſcuntur legati, Æneas ipſe circūducit aratrum, & foſſa, ſiue ſulco in humum depreſſo, deſignat & deſcribit ambitum vrbis quam ibi condere ſtatuerat.
*b* Murorum pinnaculis.
*c* Terra in cumulum exaggerata circundat *enuironne la place de remparts.*
*d* Oratores ſiue legati.
*e* Ad vrbem accedebant.
*f* Alludit ad exercitationes ſiue meditationes campeſtres armorum in campo Martio fieri ſolitas.
*g* Domant equos ſub curribus.
*h* Mollia interpretatur Seruius.
*l* Latini iam ætate prouecti.
k Seruius. *Ex ſtupore nuntii laus oſtenditur Troianorum, & beneuolentiæ oſtendit opinionem, ingentes enim eſſe, quos primùm vidimus opinamur.* *l* Augurio conſecratum.

*Vrbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici* Regiæ
*Horrendum* a *ſyluis,&relligione parentum,* Latini
*Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces* b deſcriptio.
*Regibus omen erat: hoc illis curia* c *templum*
*Hæ ſacris ſedes epulis:* d *hic ariete cæſo*
*Perpetuis* e *ſoliti patres* f *conſidere* g *menſis.*
*Quinetiam veterum effigies ex ordine* h *auorum* Effigies
*Antiqua ex cedro,* i *Italuſque,* k *paterq;* l *Sabinus* Regum Latinorum.
*Vitiſator, curuam ſeruans ſub imagine falcem.*
*Saturnuſque ſenex, Ianique bifrontis* m *imago,*

a Venerandum ob ſyluarum opacitatem, & religiones ibi à Latini maioribus inſtitutas.

b Antiquis Italiæ Regibus præferebantur faſces virgarum, vt poſtea conſulibus Romanis prælati ſunt. Cum igitur primum Latini Reges Reip. gubernacula capiebant, ex illo templo primos faſces referebant boni ominis cauſſa.

c In hoc templo, id eſt loco augurijs conſecrato Senatus haberi ſolebat.

d Alludit ad epulas in Capitolio celebrari ſólitas, ad quas Senatores vocabantur, vel potius ad epulas & ſacrificia quæ fiebant in templo Apollinis Palatini, ariete immolato.

e *Longis ad ordinem exæquatis ſedentium*, vt interpretatur Seruius: poſſimus etiam menſas perpetuas vocare quod totis menſis vnico arietis edulio veſcerentur vt & Æneidos.
*Perpetui tergo bouis & luſtralibus extis.*

f Senatores, qui patres conſcripti dicebantur.

g Seruius. *Maiores noſtri ſedentes epulabãtur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretenſibus, vt Varro docet.* poſtea autem cœperunt menſis accumbere.

h Prout ſibi ſucceſſerunt.

i Quod lignum carie non exeditur, nec eſt corruptioni obnoxium. k Rex à quo Italia nomen accepit.

l Appellatio patris indicat eum in deos relatum fuiſſe, vt paſſim pater Æneas: Sabinus autem nomen ſuum Sabinis indidit primúſque in Italia vineam plantauit.

m Qui cum duabus frontibus depingitur ad indicandam eiús prudentiam, quaſi videret ante & retro præterita & futura.

*Veſtibulo* a *adſtabant, aliÿque ab origine* b *Reges*
*Martia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi.*
*Multaque præterea ſacris in poſtibus* c *arma,*
*Captiui pendent curtus, curuæque ſecures,*
*Et criſtæ capitum & portarum ingentia clauſtra,*
*Spiculaque, clypeique, ereptaqua roſtra carinis.*
*Ipſe Quirinali lituo* d *paruaque ſedebat*
*Succinctus trabea,* e *læuaque ancile* f *gerebat*
*Picus equûm domitor, quem* g *capta cupidine cõiux*
*Aurea percuſſum virga, versúmque venenis,*
*Fecit auem Circe, ſparſitque coloribus alas.*

*a* In area quæ erat proximè ante atrium.
*b* Primi Italiæ populi Aborigines vocabantur, quorum ad nomen hic Poëta videtur obiter alludere.
*c* Alludit ad morem Romanorum, qui ſpolia hoſtium, clauſtra portarum, roſtra nauium dijs ſacrata, ſolebant ad fores ſuas appendere.
*d* Innuit Picum Haruſpicinam exercuiſſe, vel potiùs augurem fuiſſe: Lituus enim erat baculus leuiter à ſummo inflexus quo ſolebant augures cœli templa id eſt certa quædam aëris ſpatia determinare, vnde auſpicia peterentur. Notat Macrobius hæc verba. *Quirinali lituo* non eſſe ad participium *ſuccinctus* referenda, ſed idem valere ac ſi dicat, *cum lituo* vel habens lituum; Quirinalem vocat vel à deo Enyalio, quem Sabini Quirinum vocabant, vt auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſeus, vel à Romulo qui augur fuit habuítque lituum, qui aliquando templo deflagrante non exuſtus eſt.
*e* Trabea veſtis fuit & inſigne regum 8 Aeneid.
*Et ſellã regnitr abeãque inſignia noſtri.* Poſtea tamen fuit equitibus attributa. Perſius. *Cenſorémq; tuum vel quod trabeate ſalutas.*
*f* Clypeum rotundum & incuruum, ſimilem illi qui tempore Regis Numæ de cœlo delapſus eſt.
*g* Cum Picus Scyllam amaret Circe præ zelotypia Scyllam in mõnſtrum marinum veneficijs mutauit, ipſum etiam Picum in auem, quæ etiam nunc retinet priſtinam appellationem & Picus Martius nominatur.

*Tali intus templo diuûm patriaque* a *Latinus*
*Sede ſedens, Teucros ad ſeſe in tecta vocauit:*
*Atque hæc ingreſſis placido prior edidit ore:*

Interrogatio Latini ad legatos.

*Dicite Dardanidæ (neq; enim neſcimus & vrbem*
*Et genus:) auditique* b *aduertitis æquore curſus*
*Quid petitis? quæ cauſa rates, aut cuius egenteis*
*Littus ad Auſonium* c *tot per vada cærula* d *vexit?*
*Siue errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,*
*(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)*
*Fluminis intraſtis ripas, portuque ſedetis:*
*Ne fugite hoſpitium:* f *néue ignorate Latinos*
*Saturni gentem, haud vinclo,* g *nec legibus æquam*
*Sponte ſua, veteriſque Dei* h *ſe more tenentem.*
*Atque equidem memini (fama eſt obſcurior annis)*
*Auruncos* i *ita ferre ſenes: his ortus vt agris*

*a* In quo ſolio regio maiores ipſius conſederant.
*b* Quia fortaſſe cum Troiani eſſent in Sicilia, eos ad Italiam fama iam præuenerat & audierat Latinus eos de petenda Italia cogitare: quod non audierat, ille qui ingentes viros in ignota veſte aduenisse paulò ante Latino nunciauit.
*c* Italicum.
*d* Mare eſt cærulei coloris. *e* Tiberini.
*f* Ius hoſpitale. Troianos hortatur ad iungendum cum Latinis hoſpitium, à Latinorum iuſtitia qui ſine legibus ſponte ſua retinebant eos mores, quibus fuerant olim à Saturno inſtituti: Saturnus autem vt fabulantur pulſus à Ioue fugit in Italiam. *Latiumque vocari*
*Maluit his quoniam latuiſſet tutus in oris.*
*g* Leges ſunt vincula ciuitatum & ſocietatis humanæ.
*h* Saturni.
*i* Oſtendit cognationem Troianorum cum Italis quia Dardanus erat Coritho Hetruriæ vrbe oriundus, quòd probat auctoritate Auruncorum qui vetuſtiſſimi fuerunt, & imprimis antiquas hiſtorias Italiæ callebant, eaſque ſuos liberos edocebant.

Dardanus, Idæas Phrygiæ [a] penetrauit ad vrbes,
Threiciamq; Samũ, quæ nunc Samothracia [b] fertur:
Hinc illum Corithi Tyrrhena [c] ab ſede profectum
Aurea [d] nunc ſolio ſtellantis regia cæli
Ilionei ad Latinum reſponſio.
Accipit: & numerum Diuorum altaribus auget.
Dixerat: & dicta Ilioneus ſic voce ſecutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra ſubegit hyems [e] veſtris ſuccedere terris:
Nec ſidus regione viæ, lituſque fefellit:
Conſilio hanc omnes animiſque volentibus vrbem
Afferimur, pulſi regnis, [f] quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aſpiciebat Olympo.
Ab ioue principium generis, Ioue Dardana pubes
Gaudet auo, rex ipſe Iouis de gente [g] ſuprema
Troius Æneas tua non ad limina miſit.
Quanta per Idæos [h] ſæuis effuſa Mycenis

*a* Ad diſtinctionem alterius Idæ quæ fuit in inſula Creta.
*b* Inſula iuxta Thraciam quæ olim Samos vocabatur.
*c* Iidem ſunt Tyrrheni & Hetruſci.
*d* Dardanus in deos relatus & adiectione nominis ſui auxit deorum numerum, donatus altaribus.
*e* Tempeſtas: nec tempeſtate diſiecti ſumus in Italiam; nec errore viæ quaſi ſiderũ inſpectione decepti fuerimus, maximè cynoſuræ ſiue minoris vrſæ, cuius aſpectu curſu nauium diriguntur: neque nos littus decepit, quaſi ad aliũ portũ claſſem appulerimus, rati nos ad alium appellere. *f* Pulſi Phrygia quæ regio vergit ad oriẽtem: oriens autẽ extremus olympus vocatur reſpectu Italiæ quæ eſt occidentalis, vnde etiam Heſperia nuncupatur. *g* Filius veneris, ac proinde nepos Iouis.
*h* Audierunt illi qui in extremis gentibus poſiti, reciprocantibus per fluxum & refluxum Oceani fluctibus alluuntur, illi etiam qui noſtra zona temperata & habitabili per interiectam zonam torridam ſeparantur in altera zona temperata habitantes, illi inquam, audierunt quanta belli tempeſtas ex Mycenis & tota Græcia ſe in Phrygiam effuderit quibúſque

*Tempeſtas ierit campos, quibus actus vterque*
*Europæ, atque Aſiæ fatis concurrerit orbis,*
*Audijt, & ſi quem tellus extrema refuſo*
*Submouet Oceano, & ſi quem extenta* a *plagarum*
*Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.*
*Diluuio* b *ex illo tot vaſta per æquora vecti*
*Diis ſedem exiguam patriis,* c *littúſque rogamus*
*Innocuum & cunctis vndamq; auramq; patẽtem,*
*Non erimus regno indecores; nec veſtra feretur*
*Fama leuis, tantique aboleſcet gratia facti.*
*Nec Troiam Auſonios gremio excepiſſe pigebit:*
*Fata per Æneæ iuro, dextrámque potentem,*
*Siue fide, ſeu qui bello eſt expertus, & armis,*
*Multi nos populi,* d *multæ (ne temne quod vltro*
*Præferimus manibus vittas,*e *ac verba precantum)*
*Et petiere ſibi & voluêre adiungere gentes.*
*Sed nos fata Deum veſtras exquirere terras*
*Imperiis egere ſuis: hinc* f *Dardanus ortus*

quibúſque fatis Græci in Europa habitantes, cum Troianis Aſiaticis bello conflixerint. Idæi campi ab Ida mõte Phrygiæ.
a Antiqui terram in quinque zonas diuidebant: duas extremas inhabitabiles eſſe præ frigore ducebant: mediam torridá & præ nimio calore inhabitabilem, quæ hic à Virgilio plaga ſolis iniqui, ideſt plus æquo feruida nominatur, quæ in medio quatuor plagarum extenditur. Reliquas verò duas quæ inter mediam & extremam interiectæ ſunt, vocabant temperatas; eáſque ſolas putabant habitari.
b Ex Troiæ excidio. c Penatibus.
d Carthaginenſes in Africa, Aceſtes in Sicilia.
e Græci veteres, cùm ſupplices erant, pacémque poſcebant; oleæ ramos vittis & faſcijs ſiue tenijs laneis redimitos, manu præferebant.
f Coritho monte Hetruriæ.

*Huc repetit, iuſſiſque ingentibus vrget Apollo,*
*Tyrrhenum* a *ad Tyberim, & fontis vada ſacra Numici.*

Munera oblata Latino.

*Dat tibi præterea fortunæ parua prioris*
*Munera, relliquias Troia ex ardente receptas.*
*Hoc pater Anchiſes auro* b *libabat ad aras,*
*Hoc Priami geſtamen erat, cum iura vocatis*
*More daret populis, ſceptrúmque ſacérq; tiaras,* c
*Iliadúmque* d *labor veſtes.*

Latini reſponſio

*Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus*
*Obtutu tenet ora; ſoloque immobilis* e *hæret,*
*Intentos voluens oculos: nec purpura Regem*
*Picta* f *mouet, nec ſceptra mouēt Priameia tantùm,*
*Quantum in connubio natæ, thalamóque moratur,*
*Et veteris Fauni voluit ſub pectore ſortem;* g
*Hunc* h *illum fatis externa à ſede profectum*
*Portendi generum, paribuſque* i *in regna vocari*
*Auſpicijs: hinc progeniem virtute futuram*
*Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.*
*Tandem lætus ait: Dij noſtra incœpta ſecundent,*

a Ex Hetruriæ ſiue Tyrrheniæ montibus profluentem,
b Patera aurea, quam tibi offero.
c Capitis tegumentum Phrygium. Iuuenalis.
*Et Phrygia veſtitur bucca tiara.*
d Veſtes purpureas acu Phrygia pictas. *Faites en broderie.*
e Hæret oculos habens immobiliter in terram defixos.
f Veſtes Phrygionicæ.
g Oraculum ad Albuneam redditum, quod Lauiniam Italis nubere prohibebat.
h Æneam.
i *Pari poteſtate & tractum à comitijs,* inquit Seruius.

*Auguriúmq; ſuum, dabitur a Troiane quod optas,*
*Munera nec ſperno: non vobis, Rege Latino,*
*Diuitis vber* b *agri, Troiæ ve opulentia* c *deerit.*
*Ipſe modo Aeneas (noſtri ſi tanta cupido eſt:*
*Si iungi hoſpitio properat ſociúſve vocari)*
*Adueniat: vultus néve exhorreſcat amicos.*
*Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni* d.
*Vos contra Regi mea nunc mandata referte.*
*Eſt mihi nata, viro gentis quam iungere noſtræ*
*Non patrio ex adyto ſortes,* e *non plurima cælo*
*Monſtra* f *ſinunt: generos externis affore ab oris,*
*Hoc Latio reſtare canunt, qui ſanguine noſtrum*
*Nomen in aſtra ferant, hanc illum poſcere fata*
*Et reor, & ſi quid veri mens augurat, opto.*
*Hæc effatus equos numero pater eligit omni.*
*Stabant tercentum nitidi* g *in præſepibus altis.*
*Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci*
*Inſtratos oſtro alipedes,* h *pictiſque tapetis.*
*Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.*

*Munera Latini Troianis oblata.*

*a* Sedes diis patrijs & littus, vt à me petiiſti.
*b* Vbertas & fœcunditas.
*c* Non minùs eritis opulenti in Italia, quàm eratis Troia incolumi.
d Antiqui nomen Tyranni in bonam partem, & pro Rege capiebant.
*e* Oraculum redditum è Fauni patris mei penetralibus.
*f* Vt inter cætera examen apum quod lauri apicem obſedit, & ignis accenſus in capite Lauiniæ.
*g* Pingues.
*h* Equos tam celeres vt alas in pedibus habere viderentur, purpureis pictiſque tapetibus coopertos.

*Tecti auro fuluum mandunt ſub dentibus* a *aurum,*
*Abſenti Æneæ currum, geminóſque* b *iugales*
*Semine ab ætherio,* c *ſpiranteis naribus ignem,*
*Illorum de gente, patri* d *quos Dædale* e *Circe*
*Suppoſita de matre, nothos furata creauit.*
*Talibus Æneadæ donis, dictiſque Latini,*
*Sublimes in equis redeunt, pacémq; reportant.*

Iuno indignatur ob aduentum Æ. ec.

*Ecce autem Inachijs* f *ſeſe referebat ab Argis*
*Sæua Iouis coniux, auráſque inuecta tenebat:*
*Et lætum* g *Æneam, claſſémque ex æthere longè*
*Dardanium Siculo proſpexit ab vſque Pachyno* h.
*Moliri iam tecta videt, iam fidere terræ,*
*Deſeruiſſe rates, ſtetit acri fixa dolore.*
*Tum quaſſans* i *caput, hæc effudit pectore dicta:*
*Heu ſtirpem inuiſam & fatis* k *contraria noſtris*
*Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis?*

*a* Frena aurea.
*b* Duos equos pares inter ſe & iugo currus aſſuctos.
*c* A Solis equis procreatos.
*d* Circe quaſdam equas equis patris ſui Solis ſubmiſerat, vt ex eâ admiſſura pullos equæ mortales ex immortalibus, adulterino fœtu furtim procrearent.
*e* Artificioſa à Græco δαιδάλλειν.
*f* Argos vrbem Peloponeſi, Inachus fluuius præterfluit, primus etiam Rex Argiuorum Inachus vocabatur. Hoc autem dictum notat Seruius ad differentiam aliarum vrbium quæ hoc eodem nomine vocabantur. In Italia Argos, ſiue Argiripa poſteà Arpi, item Argos in Theſſalia, & Argos Dipſion non longe ab Athenis.
*g* Quod ad Italiam naues appuliſſet.
*h* Vnum è tribus Siciliæ promontorijs: quorum Lilybæum ſpectat Græciam, Pelorum, Africam: Pachynus Italiam.
*i* Præ indignatione hæc verba euomuit.
*k* Troianis, à Sigæo vrbe Phrygiæ.

*Num capti potuere* a *capi? num incenſa cremauit*
*Troia viros? medias acies, medioſque* b *per igneis*
*Inuenêre viam: at credo, mea numina tandem*
*Feſſa* c *iacent, odijs aut exſaturata quieui.*
*Quin etiam patria ex*- d *uſſos infeſta per vndas*
*Auſa ſequi, & profugis toto me opponere ponto.*
*Abſumptæ in Teucros vires cœlique, mariſque.*
*Quid Syrtes,* e *aut Scylla mihi, quid vaſta Charybdis*
*Profuit? optato conduntur Tybridis alueo*
*Securi pelagi,* f *atque mei. Mars* g *perdere gentem*
*Immanem Lapithûm valuit: conceßit in iras*
*Ipſe Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:*
*Quod ſcelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?*

a Seruius. Cum felle dictum eſt. Nam ſi hoc remoueas erit oxymorum: dicit autem omnia quæ contigerant, non videri contigiſſe, quia non obfuerunt: *capi* autem *capti* dixit, vt Ciceros: *Vt in Tiberina Siciliæ parte, Siciliam quæreremus.*
b 2. Æneidos.
*Dant tela locum flammæque recedunt.*
c *Nec fatigata deſtiti* inquit Seruius, *nec ſatiata requieui.* Dictum eſt igitur per ironiam.
d Violenter expulſos.
e De Syrtibus 1. Æneidos. De Scylla & Charybdi lib. 3.
f Non curantes amplius aut maris tempeſtates, aut aëris & ventorum iniurias, *mei* dicit, id eſt *Iunonis*. Iuno aëris Dea.
g Argumentũ à minori ad maius, Mars Lapithas quorum Rex Pirithous Martem ad nuptiale conuiuium non vocauerat penitus deleuit. Iupiter verò conceſſit in iras Dianæ antiquam vrbem Calydona, id eſt permiſit vt Diana iram ſuã expleret, & ingentem aprum immitteret in Ætoliã quia Oeneus Rex Ætoliæ Dianam neglexerat. Hic verò aper à Meleagro occiſus eſt: Quam tantam ſceleris ſui pœnam aut Lapithæ, aut Calydonij meruerant, vt tam graui ſupplicio plecterentur.

*Aſt ego magna Iouis coniux, nil linquere inauſum*
*Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,*
*Vincor ab Aenea: Quòd ſi mea numina non ſunt*
*Magna ſatis, dubitem haud equidem implorare quod vſquam eſt.*
*Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta* a *mouebo.*
*Non dabitur regnis (eſto) prohibere Latinis,*
*Atque immota manet fatis Lauinia coniux:*
*At trahere, atq; moras* b *tantis licet addere rebus:*
*At licet amborum populos exſcindere regum.*
*Hac gener,* c *atque ſocer coëant mercede ſuorum.*
*Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere,* d *virgo;*
*Et Bellona* e *manet te pronuba:* f *nec face* g *tantum*
*Cyſſeis prægnans igneis enixa iugales:*
*Quin idem Veneri partus ſuus, & Paris alter,*
*Funeſtæque iterum recidiua* h *in Pergama tædæ.*
*Hæc vbi dicta dedit, terras horrenda petiuit:*

*a* Furias euocabo ex inferis.
*b* Nuptias retardare.
*c* Gener Æneas, ſocer Latinus.
*d* Dotis loco tibi ſanguis Troianorum & Rutulorum effundetur.
*e* Bellona Dea belli, quæ Enyo nominatur.
*f* Quaſi conciliatrix & ſequeſtra nuptiarum.
*g* Hecuba Paridem habens conceptum in vtero ſomniarat ſe, parere facem ardentem & inuolutam incendio, qua Troia deflagraret. Senſus eſt igitur, non ſolùm Hecuba Ciſſei Regis filia peperit Paridem patriæ ſuæ facem & cauſſam incendii, ſed etiam Venus peperit Æneam Paridi ſimilem, qui fax erit, per quam reliquiæ Troianorum deflagrabunt.
*h* Poſt caſum reſtituta, vt 4. Aenidos,
*Ex recidiua manu poſuiſſem Pergama Teucris.*

*Luctificam Alecto a Dirarum ab ſede ſororum,*
*Inferniſque ciet tenebris, cui triſtia bella.*
*Iræque, inſidiæque, & crimina noxia cordi.*
*Odit & ipſe pater* b *Pluton, odere ſorores*
*Tartareæ monſtrum: tot ſeſe vertit in ora:*
*Tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.*
*Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur.*
*Hunc mihi da propriũ* c *virgo ſata Nocte, laborem,*
*Hanc operam: ne noſter honos, infractaue* e *cedat*
*Fama loco: neu connubijs* f *ambire Latinum*
*Æneadæ poſſint, Italóſue obſidere fines.*
*Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,*
*Atque odiis verſare domos, tu verbera tectis,*
*Funereáſque inferre faces, tibi nomina* g *mille,*
*Mille nocendi artes: fœcundum* h *concute pectus,*
*Diſiice compoſitam pacem: ſere crimina* i *belli;*
*Arma velit, poſcátque ſimul, rapiátque iuuentus.*

**Furiam Alecto mittit ad bellum excitandum.**

*a* Tres ſunt Furiæ, quas etiam Poëta, Eumenidas, Diras appellant. Alecto, Tiſiphone, Megæra.
*b* Commodè monet Seruius, vocem *pater*, eſſe venerationis. Nam Furiæ Acherontis & noctis filiæ.
*c* Fac propter me quod tibi proprium eſt, & accommodatum tuæ naturæ.
*d* Alecto, Noctis filia.
*e* Quem hactenus infracta fuit, & inuicta.
*f* Circumuenire, & ita circumplecti vt ab iis expedire ſe non poſſit.
*g* Mille tibi ſunt modi, quibus noceas.
*h* Excita te ipſam & fac vt pectus tuum malitiæ fœcundum, pariat, & in lucem edat illa ſcelera quæ tuis viſceribus continentur.
*i* Cauſſas belli vt.

*Se cauſſam clamet, criménque capútque malorum,*

*Alecto Amatam Reginam incendit furore.*

*Exin Gorgoneis* a *Alecto infecta venenis*
*Principio Latium, & Laurentis* b *tecta tyranni*
*Celſa petit, tacitúmque* c *obſedit limen Amatæ.*
*Quam ſuper aduentu Teucrûm, Turniq;* d *hymenæis*
*Fœmineæ ardentem, curæque, iræque coquebant.*
*Huic Dea* e *cæruleis vnum de crinibus anguem*
*Conijcit, inque ſinum præcordia ad intima ſubdit:*
*Quo furibunda domũ monſtro permiſceat omnem.*
*Ille* f *inter veſtes, & lævia* g *pectora lapſus*
*Voluitur attactu* h *nullo, fallitque* i *furentem:*
*Vipeream inſpirans animam, fit tortile* k *collo*
*Aurum ingens coluber, fit longæ tænia* l *vittæ:*
*Innectitque comas & membris lubricus* m *errat.*

*a* Statim atque locuta eſt Iuno. Exinde Alecto, infecta teterrimis venenis, cuiuſmodi venenum habuit Gorgon Meduſa quæ & ipſa fuit crinita ſerpentibus, eámque vim habuit, vt eos qui ipſam intuebantur, in ſaxa conuerteret.

*b* Latini.

*c* Nullum ſtrepitum edens, tanquam inſidiaretur, obſedit ianuam Amatæ, quæ fuit vxor Latini.

*d* Nuptijs Lauiniæ pactis cùm Turno Rege Rutulorum.

*e* Huic Amatæ Alecto dea.

*f* Serpens à Furia coniectus in ſinum Amatæ.

*g* Pulchra, terſa & polita inſtar marmoris læuigati.

*h* Tam leniter, vt non ſentiatur, nec penitus videatur attingere.

*i* Inijcit furorem ſine accipientis ſenſu, & furorem habitu ſuo viperinum immittens, eam ſic fallit, vt ſe furere neſciat.

k Coluber ille ingens à Furia iniectus, mutatur in torquem flexuoſum, & in tæniam vittæ.

*l* Tænia vel eſt vittæ extremitas vel faſcia. Fortaſſe hoc fingit quia illis qui profanis myſteriis initiabantur, conijciebatur in ſinum coluber, & ab imis partibus extrahebatur, teſte Arnobio, & alijs.

*m Gliſſant* Gallicè.

*Ac dum prima lues* [a] *vdo ſublapſa veneno*
*Pertentat ſenſus atque oſſibus implicat ignem,*
*Nec dum animus toto percepit pectore flammam:*
*Mollius, & ſolito matrum de more locuta eſt,*
*Multa ſuper natâ lachrymans, Phrygiiſque* [b] *hymenæis:*
*Exulibuſne datur ducenda Lauinia Teucris,*
*O genitor!* [c] *nec te miſeret natæque, tuique?*
*Nec matris* [d] *miſeret, quam primo Aquilone relinquet*
*Perfidus alta petens, abducta virgine prædo?*
*At non ſic Phrygius* [e] *penetrat Lacedæmona paſtor,*
*Ledæamque Helenam Troianas vexit ad arces?*
*Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum.*
*Et conſanguineo* [f] *toties data dextera* [g] *Turno;*
*Si gener externâ petitur de gente Latinis,*
*Idque ſedet,* [h] *Faunique premunt te iuſſa parentis,*
*Omnem equidem ſceptris terram, quæ libera noſtris*

*a* Prima lues inſaniæ.
*b* Nuptijs Lauiniæ, quas Latinus cum Ænea Phryge contrahebat.
*c* O Latine, pater Lauiniæ.
*d* Mei ipſius.
*e* Ironia eſt. Quaſi verò, Paris Troianus paſtor non perfidus extiterit docueritque exemplo ſuo cauendam eſſe perfidiam Troianorum, dum in vrbem Lacedæmonem penetrauit; & fallens fidem Menelao Lacedæmoniorum Rigi datam, eius coniugem Helenam Iouis & Ledæ filiam non rapuerit, & ſecum abduxerit. *f* Latinus 12. Æneidos Turnô:

*Victus amore tui, cognato ſanguine victus.*

Nam Turnus & Lauinia conſobrini fuerunt, Venilia mater Turni, ſoror fuit Amatæ.
*g* Fides dextra enim ſedes fidei.
*h* Fixum, ratum eſt nulli Italo & indigenæ dare Lauiniam.

*Diſſidet, externam reor, ſic dicere Diuos.*
*Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,*
*Inachus, Acriſiuſque* a *patres, mediæq; Mycenæ.*
*His vbi nequicquam dictis experta, Latinum*
*Contrà ſtare videt, penituſque in viſcera lapſum*
*Serpentis furiale* b *malum, totámque pererrat:*
*Tum vero infœlix ingentibus excita monſtris,*
Amata insanit. *Immenſam* c *ſine more* d *furit lymphata* e *per vrbem:*
*Ceu quondam torto* f *volitans ſub verbere turbo,*
*Quem pueri magno in gyro vacua atria circum*
*Intenti ludo exercent: ille actus habena*
*Curuatis fertur ſpatijs, ſtupet inſcia* g *turba*

*a* Inachus primus Rex Argiuorum. Acriſius item Rex Argiuorum & Mycenarum, cui de nuptijs Danaës filiæ ſciſcitanti, datum oraculum fore vt ipſe occideretur ab eo quem Danaë genuiſſet. Ille Danaëm ærea turri incluſam ſeruabat, appoſitis cuſtodibus, Iupiter in imbrem aureum mutatus, id eſt corruptis auro cuſtodibus per tegulas in Danaës gremium illapſus eſt. Pater Acriſius filiam è Ioue grauidam aduertens eam ciſta lignea incluſam, in mare proiecit: Danaë vi tempeſtatis ad Italiam delata, inuenta eſt à piſcatore cum Perſeo, quem ibi enixa fuerat, & oblata Regi, qui eã ſibi fecit vxorem: cum qua etiam Ardeam condidit, vnde Turnus fuit oriundus.

*b* Furor immiſſus à Furia cum ſerpente.

*c* Laurentum, quod immenſam vrbem appellat ἐμφατικῶς ſi enim immenſa fuit, potuit longè latéque diuagari.

*d* Sine exemplo contra decorum.

*e* Furioſa. Propriè lymphati dicuntur qui ex adſpectu Nympharum ad aquas ſiue lymphas ſaltantium redacti ſunt in inſaniam.

*f* Turbo eſt lignum verſatile, in modum coni acuminatum, quod à pueris per luſum varios in orbes circumagitur. Vernaculè. *Vne toupie*: cuius comparatione vario Amatæ furentis diſcurſus illuſtrat.

*g* Turba puerórum, quæ nondum annos pubertatis attigit, ſtuper & miratur ignorans cauſſam cur ille turbo tam cele-

*Impubéſque manus, mirata volubile buxum:*
*Dant animos plagæ :* a *non curſu ſegnior illo*
*Per medias vrbeis agitur, populóſque feroces.*
*Quin etiam in ſyluas ſimulato* b *numine Bacchi,*
*Maius adorta nefas, maiorémque orſa furorem,*
*Euolat, & natam frondoſis montibus abdit:*
*Quò* c *thalamum eripiat Teucris, tædaſq;* d *moretur:* Bacchatur.
*Evohe* e *Bacche fremens, ſolũ te virgine dignum*
*Vociferans : etenim molleis* f *tibi ſumere thyrſos,*
*Te luſtrare choros,* g *ſacrum tibi paſcere crinem,*
*Fama volat. Furiiſque accenſas pectore matres*
*Idem omnes ſimul ardor agit,* h *noua quærere tecta,*

riter voluatur, & in varios circuitus agitetur.

*a* Ictus plagarum turbinis celeritatem ſic augent, vt turbinem animare videantur.

*b* Seruius ſic interpretatur. *Talem patiebatur furorem vt ſperaret ſe Liberi ſac. a celebrare: nõ enim ipſa ſimulabat, quod eſt ſanoriũ* Sed non video cur non potuerit ſimulare: non enim ita furebat, vt nihil penitus videret, vt conſtat ex oratione quam paulo pòſt ad matronas eſt habitura.

*c* Vt impediat quo minùs Aeneas ducat vxorem Lauiniam.

*d* Nuptias quia quinque tædæ ſiue faces ardentes præferebãtur nubentibus.

*e* Vox Bacchantium : qua etiam in initiationibus vtebantur, vt ait Demoſthenes de corona.

*f* Thyrſi ſunt haſtæ Baccanthium pampineis frondibus inuolutæ, dictæ molles vel ob mollitiem pampinorum, vel quod vinum viros effœminet.

*g* Circa te choreas ageret ſi legatur *choro* quia tamen receptior eſt lectio; *Te luſtrare choros* : ſic interpretor: fama volat Amatam tibi thyrſos ſumere, te choris illius intereſſe : eam tibi vel ſuum vel Lauiniæ filiæ crinem paſcere, vt eum paulo poſt tondeat & tibi conſecret.

*h* Reliquæ matronæ, his auditis, eodem furore inſtigantur ad deſerendas ædes ſuas, & ad migrandum in ſiluas ad ſacra

*Deſeruere domos: ventis dant colla, comâſque:*
*Aſt aliæ tremulis vlulatibus æthera complent:*
*Pampineáſque* a *gerunt incinctæ pellibus* b *haſtas.*
*Ipſa* c *inter medias flagrantem feruida pinum*
*Suſtinet: ac natæ, Turnique* d *canit hymenæos,* e
*Sanguineam torquens aciem, toruumque repentè*
*Clamat: Iò* f *matres audite vbi quæque Latinæ*
*Si qua pijs animis manet infelicis Amatæ*
*Gratia, ſi iuris materni cura remordet:*
*Soluite crinales vittas,* g *capite Orgia* h *mecum.*
*Talem inter ſyluas, inter deſerta ferarum*
*Reginam Alecto ſtimulis agit vndique Bacchi.*
*Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,*

Liberi patris celebranda.

*a* Thyrſos pampinis inuolutos.

*b* Pomponius Sabinus. *Bacchantes tectæ pellibus nebridum furebant. Nebridem multi appellant vulpem, multi per nebridas intelligunt pelles damarum. Mihi placet vulpium.*

*c* Ipſa Amata furijs accenſa inter medias matronas eodē furore inſtinctas pinum flagrantem ſuſtinet. Alludit ad ritus bacchanaliorum & nuptiarum. Nam faces pineæ ferebantur à bacchantibus, & faces vel pineæ, vel ſpineæ ex alba ſpina ferebantur in nuptijs.

*d* Ante vociferata fuerat ſolum Bacchum dignum eſſe Lauinia: nunc per dementiam ſibi contradicit, & canit coniugium Turni & Lauiniæ.

*e* Nuptias Hymenæus nuptiarum Deus hunc cantum Romani Talaſſionem vocabant.

*f* Vox etiam bacchantium: clamabant enim ἰὼ Ἄτη, vt ſcribit Demoſthenes.

*g* Vittas & faſcias quibus crines veſtri implicantur.

*h* Orgia icunculæ ſiue ſimulacra quædam fuerunt, quæ in arculis ita ſeruabant, qui Bacchi ſacris erant initiati, vt nefas eſſet ea profanis, vel oſtendere vel etiam verbis exponere.

*Conſiliúmque, a omnémq; domum vertiſſe Latini.*
*Protinus hinc fuſcis triſtis Dea tollitur alis* Alleĉtò adit Turnū.
*Audacis Rutuli* b *ad muros: quam dicitur vrbem*
*Acriſioneis* c *Danaë fundaſſe colonis,*
*Præcipiti delata Noto: locus Ardea quondam*
*Dictus auis: & nunc magnū manet Ardea nomē,*
*Sed fortuna fuit: tectis hic Turnus in altis*
*Iam medium nigra carpebat nocte quietem.*
*Alecto toruam faciem & furiala membra*
*Exuit: in vultus ſeſe transformat aniles:*
*Et frontem obſcœnam rugis arat:* e *induit albos*
*Cùm vitta* f *crines: tum ramum innectit oliuæ:* in Calyben mutatur.

Catullus de nuptijs Pelei & Thetidos.
*Pars obſcura cauis celebrabant orgia ciſtis.*
*Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.*
Tibullus elegia 7. lib. I.
*Et leuis occultis conſcia ciſta ſacris.*
a Quod inierat Latinus de tradenda Æneæ Lauinia.
b Turni, qui filius erat Dauni Regis Rutulorum.
c Argiuis, ab Acriſio Rege Argiuorum, patre Danaës: putat Seruius per colonos ſolam Danaën intelligi, fieri poteſt, vt ſecundum hiſtoriæ veritatem, naui ad Italiam peruenerit ſecúmque ex Argo colonos adduxerit, quamuis in ciſtam coniecta, & vento ac fluctibus ad Italiam delata fuiſſe fingatur.
d Eam vrbem aui noſtri ſiue maiores Ardeam nominabant. Legunt Pierius & Cerdanus.

—— *Locus Ardua quondam*
*Dictus auis*, &c.

& ſenſus erit, illam vrbem maiores noſtri Arduam ab altitudine nominabant: & nunc voce pauliſper mutata, Ardea vocatur. Sed id fortuna ſiue caſu contigit; non quòd ea vrbs cum incendio deflagraſſet, in ardeam auem mutata fuerit, vt aliqui fictis fabulis prodiderunt.
e Corrugat frontem vt anus appareat.
f Alecto induit albos crines vitta ſiue faſcia redimitos, &

*Fit Calybe* a *Iunonis anus, templique ſacerdos;*
*Et iuueni* b *ante oculos his ſecum vocibus offert?*
*Turne, tot incaſſum* c *fuſos patière labores?*
*Et tua Dardanijs tranſcribi ſceptra colonis?*
*Rex tibi coniugium, & quæſitas ſanguine* d *dotes*
*Abnegat: externúſque* e *in regnum quæritur hæres.*
*I nunc,* f *ingratis offerte irriſe periclis:*
Turnũ ad bellum hortatur. *Tyrrhenas,* g *inſterne acies, tege pace Latinos.*
*Hæc adeò tibi me placida cùm nocte iaceres,*
*Ipſa palàm fari omnipotens Saturnia* h *iuſſit.*
*Quare agè, & armari pubem, portiſque moueri*

coronam ex oliuæ ramo contextam capiti imponit, de more ſacerdotum, qui vittati & coronati ſacra faciebant.

*a* Ita ſe tranformat, vt Calybe anus templi Iunonis ſacerdos eſſe videatur.

*b* Turno dormienti.

*c* Æquóne feres animo te operam perdidiſſe, fruſtraque laboraſſe, cùm propter Latinorum ipſiúſque adeò Latini Regis ſalutem vitam tuam tot periculis obtuliſti? Æquóne feres animo Latij regnum quod tibi dotis nomine debitum erat, tuũque reuera iam eſſet, ſi duxiſſes vxorem Lauiniam, à te ad Troianos tranſcribi, propriè videtur dixiſſe *tranſcribi*, vt & coloni tranſcribi dicuntur cùm migrant in aliam ciuitatem.

*d* Vel debitam iure ſanguinis & conſanguinitatis, vel nomine mercedis ob ſanguinem tot prælijs effuſum.

*e* Æneas alienigena, & nulla conſanguinitate coniunctus.

*f* Ironia pulcherrima ingrata pericula vocat quæ pro Latino ingrato ſubierat: ſenſus eſt, noli ampliùs adire pro Latinis pericula, cùm nullam hactenus ab eis laborum mercedem perceperis.

*g* 8. Æneidos de Tyrrhenis ſiue, Hetruſcis.

*Hi bellum aſſiduè ducunt cum gente Latina.*

Quos frequenter Turnus ab agro Latino depulerat.

*h* Iuno filia Saturni.

*Lætus* a *in arma para,* b *& Phrygios, qui flumine* c *pulchro*
*Conſedêre duces, pictáſque exure carinas.*
*Cæleſtûm vis magna iubet. Rex ipſe Latinus,*
*Ni dare coniugium, & dicto parere* d *fatetur,*
*Sentiat, & tandem Turnum experiatur* e *in armis.*
*Hîc iuuenis vatem irridens: ſic orſa viciſſim*
*Ore refert: Claſſes inuectas Tybridis vndam,*
*Non, vt rere, meas effugit nuntius aures:*
*Ne tantos mihi* f *finge metus, nec regia Iuno*
*Immemor eſt noſtri.*
*Sed te victa ſitu,* g *verique effœta* h *ſenectus,*
*O mater, curis nequicquam exercet: & arma*
*Regum inter falſa vatem formidine ludit.*
*Cura tibi Diuûm effigies & templa tueri.*
*Bella viri, pacémque gerant, queis bella gerenda.*
*Talibus Alecto dictis exarſit in iras.*
*At iuueni* i *oranti ſubitus tremor occupat artus.*

Turnus eã irridet.

*a* Feſtinus, promptus, alacer.
*b* Para iuuentutem vt armetur, & portis egreſſa procedat in campum, & ad arma currat.
*c* Ad ripas Tiberis amœni fluuij conſederunt.
*d* Obedire tibi, & dare Lauiniam.
*e* Seruius. *Probet contra ſe,* quem *pro ſe laborantem non probauit.*
*f* Noli rem exaggerare verbis ad me terrendum: fretus enim ſum Iunonis auxilio.
*g* Tam vetula, vt ſitu & rubigine, inſtar ferri, excedaris.
*h* Veritatis cognitio partus eſt animi. Veri itaque effœtus eſt qui non poteſt ampliùs verum parturire: tranſlatio à mulieribus quæ exceſſerunt tempus pariendi.
*i* Turno loquenti.

*Diriguere oculi: tot Erynnis* a *ſibilat hydris:* b
*Tantaque ſe facies aperit: tum flammea torquens*
*Lumina cunctantem, & quærentem dicere plura*
*Reppulit, & geminos* c *erexit crinibus angueis,*
*Verberaq;* d *inſonuit: rabidóque hæc addidit ore:*
*En ego victa ſitu, quam veri effœta ſenectus*
*Arma inter Regum, falſa formidine ludit?*
*(Reſpice ad hæc): adſum Dirarum* e *ab ſede ſororum,*
*Bella manu lethúmque gero.*
*Sic effata facem iuueni* f *coniecit: & atro*
*Lumine fumanteis fixit ſub pectore tædas.*
*Olli ſomnum ingens rupit pauor, oſſaque & artus*
*Perfudit toto proruptus corpore ſudor.*
*Arma amens fremit,* g *arma toro tectiſq; requirit:*
*Sæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli,*
*Ira ſuper: magno veluti cùm flamma ſonore*
*Virgea* h *ſuggeritur coſtis vndantis aheni,*

Alecto Turno furorem inſpirat.

*a* Furia Alecto.
*b* Hydri propriè ſerpentes aquatiles.
*c* Pares, non enim duos, ſed omnes erexerat.
*d* Inſonuit verberibus, verbera ſiue flagellum quod manu tenebat ita concuſſit vt reſonaret.
*e* Ex Acheronte, vbi Diræ ſiue furiæ habitamus, Alecto, Megera, Tiſiphone.
*f* Seruius. Satis conſideratè facem iuueni coniecit, quæ citò exardeſcit & deſinit. Suprà verò Amatæ ſerpentem iniecit, quòd in mulieribus ſemper viget venenum.
*g* Cum clamore depoſcit.
*h* Turnus ira exardeſcit, quemadmodum cum flamma magno ſtrepitu ex virgis & virgultis excitata lateribus ollæ vel cacabi ærei ſupponitur: tunc aquæ calefactæ latices præ feruore ebulliunt & exultant: & aqua fluuiatilis fumans & ſpumans ita exuberat & rareſit, vt vas vndam non capiat, ſed vapor

*Exultant æſtu latices: furit intus aquæ vis,*
*Fumidus atque altè ſpumis exuberat amnis:* Inſanit Turnus.
*Nec iam ſe capit vnda: volat vapor ater ad auras.*
*Ergo iter ad Regem, pollutâ pace, a Latinum*
*Indicit primis iuuenum, & iubet arma parari,*
*Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem:* b
*Se ſatis* c *ambobus Teucriſque venire, Latiniſque,*
*Hæc vbi dicta dedit, diuóſque in vota vocauit,*
*Certatim ſeſe Rutuli exhortantur in arma.*
*Hunc decus* d *egregiũ formæ mouet, atque iuuentæ,*
*Hunc ataui Reges: hunc claris dextera factis.*
*Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,*
*Alecto in Teucros Stygiis ſe concitat alis,*
*Arte noua ſpeculata locum,* e *quo littore pulcher* Alecto ad Troianos ſe conuertit.
*Inſidiis, curſuque feras agitabat Iulus.*
*Hîc ſubitam canibus rabiem Cocytia* f *virgo*
*Obiicit, & noto* g *nares contingit odore;*
*Vt ceruum ardentes agerent: quæ prima malorum* Rabiem immittit canibus Iuli.
*Cauſa fuit, belloque animos accendit agreſtes.*
*Ceruus erat forma præſtanti, & cornibus ingens.*

vapor fumidus exhalatur. Legitur *aquai* per diæreſim, vt Varus & Tucca maluerunt.

a Dirempta & violata ſocietate, quam iampridem Turnus cum Latino contraxerat.

b Troianos ex Italia depellere, qui ad Italiam appulſi ad oſtia Tiberina conſederant.

c Dicebat ſe ſolum ſufficere ad bellum Latino & Troianis inferendum.

d Alij Turni ætate & iuuentute mouentur ad ſequendas partes illius, alij eiuſdẽ nobilitate, alij rebus in bello præclarè geſtis.

e Occaſionem nocendi.

f Alecto Furia infernalis è Cocyto inferni fluuio emerſa.

g Ceruino odore; ad quem dignoſcendum ſolent inſtitui.

Thyrridæ a pueri quem matris ab vbere raptum,
Nutribant, Tyrrecheúſque pater, cui regia parent
Armenta, & late cuſtodia credita campi:
Aſſuetum imperiis ſoror omni Syluia cura,
Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,
Pectebátque ferum, b puroque in fonte lauabat.
Ille manum patiens, menſæque aſſuetus herili,
Errabat ſyluis, rurſúſque ad limina nota
Ipſè domum ſera quamuis ſe nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli,
Commouêre canes, fluuio cùm fortè ſecundo c
Deflueret, ripáque æſtus viridante leuaret.
Ipſe etiam eximiæ laudis ſuccenſus amore,
Aſcanius, curuo direxis ſpicula cornu d,
Nec dextræ erranti Deus e abſuit: actáque multo,
Pérque vterum ſonitu, pérque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes f nota intra tecta refûgit,
Succeſſitque gemens ſtabulis, queſtúque cruentus,
Atque imploranti ſimilis, tectum omne repleuit.
 Syluia prima ſoror palmis percuſſa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agreſtes.
Olli (peſtis g enim tacitis latet aſpera ſyluis)
Improuiſi adſunt: hic torre h armatus obuſto,

Ceruus cicuratus à canibus commouetur. ab Iulo vulneratur.

a Patronymicon à Tyrrheo patre.
b Ceruum Alias *ferus* vſurpatur pro equo vt 2. Æneidos.
c Cum aqua defluente, ſecundum fluminis curſum.
d Arcu corneo. e Alecto: vt 2. Æneidos de Venere. *Deſcendo, ac ducente Deo, &c.*
f Ceruus. Genus pro ſpecie.
g Alecto latens in ſyluis eos ex improuiſo adducit.
h Titione-

*Stipitis hic grauidi a nodis; quod cuique repertum*
*Rimanti, b telum ira facit. vocat agmina Tyrrheus*
*Quadrifidam quercum cuneis vt forte coactis* c
*Scindebat, rapta ſpirans immane ſecuri:*
*At ſæua è ſpeculis tempus Dea nacta nocendi,*
*Ardua tecta petit: ſtabuli & de culmine ſummo*
*Paſtorale canit ſignum: cornúque recuruo*
*Tartaream intendit vocem, qua protinus omne*
*Contremuit nemus, & ſyluæ intonuere profundæ.*
*Audijt & Triuiæ longè lacus, d audijt amnis.*
*Sulphurea Nar* e *albus aqua fontéſque Velini,* f
*Et trepidæ matres preſſere ad pectora natos.*
*Tum vero ad vocem celeres, qua buccina* g *ſignum*
*Dira dedit, raptis concurrunt vndique telis*
*Indomiti agricolæ, nec non & Troia pubes*
*Aſcanii auxilium caſtris effundit apertis.*
*Direxêre acies: non iam certamine agreſti*
*Stipibus duris agitur, ſudibúſve* h *præuſtis.*

*Hinc pugna inter Troianos & paſtores Latini exorta.*

a Alter armatur ſtipite nodoſo, & nodis pleno.
b Vt 1. Æneidos *Furor arma miniſtrat*, Quod quiſque reperit rimans & perſcrutans, id accipit & quaſi telo vtitur.
c Cuneis per vim in lignum immiſſis.
d Lucus Dianæ propè Ariciam qui et [illegible] ſpeculum Dianæ nominatur.
e Seruius. *In via Flaminia eſt ciuitas Narnia in montibus poſita, quibus ſub eſt Nar fluuius qui Tiberino coniungitur. Dum currit eſt ſulphurei coloris, dum hauritur albi. Sabini lingua ſua Nar dicunt Sulphur. Ergo hunc fluuium ideo dicunt Nar eſſe appellatum, quòd odore ſulphuris nares contingat vel quòd in modum narium geminos habeat exitus.* f Veliæ.
g Tuba ex cornu bucculæ, id eſt bouis facta.
h Titionibus, vel potius vectibus in acumine præuſtis, vt eſſent duriores.

*Tecti auro fuluum mandunt ſub dentibus* a *aurum,*
*Abſenti Æneæ currum, geminóſque* b *iugales*
*Semine ab ætherio,* c *ſpiranteis naribus ignem,*
*Illorum de gente, patri* d *quos Dædale* e *Circe*
*Suppoſita de matre, nothos furata creauit.*
*Talibus Æneadæ donis, dictiſque Latini,*
*Sublimes in equis redeunt, pacémq; reportant.*

Iuno indignatur ob aduentum Æneæ.

*Ecce autem Inachijs* f *ſeſe referebat ab Argis*
*Sæua Iouis coniux, auráſque inuecta tenebat:*
*Et lætum* g *Ænean, claſſémque ex æthere longè*
*Dardanium Siculo proſpexit ab vſque Pachyno* h*.*
*Moliri iam tecta videt, iam fidere terræ,*
*Deſeruiſſe rates, ſtetit acri fixa dolore.*
*Tum quaſſans* i *caput, hæc effudit pectore dicta:*
*Heu ſtirpem inuiſam & fatis* k *contraria noſtris*
*Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis?*

a Frena aurea.
b Duos equos pares inter ſe & iugo currus aſſuetos.
c A Solis equis procreatos.
d Circe quaſdam equas equis patris ſui Solis ſubmiſerat, vt ex eâ admiſſura pullos equæ mortales ex immortalibus, adulterino fœtu furtim procrearent.
e Artificioſa à Græco δαιδάλη.
f Argos vrbem Peloponeſi, Inachus fluuius præterfluit, primus etiam Rex Argiuorum Inachus vocabatur. Hoc autem dictum notat Seruius ad differentiam aliarum vrbium quæ hoc eodem nomine vocabantur. In Italia Argos, ſiue Argiripa poſteà Arpi, item Argos in Theſſalia, & Argos Dipſion non longe ab Athenis.
g Quod ad Italiam naues appuliſſet.
h Vnum è tribus Siciliæ promontorijs: quorum Lilybæum ſpectat Græciam, Pelorum, Africam: Pachynus Italiam.
i Præ indignatione hæc verba euomuit.
k Troianis, à Sigæo vrbe Phrygiæ.

*Num capti potuere a capi? num incenſa cremau*
*Troia viros? medias acies, medioſque* b *per igneis*
*Inuenêre viam: at credo, mea numina tandem*
*Feſſa* c *iacent, odijs aut exſaturata quieui.*
*Quin etiam patria excuſſos* d *infeſta per vndas*
*Auſa ſequi, & profugis toto me opponere ponto.*
*Abſumptæ in Teucros vires cæliqne, mariſque.*
*Quid Syrtes,* e *aut Scylla mihi, quid vaſta Charybdis*
*Profuit? optato conduntur Tybridis alueo*
*Securi pelagi,* f *atque mei. Mars* g *perdere gentem*
*Immanem Lapithûm valuit: conceſſit in iras*
*Ipſe Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:*
*Quod ſcelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?*

*a* Seruius. Cum felle dictum eſt. Nam ſi hoc remoueas erit oxymorum: dicit autem omnia quæ contigerant, non videri contigiſſe, quia non obfuerunt: *capi* autem *capti* dixit, vt Cicero: *vt in vberrima Siciliæ parte, Siciliam quæreremus.*

*b* 2. Æneidos.

*Dant tela locum flammæque recedunt.*

*c* *Nec fatigata deſtiti*, inquit Seruius, *nec ſatiata requieui.* Dictum eſt igitur per ironiam.

*d* Violenter expulſos.

*e* De Syrtibus 1. Æneidos. De Scylla & Charybdi lib. 3.

*f* Non curantes amplius aut maris tempeſtates, aut aëris & ventorum iniurias, *mei* dicit, id eſt *Iunonis*. Iuno aëris Dea.

*g* Argumentũ à minori ad maius, Mars Lapithas quorum Rex Pirithous Martem ad nuptiale conuiuium non vocauerat penitus deleuit. Iupiter verò conceſſit in iras Dianæ antiquam vrbem Calydõna, id eſt permiſit vt Diana iram ſuã expleret, & ingentem aprum immitteret in Ætoliã quia Oeneus Rex Ætoliæ Dianam neglexerat. Hic verò aper à Meleagro occiſus eſt: Quam tantam ſceleris ſui pœnam aut Lapithæ, aut Calydonij meruerant, vt tam graui ſupplicio plecterentur.

*Aſt ego magna Iouis coniux, nil linquere inauſum*
*Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,*
*Vincor ab Aenea: Quòd ſi mea numina non ſunt*
*Magna ſatis, dubitem haud equidem implorare quod vſquam eſt.*
*Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta* a *mouebo.*
*Non dabitur regnis (eſto) prohibere Latinis,*
*Atque immota manet fatis Lauinia coniux:*
*At trahere, atq; moras* b *tantis licet addere rebus:*
*At licet amborum populos exſcindere regum.*
*Hac gener,* c *atque ſocer coëant mercede ſuorum.*
*Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere,* d *virgo;*
*Et Bellona* e *manet te pronuba:* f *nec face* g *tantum*
*Cyſſeis prægnans igneis enixa iugales:*
*Quin idem Veneri partus ſuus, & Paris alter,*
*Funeſtæque iterum recidiua* h *in Pergama tædæ.*
*Hæc vbi dicta dedit, terras horrenda petiuit.*

*a* Furias euocabo ex inferis.
*b* Nuptias retardare.
*c* Gener Æneas, ſocer Latinus.
*d* Dotis loco tibi ſanguis Troianorum & Rutulorum effundetur.
*e* Bellona Dea belli, quæ Enyo nominatur.
*f* Quaſi conciliatrix & ſequeſtra nuptiarum.
*g* Hecuba Paridem habens conceptum in vtero ſomniarat ſe parere facem ardentem & inuolutam incendio, qua Troia deflagraret. Senſus eſt igitur, non ſolùm Hecuba Ciſſei Regis filia peperit Paridem patriæ ſuæ facem & cauſſam incendij, ſed etiam Venus peperit Æneam Paridi ſimilem, qui fax erit, per quam reliquiæ Troianorum deflagrabunt.
*h* Poſt caſum reſtituta, vt 4. Aenidos,
*Ex recidiua manu poſuiſſem Pergama Teucris.*

*Luctificam Alecto a Dirarum ab ſede ſororum,*
*Inferniſque ciet tenebris, cui triſtia bella.*
*Iræque, inſidiæque, & crimina noxia cordi.*
*Odit & ipſe pater b Pluton, odere ſorores*
*Tartareæ monſtrum: tot ſeſe vertit in ora:*
*Tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.*
*Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur.*
*Hunc mihi da propriũ c virgo ſata Nocte, laborem,*
*Hanc operam: ne noſter honos, infractaue e cedat*
*Fama loco: neu connubijs f ambire Latinum*
*Æneadæ poſſint, Italóſue obſidere fines.*
*Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,*
*Atque odiis verſare domos, tu verbera tectis,*
*Funereáſque inferre faces, tibi nomina g mille,*
*Mille nocendi artes: fœcundum h concute pectus,*
*Diſiice compoſitam pacem: ſere crimina i belli;*
*Arma velit, poſcátque ſimul, rapiátque iuuentus.*

Furiam Alecto mittit ad bellum excitandum.

*a* Tres ſunt Furiæ, quas etiam Poëta, Eumenidas, Diras appellant. Alecto, Tiſiphone, Megæra.
*b* Commodè monet Seruius, vocem *pater*, eſſe venerationis. Nam Furiæ Acherontis & noctis filiæ.
*c* Fac propter me quod tibi proprium eſt, & accommodatum tuæ naturæ.
*d* Alecto, Noctis filia.
*e* Quem hactenus infracta fuit, & inuicta.
*f* Circumuenire, & ita circumplecti vt ab iis expedire ſe non poſſit.
*g* Mille tibi ſunt modi, quibus noceas.
*h* Excita te ipſam & fac vt pectus tuum malitiæ fœcundum, pariat, & in lucem edat illa ſcelera quæ tuis viſceribus continentur.
*i* Cauſſas belli vt.

*Se cauſſam clamet, crimenque caputque malorum.*

Alecto Amatam Reginam incendit furore.

*Exin Gorgoneis* a *Alecto infecta venenis*
*Principio Latium, & Laurentis* b *tecta tyranni*
*Celſa petit, tacitúmque* c *obſedit limen Amatæ.*
*Quam ſuper aduentu Teucrûm, Turniq;* d *hymenæis*
*Fœmineæ ardentem, curæque, iræque coquebant.*
*Huic Dea* e *cæruleis vnum de crinibus anguem*
*Conÿcit, inque ſinum præcordia ad intima ſubdit:*
*Quo furibunda domũ monſtro permiſceat omnem.*
*Ille* f *inter veſtes, & læuia* g *pectora lapſus*
*Voluitur attactu* h *nullo, fallitque* i *furentem?*
*Vipeream inſpirans animam, fit tortile* k *collo*
*Aurum ingens coluber, fit longæ tænia* l *vittæ:*
*Innectitque comas & membris lubricus* m *errat.*

*a* Statim atque locuta eſt Iuno. Exinde Alecto, infecta teterrimis venenis, cuiuſmodi venenum habuit Gorgon Meduſa quæ & ipſa fuit crinita ſerpentibus, eámque vim habuit, vt eos qui ipſam intuebantur, in ſaxa conuerteret.
*b* Latini.
*c* Nullum ſtrepitum edens, tanquam inſidiaretur, obſedit ianuam Amatæ, quæ fuit vxor Latini.
*d* Nuptijs Lauiniæ pactis cùm Turno Rege Rutulorum.
*e* Huic Amatæ Alecto dea.
*f* Serpens à Furia coniectus in ſinum Amatæ.
*g* Pulchra, terſa & polita inſtar marmoris læuigati.
*h* Tam leniter, vt non ſentiatur, nec penitus videatur attingere.
*i* Inijcit furorem ſine accipientis ſenſu, & furorem habitu ſuo viperinum immittens, eam ſic fallit, vt ſe furere neſciat.
k Coluber ille ingens à Furia iniectus, mutatur in torquem flexuoſum, & in tæniam vittæ.
*l* Tænia vel eſt vittæ extremitas vel faſcia. Fortaſſe hoc fingit quia illis qui profanis myſteriis initiabantur, conijciebatur in ſinum coluber, & ab imis partibus extrahebatur, teſte Arnobio, & alijs.
*m. Gliſſant* Gallicè.

*Ac dum prima lues [a] vdo ſublapſa veneno*
*Pertentat ſenſus atque oſſibus implicat ignem,*
*Nec dum animus toto percepit pectore flammam:*
*Mollius, & ſolito matrum de more locuta eſt,*
*Multa ſuper natâ lachrymans, Phrygiiſque [b] hymenæis:*
*Exulibuſne datur ducenda Lauinia Teucris,*
*O genitor! [c] nec te miſeret nataque, tuique?*
*Nec matris [d] miſeret, quam primo Aquilone relinquet*
*Perfidus alta petens, abducta virgine prædo?*
*At non ſic Phrygius [e] penetrat Lacedæmona paſtor,*
*Ledæamque Helenam Troianas vexit ad arces?*
*Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum.*
*Et conſanguineo [f] toties data dextera [g] Turno;*
*Si gener externâ petitur de gente Latinis,*
*Idque ſedet, [h] Faunique premunt te iuſſa parentis,*
*Omnem equidem ſceptris terram, quæ libera noſtris*

*a* Prima lues inſaniæ.
*b* Nuptijs Lauiniæ, quas Latinus cum Ænea Phryge contrahebat.
*c* O Latine, pater Lauiniæ.
*d* Mei ipſius.
*e* Ironia eſt. Quaſi verò, Paris Troianus paſtor non perfidus extiterit docueritque exemplo ſuo cauendam eſſe perfidiam Troianorum, dum in vrbem Lacedæmonem penetrauit, & fallens fidem Menelao Lacedæmoniorum Rigi datam, eius coniugem Helenam Iouis & Ledæ filiam non rapuerit, & ſecum abduxerit. *f* Latinus 12. Æneidos Turno:

*Victus amore tui, cognato ſanguine victus.*

Nam Turnus & Lauinia conſobrini fuerunt, Venilia mater Turni, ſoror fuit Amatæ.
*g* Fides dextra enim ſedes fidei.
*h* Fixum, ratum eſt nulli Italo & indigenæ dare Lauiniam.

*Diſſidet, externam reor, ſic dicere Diuos.*
*Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,*
*Inachus, Acriſiuſque* [a] *patres, mediæq; Mycenæ.*
*His vbi nequicquam dictis experta, Latinum*
*Contrà ſtare videt, penituſque in viſcera lapſum*
*Serpentis furiale* [b] *malum, totámque pererrat:*
*Tum vero infœlix ingentibus excita monſtris,*
Amata inſanit. *Immenſam* [c] *ſine more* [d] *furit lymphata* [e] *per vrbem;*
*Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,*
*Quem pueri magno in gyro vacua atria circum*
*Intenti ludo exercent: ille actus habena*
*Curuatis fertur ſpatijs, ſtupet inſcia* [g] *turba*

*a* Inachus primus Rex Argiuorum. Acriſius itẽm Rex Argiuorum & Mycenarum, cui de nuptijs Danaës filiæ ſciſcitanti, datum oraculum fore vt ipſe occideretur ab eo quem Danaë genuiſſet. Ille Danaëm ærea turri incluſam ſeruabat, appoſitis cuſtodibus, Iupiter in imbrem aureum mutatus, id eſt corruptis auro cuſtodibus per tegulas in Danaës gremium illapſus eſt. Pater Acriſius filiam è Ioue grauidam aduertens eam ciſta lignea incluſam, in mare proiecit: Danaë vi tempeſtatis ad Italiam delata, inuenta eſt à piſcatore cum Perſeo, quem ibi enixa fuerat, & oblata Regi, qui eã ſibi fecit vxorem: cum qua etiam Ardeam condidit, vnde Turnus fuit oriundus.

*b* Furor immiſſus à Furia cum ſerpente.

*c* Laurentum, quod immenſam vrbem appellat ἐμφατικῶς ſi enim immenſa fuit, potuit longè latéque diuagari.

*d* Sine exemplo contra decorum.

*e* Furioſa. Propriè lymphati dicuntur qui ex adſpectu Nympharum ad aquas ſiue lymphas ſaltantium redacti ſunt in inſaniam.

*f* Turbo eſt lignum verſatile, in modum coni acuminatum, quod à pueris per luſum varios in orbes circumagitur. Vernaculè. *Vne toupie*: cuius comparatione vario Amatæ furentis diſcurſus illuſtrat.

*g* Turba puerorum, quæ nondum annos pubertatis attigit, ſtupet & miratur ignorans cauſſam cur ille turbo tam cele-

*Impubéſque manus, mirata volubile buxum:*
*Dant animos plagæ:* a *non curſu ſegnior illo*
*Per medias vrbeis agitur, populóſque feroces.*
*Quin etiam in ſyluas ſimulato* b *numine Bacchi,*
*Maius adorta nefas, maiorémque orſa furorem,*
*Euolat, & natam frondoſis montibus abdit:*
*Quò* c *thalamum eripiat Teucris, tædaſq;* d *moretur:* **Bacchatur.**
*Evohe* e *Bacche fremens, ſolū te virgine dignum*
*Vociferans: etenim molleis* f *tibi ſumere thyrſos,*
*Te luſtrare choros,* g *ſacrum tibi paſcere crinem,*
*Fama volat. Furiiſque accenſas pectore matres*
*Idem omnes ſimul ardor agit,* h *noua quærere tecta.*

riter voluatur, & in varios circuitus agitetur.

*a* Ictus plagarum turbinis celeritatem ſic augent, vt turbinem animare videantur.

*b* Seruius ſic interpretatur. *Talem patiebatur furorem vt ſperaret ſe Liberi ſac a celebrare: nō enim ipſa ſimulabat, quod eſt ſanorū* Sed non video cur non potuerit ſimulare: non enim ita furebat, vt nihil penitus videret, vt conſtat ex oratione quam paulo pòſt ad matronas eſt habitura.

*c* Vt impediat quo minùs Aeneas ducat vxorem Lauiniam.

*d* Nuptias quia quinque tædæ ſiue faces ardentes præferebātur nubentibus.

*e* Vox Bacchantium: qua etiam in initiationibus vtebantur, vt ait Demoſthenes de corona.

*f* Thyrſi ſunt haſtæ Baccanthium pampineis frondibus inuolutæ, dictæ molles vel ob mollitiem pampinorum, vel quod vinum viros effœminet.

*g* Circa te choreas ageret ſi legatur *choro* quia tamen receptior eſt lectio; *Te luſtrare choros*: ſic interpretor: fama volat Amatam tibi thyrſos ſumere, te choris illius intereſſe: eam tibi vel ſuum vel Lauiniæ filiæ crinem paſcere, vt eum paulo poſt tondeat & tibi conſecret.

*h* Reliquæ matronæ, his auditis, eodem furore inſtigantur ad deſerendas ædes ſuas, & ad migrandum in ſiluas ad ſacra

*Deſeruere domos: ventis dant colla, comâſque:*
*Aſt aliæ tremulis vlulatibus æthera complent:*
*Pampineáſque* a *gerunt incinctæ pellibus* b *haſtas.*
*Ipſa* c *inter medias flagrantem feruida pinum*
*Suſtinet: ac natæ, Turnique* d *canit hymenæos,* e
*Sanguineam torquens aciem, toruúmque repentè*
*Clamat: Iò* f *matres audite vbi quæque Latinæ*
*Si qua pijs animis manet infelicis Amatæ*
*Gratia, ſi iuris materni cura remordet:*
*Soluite crinales vittas,* g *capite Orgia* h *mecum.*
*Talem inter ſyluas, inter deſerta ferarum*
*Reginam Alecto ſtimulis agit vndique Bacchi.*
*Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,*

Liberi patris celebranda.

a Thyrſos pampinis inuolutos.

b Pomponius Sabinus. *Bacchantes tectæ pellibus nebridum furebant. Nebridem multi appellant vulpem, multi per nebridas intelligunt pelles damarum. Mihi placet vulpium.*

c Ipſa Amata furijs accenſa inter medias matronas eodē furore inſtinctas pinum flagrantem ſuſtinet. Alludit ad ritus bacchanaliorum & nuptiarum. Nam faces pineæ ferebantur à bacchantibus, & faces vel pineæ, vel ſpineæ ex alba ſpina ferebantur in nuptijs,

d Ante vociferata fuerat ſolum Bacchum dignum eſſe Lauinia: nunc per dementiam ſibi contradicit, & canit coniugium Turni & Lauiniæ.

e Nuptias Hymenæus nuptiarum Deus hunc cantum Romani Talaſſionem vocabant.

f Vox etiam bacchantium: clamabant enim ἰὼ Ἄτη, vt ſcribit Demoſthenes.

g Vittas & faſcias quibus crines veſtri implicantur.

h Orgia icunculæ ſiue ſimulacra quædam fuerunt, quæ in arculis ita ſeruabant, qui Bacchi ſacris erant initiati, vt nefas eſſet ea profanis, vel oſtendere vel etiam verbis exponere.

*Conſiliúmque,* a *omnémq; domum vertiſſe Latini.*
*Protinus hinc fuſcis triſtis Dea tollitur alis* *Allectô adit Turnū.*
*Audacis Rutuli* b *ad muros : quam dicitur vrbem*
*Acriſioneis* c *Danaë fundaſſe colonis,*
*Præcipiti delata Noto : locus Ardea quondam*
*Dictus auis : & nunc magnū manet Ardea nomē,*
*Sed fortuna fuit : tectis hic Turnus in altis*
*Iam medium nigra carpebat nocte quietem.*
*Alecto toruam faciem & furiala membra*
*Exuit : in vultus ſeſe transformat aniles:*
*Et frontem obſcœnam rugis arat :* e *induit albos*
*Cùm vitta* f *crines : tum ramum innectit oliuæ:* *in Calyben mutatur.*

Catullus de nuptijs Pelei & Thetidos.
*Pars obſcura cauis celebrabant orgia ciſtis.*
*Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.*
Tibullus elegia 7. lib. 1.
*Et leuis occultis conſcia ciſta ſacris.*
*a* Quod inierat Latinus de tradenda Æneæ Lauinia.
*b* Turni,qui filius erat Dauni Regis Rutulorum.
*c* Argiuis, ab Acriſio Rege Argiuorum, patre Danaës : putat Seruius per colonos ſolam Danaën intelligi, fieri poteſt, vt ſecundum hiſtoriæ veritatem, naui ad Italiam peruenerit ſecúmque ex Argo colonos adduxerit, quamuis in ciſtam coniecta, & vento ac fluctibus ad Italiam delata fuiſſe fingatur.
*d* Eam vrbem aui noſtri ſiue maiores Ardeam nominabant. Legunt Pierius & Cerdanus.

*—— Locus Ardua quondam*
*Dictus auis,*&c.

& ſenſus erit, illam vrbem maiores noſtri Arduam ab altitudine nominabant : & nunc voce pauliſper mutata, Ardeã vocatur. Sed id fortuna ſiue caſu contigit ; non quòd ea vrbs cum incendio deflagraſſet, in ardeam auem mutata fuerit, vt aliqui fictis fabulis prodiderunt.
*e* Corrugat frontem vt anus appareat.
*f* Alecto induit albos crines vitta ſiue faſcia redimitos, &

*Fit Calybe* a *Iunonis anus, templique ſacerdos;*
*Et iuueni* b *ante oculos his ſecum vocibus offert?*
*Turne, tot incaſſum* c *fuſos patiêre labores?*
*Et tua Dardanijs tranſcribi ſceptra colonis?*
*Rex tibi coniugium, & quæſitas ſanguine* d *dotes*
*Abnegat: externúſque* e *in regnum quæritur hæres.*
*I nunc,* f *ingratis offerte irriſe periclis:*
*Tyrrhenas,* g *ſterne acies, tege pace Latinos.*
*Hæc adeò tibi me placida cùm nocte iaceres,*
*Ipſa palàm fari omnipotens Saturnia* h *iuſſit.*
*Quare agè, & armari pubem, portiſque moueri*

*Turnũ ad bellum hortatur.*

coronam ex oliuæ ramo contextam capiti imponit, de more ſacerdotum, qui vittati & coronati ſacra faciebant.

*a* Ita ſe tranformat, vt Calybe anus templi Iunonis ſacerdos eſſe videatur.

*b* Turno dormienti.

*c* Æquóne feres animo te operam perdidiſſe, fruſtraque laboraſſe, cùm propter Latinorum ipſiúſque adeò Latini Regis ſalutem vitam tuam tot periculis obtuliſti? Æquóne feres animo Latij regnum quod tibi dotis nomine debitum erat, tuũque reuera iam eſſet, ſi duxiſſes vxorem Lauiniam, à te ad Troianos tranſcribi, propriè videtur dixiſſe *tranſcribi*, vt & coloni tranſcribi dicuntur cùm migrant in aliam ciuitatem.

*d* Vel debitam iure ſanguinis & conſanguinitatis, vel nomine mercedis ob ſanguinem tot prælijs effuſum.

*e* Æneas alienigena, & nulla conſanguinitate coniunctus.

*f* Ironia pulcherrima ingrata pericula vocat quæ pro Latino ingrato ſubierat: ſenſus eſt, noli ampliùs adire pro Latinis pericula, cùm nullam hactenus ab eis laborum mercedem perceperis.

*g* 8. Æneidos de Tyrrhenis ſiue, Hetruſcis.

*Hi bellum aſſiduè ducunt cum gente Latina.*

Quos frequenter Turnus ab agro Latino depulerat.

*h* Iuno filia Saturni.

*Lætus* a *in arma para,* b *& Phrygios, qui flumine* c *pulchro*
*Conſedêre duces, pictáſque exure carinas.*
*Cæleſtûm vis magna iubet. Rex ipſe Latinus,*
*Ni dare coniugium, & dicto parere* d *fatetur,*
*Sentiat, & tandem Turnum experiatur* e *in armis.*
*Hîc iuuenis vatem irridens: ſic orſa viciſſim*
*Ore refert: Claſſes inuectas Tybridis vndam,*
*Non, vt rere, meas effugit nuntius aures:* Turnus eam irridet.
*Ne tantos mihi* f *finge metus, nec regia Iuno*
*Immemor eſt noſtri.*
*Sed te victa ſitu,* g *verique effœta* h *ſenectus,*
*O mater, curis nec quicquam exercet: & arma*
*Regum inter falſa vatem formidine ludit.*
*Cura tibi Diuûm effigies & templa tueri.*
*Bella viri, pacémque gerant, queis bella gerenda.*
*Talibus Alecto dictis exarſit in iras.*
*At iuueni* i *oranti ſubitus tremor occupat artus.*

*a* Feſtinus, promptus, alacer.
*b* Para iuuentutem vt armetur, & portis egreſſa procedat in campum, & ad arma currat.
*c* Ad ripas Tiberis amœni fluuij conſederunt.
*d* Obedire tibi, & dare Lauiniam.
*e* Seruius. *Probet contra ſe,* quem *pro ſe laborantem non probauit.*
*f* Noli rem exaggerare verbis ad me terrendum: fretus enim ſum Iunonis auxilio.
*g* Tam vetula, vt ſitu & rubigine, inſtar ferri, exedaris.
*h* Veritatis cognitio partus eſt animi. Veri itaque effœtus eſt qui non poteſt ampliùs verum parturire: tranſlatio à mulieribus quæ exceſſerunt tempus pariendi.
*i* Turno loquenti.

*Alecto Turno furorem inſpirat*

*Diriguere oculi: tot Erynnis* a *ſibilat hydris:* b
*Tantaque ſe facies aperit: tum flammea torquens*
*Lumina cunctantem, & quærentem dicere plura*
*Reppulit, & geminos* c *erexit crinibus angueis,*
*Verberaq;* d *inſonuit: rabidóque hæc addidit ore:*
*En ego victa ſitu, quam veri effœta ſenectus*
*Arma inter Regum, falſa formidine ludit?*
*(Reſpice ad hæc): adſum Dirarum* e *ab ſede ſororum,*
*Bella manu lethúmque gero.*
*Sic effata facem iuueni* f *coniecit: & atro*
*Lumine fumanteis fixit ſub pectore tædas.*
*Olli ſomnum ingens rupit pauor, oſſaque & artus*
*Perfudit toto proruptus corpore ſudor.*
*Arma amens fremit,* g *arma toro tectíſq; requirit:*
*Sæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli,*
*Ira ſuper: magno veluti cùm flamma ſonore*
*Virgea* h *ſuggeritur coſtis vndantis aheni,*

*a* Furia Alecto.
*b* Hydri propriè ſerpentes aquatiles.
*c* Pares, non enim duos, ſed omnes erexerat.
*d* Inſonuit verberibus, verbera ſiue flagellum quod manu tenebat ita concuſſit vt reſonaret.
*e* Ex Acheronte, vbi Diræ ſiue furiæ habitamus, Alecto, Megera, Tiſiphone.
*f* Seruius. Satis conſideratè facem iuueni coniecit, quæ citò exardeſcit & deſinit. Suprà verò Amatæ ſerpentem iniecit, quòd in mulieribus ſemper viget venenum.
*g* Cum clamore depoſcit.
*h* Turnus ira exardeſcit, quemadmodum cum flamma magno ſtrepitu ex virgis & virgultis excitata lateribus ollæ vel cacabi ærei ſupponitur: tunc aquæ calefactæ latices præ feruore ebulliunt & exultant: & aqua fluuiatilis fumans & ſpumans ita exuberat & rareſit, vt vas vndam non capiat, ſed vapor

*xultant æſtu latices: furit intus aqua vis,*
*umidus atque altè ſpumis exuberat amnis:* i Inſanit Turnus.
*Iec iam ſe capit vnda: volat vapor ater ad auras.*
*rgo iter ad Regem, pollutâ pace,* a *Latinum*
*ndicit primis iuuenum, & iubet arma parari,*
*Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem:* b
*Se ſatis* c *ambobus Teucriſque venire, Latiniſque.*
*Hæc vbi dicta dedit, diuóſque in vota vocauit,*
*Certatim ſeſe Rutuli exhortantur in arma.*
*Hunc decus* d *egregiũ formæ mouet, atque iuuentæ,*
*Hunc ataui Reges: hunc claris dextera factis.*
*Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,*
*Alecto in Teucros Stygiis ſe concitat alis,*
*Arte noua ſpeculata locum,* e *quo littore pulcher* Alecto ad Troianos ſe conuertit.
*Inſidijs, curſuque feras agitabat Iulus.*
*Hîc ſubitam canibus rabiem Cocytia* f *virgo*
*Obijcit, &* *noto* g *nares contingit odore;*
*Vt ceruum ardentes agerent: quæ prima malorum* Rabiem immittit canibus Iuli.
*Cauſa fuit, belloque animos accendit agreſtes.*
*Ceruus erat forma præſtanti, & cornibus ingens.*

vapor fumidus exhalatur. Legitur *aquai* per diæreſim, vt Varius & Tucca maluerunt.

a Dirempta & violata ſocietate, quam iampridem Turnus cum Latino contraxerat.

b Troianos ex Italia depellere, qui ad Italiam appulſi ad oſtia Tiberina conſederant.

c Dicebat ſe ſolum ſufficere ad bellum Latino & Troianis inferendum.

d Alij Turni ætate & iuuentute mouentur ad ſequendas partes illius, alij eiuſdẽ nobilitate, alij rebus in bello præclarè geſtis.

e Occaſionem nocendi.

f Alecto Furia infernalis è Cocyto inferni fluuio emerſa.

g Ceruino odore; ad quem dignoſcendum ſolent inſtitui

Stipitis hic grauidi a nodis; quod cuique repertum
Rimanti, b telum ira facit. vocat agmina Tyrrheus
Quadrifidam quercum cuneis vt forte coactis c
Scindebat, rapta ſpirans immane ſecuri:
At ſæua è ſpeculis tempus Dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit: ſtabuli & de culmine ſummo
Paſtorale canit ſignum: cornúque recuruo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & ſyluæ intonuere profundæ.
Audijt & Triuiæ longè lacus, d audijt amnis
Sulphurea Nar e albus aqua fonteſque Velini, f
Et trepidæ matres preſſere ad pectora natos
Tum verò ad vocem celeres, qua buccina g ſignum
Dira dedit, raptis concurrunt vndique telis
Indomiti agricolæ, nec non & Troia pubes
Aſcanii auxilium caſtris effundit apertis.
Direxêre acies: non iam certamine agreſti
Stipibus duris agitur, ſudibúſve h præuſtis.

*Hinc pugna inter Troianos & paſtores Latini exorta.*

a Alter armatur ſtipite nodoſo, & nodis pleno.
b Vt 1. Æneidos *Furor arma miniſtrat*, Quod quiſque reperit rimans & perſcrutans, id accipit & quaſi telo vtitur.
c Cuneis per vim in lignum immiſſis.
d Lucus Dianæ propè Ariciam qui etiam ſpeculum Dianæ nominatur.
e Seruius. *In via Flaminia eſt ciuitas Narnia in montibus poſita, quibus ſub eſt Nar fluuius qui Tiberino coniungitur. Dum currit eſt ſulphurei coloris, dum hauritur albi: Sabini lingua ſua Nar dicunt Sulphur. Ergo hunc fluuium ideo dicunt Nar eſſe appellatum, quòd odore ſulphureo nares contingat vel quòd in modum narium geminos habeat exitus.* f Veliæ.
g Tuba ex cornu bucculæ, id eſt bouis facta.
h Titionibus, vel potius vectibus in acumine præuſtis, vt eſſent duriores.

*Sed ferro ancipiti* a *decernunt: atráque latè*
*Horreſcit ſtrictis ſeges* b *enſibus: æraque fulgent*
*Sole laceſſita, & lucem ſub nubila iactant:*
*Fluctus* c *vti primo cœpit cùm albeſcere vento,*
*Paulatim ſeſe tollit mare, & altius vndas*
*Erigit: inde imo conſurgit ad æthera fundo.*
Almon occiditur. *Hic iuuenis primam ante aciem ſtridente ſagitta*
*Natorum Tyrrhei fuerat qui maximus, Almon*
*Sternitur: hæſit enim ſub gutture vulnus,* d *& vdæ*
*Vocis* e *iter, tenuémque incluſit ſanguine vitam.*
*Corpora multa virûm circà, ſeniórque Galeſus,*
Item Galeſus *Dum paci medium ſe offert, iuſtiſſimus vnus*
*Qui fuit, Auſoniiſque olim ditiſſimus aruis,*
*Quinque greges illi balantum,* f *quina redibant*
*Armenta,* g *& terram centum vertebat aratris.*
*Atque ea per campos æquo dum Marte gerũtur,*
Alecto gloriatur. *Promiſſi Dea facta potens,* h *vbi ſanguine bellum*
*Imbuit, & primæ commiſit funera pugnæ:*
*Deſerit Heſperiam, & cœli conuexa* i *per auras*

*a* Vtrimque acuto, quod ex vtraque parte ſcindit.
*b* Gladij ſtricti & euaginati inſtar ariſtarum & denſæ ſegetis inhorreſcunt, & arma ærea, quaſi lumine ſolis prouocata, lucem remittunt, & reciprocant.
*c* Vt tempeſtas paulatim magis & magis excitatur, ita paulatim in immenſum excreuit diſcordia & tumultus.
*d* Sagitta vulnus infligens.
*e* Fauces & arterias humidas per quas vox emittitur. *f* Cuium.
*g* Quinque boum aut equorum armenta redibant quotidie à paſcuis.
*h* Poſtquam Alecto perduxit ad exitum ea quæ Iunoni promiſerat.
*i* Difficile fuerit explicare quid ſit *cœli conuexa per auras*: notum eſt cœli conuexa pro cœlo conuexo vſurpari: ſed durior eſt iſta locutio. *per cœli conuexa, per auras.*

*Iunonem victrix a affatur voce ſuperba:*
*En perfecta tibi bello diſcordia triſti:*
*Dic,in amicitiam coëant,& fœdera iungant:*
*Quādoquidem Auſonio reſperſi ſanguine Teucros.*
*Hoc etiam his addam,tua ſi mihi certa voluntas,*
*Finitimas in bella feram rumoribus vrbes:*
*Accendamque animos inſani Martis amore,*
*Vndiq;vt auxilio veniant:ſpargam arma per agros.*
*Tum contra Iuno:terrorum,* b *& fraudis abunde eſt.*
*Stant belli cauſæ:pugnatur cominus armis,t arma.*
*Quæ fors* c *prima dedit, ſaguis nouus imbui*
*Talia connubia,& tales celebrent hymenæos*
*Egregium Veneris* d *genus, & rex ipſe Latinus,*
*Te ſuper æthereas errare licentiùs auras,*
*Haud pater ipſe velit ſummi regnator Olympi.* Remittitur ad infernos.
*Cede locis: ego ſi qua ſuper fortuna laborum eſt,*
*Ipſa regam. Taleis dederat Saturnia voces.*
*Illa* e *autem attollit ſtridentes anguibus alas:*

Quidam apud Seruium legendum putant *connecta*, viderint eruditi. Fortaſſe *conuexa* idem fuerit atque *connecta*. Vnde *vexera* dicimus,pro *vectare*.

*a* Voti compos.

*b* Terrorum ex morte tot hominum : fraudis ex cerui vulneratione per fraudem Furiæ.

*c* Armis pugnatur quæ fortuna & furor prima miniſtrauit, videtur alludere ad illa.

*—— quod cuique repertum eſt*
*Rimanti, telum ira facit.*

*d* Æneas Veneris filius, quem egregium per ironiam appellat. Hymenæus autem eſt Deus nuptiarum.

*e* Alecto.

Cocytique a petit ſedem ſupera ardua linquens.
Eſt locus Italiæ in medio ſub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amſancti valles denſis hunc frondibus atrum (Am ſanctus.)
Vrget vtrinque latus nemoris: medioq; b fragoſus
Dat ſonitum ſaxis, & torto vortice torrens.
Hic ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula c Ditis
Monſtrantur: ruptóque ingens Acheronte d vorago
Peſtiferas e aperit fauces: queis condita Erynnis
Inuiſum numen terras, cœlûmque f leuabat. (Cæſorum corpora in vrbem deferuntur)
Nec minùs interea extremam g Saturnia bello
Imponit Regina manum. ruit omnis in vrbem
Paſtorum ex acie h numerus: cæſoſque reportant.

a Infernum quem Cocytus fluuius præterfluit. Ἀπὸ τοῦ κωκύειν à lamentando dictus.
b Seruius. *Hunc locum vmbilicum Italiæ coſmographi dicunt: eſt autem in latere Campaniæ & Apuliæ, vbi Hirpini ſunt, & habet aquas ſulphureas. Ideo grauiores quia ambiuntur ſyluis: ideo autem ibi aditus dicitur inferorum quod grauis odor iuxtà accedentes necat: adeo vt victimæ circa hunc locum non immolarentur, ſed odore perirent ad aquam applicatæ: & hoc erat genus litationis:* dicitur Amſanctus quaſi ex omni parte ſanctus.
c In medio illius vallis eſt torrens fragoſus, id eſt magnum fragorem edens, qui reſonat aquarum vorticibus tortuoſis, & tum in ſe reciprocatis, tum ad ſaxa alliſis.
d Quibus expirantur & euaporantur flammæ inferorum.
e Æſtuarium Acherontis, cùm extra alueum quaſi ruptis riparum obicibus exæſtuat.
f Quæ fœditate odoris eos necant qui propriùs acceſſerint.
g Tollebat eum horrorem recedens, quem ſuâ præſentia cœlo & terris incuſſerat.
g Iuno Saturni filia perficit quod reſtabat ad bellum planè concitandum.
h Quæ cum Troianis conflixerat ob Ceruum ab Aſcanio interemptum.

*Almonem* a *puerum, fœdatique* b *ora Galeſi,*
*Implorántque Deos, obteſtantúrque Latinum.*
*Turnus adeſt, medióq; in crimine, cædis & ignis* c
*Terrorem ingeminat; Teucroſque in regna vocari,*
*Stirpem admiſceri Phrygiam, ſe limine pelli.*
*Tum quorũ attonitæ Baccho* d *nemora auia matres*
*Inſultãt thyaſis* e *( neq; enim leue nomen Amatæ )*
*Vndique collecti coëunt, Martémque fatigant.*
*Ilicet infandum cuncti contra omnia* g *bellum,*
*Contra fata* h *Deûm, peruerſo numine, poſcunt.*
*Certatim Regis, circumſtant tecta Latini.*
*Ille* i *velut pelagi rupes immota reſiſtit.*

*Turnus bello faciem ſubijcit.*

*Bellum omnium votis expoſcitur.*

*a* Filium Tyrrhei.
*b* Vulnerati & cruentati.
*c* Seruius *In ipſo ſcilicet ſeditionis incendio.* Niſi mauis interpretari Turnus in medio crimine, dum videlicet paſtores Troianos violati fœderis accuſant, cædis & ignis terrorem ingeminat, & Latinos metu Troianorum exterritos magis exterret, minatúrque ſe ferro & flammis omnia veſtaturum niſi ſe Latinus contra Troianos ſocium adiungat.
*d* Liberi earum matronarum, quæ Bacchico furore concitatæ & quaſi tonitru quodam afflitæ (Græci ἐμβροντήτους, appellãt) auia nemora thyaſis choreíſque perſultant: illarum inquam, liberi vndique collecti conueniunt, & bellum magno clamore depoſcunt, quaſi Martem fatigarent obtunderént que ſuis clamoribus.
*e* Thyaſi choreæ bacchantium.
*f* Reddit rationem cur multæ matronæ bacchentur, quia non leuis erat auctoritas Amatæ Reginæ quæ ipſis exemplo præiuerat.
*g* Contra portenta apum è lauro pendentum, & ignis in Lauiniæ crinibus accenſi.
*h* Contra Fauni oraculum, & Deorum voluntatem.
*i* Irata Iunone
k Circunſtant regiam Latini flagitantes vt bellum Troianis indicat. *l* Latinus.

*Vt pelagi rupes magno veniente fragore,* a
Solus Latinus refragatur. *Quæ ſeſe, multis circum latrantibus* b *vndis,*
*Mole* c *tenet: ſcopuli* d *nequicquã, & ſpumea circũ*
*Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga* e.
*Verùm vbi nulla datur cæcum* f *exſuperare poteſtas*
*Conſilium, & ſæuæ nutu Iunonis eunt res.*
*Multa Deos, auráſque pater teſtatus inanes* g,
*Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procellis:*
*Ipſi has ſacrilego* h *pendetis ſanguine pœnas*
*O miſeri: te Turne nefas, te triſte manebit*
*Supplicium: votiſque Deos venerabere ſeris.* i
*Nam mihi* k *parta quies, omniſque in limine portus*
*Funere felici ſpolior. Nec plura locutus,*

a Sonitu vndarum ſe collidentium.
b Fluctibus ita reſonãtibus vt canũ latratus imitari videãtur.
c Sua mole ſiue magnitudine & grauitate ſubſiſtis, & manet inconcuſſa.
d Fruſtra ſcopuli & ſaxa ſpumis cooperta circa rupem illam fremunt: non enim poſſunt illam tantiſper commouere.
e Herba maritima.
f Inconſideratum belli gerendi conſilium.
g Vbi nulli erant dii, qui eius obteſtationes audirent.
h Vos ſacrilegi qui ſacrum fœdus inter me & Troianos initum violatis, debitas pœnas lueris.
i Deos ſero rogabis, cùm te non ampliùs exaudient, nec tibi ſceleris veniam concedent.
k Senſus eſt. Tu bellum ſuſcipis, ô Turne; verùm ex hoc bello nihil in me incommodi ſed, in te potiùs redundabit. Tu enim ætate florens poſſes diutiùs in vita ſupereſſe, mihi verò, cùm iam ad decrepitam ætatem peruenerim, *parta quies omniſque*, præſentis vitę *portus*, id eſt mors, *in limine* eſt, & in propinquo, vbi à præſentis vitæ tempeſtatibus conquieſcam. Non igitur vllum in me redundabit incommodùm, aut ſi quod redundabit, id erit duntaxat, quòd funere felici ſpoliabor, & exequiis regalibus carebo.

*Sepſit ſe tectis, a rerumque reliquit habenas.*
*Mos erat Heſperio in Latio, quē protinus b vrbes*
*Albanæ coluêre ſacrum: nunc maxima rerum*
*Roma colit: cùm prima mouent in prælia c Martē;*
*Siue Getis d inferre manu lacrymabile bellum,*
*Hircaniſve, e Arabiſve parāt, f ſeu tēdere ad Indos*
*Aurorámque ſequi, g Parthoſque h repoſcere ſigna.* Indicendi bella
*Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)*
*Relligione ſacræ, ſæui formidine Martis.*
*Centum ærei claudunt vectes, i æternáque ferri*
*Robora, k nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.*
*Has, vbi certa ſedet Patribus l ſententia pugnæ,*
*Ipſe quirinali trabeâ m cinctúque Gabino n*
*Inſignis, referat ſtridentia limina Conſul:*

a Incluſit ſe domeſticis parietibus, & regni adminiſtrationem reliquit.
b Statim atque regnum à Laurento & Lauinio, ad Albam Longam tranſlatum eſt.
c Cùm indicto bello ex Martis ſacrario mouent ancilia, quaſi Martem ipſum moueant dicentes. *Mars vigila.*
d Getæ populi Scythici & Septentrionales.
e Hircani iuxta mare Caſpium.
f Arabibus nota eſt Arabia.
g Populis orientalibus bellum inferre.
h Paucis ante Auguſtū annis M. Craſſus in Parthos profectus & cum exercitu internecione deletus ſigna Romanarū legionum amiſerat, id eſt, aquilas, ad quas aquilas repetendas tacitè videtur hortari Virgilius Auguſtum, vt bellum inferat Parthis, vel id facere iam fortaſſe ſtatuerat Auguſtus: Parthi tamen non expectato bello ſigna reddiderunt.
i Vectes, *Des barres d'airain.* k Tam fortes robuſtique vectes ex ferro, vt in æternum duraturi eſſe videantur.
l Senatoribus, m Trabea quali Quirinus ſiue Romulus vtebatur, purpurea albo diſtincta.
n Seruius *Gabinus cinctus eſt toga ſic in tergum reiecta vt vna eius lacinia reuocata hominem cingat: hoc autem veſtimenti genere*

*Ipſe* a *vocat pugnas: ſequitur tum cætera pubes,*
*Æreáque aſſenſu conſpirant cornua* b *rauco.*
Latinus renuit belli portas operire. *Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus*
*More iubebatur, triſtéſque* c *recludere portas.*
*Abſtinuit tactu pater:* d *auersúſque refugit*
*Fœda miniſteria, & cæcis ſe condidit vmbris.*
Ipſa Iuno aperit. *Tum Regina Deûm* e *cœlo delapſa, morantes* f
*Impulit ipſa manu portas, & cardine verſo,*
*Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.*
Omnes ad bellum accenduntur. *Ardet in excita* g *Auſonia, atque immobilis* h *antè*
*Pars pedes ire parat campis: pars arduus altis*
*Puluerulentus equis furit: omnes arma requirunt,*
*Pars leueis* i *clypeos, & ſpicula lucida tergent*
*Aruina* l *pingui, ſubigúntque* m *in cote ſecures:*

*veteres Latini, cum necdũ arma haberent, præcinctis togis bellabãt, vnde etiam milites in procinctu eſſe dicuntur. Hoc rurſus vtebatur conſul bella indicturus, ideo quod cùm Galij Cãpaniæ ciuitas ſacris operaretur, bellum ſubito euenit. Tunc ciues cinctis togis ſuis ſunt ab aris ad bella profecti, & adepti victoriam propter quod omen tali habitu ſemper vtebantur in bellis, vnde hic ortus eſt mos.*

*a* Tria ſunt militiæ genera, ſacramentum, coniuratio, euocatio: nunc ad euocationem alludit.

*b* Turba recta, cornua inflexa. Ouidius.
*Non tuba directi, non æris cornua flexi.*

*c* Belli portas, quæ triſtitiam afferunt mortalibus.

*d* Latinus. *e* Iuno.

*f* Bellum differentes, quæ non tam citò aperiebantur, quàm Iuno expetebat.

*g* Non euocata à Latino, vt nunc ſolent milites à Conſulibus euocari.

*h* Quæ priùs quieuerat à bellis, accenſa eſt cum vidit portas ſponte aperiri.

*i* Terſos, politos, & læuigatos.

*k* Seruius ex Suetonio. *Aruina eſt pingue durum, quod eſt inter cutem & viſcus.* *l* Exacuunt ad cotem.

*Signáque ferre iuuat, ſonitúſque audire tubarum.*
*Quinque adeò magnæ poſitis incudibus vrbes*
*Tela nouant, Atina* a *potens, Tiburque ſuperbum,*
*Ardea, Cruſtumerique & turrigeræ Antemnæ.* Arma parant.
*Tegmina tuta cauant capitũ, flectúntq;* b *ſalignas*
*Vmbonum crates: alij thoracas* c *ahenos,*
*Aut leuis ocreas lento* d *ducunt argento,*
*Vomeris huc, & falcis honos, huc omnis aratri*
*Ceſsit amor,* e *recoquunt* f *patrios fornacibus enſes.*
*Claſsica* g *iámque ſonant: it bello teſſera* h *ſignum.*
*Hic galeam tectis trepidus rapit,* i *ille frementes*
*Ad iuga cogit equos, clypeúmque auróque trilicem* k
*Loricam induitur, fidóque* l *accingitur enſe.*

*a* Hæ vrbes ſunt in Latio.

*b* Clypeos vmbilicatos è cratibus vimineis contextos incuruant Crates ſalignas è ſalice ſiue vimine contextas intelligit: crates eſt rata lignorũ inter ſe cõnexio vmbo clypei vmbilicus

*c* Loricas dicuntur thoraces quod thoracem ſiue pectus tegant.

*d* Ocreas, ſiue tibiarum tegumenta è ductilibus argenti laminis extendunt.

*e* Amor agriculturæ tranfertur ad amorem belli.

*Et rigidum falces conflantur in enſem.*

*f* Enſes, non quos ipſi fieri ſibi curauerant, vt pote ſumma pace hactenus potiti, ſed quot à patribus ſuis acceperant, renouant, & iterum coquunt in fornacibus.

*g* Tubæ. Claſſicum enim eſt flexilis tuba: quòd claſſes id eſt acies claſſico conuocentur.

*h* Symbolum militare. Gallis *le mot du guet.* id eſt verbum quod dicebant Imperatores ſuis militibus, vt deinde milites ſuos ab hoſtibus verbi ſignificatione dignoſcerent.

*i* Feſtinus.

k Triplici licio aureiſque laminis intextam.

*l* Fideli, qui militem non deſtituebat nec frangebatur, vt contrà 12. Æneidos. —— *At perfidus enſis*

*Frangitur, in medioque ardentem deſerit ictu*

*Innocatio Muſarum.*

*Pandite* [a] *nunc Helicona Deæ, cantúſque mouete,*
*Qui bello exciti Reges: quæ quemque ſecutæ*
*Complerint campos acies; quibus Itala iam tum* [b]
*Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis:*
*Et meminiſtis enim Diuæ, & memorare poteſtis:*
*Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.*

*Catalogus hoſtium Æneæ.*

*Primus,* [c] *init bellum Tyrrhenis* [d] *aſper ab oris*
*Contemptor Diuûm Mezentius, agmináque armat.*
*Filius huic iuxta Lauſus, quo pulchrior alter*
*Non fuit, excepto Laurentis* [e] *corpore Turni.*

*Mezentius. Lauſus.*

*Lauſus equûm domitor, debellatórque ferarum,*
*Ducit Agyllina nequicquam* [f] *ex vrbe ſecutos*
*Mille viros, dignus* [g] *patriis, qui lætior eſſet*
*Imperijs, & cui pater haud Mezentius eſſet.*
*Poſt hos inſignem palma* [h] *per gramina currum,*
*Victoréſque oſtentat equos ſatus Hercule pulchro,*

[a] Aperite nunc, ô Muſę Heliconem, vnum è duobus Parnaſſi montis verticibus, Phœbo ſacrum, cùm alter vertex nomine Citheron ſit Baccho dedicatus.

[b] Emphaſis qua indicatur ſecutis temporibus multos belli gloria præſtantes in Italia floruiſſe.

[c] Bene contexturus hoſtium Æneæ catalogum orditur à Mezentio deorum contemptore: quia Latini contra fœdus & deorum religiones illud bellum ſuſceperant.

[d] Qui ex Hetruria ſiue Thyrrhenia oriundus erat, ſed inde propter crudelitatem fuerat eiectus.

[e] Ardeatinus quidem erat Turnus. Laurens tamen dicitur ob conſanguinitatem cum Amata & Latino.

[f] Fruſtrà, quia hi mille viri Lauſo nihil profuerunt, nec eum à morte liberarunt, paulò poſt enim occiſus eſt 10. Æneidos.

[g] Dignus erat Lauſus qui haberet patrem regno florentẽ non à ſuis ſubditis eiectum, vt à Tyrrhenis eiectus eſt Mezentius.

[h] Videtur innuere eum fuiſſe Olympionicem, victores enim ludis Olympicis palmam referebant. 3. Georg.

*Pulcher Auentinus: clypeóque inſigne* a *paternum* Auentinus.
*Centũ angues, cinctamq; gerit ſerpentibus hydram:*
*Collis Auentini ſylua quem Rhea ſacerdos*
*Furtiuum* b *partu ſub luminis edidit oras*
*Miſta Deo* c *mulier: poſtquàm Laurentia* d *victor*
*Geryone extincto, Tyrinthius attigit arua:*
*Tyrrhenóque boues in flumine lauit Iberas,*
*Pila* e *manu, ſæuóſque gerunt in bella dolones:* f
*Et tereti pugnant mucrone, verúque Sabello.*

*Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ.* hos autem ludos, vt ſcribit Paterculus lib. 1. *Atreus inſtituit, cùm ludos funebres patri ſuo Pelopi, faceret quo quidem in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor extitit.* E quibus vides cur ea gloria Herculis filio tribuatur, pulcher autem idem eſt atque fortis & generoſus.

a In ſcuto depictam ferebat hydram centum anguibus circumplicatam quod inſigne à patre ſuo acceperat, in memoriam victoriæ quam Hercules de hydra retulerat. De qua 6. Æneidos.

b Furtiuum, ex adulterio conceptum.

c Herculi qui poſtea relatus eſt in Deos.

d Poſtquã Hercules: qui educatus eſt in vrbe Tirynthe Thebis vicina, victor ex Hiſpania rediens, vbi Geryonem tricorporem occiderat, ad Latium peruenit & boues Hiſpanicas in Tyberi lauit: Boues Geryonis Iberas vocat, quia Hiſpani Iberi & Celtiberi nominantur. Tiberim Tyrrhenum flumen appellat, quia oritur è mõtibus Hetruriæ. Tyrrheni autem tunc Hetruſci à Rege Tyrrheno, de quo Velleius. *Lycus & Tyrrhenus fratres cùm regnarent in Lydia ſterilitate frugum compulſi ſortiti ſunt vter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit: peruectus in Italiam & loco, & incolis, & mari nobile ac perpetuum à ſe nomen dedit.*

e Pila proprie haſta Romanorum, vt Sariſſæ Macedonum, framea Thracum, Germanorum catteiæ: geſa Gallorum: ait pila numero multitudinis: quia duo quique pila geſtabat.

f Seruius. *Dolo eſt flagellum intra cuius virgam latet pugio, aut ſecundum Varronem ingens contus cum ferro breuiſſimo. Dolones*

*Ipſe a pedes tegmen torquens immane leonis,*
*Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis*
*Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat*
Catillus & coras *Horridus, Herculeóque humeros innexus amictus.*
*Tum gemini b fratres Tyburtia mœnia linquunt,*
*Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,*
*Callitúſque, acérque Coras, Argiua iuuentus:*
*Et primam ante aciem denſa inter tela feruntur;*
*Ceu duo nubigenæ c cum vertice montis ab alto*
*Deſcendũt Centauri, Homolẽ, Othrynque d niualẽ,*
*Linquentes curſu rapido: dat euntibus ingens*
*Sylua locum, & magno cedunt virgulta fragore.*
*Nec Præneſtina e fundator defuit vrbis*
Cæculus *Vulcano genitum pecora inter agreſtia Regem,*
*Inuentúmque focis omnis quem credidit ætas,*
*Cæculus, hunc legio latè comitatur agreſtis:*

*autem à fallendo dicti ſunt, quod decipiant ferro cùm ſpeciem præferant ligni & multi volunt per teretes mucrones dolones dici: per veru ſabellum pila ſignificari.*

a ipſe Auentinus ad imitationem patris Herculis, pedibus incedens, & ingentem leonis pellem villos impexos habentem, capiti impoſitam ad humeros reuocãs & retorquens, hoc habitu ingrediebatur Regiam Latini horripilans, vt veſtiri ſolebat Hercules, & pellem leoninam ad humeros reuocare.

b Catillis & Coras & Tiburtius fratres è Græcia profecti Tybur in Italia condiderunt, eíque maximi fratrum nomen indiderunt. Tiburtus manſit ad vrbis cuſtodiam, Catillus & Coras ad bella venerunt.

c inſinuat equites fuiſſe, qui Centauris ſimiles fuiſſe dicuntur. fuerunt autem Centauri monſtra ex homine & equo cõflata, quos nubigenas appellat, quia Centantos ab Ixione & nube, quam in ſpeciem Iunonis Iupiter effinxerat, natos fuiſſe fabulantur.

d Montes Theſſaliæ perpetuis niuibus coopertos.

e Cæculus puer in mediis flammis illæſus inuentus eſt, vnde-

*Quique altum* [a] *Præneſte viri, quiq; arua Gabinæ*
*Iunonis, gelidúmq; Anienem,* [c] *& roſcida* [d] *riuis,*
*Hernica ſaxa colunt: quos diues* [e] *Anagnia paſcit,*
*Quos Amaſene* [f] *Pater: non illis omnibus arma,*
*Nec clypei, curruſve ſonant: pars maxima glandes*
*Liuentis plumbi* [g] *ſpargit: pars ſpicula geſtat*
*Bina manu: fuluóſque lupi de pelle* [h] *galeros*
*Tegmen habet capiti: veſtigia nuda* [i] *ſiniſtri*
*Inſtituêre pedis: crudus tegit altera pero.* Meſſapus.
*At Meſſapus equûm domitor, Neptunia proles,*
*Quem neque fas igni cuiquam, nec ſternere ferro,*

vulcani filius eſt habitus. Is vbi ad virilem ætatem peruenit fundauit vrbem Præneſte.

*a* In montibus conſtitutem. Cato apud Seruium. *Quia is locus montibus præſtet, Præneſte oppido nomen dedit.*

*b* Seruius. *Gabii diu in agris morati tandem Gabios condiderunt. vnde verè arua dixit nõ mœnia. Sanè Iuno illic religioſiſſimè colitur.*

*c* Anio fluuius non longè ab vrbe: quem pòſt Agrippa induxit in vrbem.

*d* Aquarum ſcatebris humectata. Sabinorum lingua ſaxa herniæ vocantur.

*e* Vel propter ſoli vbertatem, vel quia M. Antonius monetam in ea vrbe percuſſit.

*f* Amaſenus fluuius Anagnienſes agros præterfluens.

*g* Multi eorum qui Cæculum ſequuntur glandes & plumbeos globulos funda ſparſim emittunt.. Liuens plumbum vel à liuido colore, vel quòd eius ictus liuorem afferat.

*h* Hinc à Græcis γαλεῆ κυνεῆ quod capitis tegmina fierent è pellibus felium, aut canum.

*i* Siniſtrum pedem habent nudum: pes dexter perone tegitur. Pero calceamentum eſt ruſticum è crudo corio factum.

k Meſſapus creditus filius Neptuni quod per mare ad Italiam acceſſerit, dictus equorum domitor, propter Neptunum.

*—— Cui prima frementem*
*Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.*

tùm ille cum Minerua de Athenarũ appellatione cõtenderet

*Iampridem reſides populos,* a *deſuetáque bello*
*Agmina in arma vocat ſubitò, ferrúmque retractat.*
*Hi Feſcenninas acies, æquoſque* b *Faliſcos,*
*Hi Soractis habent arces, Flauiniáque arua,*
*Et Cymini* c *cum monte lacum, lucóſque Capenos,*
*Ibant æquati* d *numero, Regémque* e *canebant:*
*Ceu quondam niuei liquida* f *inter nubila cygni,*
*Cum ſeſe è paſtu referunt, & longa* g *canoros*
*Dant per colla modos, ſonat amnis,* h *& Aſia longè*
*Pulſa palus.*
*Nec quiſquam æratas acies ex agmine tanto*

*a* Populos qui iampridem à bellis quieuerant, ad arma reuocat: quorum populorum alii erant Feſcennini ex vrbe Feſcennio Sabinorum, àlij Faliſci in montibus Soractis habitabant, alij in vrbe Flauina.

*b* Monet Pomponius Sabinus Æquos Faliſcos vnum eſſe vocabulum, aut etiam Æquos dici quaſi iuſtos, quia populus Romanus miſſis decemuiris, ab ipſis iura ferialia collegit, & ſupplementa duodecim tabularum.

*c* Lacus & mons Cymini poſt Sutrium eſt, inquit Sabinus: quibus vicini ſunt Capeni, non longè ab Vrbe, vnde & porta Capena nomen accepit.

*d* Digeſti in ordinem ſicut decebat, vt vel terni vel quaterni, vel alio quouis numero incederent.

*e* Ennius ſcriptum reliquerat ſe à Meſſapo ducere originem: & Silius lib. 14.

*Ennius antiqua Meſſapi ab origine Regis.*

Hinc Virgilius propter Ennium poëtam dicit milites Meſſapi canere, eóſque comparat Cycnis.

*f* Inter auras puras, & ſudas.

*g* Canore modulantur vocibus emiſſis per longa colla, addit hoc epithetō quia colli magnitudo iuuat ad vocis inflexiones

*h* Cycnorum cantibus reſonat Cayſter fluuius Myſiæ, cui palus Aſia nomine coniungitur. 1. Georg.

*——atque Aſia circum*
*Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.*

a Seruius

*Miſceri putet, aëriam ſed gurgite ab alto*
*Vrgeri volucrum* a *raucarum ad littora nubem.*
*Ecce Sabinorum priſco* b *de ſanguine magnum*
*Agmen agens Clauſus, magnique* c *ipſe agminis inſtar:* Clauſus.
*Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens*
*Per Latium: poſtquam in partem data Roma* d *Sabinis.*
*Vnà* e *ingens Amiterna cohors, priſciq;* f *Quirites*
*Ereti* g *manus omnis, oliuiferæque Mutuſcæ:* h

*a* Nec quiſquam putaret milites armatos confertim mixtos incedere, ſed crederet eſſe Cycnorum canentium turbam, præ multitudine auras nubis inſtar obtegentem, quæ è mari ad terram vrgeatur vel à vento vel ab aquila perſequente.

*b* Sabini paſſim veteres, priſci, antiqui, ſeueri, tetrici nominantur, à morum ſeueritate.

*c* Tam fortis & generoſus, vt tanti æſtimari debeat, vel ſolus, quanti æſtimaretur ingens militum agmen, de tribu & gente Claudia. quæ à Sabinis Romam tranſmigrauit hiſtorici paſſim. Diffundi dicitur per Latium, quod ea gens eſſet valdè numeroſa, & latè pateret.

*d* Romani iuſſu Romuli Sabinas rapuerunt: Sabini filias repetierunt, & eam ob rem Romanis bellunt intulerunt: pax tandem inter eos ita conuenit, vt Sabini cum Romanis Romæ communiter habitarent, eandemque poteſtatem Tatius Rex Sabinorum, quam Romulus Romæ obtineret.

*e* Vna cum Clauſo numeroſa cohors ex vrbe Amiterno Sabinorum.

*f* Quirites dicti qui Curibus vrbe Sabinorum habitabant. Priſcos vocat vel ob priſcam morum ſeueritatem: vel quia poſtea Romani dicti ſunt Quirites, qui iſtorum comparatione noui dici poſſunt.

*g* Eretum, inquit Sabinus, Vicus eſt ſupra ripas Tyberis via Salaria, vbi iungitur etiam via Nomentana; non longè ab vrbe. *Manus* autem hoc loco copias militum ſignificat.

*h* Mutuſcæ tamquam Sabinorum arx à dextra agri Rheatini, quæ auctore Plinio, Trebula vel etiam Suffena nominatur.

*Qui Nomentum vrbem,* a *qui Roſea rura* b *Velini,*
*Qui Tetricæ* c *horrēteis rupes, mōtémq; Seuerū,* d
*Caſperiamq; colūt, Foruloſque, & flumen Himellæ:*
*Qui Tyberim, Fabarimq; bibūt: quos frigida miſit*
*Nurſia,* e *& Hortinæ claſſes,* f *populique Latini:*
*Quoſque ſecans infauſtum interluit Allia* g *nomē.*
*Quam multi Libyco voluuntur marmore* h *fluctus,*
*Sæuus vbi Orion hybernis conditur vndis:*
*Vel cum ſole nouo denſæ torrentur ariſtæ,*
*Aut Hermi* i *cāpo, aut Lybiæ* k *flauentibus aruis:*
*Scuta ſonant, pulſúque pedum tremit excita tellus.*

*a* Locum vbi poſtea condita eſt vrbs Nomentum à Regibus Albanis, vt dicitur 6. Æneidos.

*b* Rura fertilliſſima quæ Roſea vel Roſulana dicuntur, iuxta lacus Velinos. *c* Tetricus mons in Sabinis aſpetrimus.

*d* Nomen proprium montis in Sabinis: Sicut Caſperia & Foruli ſunt ciuitates, in eodem tractu, Himella, Tyberis, & Fabaris nomina fluuiorum.

*e* Nurſia alio nomine Piceni vocatur.

*f* Hortini equites: nam Turmæ equitum claſſes nominantur.

*g* Qui ex vtraque fluminis Alliæ parte habitant: cuius nomen infauſtum eſt & inauſpicatum, quia ad eius fluuij ripam Romanus exercitus à Gallis Brenno duce quinto decimo calendas Augusti fuſus eſt, deinde ab ijs vrbs incenſa, Capitolium obſeſſum.

*h* Tam multi ſunt milites, quàm multi fluctus voluuntur in mari Africano, Orione occidente, qui ſuo occaſu fluctus & tempeſtates excitat.

*i* In Lydia, quam Hermus & Pactolus auri ramenta voluentes præterfluunt.

k Legit Seruius *Lyciæ*; eſt autem Lycia regio minoris Aſiæ fertilis frugum: Libya etiam fertilis, vnde Horatius.

*Quicquid de Libycis verritur areis.*

Flauentia vocat arua propter copiam ſegetum, quæ flaueſcant, cum ad maturitatem peruenerint.

*Hinc Agamemnonius* a *Troiani nominis hoſtis*
*Curru iungit Haleſus equos, Turnóque feroces*
*Mille rapit populos, vertunt felicia Baccho*
*Maſſica* b *qui raſtris, & quos de collibus altis* *Haleſus.*
*Aurunci* c *miſêre patres, Sidicináque iuxta*
*Æquora:* d *quique Cales linquunt: amníſq; vadoſi*
*Accola Vulturni,* e *paritérque Saticulus* f *aſper,*
*Oſcorúmque* g *manus: teretes ſunt aclides* h *illis*
*Tela; ſed hæc lento mos eſt aptare flagello,*
*Læuas cetra* i *tegit: falcati cominus enſes.*
*Nec tu carminibus noſtris indictus abibis*
*Oebale,* k *quẽ generaſſe Telon Sebethide Nympha*

*a* Galeſus auctore Pomponio Sabino, Agamemnonis auriga; vel, vt alij volunt, filius, fugit in Italiam, poſtquam Agamemnon à Clytemneſtra & Ægiſto necatus eſt: is propter Agamemnonem Troiano nomini & genti erat hoſtis: & copioſum exercitum ad auxilium Turni raptim adducebat.
*b* Iam enumerat loca Campaniæ. Maſſicus eſt mons Campaniæ vitibus abundans.
*c* Auſones, qui vel in Brutiis vel etiam in Campania ſedem habuerunt. Sidicinum & Cales oppida eiuſdem Campaniæ.
*d* Planities.
*e* Vulturnus fluuius ſecans mediam Campaniam.
*f* Populus vicatim habitans circa Linternum. Aſper vel ob morum aſperitatem, vel quòd in aſperis montibus habitaret.
*g* Oſci ſiue Hoſci populi antiquiſſimi Campaniæ, qui etiam linguam ſeparatam habuerunt. Alij volunt fuiſſe veteres Capuanos, & Opicos ſiue Ophicos dictos à ſerpentibus.
*h* Aclidas fuiſſe putat Seruius clauas cubito & ſemi longas, eminentibus hinc inde acuminibus: quę ita in hoſtem iaciuntur religatæ loro vel lino, vt peractis vulneribus retrahantur.
*i* Cetra, ſcutum Hiſpanicum è loris confectum, ſiniſtras tegit: cominus autem pugnant enſibus falcatis, id eſt inſtar falcis recuruis. Id gladij genus harpe vocatur.
*k* Seruius. *Oebalus filius eſt Telonis & Nymphæ Sebethidis.* Sebethis à Sebetho fonte iuxta Neapolim, ſed Telon diu re-

*Vfens, inſignem fama, & felicibus armis*
*Horrida præcipuè cui gens, aſſuetáque multo*
*Venatu nemorum, duris Æquicola glebis*
*Armati terram exercent: ſempérque recentes*
*Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.*
*Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos*
*Fronde* b *ſuper galeam, & felici comptus oliua,*
*Archippi Regis miſſu fortiſſimus Vmbro:*
*Vipereo generi,* c *& grauiter ſpirantibus hydris* d,
*Spargere qui ſomnos cantúque manúque ſolebat,*
*Mulcebátque iras, & morſus arte leuabat.* e
*Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum* f
*Eualuit, neque eum iuuere in vulnera cantus*
*Somni feri, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.*
*Te nemus* g *Angitiæ, vitreâ te Fucinus vnda,*
*Te liquidi fleuêre lacus.*
*Ibat & Hippolyti* h *proles pulcherrima bello*

*a* Marrubij populi Marſorum iuxta Fucinum lacum habitâtes.
*b* Vmbro coronatus erat frondibus oliuæ felicis & pacificæ, ad indicium ſacerdotij.
*c* Serpentibus terreſtribus.
*d* Serpentibus aquatilibus.
*e* Leniores faciebat, & dolorem leniebat.
*f* Non potuit ſuis carminibus ſanare plagam, quam accepit à Troianis.
*g* Vmbronis mortem luxit nemus Angitiæ conſecratum, id eſt Medeæ, quàm Marrubij Angitiam vocarunt ab angendis ſerpentibus: quòd hanc artem Medea Marrubios docuiſſet, cùm ex Cholcide appulſa eſt in Italiam.
*h* Hippolytus iuuenis caſtiſſimus apud patrem Theſeum accuſatus eſt, quaſi Phædræ Nouercæ ſtuprum inferre voluiſſet. Theſeus. Neptunum patrem rogauit, vt Hippolytum occideret. Ei Neptunus monſtrum marinum obuiam miſit,

*Virbius, inſignem quem mater Aricia* a *miſit*
Virbius. *Eductum Ægeriæ* b *lucis, Hymettia* c *circum*
*Littora, pinguis vbi & placabilis ara Dianæ:*
*Nimque* d *ferunt fama Hippolytum, poſtquam arte nouercæ*
*Occiderit, patriáſque explerit ſanguine pœnas,*
*Turbatis diſtractus equis: ad ſydera rurſus*
*Ætheria, & ſuperas cæli veniſſe ſub auras,*
*Pæonijs* e *reuocatum herbis, & amore Dianæ:*

quo ſpectaculo perterriti equi currum ſic euerterunt, vt Hippolytum exturbarent, & ſaxis illiſum diſcerperent. Sed Æſculapius Apollinis filius, Dianæ precibus, eum vitæ reſtituit. Iupiter iratus Aeſculapium fulmine percuſſit. Diana Hippolytum in lucis Aricinis ab condit, & Virbium quaſi bis virum nuncupauit. Cuius filius auxiliatus eſt Turno. Pulcherrima vero, idem eſt atque bello fortiſſima, vt

*— Satus Hercule pulchro*
*Pulcher Auentinus.*

a Vrbs in Appia via diſtans ab vrbe vnius diei interuallo, quam Virbij matrem fuiſſe fabulantur.

b Nympha quæ fingitur in lucis Aricinis habitare, à qua leges ſuas accepiſſe videri voluit Numa Pompilius. *eductum* autem idem eſt atque educatum.

c Hymettus lacus, iuxta quem ara Dianæ, ſemper pinguis adipe victimarum, & placabilis quia facilius placatur, quàm apud Tauros vbi non placatur Diana, niſi humanis victimis immolatis.

d Aiunt Hippolytum poſtquam falſis Phædræ nouercæ accuſationibus occiſus eſt, & patris Theſei filium ad pœnas depoſcentis iram ſanguine ſuo ſatiauit, diſtractus & diſcerptus ab equis, qui adſpectu monſtri marini turbati fuerant, aiunt inquam Hippolytum herbis medicinalibus ab inferis excitatum fuiſſe cura & ſollicitudine Dianæ, quæ Æſculapium exorauit, vt eum à mortuis excitaret, ſed Iupiter indignatus eum vitæ reſtitutum fuiſſe, Aeſculapium Apollinis filium talis medicinæ repertorem fulmine interemit.

e Medicinalibus, à Pæone ſiue Pæane deorum medico.

*Tum Pater omnipotẽs aliquẽ indignatus ab vmbris*
*Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,*
*Ipſe repertorem medicinæ, talis & artis,*
*Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad vndas:*
*At Triuia* a *Hippolytum ſecretis alma recondit*
*Sedibus, & Nymphæ Ægeriæ nemorique relegat:*
*Solus in vbi in ſyluis Italis, ignobilis* b *æuum*
*Exigeret, versóque* c *vbi nomine Virbius eſſet.*
*Vnde etiam Triuiæ templo, luciſque ſacratis:*
*Cornipedes* d *arcentur equi, qui littore currum,*
*Et iuuenem monſtris pauidi effudêre marinis.*
*Filius* e *ardentes haud ſecius æquore campi*
*Exercebat equos, currúque in bella ruebat.*
*Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus* Turnus.
*Vertitur* f *arma tenens, & toto vertice ſuprà eſt.*

*a* Diana quæ in triuijs & viarum exitibus adoratur, Hyppolytum ad Ægeriam mittit ab hominum conſortio ſeparatum.

*b* A nemine cognitus.

*c* Pro Hippolyto Virbius diceretur, quia vir bis fuerat, ſemel ante mortem, iterum cùm eſt ab inferis excitatus.

*d* Equi dicuntur *Cornipedes* quia corneas vngulas habent. Eam ob rem equi ad Dianæ templum accedere prohibentur, quia in littore maris Ægæi currum Hippolyti, & ipſum adeò Hippolytum effuderunt, illius monſtri marini adſpectu perterriti, quod Neptunus à Theſeo inuocatus, illis equis obiecerat

*e* Nihilo ſecius Virbius Hippolyti filius equos in planitie agitabat, perinide atque ſi equi nullam patri cladẽ intuliſſent.

*f* Huc & illuc obuerſus in omnem partem milites circumſpicit, & omnes capite ſupereminet, habens galeam tribus criſtis ornatam, cui galeæ impoſita eſt effigies chimæræ expirantis ignem, ſimilem illi qui ex Aetnæ cauernis erumpit. Chimæra propriè capram ſignificat, ſed hic ponitur pro monſtro fabuloſo ignem eructante, habente caput leonis,

*Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram*
*Suſtinet, Ætnæos efflantem faucibus igne is,*
*Tam magis* a *illa fremẽs, & triſtibus effera flãmis,*
*Quàm magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.*
*At læuem clypeum ſublatis cornibus* b *Io,*
*Auro inſignibat,* c *iam ſetis obſita, iam bos,*
*Argumentũ ingens,* d *& cuſtos virginis Argus,*
*Cælatáque* e *amnem fundens pater* f *Inachus vrna:*
*Inſequitur, nimbus* g *peditum, clypeatáq;* h *totis*
*Agmina denſantur* i *campis, Argiuáque* k *pubes,*

ventrem capræ, caudam draconis. Lucretius.

*Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimira.*

poſt Homer. πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

*a* Tanto magis, quanto magis.

*b* Seruius. *Hæc Inachi filia, Argiuorum fluminis fuit. Hanc amauit Iupiter, & dum cum ea eſſet, Iuno ſuperuenit, timens ille ne deprehenderetur, Ionem mutauit in vaccam, & eam poſcenti dedit Iunoni ne pellicem confiteretur: cui Iuno Argum oculatum omnibus membris cuſtodem appoſuit:* ne in formam priorem reuocaretur. *Quem cum Iupiter per Mercurium interemiſſet, Iuno eum in pauonem mutauit: Ioni verò œſtrum immiſit, quo diu exagitata in Ægyptum venit, & Iouis voluntate in Iſin mutata celique ſcæpta eſt.*

*c* Suâ picturâ inſignem faciebat.

*d* Argumentum ſiue indicium generis & proſapiæ. ſuprâ.

*Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,*

*Inachus, Acriſiúſque patres, mediæque Mycenæ.*

*e* Fluuij pinguntur & ſculpuntur cum vrnis amnem fundentibus. *f Non tantùm ipſius Ionis, ſed auctor originis ipſius Turni.*

*f* Tam denſi pedites Turnum ſequuntur, quàm denſæ ſunt guttæ in nimbis: nimbus autem eſt imber maioribus guttis defluens.

*g* Clypei propriè equitum fuerunt, cùm pedites ſcutis magis vterentur. vnde & Ennius turmas equitum claſſes clypeatas appellat.

*h* Præ multitudine conferti & denſi incedunt.

*i* Ab Argiuis oriundi. Argiui enim antiquitus in Italiam venerunt, ibique habitârunt.

*Auruncæque manus, a Rutuli, veteréſq; b Sicani,*
*Et Sacranæ c acies, & picti ſcuta Labici, d*
*Qui ſaltus e Tyberine tuos, ſacrúmque Numici*
*Littus f arant, Rutuloſq; exercent vomere colles,*
*Circæumq; iugum, queis Iuppiter Anxurus h aruis*
*Præſidet, & viridi i gaudens Feronia luco*
*Qua Saturæ k iacet atra palus, geliduſque per imas*
*Quærit iter valles, atque in mare conditur Vfens. l*

*a* Copiæ Auruncorum ſiue Auſonum.
*b* Seruins. *Bene veteres. Nam vbi nunc Roma eſt, ibi fuerant Sicani quos poſtea pepulerunt Aborigines.*
*c* Sacrani iuxta Vrbem olim habitantes dicti Sacrani vel quod à quodam Corybante deſcenderent. Nam ſacrati ſunt matri Deorum Corybantes. vel quod ex inſula Hiera ſiue Sacra in Italiam acceſſerint, vel Ardeatinos ipſos intelligit, quia aliquando graſſante peſtilentia, ver ſacrũ vouerunt, id eſt fœtus omnium animãtiũ qui eo vere naſcerentur, dijs cõſecrarunt.
*d* Labicani habentes ſcuta picta, multis ante prælijs ſpectati & res geſtas habentes in ſcuto depictas, cùm tirones ſcutum album haberent. —— *Parmáque inglorius alba.*
*e* Nemora & ſyluas aquis Tiberinis irrigatas.
*f* Qui ripam Numici fluminis colunt.
*g* A Circe nominatum.
*h* Seruius. *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter qui Anxurus dicebatur, quaſi ἄνευ ξυρᾶς id eſt ſine nouacula, quia barbam nunquam raſiſſet. Et Iuno virgo que Feronia dicebatur, eſt etiam fons in Campania.* i *Non vacat quod addidit VIRIDI. Nam cum aliquando huius fontis lucus fortuito arſiſſet incendio, & vellent incolæ exinde tranferre ſimulacra, ſubitò reuiruit.*
k Qua Pomptinæ paludes in longum extenduntur. In his paludibus olim fuiſſe 14. vrbes Mutianus tradit, inter quas Satura numeratur. Atram vocat Pomptinam paludem propter cœnum & nebulas quæ ex ea exhalantur.
*l* Fluuiolus anguſtus per Pomptinas ſiue Pontinas paludes labens, Silius lib. 8. *Et quos peſtifera Pontini uligine campi:*
*Qua Saturæ nebuloſa palus reſtagnat & atro*
*Liuentes cœno, per ſqualida turbidus arua*
*Cogit aquas Vfens atque inficit æquora limo.*

Camilla. *Hos ſuper* a *aduenit Volſca de gente Camilla,*
*Agmen agens equitum, & florētes* b *ære cateruas,*
*Bellatrix: non illa colo, calathiſque* c *Mineruæ*
*Fœmineas aſſueta manus, ſed prælia virgo*
*Dura pati, cursúque pedum præuertere ventos:*
*Illa* d *vel intactæ ſegetis per ſumma volaret* e
*Gramina, nec teneras curſu læſiſſet Ariſtas:*
*Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti,*
*Ferret iter: celeres nec tingeret æquore plantas.*
*Illam omnis tectis, agriſque effuſa iuuentus,*
*Turbáq; miratur matrum,* f *& proſpectat euntem*
*Attonitis inhians* g *animis: vt regius* h *oſtro*
*Velet honor læueis* i *humeros: vt fibula* k *crinem*
*Auro internectat: Lyciā* l *vt gerat ipſa pharetram,*
*Et paſtoralem* m *præfixa cuſpide myrtum.*

*a* Præter ſuprà nominatos aduenit Camilla ex Piuerno vrbe Volſcorum. *b* Fulgentes armis æreis.
*c* Minerua lanificij dea: per calathos igitur Mineruæ intelligit quaſillos, quibus fuſa, verticula, acus, digitalia & cętera lanificij inſtrumenta ſeruantur. Camillā manus ſuas non aſſuefecit colo & lanificio, ſed armis. *d* Nonnulli quatuor hos verſus tanquā frigidos & nimiùm hyperbolicos ſuſtulerunt.
*e* Tam celeriter curreret, vt volare potiùs, quàm currere videretur. *f* Matrum familias, matronarum.
*g* Ora patefaciens præ ſtupore.
*h* Purpura, vnde & reges purpurei.
*i* Pulchros, vt ſuprà —*Per læuia pectora lapſus.*
k Fibula. *Vne agraffe d'or.*
*l* Arcus, ſagittæ, pharetræ Lyciæ paſſim laudantur. 8. Æneidos lib. 11. *Spicula torquebat: Lycio Gortinia cornu*
—*Inſignem pharetram, Lyciáſque ſagittas*
Sunt qui hic interpretentur pharetram Apollineam, vel qualem habet pharetram Apollo qui in Lycia reddebat oraculū.
*m* Haſtam è myrto confectam, quali paſtores vtuntur.

FINIS.

# PVBLII VIR. MARONIS AENEIDOS LIBER VIII.

## MODESTINI IVRISCONSVLTI In Octauum Æneidos Librum.

### *ARGVMENTVM.*

Dat belli ſignum Laurenti Turnus ab arce.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,
Qui petat auxilium,& doceat quæ cauſa petendi.
Aeneas diuûm monitis adit Arcada regem
Euandrum, Arcadiâ profugum noua regna petentem.
Accipit auxilium:huic natum,& ſocia agmina iungit
Euander, Pallas fatis comes ibat iniquis.
Iámque habilis bello,& maternis lætus in armis,
Fataque,fortunaſque ducum,caſúſque ſuorum
Sortitus clypeo,diuina intentus in arte eſt.

*VT belli ſignum* a *Laurenti Turnus ab arce*
*Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu:* **Tumultus in**
*Vtque acreis cõcuſſit equos, vtque impulit* b *arma.* **Latio.**

a Statim atque Turnus ab arce Laurenti extulit vexillum: alludit ad morem Romanorum vt notat Seruius. Nam in tumultu qui ducturus erat exercitum,ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla,vnum roſeum, quod pedites euocabat,& vnum cæruleum, quod erat equitum (nam cæruleus color maris eſt, à cuius Deo equum conſtat eſſe inuentum) dicebat, *Qui Rempub ſaluam eſſe vult, me ſequatur:* & qui conueniſſent ſimul iurabant,& dicebatur iſta militia, coniuratio. b Et hic ad morem alluſit. Nam,vt ait

*Extemplò turbati animi, ſimul omne tumultu* a
*Coniurat trepido Latium, ſæuitque iuuentus*
*Effera: ductores primi Meſſapus* b *& Vfens,* c
*Contemptórq; Deûm Mezentius,* d *vndiq; cogunt*
*Auxilia,* e *& latos vaſtant cultoribus agros.*
*Mittitur & magni Venulus* f *Diomedis ad vrbem*
*Qui petat auxilium, & Latio conſiſtere Teucros:*
*Legatio ad Diomedem.* *Aduectum Æneam claſſi,* g *victoſque* h *Penates*
*Inferre, & fatis regem ſe dicere poſci,*
*Edoceat: multáſque viro ſe adiungere* i *gentes*
*Dardanio,* k *& latè Latio increbreſcere nomen.*
*Quid ſtruat his cœptis,* l *quem ſi fortuna ſequatur,*

idem Seruius, is qui belli ſuſceperat curam, ſacrarium Martis ingreſſus, primò ancilia commouebat, poſt haſtam ſimulacri ipſius dicens. *Mars vigila*

*a* Tumultus eſt repentinum bellum, quaſi timor multus.

*b* Filius Neptuni. *c* Rex Æquicolarum.

*d* Rex Hetruſcorum propter crudelitatem eiectus è regno.

*e* Aliud genus militiæ dicebatur *euocatio* cum per agros vicinaſque ciuitates conquiſitores mittebantur, qui milites exquirerent & conuocarent. *cogunt auxilia*, eſt auxiliares conuocant & congregant, & agros quantumuis latos & frequentes vacuant cultoribus, vt vix vllus remaneat qui vacet agriculturæ, omnibus ad arma conuolantibus.

*f* Præterea Venulus Tiburs, & ex Argis profectus, mittitur legatus ad Diomedem, qui poſt excidium Troianum, impudicitæ vxoris infenſus, noluerat in Ætoliam reuerti, ſed in Italiam appulſus, vrbem Arpos ſiue Argiripiam in Gargano monte conſtruxerat. *g* Pro *claſſe*.

*h* Deos penates Troianæ ciuitatis, quæ fuerat è Græcis victa & euerſa.

*i* Nondum quidem Arcades & Hetruſci ſe Æneæ coniunxerant: Sed Venulus rem exaggerat ad terrendum Diomedem.

k Qui ratione originis à Dardano Italo ductæ multos auxiliatores inueniet.

*l* Dicebat Venulus Diomedem, qui & per ſe prudens eſſet, &

*Euentum pugnæ cupiat manifeſtius ipſi,*
*Quam Turno, aut regi apparere Latino.*
*Talia per Latium,* a *quæ Laomedontius* b *heros*
*Cuncta videns, magno curarum fluctuat æſtu,*
*Atq; animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,*
*In parteſque rapit varias, pérque omnia verſat:*
*Sicut aquæ* c *tremulum labris vbi lumen ahenis*
*Sole repercuſſum, aut radiantis imagine Lunæ,*
*Omnia peruolitat latè loca: iamque ſub auras*
*Erigitur, ſummique ferit laquearia* d *tecti.*
*Nox erat, & terras animalia feſſa per omneis*
*Alituum,* e *pecudúmque genus ſopor altus habebat.*
*Cum pater in ripa,* f *gelidique ſub ætheris axe*

*Æneæ ſollicitudo.*

Troianorum mores experientiâ compertos haberet, manifeſtiùs cognoſcere, quàm Turnus aut Latinus cognoſcat, quid Æneas his incœptis machinetur, & quem velit idem Æneas finem eſſe victoriæ, ſi ipſum ſecunda fortuna comitetur. Manifeſtum enim eſſe poterat Diomedi, Æneam, ſi ſecundis fortunæ flatibus vteretur, non quieturum priùs, quàm Italiam ſubiecerit ſuæ ditioni, & Græcos, ipſum præſertim Diomedem expulerit Italia.

*a* Hæc in Italia gerebantur: quæ cùm Æneas aduerteret, vario cogitationum æſtu fluctuabat, & nunc cogitabat de exercitu qui conſcribebatur in Latio, nunc de auxilio quod petebatur à Diomede.

*b* Æneas Troianus, à Laomedonte patre Priami, Rege Troianorum.

*c* Quemadmodum in ærea pelui, lumen ex aqua remiſſum, quod propter ipſius aquæ mobilitatem tremulum apparet, ex reflexione radiorum ſolis aut lunæ, ita vibratur vt omnia loca circumquaque peruolitet, & ad ſummum cubiculi vel aulæ lacunar perueniat ita animus Æneæ ancipiti cogitatione diſtractus in varias partes conuertitur. *d Ex lumbris.*

*e* Alituum, auium.

*f* In ripa Tiberini, & ſub dio.

*Æneas triſti* a *turbatus pectora bello*
*Procubuit, ſerámque* b *dedit per membra quietem.*
Videt in ſomnis Tiberinum. *Huic Deus ipſe loci fluuio Tyberinus amœno,*
*Populeas inter ſenior ſe attollere frondes*
*Viſus: eum tenuis glauco* c *velabat amictu*
*Carbaſus, & crines vmbroſa tegebat arundo.*
*Tum ſic affari, & curas his demere dictis:*
*O ſate gente* d *Deũ, Troianã* e *ex hoſtibus vrbẽ*
*Qui reuehis nobis, æternáque Pergama ſeruas,*
Tiberini oratio. *Expectate ſolo Laurenti, aruiſque Latinis,*
*Hîc tibi certa domus, certi (ne abſiſte)* f *Penates,*
*Neu belli terrêre minis: tumor* g *omnis, & ira*
*Conceſſere Deûm.*
*Iámq; tibi,* h *(ne vana putes hæc fingere ſomnũ,)*
*Littoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus,*

*a* Cuius belli cogitatio triſtitiam afferebat.
*b* Cùm præ ſollicitudine ad multam noctem vigilaſſet.
*c* Indutus erat Tiberinus carbaſo tenui glauci coloris, glaucus ſiue cæſius color eſt medius inter viridem & cæruleum.
*d* O Ænea, qui matrem habes Venerem, patrem Anchiſen, ab ipſo Ioue oriundum.
*e* Quo duce Troiani veniunt in Italiam, à qua Dardanus, eorũ progenitor, olim exiuerat: & qui ſeruas Pergama æterna. Quandiu enim eris in viuis, arx Troiana putanda non eſt cecidiſſe: tuíque poſteri ſic illuſtrabunt gloriam Troianorum, vt in ijs Troia quodammodo reuiuiſcat.
*f* Ne deſiſte ab incœpto propter pericula quæ videntur imminere: nec impendentis belli periculis terrearis.
*g* Omnis ira quæ deos inflabat & tumeſcere faciebat, detumuit & reſedit, ceſſitque felicitati tuæ quidquid videbatur eſſe contrarium.
*h* Ne putes falſum eſſe hoc inſomnium, id prædicam tibi quod euentus ipſe mox comprobabit. Cùm primum ſurrexeris, inuenies in ripa fluminis ſub ilicibus ingentem ſuem

*Triginta capitum a fœtus enixa, iacebit,*
*Alba ſolo recubans, albi circum vbera nati.*
*Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum:*
*Ex quo* b *terdenis vrbem redeuntibus annis*
*Aſcanius clari condet cognominis Albam,*
*Haud incerta cano: nunc quà ratione, quod inſtat,*
*Expedias victor, paucis (aduerte) docebo.*
*Arcades his oris, genus à Pallante* c *profectum,*
*Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſecuti,*
*Delegêre locum, & poſuêre in montibus* d *vrbem,*
*Pallantis proaui de nomine Pallantæum.*
*Hi bellum aßiduè ducunt* e *cum gente Latina:*
*Hos caſtris adhibe ſocios, & fœdera junge:*
*Ipſe ego* f *te ripis, & recto flumine ducam,*
*Aduerſum* g *remis ſuperes ſubuectus vt amnem:*
*Surge, age, nate dea, primiſque* h *cadentibus aſtris,*
*Iunoni fer ritè preces: irámque, mináſque*
*Supplicibus ſupera votis, mihi victor* i *honorem*
*Perſolues, ego ſum, pleno quem flumine cernis*

albam, quæ paulo antè triginta porcellos albos enixa eſt ſiue peperit, recubantem.

*a* Hyppalage pro triginta fœtuum, ſiue procellorum capita.

*b* Ex hac cauſa propter albam ſuem inuentam, Aſcanius Albam Longam ædificauit poſt annos triginta.

*c* Rege Arcadiæ.

*d* In illo ipſo colle qui Palatinus dicebatur, & poſteà mœnibus Romanis incluſus eſt.

*e* In longum trahunt.

*f* Ego fluuius Tiberinus ducam te ſecundum fluminis alueum vt à via non aberres,

*g* Vt aduerſo flumine contra fluxum amnis faciliùs poſſis nauigare. *h* Die oriente.

*i* Cùm cogitata ad felicem exitum perduxeris,

*Stringentem* a *ripas, & pinguia culta ſecantem,*
*Cæruleus Tybris, cælo gratiſſimus amnis:*
*Hîc mihi magna* b *domus celſis caput* c *vrbibus exit.*
*Dixit: deinde lacu* d *fluuius ſe condidit alto*
*Ima petens, nox Æneam, ſomnúſque reliquit:*
*Surgit, & ætherij ſpectans orientia ſolis*
Æneæ precatio. *Lumina, ritè* e *cauis vndam de flumine palmis,*
*Suſtulit, ac taleis effudit ad æthera voces:*
*Nymphæ Laurẽtes, Nymphæ, genus* f *amnibus vnde*
*Túq; ô Tybri, tuo genitor cũ flumine* g *ſancto eſt.*
*Accipite Ænean, & tandem arcete periclis:*

*a* Seruius. *Radentem, imminuentem. Nam hoc eſt Tiberini fluuij propriũ adeo vt ab antiquis Rumon dictus ſit, quaſi ripas ruminãs & exedens. In ſacris etiam Serra dicebatur. Vnde ait nunc, & pinguia culta ſecantem*, quaſi terras pingues & bene cultas ita præter labẽtẽ, vt eas ſecare, & veluti ſerra diuidere videatur. *In aliqua etiam Vrbis parte Terentum dicitur, eo quòd ripas terat. Alii ſtringentem iuxta veterem morem dictum intelligunt. Stringere enim ſignificare dicunt tactu modico præterire, vt ipſe ait in* 10.

*Magno ſtrinxit de corpore Turni.*

*b* In hoc aluco habito.

*c* Caput meum ſiue origo exit & manat ex Hetruria, quæ multas habet vrbes illuſtres: tunc enim temporis in Hetruria ſiue Tuſcia florebant Reges Lucomones, qui magnam Italiæ partem obtinebant.

*d* Abuſio vocis, lacum pro fluuij fundo vſurpat.

*e* Precaturi deos aquam è fluuijs hauriebant vt initio lib. 9.

*—— Ad undam*
*Proceßit, ſummóque hauſit de gurgite Lymphas*
*Multa Deos orans. ——*

*f* Vel eſt hypallage, pro, Quæ genus habetis à fluuijs, nymphas enim fluuiorum filias eſſe fabulantur, quanquam etiam dicere poſſumus nymphas, id eſt aquas, matres eſſe fluuiorum. Nam ab aquis è fonte ſcaturientibus fluuij generantur, quo fortaſſe poëta reſpexerit.

*g* Alludit ad morem ſacrorum. Sic enim vocabatur in precibus. Adeſto Tiberine cum tuis vndis.

*a* Seruius

*Quo te cunq; lacus,* a *miſerantem incommoda noſtra*
*Fonte tenent, quocumque ſolo pulcherrimus exis,*
*Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.*
*Corniger* b *Heſperidũ* c *fluuius regnator aquarum,*
*Adſis ô tandem! & propius tua numina* d *firmes.*
*Sic memorat, geminaſque legit de claſſe* e *biremes,*
*Remigioque* f *aptat; ſocios ſimul inſtruit armis.*
*Ecce autem ſubitum, atq; oculis mirabile mõſtrũ,*
*Candida per ſyluam cum fœtu concolor* g *albo*
*Procubuit, viridique in littore conſpicitur ſus:*
*Quam pius Æneas, tibi enim,* h *tibi maxima Iuno*

Prodigium ſuis albæ

a Seruius, *Lacus eſt quondam latentis adhuc aquæ receptaculum: & dictus lacus quaſi lacuna: ex qua erumpens aqua efficit fontem:* qui cùm *fluere cœpit, alueum facit.*

b Fluuij pinguntur cornuti & tauriformes. Horatius.

*Sic tauriformis voluitur Aufidus.*

vel quòd vndarum currentium fragor taurorum mugitus imitetur: vel quòd plerique amnes, cùm ad oſtium peruenerint, antequam in mare ſe exonerent, in duos vel plures alueos, quaſi in totidem cornua diuidantur.

c Italicarum 4. Georgicon tamen *fluuiorum Rex Eridanus* dicitur. Sed Eridanus ſiue Padus non Italiam propriè, ſed Galliam, quam Ciſalpinam illi vocabant, rigat, vnde & Gallia Ciſpadana, Gallia Tranſpadana, vel Eridanus dicitur Rex fluuiorum ratione magnitudinis; Tybris ratione dignitatis, quippe qui Romam terrarum principem alluebat. Itaque Æneas quaſi præuidens quod futurum erat, Tyberim Regem appellauit.

d Tua oracula & promiſſa. Exhibe factis, quod promiſiſti, nimirum vt ſuem albam, cum triginta procellis inuenirem.

e Ex omni nauium numero duas eligit biremes, id eſt, naues quæ duplici remorum ordine ſubiguntur.

f Naues inſtruit remigibus, & ſocios armis inſtruit, ſiue nauticis inſtrumentis, ſiue bellicis.

g Eiuſdem coloris cum ſuis porcellis.

*Alba ſolo recubans, albi circum vbera nati.*

h Vacat, enim, inquit Seruius, & tantùm ad ornatum perti-

*Mactat ſacra ferēs,* a *&, cum grege ſiſtit* b *ad aram*
*Tybris eâ fluuiū quàm longa* c *eſt, nocte tumentem*
*Leniit, & tacita refluens* d *ita ſubſtitit vnda,*
Tibris fluuium lenit. *Mitis ut in morem ſtagni, placidæque paludis,*
*Sterneret æquor* e *aquis, remo vt luctamen abeſſet.*
*Ergo iter incœptum celerant rumore* f *ſecundo:*
*Labitur vncta* g *vadis abies: mirantur* h *& vndæ,*
*Miratur nemus inſuetum fulgentia longè*
*Scuta virûm fluuio, pictaſque* i *innare carinas.*
*Olli* k *remigio noctémque, diémque fatigant,*

net. ſed fortaſſe præſtat illa verba *tibi enim maxima Iuno mactat ſacra ferens*, parentheſi includere & ſic interpretari. Quam ſuem pius Æneas etiam cúm grege porcellorum ſtatuit ante aram, Illam enim ſuem mactat Iunoni, vbi ſi per *&, etiam* interpreteris, omnia erunt clariſſima, nec erit hyſteron proterō.

*a* Vinum libans in caput victimæ, & fruges ſalſas, ſiue molam imponens, vnde & victimæ dicuntur immolari.

*b* Siſti dicuntur ad aram victimæ, cùm ante aram ſtatuuntur vt ſacerdos ſuper eas concipiat preces ante ſacrificium.

*c* Quanta quanta nox fuit, id eſt ab initió ad finem.

*d* Quaſi ad caput & originem ſuam recurrens ſubſtitit abſque vllo aquarum ſonitu

*e* Fluuii ſuperficiem ſic adæquaret, vt nulla parte tumeret vnda in fluctus, aut in lacunas ſubſideret. Adeo vt quamuis verſus caput remigaretur, cum vndis tamen luctādum non eſſet.

*f* Bonâ famâ, cùm neminem læderent, nullique darent occaſionem de ſe conquerendi: aut rumorem ſecundum fuiſſe dicit, quia famam & rumorem præuenerant, id eſt, venerant ante quàm fama nuntiaret eos eſſe venturos, aut legendum Rumone, quod fuit antiquum Tiberis nomen, id eſt, Tiberi fluuio fauente. *g* Celeriter nauigant biremes è pinu confectæ tinctæ & madefactæ aquâ quæ in vadis Tiberinis continetur.

*h* Aduerte elegantiam poëticæ locutionis, qua dat ſenſum vndis & nemori.

*i* In puppibus pingebant quædam inſignia.

k Troiani ad fatigationem vſque remigant diu noctúque

*Et longos ſuperant flexus, a varijſque teguntur*
*Arboribus, viridéſq; ſecāt placido b æquore ſyluas.*
*Sol medium cœli conſcenderat igneus orbem:*
*Cùm muros, arcémque c procul, & rara domorum*
*Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo*
*Æquauit: tum res inopes Euandrus habebat.*
*Ocyus aduertunt proras, vrbique propinquant.*
*Fortè die ſolemnem illo rex Arcas d honorem*
*Amphitryonidæ e magno, diuiſque f ferebat*
*Ante vrbem in luco: Pallas huic filius vnà,*
*Vna omnes iuuenum primi, paupérque Senatus*
*Thura dabant, tepiduſque cruor g fumabat ad aras.*
*Vt celſas videre rates: atque inter opacum*
*Allabi nemus, & tacitis h incumbere remis:*
*Terrentur viſu ſubito, cunctique relictis,*
*Conſurgunt menſis: audax quos rumpere i Pallas*

*Æneas per fluuium adit Pallantæum.*

*Euandrum Herculi ſacrificantem inuenit.*

a Tiberis flexuoſus: *Tiberim*, inquit Seruius, *libri augurum colubrum loquuntur, tanquam flexuoſum.*

b Æquata fluminis ſuperficie Troiani remigantes, ſecant vndas, in quibus ex vmbrarum protectioue apparet quædam imago ſiluarum, flumini impendentium.

c Pallantæi, quam arcem Euander excitarat.

d Fortè contigit vt eo die Troiani Pallantæum aduenirent, quo die Euāder Rex Arcadum feſtum diem ſolemnem, id eſt, quotannis certo tempore recurrentem in honorem Herculis celebraret.

e Herculi ab Amphitryone marito Alcmenæ, qui pater Herculis putabatur, cùm Iouis & Alcmenæ filius eſſet.

f Cùm alicui deo ſacrificabatur, inquit Seruius, neceſſe erat poſt ipſum cæteros inuocari.

g Cruor adhuc calidus & recens effuſus è iugulo victimarum.

h Statim atque Arcades viderunt duas biremes inter nemus opacum nauigare: quas Troiani taciti ſine celeumate cantuque nautico remis ſubigebant.

Ne interruptione ſacrificij piaculum committeretur, quod

*Sacra vetat, raptoque volat telo obuius ipſe.*
Pallas occurrit. *Et procul è tumulo:* a *Iuuenes, quæ cauſa ſubegit*
*Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit:*
*Qui genus? vnde domo? pacémne hûc fertis, an arma?*
*Tum pater Æneas puppi ſic fatur ab alta,*
*Paciferǽque* b *manu ramum prætendit oliuæ.*
*Troiugenas, ac tela vides inimica* c *Latinis,*
*Quos illi bello profugos egêre ſuperbo:*
*Euandrum* d *petimus, ferte hæc, & dicite lectos*
*Dardaniæ veniſſe duces, ſocia arma rogantes.*
*Obſtupuit tanto perculſus nomine Pallas.*
*Egredere ô quicumq; es, ait, corámque parentem*
*Alloquere, ac noſtris ſuccede penatibus hoſpes:*
*Accepitque manu, dextráque amplexus inhæſit.*
*Progreſſi ſubeunt* e *luco, fluuiumque relinquunt.*
Æneæ ad Euandrum oratio. *Tum regem Æneas dictis affatur amicis:*
*Optime Graiugenum,* f *cui me fortuna precari*
*Et vitta cõptos* g *voluit prætẽdere ramos (Arcas,*
*Non equidem extimui, Danaûm* h *quod ductor, &*

inſtauratione ſacrorum deberet expiari.

a E loco eminentiore, vt facilius videri poſſet procul extra teli iactum: ne ſi hoſtes eſſent, poſſent in ipſum iaculari.

b Oliuam præferebant qui volebant ſe pacificos oſtendere.

c Commodè vt Arcades alliciat, inimicitias cum Latinis initio profitetur.

*Hi bellum aſſiduè ducunt cum gente Latina.*

d Arcadũ Regem qui in Italiã venit, & in Palatino habitauit.

e Ingrediuntur lucum.

f O Euander optime & iuſtiſſime, eorum qui à Græcis ſiue Graijs duxerunt originem.

g Ramos oliuæ vittis quibuſdam & faſcijs laneis alligatos, quos præferebant legati pacem expetentes.

h Enumerat tres cauſas quæ ipſum à conueniendo Euandro

*Quodq; à ſtirpe foret geminis coniunctus Atridis:*
*Sed mea me virtus,* a *& ſancta oracula diuûm,*
*Cognatique patres, tua terris dedita fama,*
*Coniunxere tibi, & fatis egere* b *volentem.*
*Dardanus Iliacæ primus pater vrbis, & author,*
*Electra ( vt Graij perhibent) Atlantide cretus,*
*Aduehitur Teucros, Electram maximus Atlas*
*Edidit, ætherios humero qui ſuſtinet* d *orbes.*
*Vobis* e *Mercurius pater eſt, quem candida* f *Maia*
*Cyllenes* g *gelido conceptum vertice fudit.*

deterrere potuiſſent: prima eſt quòd Euander eſſet Danaorũ ductor & haberet ſecum milites Græcos Troianis infenſos. Altera, quòd Euãder eſſet Arcas, ac proindre Græcus natione. Tertia, quòd Agamemnoni & Menelao filiis Atrei idem Euãder eſſet cognatione coniunctus, de qua cognatione vide fabulas apud Seruium: parum refert.

a Enumerat cauſas quæ ipſum ad conueniendum Euandrum compulerunt. Prima eſt propriæ virtutis conſcientia, quæ vel inter hoſtes ſecura eſt Secunda, deorum oracula, vt ſomnium paulò antè oblatum, & monita Tiberini, & præcipuè illud Sibyllæ oraculum 6. Æneidos. *— Via prima ſalutis*
*Quod minimè reris Graia pandetur ab vrbe.*
Tertia cauſa eſt cognatio ſiue conſanguinitas Æneæ cum Euandro. Quarta, fama quæ de Euandri iuſtitia per totum terrarum orbem ſpargebatur, & diuidebatur.

b Supradictis conſiderationibus inductus ſum vt te conuenirem, fatiſque obtemperarem quæ me vel inuitum & reluctantem compuliſſent.

c Dardanus conditor Troianæ ciuitatis Electræ filius, nepos Atlantis ( Atlas enim fuit Electræ pater) venit in Phrygiam.

d Atlas Rex Mauritaniæ, quia fuit inuẽtor Aſtrologiæ dictus eſt cœlum ſuis humeris ſuſtinere. e Arcadibus.

f Maia vna fuit è ſeptem Atlantis filiabus, quas Pleiadas vocabant: Candidam appellat, quia præ cæteris Pleiadibus reſplendet.

g Montis Arcadiæ, vnde Mercurius Cyllenius nominatur.

*At Maiam (auditis ſi quicquam credimus) Atlas:*
*Idem a Atlas generat, cœli qui ſydera tollit.*
*Sic genus amborum b ſcindit ſe ſanguine ab vno.*
*His fretus, c non legatos, neque prima per artem*
*Tentamenta tui pepigi: meme ipſe, meumque*
*Obieci caput, ſupplex ad limina veni.*
*Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia d bello*
*Inſequitur: nos ſi pellant, nihil abfore credunt,*
*Quin omnem Heſperiam e penitùs ſub iuga mittāt,*
*Et mare, f quod ſuprà teneant, quódque alluit infrà.*
*Accipe, daque fidem: ſunt nobis fortia bello*
*Pectora: ſunt animi & rebus ſpectata iuuentus.*
*Dixerat Æneas: ille os, g oculóſque loquentis*
*Iamdudum & totum luſtrabat lumine corpus.*
*Tunc ſic pauca refert: Vt te h fortiſſime Teucrûm*
*Accipio, agnoſcóque libens! vt verba parentis,*
*Et vocem Anchiſæ magni, vultumque recordor!*
*Nam memini Heſiones i viſentem regna ſororis*

*a* Idem qui genuit Electram Dardani matrem.
*b* Sic genus Arcadum & Troianorum in duas gentes eſt propagatum, & bifariam diuiſum.
*c* His rationibus confidens non miſi legatos, qui tecum paciſcerentur vt mihi tutò liceret ad te accedere.
*d* Rutuli à Dauno patre Turni Rege Rutulorum.
*e* Italiam omnem redigant in ſuam ditionem.
*f* Duo maria alluunt Italiam, inferum ſiue Tyrrhenum à meridie, Superum ſiue Adriaticum à Septentrione.
*g* Dum Æneas iſta loqueretur, interea Euander totum Æneæ corpus attentè conſiderabat.
*h* O quàm te libenter accipio, & ex patris tui ſimilitudine recognoſco.
*i* Hercules euerſa Troia Heſionem Laomedontis Regis filiam dederat Telamoni, qui primus muros aſcenderat. Telamon Rex erat Salaminis inſulæ iuxta Atticam.

Priamus

*Laomedontiaden* a *Priamum, Salamina petentem,* **Euandri reſponſio**
*Protinus Arcadiæ gelidos inuiſere fines.*
*Tum mihi prima genas* b *veſtibat flore iuuenta:*
*Mirabárque duces Teucros : mirabar & ipſum*
*Laomedontiaden :* c *ſed cunctis altior ibat*
*Anchiſes : mihi mens iuuenili* d *ardebat amore*
*Compellare virum, & dextra couiungere dextram.*
*Acceſſi, & cupidus Phenei* e *ſub mœnia duxi.*
*Ille mihi inſignem pharetram, Lyciaſque* f *ſagittas*
*Diſcedens, chlamydémq;* g *auro dedit inter textam,*
*Frænaq; bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.*
*Ergo, & quam petitis,* h *iuncta eſt mihi fœdere dextra:*
*Et lux cùm primùm terris ſe craſtina reddet,*
*Auxilio lætos dimittam, opibuſque iuuabo.*
*Interea ſacra hæc ( quando hûc veniſtis amici )*

poſtea rerum potitus voluit Salaminę regnum Heſiones ſuæ ſororis inuiſere. Eum comitatus eſt Anchiſes, per Arcadiam tranſierunt, quo tempore Euander cum Anchiſa neceſſitudinem & hoſpitium contraxit.

*a* Filium Laomedontis Regem Troianorum,

*b* Cùm Anchiſes & Priamus venerunt in Arcadiam, borealem & frigidam regionem, tum incipiebam pubeſcere, & prima lanugo meas genas veſtiebat,

*c* Priamum Laomedontiæ filium.

*d* Iuuenum acutæ voluntates, inquit Ariſtoteles.

*e* Vrbis Arcadiæ, Homero 2. Iliad.

*f* Xenij ſiue doni hoſpitalis nomine dedit mihi ſagittas petitas ex Lycia Aſiæ minoris prouincia.

*g* Veſtem imperatoriam Græcanicam.

*h* Mea manus dextera, quam inſignum fœderis inter nos initi vultis contingere, iam mihi iuncta eſt eo fœdere, quod ego & Anchiſes percuſſimus.

*Annua, quæ differre nefas,* a *celebrate fauentes* b
*Nobiſcũ, & iam nunc ſociorum aſſueſcite menſis.*
*Hæc vbi dicta, dapes, iubet, & ſublata* c *reponi*
*Pocula, gramineóque viros locat ipſe ſedili.* d
*Præcipuúmque toro & villoſi pelle leonis*
*Accipit Æneam, ſolióque inuitat acerno* e.
*Tum lecti iuuenes certatim, aræque ſacerdos*
*Viſcera toſta ferunt taurorum, onerántq; caniſtris*
*Dona laborata Cereris,* f *Bacchúmque miniſtrant.*
*Veſcitur Æneas ſimul, & Troiana iuuentus*
*Perpetui* g *tergo bouis, & luſtralibus* h *extis.*
*Poſtquã exempta fames, & amor cõpreſſus edendi,*

*Troiani fiunt ſacrificii participes.*

a Quia ſolennis eſt dies, & ſtatum ſacrificium, vt non poſſit in alium diem ſine piaculo differri.

b Alludit ad formulam ſacrorum, *fauete linguis*, id eſt, male ominatis parcite verbis.

c Quia, viſis Troianis.

*Terrentur viſu ſubito, cunctique relictis*
*Conſurgunt menſis.*

ideo ſublata pocula reponuntur.

d Seruius. *Bene ſedili: nam in templo Herculis lectiſternium eſſe non licebat.*

e Ex acere. Acer eſt ſpecies quercus. Gallicè *de l'eſrable.*

f Panem bene piſtum & elaboratum imponunt caniſtris, & vinum adminiſtrant. Notum eſt Cererem & Bacchum pro pane & vino vſurpari. Terentius.

*Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

g Perpetuus bos, quòd hoc vnico cibo veſcerentur, nec alias carnes apponerent, vt ille cibus à principio ad finem epularũ perpetuus eſſet. vel quia, vt notat Seruius *de bouis immolati Herculi reliquiis carnes cariùs vendebantur cauſâ religionis, & inde vitulus alter redimebatur, qui ex illius pretio comparatus perpetuus eſſe videbatur.*

h Viſceribus tauri ad luſtrationem & expiationem immolati, vel qui viuendo vnum luſtrum id eſt quinquennium expleuerat.

*Narrat Euander cur id ſacrificium fuerit inſtitutum.*

Rex Euandrus ait, Non hæc ſolemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis a aram,
Vana ſuperſtitio, b veterúmque ignara deorum
Impoſuit, ſæuis hoſpes Troiane c periclis
Seruati facimus, meritóſque d nouamus honores.
Iam primùm ſaxis ſuſpenſam hanc aſpice rupem:
Diſiectæ e procul vt moles, deſertáque montis
Stat domus, & ſcopuli ingentem traxêre ruinam.
Hîc ſpelunca fuit vaſto ſubmota f receſſu,
Semi hominis Caci: g facies quam dira tegebat, *Cacus.*
Solis inacceſſam radiis, ſempérque recenti
Cæde tepebat h humus, foribúſque affixa i ſuperbis
Ora virûm triſti pendebant pallida tabo.
Huic monſtro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna ſe mole k ferebat,

*a* Herculis.
*b* Non ideo Herculem colimus aut quia præ ſuperſtitione, & inani deorum cultu omnem religionem veram putamus, aut quia deos ignoramus antiquos, & Hercule vetuſtiores.
*c* Æneà cum quo mihi paternum hoſpitium eſt, & quo cum modò hoſpitium coniunxi.
*d* Renouamus & quotannis redintegramus ſacrificia in honorem Herculis, quod ille de nobis meritus eſt.
*e* Aſpice quemadmodum iſtæ lapidum moles diſſiluerint, & à ſe inuicem ſint ſeparatæ, vt ipſa rupes in medio aëre ſuſpenſa, & iamiam, laſpura cadentique ſimilis eſſe videatur.
*f* Antrum profundum, & altè ſub terra effoſſum, recedénſque ab hominum veſtigiis.
*g* Cacus habens faciem diram, & quaſi Dijs iratis figuratam.
*h* Tepeſcebat & calebat ob cruorem recẽns effuſum.
*i* De more. ſolebant enim veteres hoſtiũ ſpolia veſtibulis domorum appẽdere, quæ nec emptori refigere licebat. Cacus autẽ capitá virorum à ſe necatorũ foribus appendebat pallida tabo & ſanie triſti, ideſt cuius adſpectus triſtitiam videntibus afferebat. *k* Ingenti corporis magnitudine incedebat.

*Attulit & nobis* a *aliquando optantibus ætas*
*Auxilium, aduentúmq; Dei: nam maximus vltor*
Hercules. *Tergemini* b *nece Geryonis, ſpoliiſque ſuperbus*
*Alcides* c *aderat, tauróſque* d *hac victor agebat*
*Ingentes, vallémque boues, amnémque tenebant.*
*At furis* e *Caci mens effera, ne quid inauſum,*
*Aut intentatum ſceleriſue, doliue fuiſſet:*
Cacus Herculi boues furatur. *Quattuor à ſtabulis* f *præſtanti corpore tauros*
*Auertit: totidem forma ſuperante iuuencas.*
*Atque hos,* g *ne qua forent pedibus veſtigia rectis*
*Caudâ in ſpeluncam tractos, verſisque viarum*
*Indiciis raptos, ſaxo occultabat opaco.*
*Quærentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.*
*Interea cùm iam ſtabulis ſaturata moueret*
*Amphitrionades armenta, abitumque pararet:*

a Sicut & multis aliis quibus opitulatus eſt Hercules, monſtra purgando.

b Geryon fuit Rex Tarteſſiorum, vel Hiſpaniæ, *qui ideo trimẽbris ſingitur*, vt ait Seruius, *quia tribus inſulis præfuit, Balearicæ minori, maiori & Ebuſæ*: aut potiùs vt ait Iuſtinus lib. 44. *Armenta Geryonis tantæ famæ fuerunt, ut Herculem ex Aſia prædæ magnitudine illexerint. Porro Geryonem ipſum non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuiſſe ferunt: ſed tres fratres tantæ concordiæ extitiſſe, ut vno animo omnes regi viderentur.* Tergeminus hic eſt tricorpor ſiue trimembris.

c Hercules Ἀπὸ τῆς ἀλκῆς à fortitudine.

d Quos Geryone necato ab Hiſpania victor abduxerat.

e Legunt alij *Furtis Caci, ſceleris* in furendo, *doli* in occultando.

f Ædificauit ſtabula Hercules in eo tractu Italiæ, vnde locus *Bauli* nomen ſortitus eſt, quaſi βοαύλια.

g Hos tauros, & iuuencas ſiue vaccas, auerſos caudâ traxit in ſpeluncam, veritus ne furtum ſuum deprehenderetur, ſi rectis veſtigiis traxiſſet, & ita vertit mutauitque viarũ indicia. Quo pacto qui quærebat boues amiſſos nullis ad ſpeluncam ſignis ducebatur, nullis pedum veſtigijs.

*Diſceſſu mugire* a *boues, atque omne querelis*
*Impleri nemus, & colles clamore relinqui.*
*Reddidit* b *vna boum vocem, vaſtóque ſub antro*
*Mugijt, & Caci* c *ſpem cuſtodita fefellit:*
*Hic verò Alcidæ Furijs exarſerat atro*
*Felle dolor: rapit arma manu, nodiſque grauatum*
*Robur,* d *& aërei* e *curſu petit ardua montis.*
*Tum primùm noſtri* f *Cacum vidêre timentem,*
*Turbatumque oculis: pedibus timor addidit alas* g. Fugit Cacus.
*Vt ſeſe incluſit* h *ruptiſque immane catenis*
*Deiecit ſaxum, ferro quod,* i *& arte paterna* i
*Pendebat, fultóſque emunijt obice* k *poſtes:* Includit ſe cauerna.
*Ecce furens animis aderat Tirynthius,* l *omnemq;*
*Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat, & illuc,*

a Infinitiuus pro indicatiuo, cum boues à ſtabulis diſcederent, mugierunt, nemus querelis impletum eſt, colles cum mugitu relicti ſunt.
b Remugiit, auditis aliarum mugitibus.
c Qui ſperauerat fore vt furtum celaretur.
d Clauam è robore, nodis grauem. Robur ſpecies quercûs.
e Currit ad montem arduum & tam excelſum, vt faſtigium ſummæ regioni aëris inſerere videatur.
f Arcades paſtores & agricolæ, qui Cacum hactenus viderant non timentem ſibi, ſed alios terrentem.
g Timor Caco tantam celeritatem impertit, vt non currere, ſed volare videatur.
h In ſpeluncam.
i Arte vulcani, qui fuit Caci pater, & fabrorum ferrariorum Deus.
k Et fores ſpeluncæ ſuæ munijt fulſitque, & quaſi duplicauit, oppoſito quodam adminicúlo, quod eas retro ſuſtineret. obex eſt quicquid alteri obijcitur ſiue opponitur.
l Hercules à Tyrintho vrbe, Argis vicina, vbi Hercules educatus.

*Dentibus infrendens, ter totum feruidus ira*
*Luſtrat* a *Auentini* b *montem: ter ſaxea tentat*
*Limina ne quidquam: ter feſſus valle reſedit.*
*Stabat acuta ſilex præciſis vndique ſaxis,*
*Speluncæ dorſo inſurgens, altiſsima viſu,*
*Dirarum* c *nidis domus opportuna volucrum.*
Hercules aditum ſibi facit. *Hanc, vt prona iugo læuum incumbebat ad amnem,*
*Dexter in aduerſum nitens* d *concuſsit, & imis*
*Auulſam ſoluit radicibus: inde repentè*
*Impulit, impulſu quo maximus inſonat æther.*
*Diſſultant ripæ, refluitque* e *exterritus amnis.*
*At ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens*
*Regia,* f *& vmbroſæ* g *penitùs patuere cauernæ:*
*Non ſecus, ac ſi quà penitùs vi* h *terra dehiſcens*
*Infernas reſeret* i *ſedes, & regna recludat*
*Pallida, Dijs inuiſa, ſupérque immane Barathrum* k

a Obit, circuit, quærens aditum, quo poſſit in ſpeluncam irrumpere.
b Auentinus vnus è ſeptem collibus, qui pòſt Romanis mœnibus incluſi fuerunt, in quo tunc Cacus habitabat.
c Bubonum & noctuarum quæ obſcœnæ dicuntur, & mali præſagij.
d Omnem conatum adhibens, totiſque viribus incumbens.
e Tiberis recurrit & reuoluitur in ſuum caput fremitu illo perterritus.
f Spelunca, quâ tanquam regiâ Cacus gloriabatur.
g Admiſſum lumen eſt vſque ad ſecreta ſpeluncæ.
h Siue ventis intra terræ viſcera incluſis, & eluctantibus, ſiue diluuionibus aquæ terram aperientibus, ſiue fulminibus eam diſiicientibus.
i Referet, recludat, idem eſt atque aperiat.
k Barathrum βέρεθρον propriè fuit carcer Athenarum in ſummam altitudinem depreſſus. hic ſumitur pro profunditate inferorum.

*Cernatur, trepidentque immiſſo lumine Manes.*
*Ergo inſperata deprenſum in luce repentè,*
*Incluſumque cauo ſaxo, atq; inſueta* a *rudentem* b
*De ſuper Alcides telis* c *premit, omniaque arma*
*Aduocat & ramis, vaſtiſque molaribus* d *inſtat.*
*Ille autē (neq; enim fuga iam ſuper vlla pericli eſt)*
*Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,*
*Euomit, inuoluitque domum caligine cæca,*
*Proſpectum eripiens oculis, glomeratque ſub antro* Cacum ime ſla cit.
*Fumiferam noctem, commiſtis igne tenebris.*
*Non tulit Alcides animis, ſeque ipſe per ignem*
*Præcipiti iecit ſaltu, quà plurimus vndam*
*Fumus agit, nebulaque ingens ſpecus æſtuat atrâ.*
*Hic Cacū in tenebris incendia vana* e *vomentem*
*Corripit in nodum complexus, & angit inhærens*
*Eliſos oculos, & ſiccum ſanguine guttur.*
*Panditur extemplo foribus domus atra reuulſis,*
*Abſtractæque boues, abiurataeque* f *rapinæ*
*Cælo oſtenduntur, pedibúſque informe cadauer*
*Protrahitur; nequeunt expleri corda* g *tuendo*
*Terribileis oculos, vultum, villoſaque ſetis*
*Pectora ſemiferi,* h *atq; exſtinctos faucibus igneis,*

*a* Inſuetè cōtra cōſuetudinem, ponitur nomen pro aduerbio.
*b* Rudere proprie eſt aſinorum.
*c* Omne quod eminus, ſiue τηλόθεν iaci poteſt, telum vocatur.
*d* Saxis ingentibus, inſtar molarum.
*e* Quæ ipſi Caco non profuerunt.
*f* *Abiurare* propriè eſt rem creditam negare periurio. *Abiuratas* ait *rapinas*, quia furtum celauerant, perinde atque ſi cum periurio negauiſſet eas ſe rapuiſſe.
*g* Non poterant homines videndo cadauer ſua corda ſatiare.
*h* Suprà Cacum ſemihominē vocauit, nūc ſemiferū vt oſtendat eum quaſi humanæ belluinæq; naturæ fuiſſe conſortem.

Potitij *Ex illo* a *celebratus honos, lætique minores* b
Pinarij. *Seruauere diem, primúſque Potitius* c *auctor,*
*Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri,*
*Hanc aram* d *luco ſtatuit, quæ maxima ſemper*
*Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.*
*Quare agite ô iuuenes, tantarum in munere* e *laudum*
*Cingite fronde* f *comas, & pocula porgite* g *dextris,*
*Communémque* h *vocate Deum, & date vina* i *volentes.*

*a* Ex illo tempore celebratus eſt dies ſtatus & ſolemnis in honorem Herculis, qui nos à Caci ſceleribus vindicauit.
*b* Minores proprie ſunt poſteri: Euander Herculem hoſpitio quidem ſuſceperat: ſed quia valdè ſenex erat, & iam à morte Caci duæ generationes effluxerant, ideo minores appellat reſpectu eorum, qui tum erant cùm primùm ſacra fuerunt inſtituta.
*c* Penes Potitiorum & Pinariorum familias initio fuit ſacrorum Herculis procuratio, ita tamen vt præeſſent Sacrificio Potitij, qui religiones prodiderunt, eáſque auctoritate Appij Claudij Cenſoris ad ſeruos publicos tranſtulerunt. Verùm Appius vlciſcente numine paulò poſt cæcatus eſt. Potitiorum gens deleta. Potitius igitur eius religionis auctor vocatur, quia eam vel inſtituit, vel inſtitutam primus accepit. Domus Pinaria dicitur cuſtos, quia Potitiis eam prodentibus, ipſi non prodiderunt, vel quia, vt ait Seruius cùm ara maxima vicino incendio conflagraret, ſeruata fuit à Pinariis.
*d* Hæc ara maxima erat poſt ianuas Circi maximi.
*e* In remunerationem tantarum virtutum quibus Hercules nos ab iniuriis & violentia Caci liberauit.
*f* Coronâ ex arbore populo contextâ capiti veſtro imponite.
*g* Præbete inuicem pocula, & vos tralatitia potione liberaliter inuitate.
*h* Herculem inuocate, qui Deus eſt non vnius tantùm ciuitatis, ſed communis omnium gentium: & tam à Troianis, quàm ab Arcadibus deus habetur.
*i* Vinum Herculi libate communi & prompta voluntate.

*Dixerat: Herculeâ bicolor cùm populus* a *vmbra*
*Velauitque comas, foliÿſque innexa pependit:*
*Et ſacer impleuit* b *dextram ſcyphus, ocyus omnes* Libatio
*In menſam læti libant,* c *Diuoſque* d *precantur.*
*Deuexo* e *interea propior fit veſper Olympo:*
*Iamque ſacerdotes, primúſque Potitius ibant,*
*Pellibus in morem* f *cincti, flammáſque ferebant:*
*Inſtaurant* g *epulas, & menſæ grata ſecundæ*
*Dona ferunt, cumulantq;* h *oneratis lancibus aras.*
*Tum Salij* i *ad cantus incenſa altaria circum*
*Populeis* k *adſunt euincti tempora ramis.*

*a* Populus Herculi conſecrata.

*Populus Alcidæ gratiſſima.*

Eadem bicolor, quòd ex altera foliorum parte pallida ſit, ex altera nigricans: vel quòd cùm duo ſint populi genera, quorũ alterum pallidius eſt, alterum nigricans, vtrumque eſt Herculi conſecratum, quanquam,

*Gratior Herculeis populus alba comis.*

Herculeam vmbram vocat, vmbram à populo Herculea proiectam.

*b* Emphaſis, qua indicatur ſcyphi magnitudo, ſi enim dexterã impleuit, magnus fuerit neceſſe eſt. Videtur ad illum ſcyphum alludere, quo tanquam cymba Hercules aliquando nauigauit, de quo Ariſtoteles de arte poëtica.

*c* Vini primitias honorarias effundunt in menſam, quæ erat iuxta aram maximam conſecrata.

*d* De more, nam vt iam dictum eſt, cùm video priuatim ſacrificauerant, poſtea reliquos omnes deos inuocabant.

*e* Ad occidentem inclinato, quia cœlum videtur in medio attolli, verſus orientem & occidentem inclinari.

*f* De more Herculis, qui leonina pelle erat indutus, aut de more ipſorum ſacerdotum.

*g* Renouant inſtar priorum, & ſecundam menſam pomorum ſcilicet & bellariorum inſtruũt. *Ils apportent le fruict, le deſſert.*

*h* Reddunt exta, & lances ſuper aris cumulant.

*i* Salij dicti ſunt, qui tripudiantes aras circuibant.

*k* Tempora habentes populeis ramis corouata.

*Hic iuuenum chorus, ille ſenũ, qui carmine laudes*
*Herculeas, & facta ferunt: vt prima* a *nouercæ*
*Monſtra manu, geminoſq; premẽs eliſerit angueis:*
*Vt bello egregias idem diſiecerit vrbeis;*
*Troiamque* b *Oechaliamque:* c *vt duros mille* d *labores*
Hymnus Herculi cantatus.
*Rege ſub Euryſtheo,* e *fatis* f *Iunonis iniquæ,*
*Pertulerit; tu nubigenas* g *inuicte bimembreis*
*Hyleúmq; Pholumque manu: tua Creſſia* h *mactas*

*a* Canunt quemadmodum. Hercules adhuc infans duos ſerpentes manibus eliſerit & præfocauerit, quos Iuno ipſius nouerca, ad eum in cunis necandum immiſerat. *monſtra* dicuntur propter mõſtruoſam eorũ magnitudinem: *prima* quia non hic ceſſauit Iuno, ſed alia ex aliis monſtra contra Herculem excitauit. *b* Neptunus & Apollo Troiam circumdederant mœnibus: negauit promiſſam mercedem Laomedon: iratus Neptunus Heſionem Regis filiam immani cœto expoſitam ad rupem religauit: eam Hercules occiſo cœto, liberauit: Laomedon equos diuino ſemine procreatos, quos Herculi mercedis loco promiſerat, dare noluit: Hercules Troiam euertit, Laomedontem interimit,

*c* Oechalia ciuitas in Eubœa inſula fuit, cuius Rex Eurytus Iolen filiam Herculi denegauit, victori certamine ſagittarũ antè promiſſam: iratus Hercules euerſa ciuitate Eurytum interfecit.

*d* Duodecim præcipui numerantur.

*e* Euryſthus Rex Argiuorum impoſitus Herculi fuerat à Iunone vt illi duros labores imperaret.

*f* Voluntate Iunonis Herculi infenſæ.

*g* Centauros natos ex nube quam Iupiter in ſpeciem Iunonis effinxerat videns ab Ixione Iunonem amari, bimembres quia supernè vſque ad vmbilicum humana membra habuerunt, infernè ab vmbilico equi ſpeciem referebant. Nylæus & Pholus nomina Centaurorum.

*h* Cretenſia, vel taurum Cretenſem flammas ſpirantem intelligit, quem tamen ipſe non interfecit: ſed duntaxat perduxit ad Euryſtheum: vel ceruam æripedem prodigioſæ magni

*Prodigia, & vaſtum Nemeæ* a *ſub rupe leonem.*
*Te Stygij* b *tremuere lacus, te ianitor* c *Orci,*
*Oſſa ſuper recubans antro* d *ſemeſa cruento:*
*Nec te vllæ facies,* e *non terruit ipſe Typhœus,*
*Arduus, arma tenens: non te rationis egentem*
*Lernæus* f *turba capitum circumſtetit anguis:*
*Salue vera Iouis proles,* g *decus addite Diuis:*
*Et nos, & tua dexter* h *adi pede* i *ſacra ſecundo.*
*Talia carminibus celebrant, ſuper omnia Caci*
*Speluncam adijciunt, ſpirantémque ignibus ipſum.*
*Conſonat omne nemus ſtrepitu, colléſque reſultant.*
*Ex in ſe cuncti diuinis rebus ad vrbem*

magnitudinis, de qua aliter alij fabulantur.

*a* Nemea ſylua eſt vicina Thebis, in qua Hercules occidit leonem qui non poterat ferro vulnerari.

*b* Lacus inferorum Stygius, quaſi odioſus, à verbo συγεῖν quod odiſſe ſignificat.

*c* Cerberus canis, quem aiunt ad Orci ſiue inferni ianuam excubare.

*d* Recubans in antro cruento ſuper oſſa ſemeſa, alludit ad nomen Κέρβερος quaſi κρεοβόρος Carniuorus.

*e* Nullæ te periculorum, nullæ monſtrorum ſpecies terruerunt, non ipſe Typhœus gigas centimanus, qui dijs ipſis bellum inferebat.

*f* Hydra bellua ſepticeps, in Lernæa palude ſtabulans, cuius ea natura fuit, vt vno capite abſciſſo duo noua pullularent. *Rationis egentem* ſignificat perturbatum, & de mentis ſtatu deiectum, præ formidine: vel fortaſſe alludit ad id quod aiunt hydram fuiſſe mulierem ſophiſticis cauillationibus præditam quæ ſingulis obiectionibus duas reſponſiones inueniret, quam tamen Hercules veris & ſolidis rationibus confutauit, ſecundum Platonem in Euthydemo.

*g* Hercules qui verus es Iouis & Alcmanæ filius, & in numerum deorum allectus, eorum cœtum honoraſti: nullus enim mortali ſemine procreatus tanta facere potuiſſet.

*h* Propitius. *i* Omine proſpero.

*Perfectis referunt: ibat Rex obſitus* [a] *æuo:*
*Et comitem AEneam iuxta, gnatúmque* [b] *tenebat:*
*Ingrediens, varioque viam ſermone leuabat.*
*Miratur, facileſque* [c] *oculos fert omnia circum,*
*AEneas, capiturque locis,* [d] *& ſingula lætus,*
*Exquiritque, auditq; virûm monumenta priorum,*
*Tum Rex Euandrus, Romanæ* [e] *conditor arcis.*
*Hæc nemora indigenæ* [f] *Fauni, Nymphæq; tenebant,*
Antiquus Latij ſtatus. *Genſque virûm truncis,* [g] *& duro robore nata,*
*Queis neque mos, neque cultus* [h] *erat: nec iungere tauros,*
*Aut componere opes norant,* [i] *aut parcere parto:*
*Sed rami, atque aſper victu venatus alebat.*
*Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,*
*Arma Iouis fugiens, & regnis exſul ademptis.*
Saturnus. *Id genus indocile,* [k] *ac diſperſum montibus altis.*

*a* Euander ętate inuolutus, ex Terentio.
*Pannis anniſque obſitus.*
*b* Pallantem. *c* Mobiles.
*d* Delectatur locorum amœnitate.
*e* Qui ædificauit vrbem Pallãteum in eo ipſo colle vbi poſtea Cæſares domicilium habuerũt, vnde etiamnum regiæ domus palatia nominantur. Scribit Solinus arces ab Arcadibus eſſe dictas, qui cum Euandro Rege. *In excelſa parte mõtis habitarũt.*
*f* Videtur alludere ad nomen Aborigenum, qui primi in Italia habitarunt, quaſi inde geniti αὐτόχθονοι.
*g* Seruius. *Hoc figmentum ortum eſt ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos, aut in cauis arboribus, aut in ſpeluncis manebant: qui cùm exinde egrederentur, aut ſuam educerent ſobolem, dicti ſunt inde procreati.*
*h* Cultura ingeniorum, & vitæ humanæ.
*i* De die in diem viuebant, nec diuitias & fruges congerebant, & aut quæſita ſeruabant.
k Genus hominum quod excultum hactenus non fuerat.

*Compoſuit; legéſque dedit: Latiúmque vocari* Latium.
*Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.*
*Aureáque, vt perhibent, illo ſub Rege fuere*
*Sæcula: ſic placida populos in pace regebat:*
*Deterior* a *donec paulatim, ac decolor ætas,*
*Et belli rabies & amor ſucceſſit habendi:* Sicani.
*Tum manus Auſonia,* b *& gẽtes venere Sicanæ:* c
*Sæpius* d *& nomen poſuit Saturnia tellus.*
*Tum Reges, aſperque* e *immani corpore Tybris,*
*A quo poſt Itali fluuium cognomine Tybrim*
*Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.* Tybris.
*Me pulſum patria* f *pelagique extrema ſequentem*
*Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum* Albula.
*His poſuere locis, matriſque egere tremenda*
*Carmentis Nymphæ monita & Deus auctor* g *Apollo*

a Donec ætas aurea non ſimul & ſemel, ſed paulatim & gradatim in deteriorem quaſi vaneſcente priori colore, degenerans ex aurea mutata eſt in argenteam, ex argentea in æream & tandem ex ærea in ferream.

b Auſones, inquit Sabinus; habitârunt illam partem Italiæ, quæ incumbit dorſis Apennini propè Rheginos, verſus meridiem.

c Sicani duce Siculo ex Hiſpania in Italiam venerunt, eámque aliquandiu tenuerunt, ſed poſt Italia pulſi vicinam inſulam occuparunt, & à duce ſuo Siciliam vocauerunt.

d Vocata eſt Saturnia, Heſperia, Oenotria, Auſonia, Italia, &c.

e Tybris fuit Rex Hetruſcorum; vel vt alij volunt; Aborigenum, qui fluuio nomen dedit, quia propè illius ripam occiſus, cùm ibi prædaretur, vnde & aſper dicitur; quia prædabatur & multis iniuriam afferebat.

f Eiectum ex Arcadia, quod patri ſuo necem intuliſſet; inquit Donatus, aut eiectum ſeditione populari, vt Seruius.

g Apollo qui oraculis datis auctor fuit vt è patria diſcederem. Senſus autem eſt eiectum patria; & in extremas maris

*Vix ea dicta dehinc progreſſus, mõſtrat & aram,*
Porta Carmentalis. *Et Carmentalem Romano nomine portam,*
*Quam memorant, Nymphæ priſcum* a *Carmentis honorem*
*Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros*
Aſylum Lupercal. *AEneadas* b *magnos, & nobile Pallantæum.*
*Hinc lucũ ingentem, quem Romulus acer aſylum* c
*Rettulit, & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,* d
*Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.*
*Nec non* e *& ſacri monſtrat nemus Argileti,*
Argiletum.

terræque partes incerto curſu nauigantem, fortuna, voluntas deorum, cui reſiſtere nemo poteſt, matris monita, Apollinis oraculum habitare in Italia voluerunt.

a Bene *priſcum*, quia poſtea nomen Carmentalis portæ mutatum eſt & dicta eſt porta ſcelerata, quia per eam trecenti ſex Fabij, qui à Veientibus vno die internecione deleti ſunt, ad bellum exierunt.

b Romanos ab Ænea procreatos.

c Seruius. *Fecit ad imitationem Athenienſis Aſyli.* Romulus enim vt maiorem hominum multitudinem congregaret, ſeruis libertatem, damnatis impunitatem, obæratis nouas tabulas propoſuit, aſylumque id eſt templum miſericordiæ conſtituit; à quo fas non eſſet ſupplices abducere. Aſyli nomen à particula priuatiua α & συλᾶν ſpoliare.

d Idem Seruius: *Sub monte Palatino eſt quædam ſpelunca, in qua de capro luebatur, id eſt, ſacrificabatur: unde Lupercal dictum nonnulli putant. Alij quod eſt verius, locum eſſe hunc ſacratum Pani Deo Arcadiæ, cui etiam mons Lycæus in Arcadia eſt conſecratus.* Vult igitur Poëta Lupercal dictum eſſe de more Arcadico Panos Lycæi, vt quemadmodum Arcades montem Lycæum ἀπὸ τοῦ λύκου à lupo nominarunt, eúmque Pani Deo Arcadiæ conſecratum. Ita Lupercal à lupo dictum Pani fuerit in Italia conſecratum.

e Vt alias explicationes omittam. Euander Argum hoſpitio ſuſceperat: ſed cùm Argus Euandro inſidias ſtrueret, ab Arcadibus, Euandro neſciente, occiſus eſt. Euander hoſpitis necem grauiſſimè ferens, Argum in luco magnificè ſepeli-

*Teſtatúrque locum, & lethum docet hoſpitis Argi.*
*Hinc ad Tarpeiam* a *ſedem, & Capitolia ducit,*
*Aurea nunc, olim ſilueſtribus horrida dumis.*
*Iam tum relligio* b *pauidos terrebat agreſteis*
*Dira* c *loci: iam tum ſiluam, ſaxumque tremebant,*
*Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem* Rupes Capitolina.
*Quis Deus, incertum eſt, habitat Deus: Arcades* d *ipſum*
*Credunt ſe vidiſſe Iouem, cùm ſæpe nigrantem*
*Ægida* e *concuteret dextra, nimboſque cieret.*
*Hæc duo præterea diſiectis oppida muris,*

uit, & locum vocauit Argiletum. Meritò igitur cauſſas docet Euander cur Argus fuerit interfectus, & locum ipſum, deóſque loci præſides teſtes inuocat, Argi necem non ſua perfidia contigiſſe.

a Tarpeia rupes & Capitolium longè poſt Euandrum nomen habuerunt. Nam ſub Romulo, obſidentibus arcem Sabinis, puella quædam Tarpeia nomine, Sabinos in arcem induxerat. Sabini promiſerant ſe Tarpeiæ daturos quod in manu ſiniſtra geſtabant. Armillas ſe habituram ſperabat Tarpeia, clypeis ſuper ingeſtis oppreſſa eſt: hinc rupes Tarpeia, Capitolium à Capite humano ibi reperto cùm prima templi fundamenta iacerentur à Tarquinio, videlicet à capite cuiuſdam Toli ibi ſepulti, vt narrat Arnobius. b Quæ poſtea magnificè viguit in templo Iouis Capitolini. c Magna, admirabilis.
d Hæc dicit Euander quaſi futuram Iouis Capitolini religionem præſagiens, quippe cùm iam tum in eo colle Iupiter habitaret, ibique ſuam diuinitatem oſtenderet. Certum eſt inquit, in eo colle Deum aliquem habitare, ſed quis ſit ille Deus, adhuc in certum eſt.
e Ægis clypeus Iouis obtectus pelle Capræ illius Amaltheæ à qua Iupiter adhuc infans lactatus eſt. Alias loricam ſignificat apud Martialem *lorica, &c.*

*Pectore cùm ſacro ſederit ægis erit.*

Clypeum autem Iupiter è ſiniſtra manu in dexteram tranſtulerat, vt vehementiori concuſſione nimbos concitaret vel nomine αἰγίδος, καταιγίδα ſiue procellam, non autem

*Relliquias, veterumq; vides monumenta virorum.*
Ianiculum, Saturnia. *Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem.*
*Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.*
*Talibus inter ſe dictis ad tecta ſubibant*
*Pauperis* a *Euandri, paſſimque armenta videbant*
*Romanóque foro, & lautis mugire Carinis* b.
Excipitur Æneas ab Euãdro. *Vt ventum ad ſedes, hæc, inquit, limina victor* c
*Alcides ſubijt: hæc illum regia cepit:*
*Aude hoſpes contemnere opes, & te quoq;* d *dignũ*
*Finge Deo, rebúſque veni non aſper egenis.*
*Dixit, & anguſti ſubter faſtigia tecti*
*Ingentem Aeneam duxit, ſtratiſque* e *locauit*
*Effultum folijs, & pelle Libyſtidis vrſæ.*
*Nox ruit & fuſcis tellurem amplectitur alis.*

clypeum intelligit Poëta. Capræ & hœdorum cœleſtium ortu pluuiæ concitantur.

*a* Qui Æneam excipere non poterat ſecundũ perſonæ dignitatem. *b* In parua inſula Tiberis; quæ ita molibus contra Tiberis eluuiones extructa fuit florente Rep. vt aliquam carinæ ſimilitudinem exhiberet: vnde & nomen. Ibi magnifica & lauta ædificia fuerunt: & præſertim domus roſtrata Pompeij; huic autem loco ſimilis eſt ille Propertij.

*Hoc quodcunque vides hoſpes quam maxima Roma eſt,*
*Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.*

vel ille locus dictus eſt Carinæ; propter ædificia in modum Carinarum facta.

*c* Herculi Victori duo templa fuerunt Romæ conſecrata.

*d* Excelſi cuiuſdam & diuini animi eſt opes contemnere; vt probatur Herculis exemplo; quare te quoque ſimilem Deo efficias; opes contemnens, & ne dedignare illud facere; quod Hercules facere dignatus eſt. Vel finge & effice te dignum imitatione Herculis.

*e* Æneam collocauit; & recubare fecit in ſtibadio è folijs confecto & pelle leonis Lybici cooperto, multi negant vrſas in Libya reperiri. Sed Romani veteres ignotis belluis recens

*At Venus haud animo nequicquã a exterrita mater*
*Laurentúmque minis, & duro mota tumultu,*
*Vulcanũ alloquitur, thalamóque hæc coniugis aureo*
*Incipit, & dictis diuinum aſpirat amorem.*
*Dum bello Argolici vaſtabant Pergama Reges*
*Debita, b caſuráſque inimicis ignibus arces.*
*Non vllum auxilium miſeris, non arma rogaui*
*Artis opiſque tuæ: nec te, cariſſime coniux*
*Incaſſúmve tuos volui exercere labores:*
*Quamuis & Priami deberem plurima gnatis, c*
*Et durum Æneæ fleuiſſem ſæpè laborem,*
*Nunc Iouis imperijs Rutulorum conſtitit oris:*
*Ergo eadem ſupplex venio, & ſanctum mihi numẽ*
*Arma rogo, genitrix gnato: te filia d Nerei,*
*Te potuit lacrymis Tithonia e flectere coniux.*
*Aſpice qui coëant populi, f quæ mœnia g clauſis*
*Ferrum acuant portis in me, excidiúmque meorum:*

*Oratio Veneris petentis arma à Vulcano.*

in Italiam aduectis notarum beſtiarum nomina ſolebant imponere, ſic elephantos, Lucas boues, leones, libycas vrſas nominarunt. Non deſunt tamen qui ex Herodoto & Strabone veros vrſos notent in Africa reperiri.

*a* At Venus non fruſtra metuens Æneæ filio ſuo.

*b* Excidio deſtinata.

*c* Paridi præſertim qui me dearum pulcherrimam iudicarat.

*d* Thetis Nerei filia exorauit, & impetrauit vt arma faceres Achilli filio ipſius.

*e* Te etiam Aurora coniux Tithoni Troiani exorauit vt Memnoni filio ipſius arma fabricares.

*f* Latini, Rutuli, Volſci & alij de quibus.

*g* 7. Æneidos.

*Quinque adeò magnæ poſitis incudibus vrbes*
*Tela nouant. Atina potens, Tibúrque ſuperbum,*
*Ardea, Cruſtumeriqne, & turrigeræ Antennæ.*

*Dixerat: & niueis hinc atque hinc Diua lacertis*
*Cunctantem* a *amplexu molli fouet, ille repentè*
*Accepit ſolitam flammam, notúſque medullas,*
*Intrauit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.*
*Non ſecus* b *atque olim tonitru cùm rupta coruſco,*
*Ignea rima micans percurrit lumine nimbos,*
*Senſit læta dolis,* c *& formæ conſcia coniux.*
*Tum pater* d *æterno* e *fatur deuinctus amore.*
*Quid cauſas petis ex alto?* f *fiducia ceſſit*
*Quò tibi Diua mei? ſimilis ſi cura* g *fuiſſet,*
*Tunc quoque fas nobis Teucros armare fuiſſet.*
Vulcani reſpõſio. *Nec pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant*
*Stare, decémq; alios* h *Priamũ ſupereſſe per annos,*
*Et nunc ſi bellare paras, atque hæc tibi mens eſt;*
*Quidquid in arte mea poſſum promittere curæ,*
*Quod fieri ferro, liquidoue* i *poteſt electro.*

*a* Vulcanum Veneris precibus annuere differentem.
*b* Quemanmodum colliſione nubium, luctante intus exhalatione accenſa, fulgetrum erumpit, & igneam faciens rimam percurrit nubes, ita amor oſſa Vulcani celerrimè perlabitur.
*c* Dolis, quibus artificioſè concinnarat orationem ad impetrandum quod volebat, & formæ qua ſibi maritum conciliauerat. Seruius capit *dolis* in tertio caſu, quòd Venus doli & pulchritudinis fuerit conſcia. *d* Vulcanus.
*e* Diu duraturo, quia tantus erat vt nullis iniurijs obliterari poſſe videretur.
*f* Quid veteris tam longis verborum ambagibus: quid tam artificioſè te inſinuas, & ex alto repetis orationis exordium?
*g* Si cum bellum Troianum ardebat, Troianos armis à me fabricatis armare voluiſſes, ea tibi non recuſaſſem.
*h* Super illos annos decem, quos vixit Priamus, ex quo Troia cœperat à Græcis obſideri.
*i* Laquefacto, aut puro.
k Hoc loco videtur intelligere id electri genus quod, vt

*Quantũ igneis, animæq; a valẽt; abſiſte* b *precando*
*Viribus indubitare tuis, ea verba locutus*
*Optatos dedit amplexus, placidúmque petiuit*
*Coniugis infuſus gremio per membra ſoporem.*
*Inde, vbi prima* c *quies medio iam noctis abactæ*
*Curriculo expulerat ſomnũ, ceu fœmina* d *primùm*
*Cui tolerare colo vitam,* e *tenuique Minerua* f,
*Impoſitum cinerem & ſopitos ſuſcitat igneis,*
*Noctem addens operi famuláſque ad lumina longo*
*Exercet penſo,* g *caſtum vt ſeruare cubile*
*Coniugis, & poßit paruos educere gnatos.*

ſcribit Plinius, fit de tribus partibus auri & vna argenti.

*a* Spiritus quo fabriles folles inflantur, ἄνεμος ventus, hinc Lyricus.

*Impellunt animæ lintea Thraciæ.*

*b* Noli me precari, ſed impera potiùs, ne vires tuas in dubium reuocare videaris. Tanta eſt enim auctoritas apud me tua, vt iubere debeas, non rogare.

*c* Poſtquam prima quies ſomnum expulerat exacto mediæ noctis curriculo.

*d* Quemadmodum fœmina, cui impoſitum & iniunctum id minus ab ipſa natura & fortuna, vt vitam colo toleret, & vili lanificio, id eſt vt nendo & viliorem telam texendo lucretur aliquid ad vitam parcè & duriter agendam. Quemadmodum, inquam, huiuſmodi mulier infimæ conditionis ſurgit poſt mediam noctem, & primùm cinerem & ignes cinere coopertos, quaſi ſub cinere dormientes excitat, & ancillis penſum iniungit, vt aliquid lucretur, vt ex illo lucello poſſit ſuos liberos educare, ne rerum neceſſariarum penuriâ ſuam cogatur proſtituere caſtitatem: ita Vulcanus poſt mediam noctem ſurrexit, &c.

*e Gaigner ſa vie auec la quenoüille & la nauette.*

*f* Lanificio: Minerua lanificij dea

*g* Penſum eſt opus faciendum maximè in lanificio; dictum videtur ex eo quod lana vel linum operarijs certo pondere præbeatur, & idem deinde fili pondus ab ijs repetatur.

*Haud ſecus ignipotens, a nec tempore ſegnior illo,*
*Mollibus è ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.*

Vulcaniæ deſcriptio. *Inſula* b *Sicanium iuxta latus, AEoliámque*
*Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis,*
*Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis*
*Antra AEtnæa* c *tonãt, validiquè incudibus ictus*
*Auditi referunt gemitum, ſtridúntque cauernis*
Cyclopes *Stricturæ* d *chalybum, & fornacibus ignis anhelat.*
*Volcani domus, & Volcania nomine tellus.*
*Hoc* e *tunc ignipotens cælo deſcendit ab alto.*
*Ferrum exercebant* f *vaſto cyclopes in antro*
*Brontéſque,* g *Steropéſque, & nudus membra Pyracmon.*
Opera Cyclopũ. *His* h *informatum manibus iam parte polita*
*Fulmen erat, toto genitor quæ* i *plurima cælo*

a Vulcanus Deus ignis.
b Inſula quædam eſt iuxta latus Siciliæ & Liparen vnam ex illis ſeptem inſulis, in quibus Æolus imperauit, vnde & Æoliæ nominantur.
c Videretur dicere ſubterreanos quoſdam eſſe meatus igne exeſos ſubter ipſum mare, quibus Ætna mons Siculus inſulæ Vulcaniæ committitur, qui meatus ſiue antra exeſa ſunt & excauata ad caminos & officinas Cyclopum.
d Seruius. *ſtrictura eſt terra ferri in maſſam coacta, Chalybes autem propriè populi ſunt apud quos naſcitur ferrum.*
e Hoc pro huc ſecundum antiquos.
f Cyclopes fabri ferrarij deorũ, ferrũ fundebant & cudebant.
g Nomina Cyclopum Brontes dictus ἀπὸ τῆς βροντῆς à tonitru. Stepores ἀπὸ τῆς στεροπῆς à fulgetro. Pyracmon ἀπὸ τοῦ πυρὸς καὶ ἀκμῶνος, ab igne & incude.
h Cyclopibus erat fulmen, id eſt, Cyclopes habebãt præ manibus fulmen, informatum & ſemiperfectum, informari propriè dicitur opus cùm primùm formã aliquam recipit, vt cum tabula primis lineamentis figuratur vernaculè, *Esbaucher.*
i Aduerte miram dicendi rationem: *Fulmen quæ*, id eſt, qualia

*Deiicit in terras, pars imperfecta manebat.*
*Treis imbris* a *torti radios, treis nubis aquoſæ* Fulmen.
*Addiderant, rutuli treis ignis, & alitis Auſtri,*
*Fulgores nunc* b *terrificos, ſonitúmque, metúmque*
*Miſcebant operi, flammiſque ſequacibus iras.*
*Parte alia Marti currúmque, rotáſque volucreis*
*Inſtabãt,* c *quibus ille viros quibus excitat vrbeis:*
*Aegidáque* d *horriferam, turbatæ Palladis arma,* Aegis.
*Certatim* e *ſquamis ſerpentum, auróque polibant,*
*Connexóſque angueis,* f *ipsámque in pectore Diuæ*

fulmina, vel ſimile illis fulminibus quæ Iupiter ex omni aëris parte dimittit.

*a* Seruius his verbis quatuor anni tẽpeſtates intelligit; vt imber tortus; ſiue coactus & congeſtus in grandinem deſignet hyemem: nubes aquoſa; ver imbriferum, ignis æſtatem: auſter autumnum deſignet, vel potiùs naturam fulminis exprimit, quod tunc naſcitur cum nubes vento vehementer agitatæ, ſic incaleſcũt vt accendantur; vel potiùs cùm exhalatio; quę eſt materia ventorum, nubibus ſe collidentibus, accenditur.

*b* Cùm Vulcanus acceſſit addebant operi informato fulgura & tonitru, quibus terror incutitur: & fulmini, quod ex illis fulguribus & tonitruis ſequi ſolet, addebant impetum vehementem, quo Iupiter iram ſuam declarat.

*c* Inſtanter & ſine intermiſſione faciebant.

*d* Iidem Cyclopes ægidem aureis ſerpentum ſquamis cęlatam poliebant, qua Ægide Pallas armari ſolet; cùm vel ipſa irata fuerit & turbata; vel cùm inſtructas militum acies turbare voluerit. Aegis & pro clypeo Deorum vſurpatur, & pro lorica: hoc loco clypeum interpretor, quia ſequentibus verſibus lorica Mineruę deſcribitur.

*e* Certantes & contendentes inter ſe.

*f* Cyclopes etiam faciunt loricam ad pectus Mineruę tegendum, in qua lorica cęlati ſunt ſerpentes inuicem connexi & mutuis ſpiris implicati, & Gorgonis ipſius ſiue Meduſę caput ſerpentibus capillatum, ſic in eadem lorica cælatum eſt vt recens amputatum morientes oculos adhuc vertere videatur

*Vulcanus arma fieri iubet.*

Gorgona deſecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta inquit, a cœptóſque auferte labores,
Aetnæi Cyclopes, & huc aduertite mentem.

*Arma fiant Æneæ.*

Arma acri facienda viro : b nunc viribus vſus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra.
Præcipitate moras. Nec plura effatus, at illi
Ocyùs : incubuêre omnes, pariterque metallum,
Vulnificúſque chalybs e vaſta fornace liqueſcit.
Ingentem clypeum informant, f vnum omnia cõtra
Tela Latinorum, ſeptenoſque orbibus g orbeis
Impediunt, alij ventoſis h follibus auras
Accipiunt, reddúntque, alij ſtridentia i tingunt
Aera lacu: gemit impoſitis incudibus antrum,
Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt
In numerum, K verſántq; tenaci forcipe l maſſam.

*a* Vulcanus.
*b* Æneæ, ac proinde grauiter laborandum eſt vt arma Æneæ virtuti reſpondeant.
*c* Cyclopes, celeriùs quàm Vulcanus imperauerat, incubuerunt in opus, & ducta ſorte diuiſerũt inter ſe laboris officium.
*d* Æs ita liquefit vt in riuos fluat.
*e* Ferrum, quod apud Chalybas optimum reperitur.
*f* Deſignant & delineant clypeum ingentem, qui vnus contra omnia tela Latinorum ſufficiat.
*g* Septenos orbes ex diuerſis metallorum generibus, alios grandiores, minores alios efficiunt, quos deinde ſic inter ſe implicant & connectunt, vt ex iis omnibus circulis efficiatur ingens clypeus. *h* Ventum gignentibus, follis, *un ſouffle*.
*i* Æs candens immergentes aquâ ſtridere faciunt. Lacus hoc loco, eſt vas aquâ plenum, quod ad refrigerandum ferrum ponitur iuxta fornaces ferrarias.
*k* Cyclopes malleis magna vi in altum elatis incudes tundunt tam numeroſè, vt ex ictibus concentus quidam oriatur.
*l* *Une tenaille.*

*Hæc pater Æolijs* a *properat dum Lemnius* b *oris:*
*Euandrum ex humili tecto lux ſuſcitat alma,*
*Et matutini volucrum* c *ſub culmine cantus,*
*Conſurgit ſenior, tunicáque inducitur* d *artus,*
*Et tyrrhena* e *pedum circundat vincula plantis,*
*Tum lateri, atq; humeris Tegæum* f *ſubligat enſem*
*Demiſſa* g *ab læua pantheræ terga retorquens.*
*Nec non & gemini cuſtodes limine ab alto*
*Procedunt, greſſúmque canes comitantur herilem.* *Congreſſus Æneæ Euandri.*
*Hoſpitis Æneæ ſedem, & ſecreta petebat,*
*Sermonum memor,* h *& promiſſi muneris heros.*
*Nec minùs Æneas ſe matutinus agebat.*
*Filius huic* i *Pallas, olli* k *comes ibat Achates.*
*Congreſſi iungunt dextras, medijſque reſidunt*
*Ædibus, & licito tandem ſermone* l *fruuntur,*

*a* Vulcania eſt iuxta Liparen inſulam vna ex Æolidibus, vt dictum eſt, à Græcis Ιερα *ſacra* nominatur.
*b* Vulcanus, cui Lemnos inſula dedicata fuit, quem è cœlo deturbatum à Ioue, in Lemnum cecidiſſe, ibique à Sintiis exceptum fuiſſe Homerus Iliade prima fabulatur. *c* Gallorum gallinaceorum & hirundinum. Culmen propriè eſt tectũ ruſticanum è culmo & palea: quo paupertas Euādri denotatur.
*d* Induitur, tunicam per artus inducit & extendit.
*e* Seruius interpretatur. Thuſca calceamenta ſiue *crepidas quas primo habuerunt Senatores, poſt equites Romani, nunc milites*, quas vinculis ſiue loris ad pedem vinciebant.
*f* Arcadicum, à Tegæa monte Arcadiæ.
*g* A ſiniſtro humero pellem demiſſam habuit, quam retorquens, & in dextram reuocans partem, ſe amiciebat.
*h* Quos pridie dixerat.

*Et lux cùm primùm terris ſe craſtina reddet,*
*Auxilio tutos dimittam, opibúſque iuuabo.*

*i* Euandro. k Æneæ.
*l* Quia eorum deſiderio moram nox fecerat, ideo dicit tandem, id eſt, poſt longam expectationem.

*Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.*
*At feſſi tandem ciues infanda furentem*
*Armati circumſiſtunt, ipſúmque, [a] domúmque:*
*Obtruncant ſocios, ignem ad faſtigia iactant.*
*Ille inter cædes Rutulorum elapſus in agros*
*Confugere [b] & Turni defendier hoſpitis armis.*
*Ergo omnis Furijs ſurrexit Hetruria iuſtis.*
*Regem [c] ad ſupplicium præſenti Marte repoſcunt.*
*His ego te Ænea ductorem millibus addam,*
*Toto namque fremunt condenſæ littore puppes.*
*Signáque ferre iubent: retinet longæuus [d] aruſpex*
*Fata canens, ô Mæoniæ [e] delecta iuuentus,*
*Flos veterũ, virtúſq; virûm, quos iuſtus in hoſtẽ,*
*Fert dolor, & meritâ accendit Mezentius irá:*
*Nulli fas Italò tantam [f] ſubiungere gentem:*
*Externos optate [g] Duces, tum [h] Hetruſca reſedit,*
*Hoc acies campo, monitis exterrita Diuûm.*
*Ipſe oratores [i] ad me, regníque coronam*

*Mezentius à ſuis expellitur.*

*A Turno recipitur. Repetitur ab Hetruſcis.*

*Sed Dij iubent eligi ducem externum.*

[a] Mezentium.

[b] Mezentius ad Rutulos confugit, & Turni, qui cum erat hoſpitij iure coniunctus, armis defenditur, infinitiuus pro indicatiuo.

[c] Rutulis bellum indicunt Hetruſci, Mezentium ad pœnam repetentes.

[d] Argumento ætatis vult aruſpicem doctum videri. Aruſpices autem, erant prodigiorum interpretes.

[e] O Hetruſci ſiue Tyrrheni, quorum maiores, duce Tyrrheno, venerunt in Hetruriam.

[f] Quanta eſt gens Rutulorum. [g] Eligite, & præficite vobis.

[h] Poſtquam audiuit hoc reſponſum aruſpicis.

[i] Ipſe Tarchon princeps Hetruſcorũ legatos ad me miſit qui ſceptrum, coronam, ceteráque regiæ maieſtatis inſignia mihi deferrent, &c. Monet Seruius hic ſpeciem pro genere

*Cum ſceptro miſit, mandátque inſignia Tarchon,*
*Succedam caſtris, Tyrrhenáque regna capeſſam.*
*Sed mihi tarda gelu,* a *ſeclíſque effœta ſenectus*
*Inuidet imperium, ſeræque ad fortia vires.*
*Gnatum* b *exhortarer, ni miſtus matre Sabella*
*Hinc partem patriæ traheret: tu* c *cuius & annis,*
*Et generi fatum indulget, quem numina poſcunt,*
*Ingredere ô Teucrûm, atq; Italũ fortiſſime ductor.*
*Hunc* d *tibi præterea ſpes, & ſolatia noſtri*
*Pallanta adiungam, ſub te tolerare magiſtro*
*Militiã, & graue Martis opus, tua cernere facta,*
*Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.*
*Arcadas huic equites bis centum, robora pubis*
*Lecta dabo: totidémque ſuo tibi nomine Pallas.*
*Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant* e
*Æneas Anchiſiades, & fidus Achates,*
*Multáque dura ſuo triſti cùm corde putabant.*

ſumi, neque reuera coronam miſſam fuiſſe; quia nunquam Reges Hetruriæ coronam habuerunt.

*a* Sed ſenectus frigida quæ me tardum efficit ad res gerendas & effœtum, ſterilémque ad pariendos producendóſque actus generoſos, & vires quæ iam ipſa ſenectute debilitatæ ſunt & ineptæ bello gerendo. Senectus, inquam, & debilitas me deterrent quo minùs capeſſam regnum Hetruriæ.

*b* Pallantem filium meum hortarer ad capeſſendum regnum Hetruritæ, ſi purè eſſet Arcas & externus, ſed mixtus eſt ex duplici genere, quantùm ad maternam originem eſt Italus, natus ex matre Sabella. *c* Tu autem, ô Æneas qui flores ætate, nec à ſuſcipiendo Tyrrhenorum imperio ſenectute deterreris, vt ego deterreor, nec genere & origine vt filius meus, ſuſcipe regnum Hetruriæ. *d* Qui iuxta me ſedet.

*e* Taciti ſtupebant tali ſe expectatione deluſos eſſe, quia cùm magnas copias ſperauiſſent, videbant offerri ſibi duntaxat equites quadringentos.

Venus

*Ni ſignum cælo Cytherea* a *dediſſet aperto,* b
*Namque improuiſo vibratus ab æthere fulgor* c
*Cum ſonitu venit, & ruere omnia viſa repentè,*
*Tyrrhenúſque* d *tubæ mugire per æthera clangor.*
*Suſpiciunt:* e *iterum atque iterum* f *fragor intonat ingens.*
*Arma inter nubem cœli in regione ſerena*
*Per ſudum* g *rutilare vident, & pulſa tonare:*
*Obſtupuere animis alij: ſed Troius heros*
*Agnouit ſonitum,* h *& diuæ promiſſa parentis:*
*Tum memorat, ne verò hoſpes,* i *ne quære profecto,*
*Quem caſum portenta ferant: ego poſcor* k *Olympo,*
*Hoc ſignum cecinit miſſuram Diua creatrix,*
*Si bellum ingrueret, Volcaniáque* l *arma per auras.*

*Arma Vulcania inter nubes apparēt.*

*a* Venus quæ in inſula Cythero colebatur.
*b* Sereno, cùm nullæ nubes præceſſiſſent.
*c* Fulgur tremulum emicuit cum tonitru & cœleſti fragore.
*d* Hetruſci tubarum primi inuentores; huic autem loco bellè quadrat adiectum *Tyrrhenus*, quia hoc tubæ clangore indicabatur Æneam depoſci ad regnum Hetruriæ ſiue Tyrrheniæ.
*e* Attollunt oculos attoniti, reſpicientes vnde hic clangor oriatur.
*f* Innuit tonitru tertiò fuiſſe repetitum, qui numerus boni fuit auſpicij.
*g* *Sudum* quaſi *ſub vdum*, ſerenum poſt pluuias, vel *ſemiudum*, qualis eſt ſerenitas inter nubes.
*h* Æneas agnouit eum eſſe ſonitum quem Venus mater ei boni ominis cauſa edituram eſſe promiſerat.
*i* Euander, qui mecum hoſpitij fœdus & ſocietatem iniiſti.
*k* Placet interpunctio, quam etiam Seruius agnoſcit. *Ego poſcor: olympo hoc ſignum, &c.* Ego poſcor: ego inuitor hoc clangore, ad me pertinet illud ſignum, Venus mater mea & creatrix rerum omnium promiſit ſe hoc ſignum cœlo eſſe miſſuram. *l* A Vulcano fabricata.

*Laturam auxilio.*
*Heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant!* a
*Quas pœnas mihi Turne dabis! quam multa ſub vndas,*
*Scuta virûm, galeáſque & fortia corpora volues*
*Tybri pater! poſcant acies,* b *& fœdera rumpant.*]
Herculi ſacrificatur.
*Hæc vbi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto,*
*Et primùm Herculeis* c *ſopitas ignibus aras*
*Excitat, heſternumq;* d *Larem, paruóſq;* e *Penateis,*
*Lætus adit: mactat* f *lectas de more bidenteis,*
*Euandrus pariter, pariter Troiana iuuentus.*
*Poſt hinc ad naueis graditur, ſocioſque* g *reuiſit:*
*Quorum de numero, qui ſeſe in bella* h *ſequantur,*
*Præſtanteis virtute legit: pars cætera* i *pronâ*
*Fertur aquâ, ſegniſque* k *ſecundo defluit amni,*

*a* Impendent è propinquo.
*b* Si Latini ſatis habent fiduciæ poſcant acies, deſcendant in certamen, inſtruant exercitus & rumpant ea fœdera quæ Rex Latinis ſe facturum eſſe promiſerat, id ſi fecerint, iuſtas temeritatis & perfidiæ ſuæ pœnas luent.
*c* Hypallage eſt, inquit Seruius, id eſt ſuſcitat ignes, qui erant in aris Herculeis ſopiti, & quaſi ſub cinere dormientes.
*d* Cui pridie ſacrificauerat.
*e* Qui paruæ & pauperi domui præſidebant.
*f* Sacrificat oues biennes, & quæ duos dentes enimulos habebant electas è grege, ſeruatis conſuetis ritibus & cæremoniis.
*g* Quos pridie reliquerat in duabus biremibus, proficiſcens cum Euandro ad vrbem Pallantæum.
*h* Qui comitentur ipſum vſque ad caſtra Tyrrhenorum.
*i* Cæteri Troiani, quos Æneas prætererat, nec elegerat ad ſe comitandum, prono fluuio, id eſt ſecundum aquæ fluxum deferuntur ad cæteros Troianos, qui in caſtris relicti fuerant, vt Aſcanium de patris Æneæ rebus & itineris ſucceſſu facerent certiorem.
*k* Segnes erant Troiani, qui non remigabant, ſecundo flu-

*Nuntia ventura Aſcanio rerúmque, patríſque.*
*Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arua:* Iter ad Hetruſcos apparant.
*Ducunt exſortem* a *Æneæ quem fulua leonis*
*Pellis obit totum præfulgens vnguibus aureis.*
*Fama volat paruam ſubitò* b *vulgata per vrbem,*
*Ocyús ire equites Tyrrheni* c *ad littora Regis.*
*Vota metu duplicant matres,* d *propiúſque* e *periclo*
*It timor, & maior Martis iam apparet imago.*
*Tum pater Euandrus dextram complexus euntis*
*Hæret inexpletum lacrymans, ac talia fatur:*
*O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos:*
*Qualis eram, cùm primam aciem Præneſte ſub ipſa* Euãdet Æneę & filio ſuo Pallanti vale dicit.
*Straui, ſcutorúmque* f *incendi victor aceruos,*
*Et Regem hac Herylum dextra ſub Tartara miſi:*
*Naſcenti cui treis animas Feronia mater,*
*Horrendum dictu, dederat: terna arma mouenda,*
*Ter letho ſternendus erat: cui tum tamen omneis*

uio delati.

a Eximium & poſitum extra ſortem aliorum, qui equus totus ingenti pelle leonis circundatur, cuius pellis vngues inaurati.

b Quæ citiùs per paruam, quàm per magnam vrbem vulgari ſolet.

c Ad Hetruriam, vbi erat Tarchon & Regis vice fungebatur eiecto Mezentio, & naues in littore condenſæ ducem exſpectabant.

d Matres quæ ſemper faciunt vota pro liberis ſuis metu futuri belli perterritæ vota duplicarunt.

e Cùm periculum adhuc procul abeſſet, tamen iam aderat timor, & maiorem terribilioremque belli ſpeciem obijciebat animo, quam re ipſa futurum eſſet bellum terribile.

f Ad morem alludit. Nam victores imperatores hoſtium arma in cumulum exaggerabant, & cinctu Gabino ſuccincti ea ſuccendebant in honorem Martis aut Vulcani, vide Appianum in Lybicis.

Abſtulit hæc animas dextra, & totidē exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vſquam
Gnate tuo: neque finitimus Mezentius vnquam
Huic capiti inſultans, tot ferro ſæua dediſſet
Funera, tam multis viduaſſet a ciuibus vrbem.
At vos ô Superi, & diuûm tu maxime rector
Iuppiter, Arcadij b quæſo mireſcite Regis,
Et patrias c audite preces: ſi numina veſtra
Incolumem Pallanta mihi, ſi fata reſeruant.
Si viſurus eum viuo, & venturus d in vnum:
Vitam oro; patiar quemuis durare laborem.
Sin aliquem infandum caſum fortuna minaris
Nunc ô nunc liceat crudelem e abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, f dum ſpes incerta futuri,
Dum te care puer, mea ſera, g & ſola voluptas,
Complexu teneo, grauior ne nuntius aureis
Vulneret, hæc genitor digreſſu dicta ſupremo
Fundebat: famuli collapſum in tecta ferebant.
  Iámque adeò exierat portis equitatus apertis:
Æneas inter primos, & fidus Achates:
Inde alii Troiæ proceres: ipſe agmine Pallas

a Vacuaſſet, exhauſiſſet.
b Mei ipſius Regis Arcadum qui ad Italiam appulerunt.
c Preces quas ego fundo pro filio meo Pallante.
d Si iterum ego & filius meus Pallas debemus in vnum conuenire, oro vt vitam mihi liceat ad illud tempus producere: nec dubitabo quemuis laborem tolerare, dum id mihi contingat.
e Quæ ſi filio meo ſuperſtes fuerit, graui me dolore crudeliter cruciabit.
f Dum adhuc anceps inter ſpem & metum viuo.
g Sera quia Pallas natus in patris ſenectute, ſola quia fuit vnicus.

*In medio, chlamyde* a, *& pictis cõſpectus* b *in armis.*
*Qualis, vbi Oceani perfuſus Lucifer* c *vnda,*
*Quem Venus ante alios* d *aſtrorum diligit igneis,*
*Extulit os ſacrum cœlo, tenebráſque reſoluit.*
*Stant pauidæ in muris matres, oculiſque ſequuntur*
*Pulueream nubem,* e *& fulgenteis ære cateruas.*
*Olli per dumos, qua proxima meta* f *viarum,*
*Armati tendunt: it clamor,* g *& agmine facto*
*Quadrupedãte putrẽ ſonitu quatit vngula campum.*
*Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis* h *amnem,*

*a* Chlamys veſtis imperatoria Græcorum fuit, paludamẽntum Romanorum. *b* Spectabilis, ſpectandus.

*c* Lucifer dicitur quòd lucem adfera, & ſolem antecedat, perfuſus vnda Oceani in ortu ſuo, quòd recens è mari emerſus adhuc malefactus eſſe videatur.

*d* Notat Seruius, alias duas eſſe ſtellas Veneris; alteram in Tauro, alteram in ſeptentrione, quibus tamen Venus Luciferum anteponit. *Tenebras autem*, inquit, *reſoluit propter iubar, quod ſola poſſidens aliquid adfert lucis*. Certè à ſtella Veneris aliquam vmbram projici conſtat.

*e* Puluerem ſub pedibus excitatum, & cœlum inſtar nubis obtegentem.

*f* Quibus dumis viæ quæ ex vrbe ſpectari poterant, proximè terminantur. Vel circa quos dumos proximè inflectuntur viæ, vt currus flectuntur circa metas in ludis Circenſibus.

*g* Clamor attollitur, & conferta exercitus incedentis multitudine, vngula equorum pulſat terram putrem ſonitu, qui quatuor eorum equorum pedibus excitatur, iam quadrupedare idẽ eſt, quod equitare & quatuor pedibus, vt loquitur in Georg.

*Inſultare ſolo & greſſus glomerare.*

Putris campus hic dici videtur multum puluerem emittens, & quaſi in puluerem reſolutus vt 2. Georg

*Et cui putre ſolum: namque hoc imitatur arando.*

Id eſt, glebas minutatim confringimus.

*h* Eſt ingens lucus propè Minyonem amnem perfrigidum, qui vrbem Cære ſiue Agyllinam præterfluit.

*Relligione patrum latè ſacer:* a *vndique colles*
*Incluſere caui,* b *& nigra* c *nemus abiete* d *cingũt.*
*Syluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos* e
*Aruorum pecoriſque Deo,* f *lucúmque, diemque,* g
*Qui primi fineis aliquando habuere Latinos.*
*Haud procul hinc* h *Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebant*
*Caſtra locis; celſóque omnis de colle videri*
*Iam poterat legio, & latis tendebat* i *in aruis.*
*Huc* K *pater Æneas, & bello lecta iuuentus*
*Succedunt, feſſique & equos, & corpora curant.*
*At venus æthereos inter Dea candida nimbos*
*Dona ferens aderat: gnatúmque in valle reducta*

*a* Dicitur *latè ſacer* vel quia latus erat ille lucus, & quantus erat, conſecratus: vel quia non ſolum ab Hetruſcis, ſed ab aliis etiam populis circum quaque adiacentibus religioſè colebatur cultu à maioribus inſtituto.

*b* Cauam in medio ſui conuallem facientes.

*c* Opaca & vmbroſa.

*d* Arbore, quam etiam Varro ſapinum appellat.

*e* Populos è Græcia, qui primi omnium in Italia dicuntur habitaſſe.

*f* Tradit Seruius Virgilium hic ſecutum fuiſſe vulgi opinionem, à prudentioribus tamen dici Syluanum eſſe ὑλικὸν θεὸν κατὰ τῆς ὕλης. id eſt à materia prima, quæ eſt principium corporis naturalis.

*g* Anniuerſarium dedicationis diem.

*h* Non longè ab illo loco caſtra metati fuerant Hetruſci in loco natura munito, adeo vt caſtra iam videri poſſent, ex illo colle qui conualli imminebat.

*i* Tentoria poſuerat in loco patenti.

K In illum lucum Syluano ſacrum diuertunt Troiani ibi pernoctaturi, ne venientes ingruente nocte Hetruſcorum caſtra turbarent: quid autem ſequenti die egerit cum Tyrrhenis & Tarchonte eorum principe dicitur 10. Æneidos.

*Vt procul è gelido* a *ſecretum flumine vidit,*
*Talibus affata eſt dictis, ſeque obtulit vltro.*
*En perfecta mei promiſſâ coniugis* b *arte*
*Munera:* c *ne mox aut Laurenteis, nate ſuperbos,*
*Aut acrem dubites in prælia poſcere* d *Turnum,*
*Dixit, & amplexus gnati Cytherea petiuit:*
*Arma ſub aduerſa poſuit radiantia quercu.*
*Ille Deæ* e *donis, & tanto lætus honore*
*Expleri nequit, atque oculos per ſingula voluit,*
*Miratúrque, intérque manus & brachia verſat*
*Terribilem criſtis galeam flammáſq;* f *vomentem,*
*Fatiferúmque* g *enſem, loricam ex ære rigentem,*
*Sanguineam, ingentem: qualis, cum cærula nubes*
*Solis inardeſcit radiis, longéque refulget.*
*Tum leueis ocreas* h *electro,* i *auroque recocto* k
*Haſtámque, & clypei non enarrabile textum* l.
*Illic* m *res Italas Romanorúmque triumphos,*
*Haud vatum ignarus, venturíque inſcius æui*

*Venus adfert Æneę arma Vulcania.*

*Hiſtoria Romanę in clypeo depictæ.*

*a* Seruius legit egelido ſine diſtinctione & interpretatur, valdè frigido, vt *Edurámque pyrum.* valdè duram, videtur ſatius eſſe diſtinguere. Æneas enim procul à flumine in reductam vallem, & in interiorem lucum ſeceſſerat. *b* Vulcani.
*c* Arma quæ tibi, dono dantur. *d* Prouocare.
*e* Æneas lætus Veneris donis, & honore quo affectus fuerat, non poteſt armorum adſpectu ſatiari.
*f* Tanto fulgore radiantem vt flammas emittere videatur.
*g* Lethiferum.
*h* Tibi alia nitida & læuigata.
*i* Metallo cærulei coloris quod *azur* nominatur.
*k* Sæpe purgato, quia quo magis coquitur, eò meliùs euadit.
*l* Bene textum, vel quia ex multis orbibus implexis contextus erat clypeus, vel quia in eo contexta erat ſeries hiſtoriæ Romanæ. *m* In illo clypei contextu.

*Fecerat ignipotens :* a *illis genus omne futuræ*
*Stirpis ab Aſcanio, pugnatáque in ordine bella,*
*Fecerat* b *& viridi fœtam* c *Mauortis* d *in antro,*
*Procubuiſſe* e *lupam : geminos huic vbera circum*
*Ludere pendenteis pueros, & lambere matrem* f
*Impauidos : illam tereti ceruice reflexam*
*Mulcere alternos,* g *& corpora fingere* h *lingua.*

Romus & Romulus.

*a* Vulcanus deus ignis.

*b* Cælauerat in illo clypeo hiſtoriam Romuli & Remi. Amulius Rex fratrem Numitorem regno priuauerat, & vt eum ſobole priuaret, ( verba ſunt Aureli j Victoris de viris illuſtribus) Rheam Syluiam filiam eius Veſtæ ſacerdotem præfecit, vt perpetua virginitate teneretur : quæ à Marte compreſſa Romulum & Remum edidit : Amulius ipſam in vincula compegit, paruulos in Tiberim abiecit : quos aqua in ſicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit, eóſque vberibus ſuis aluit : mox Fauſtulus paſtor collectos Accæ Laurentiæ coniugi educandos dedit.

*c* Fœta dicitur & quæ fœtum habet conceptum in vtero, & quæ fœtum recens partu edidit, vt hoc loco lupa recens pepererat, ac proinde lacte affluebat.

*d* Et Lupa eſt Marti ſacra, & antrum illud Marti videtur fuiſſe dedicatum, nam Fabius apud Seruium Martis ſpeluncam dixit.

*e* Non ſignificat lupam penitus iacuiſſe, quomodo enim penderent infantes ; ſed ita ſe inclinaſſe vt illi mammam appetentes, facilè pertingerent.

*f* Lupam quæ nutricis & matris officio fungebatur.

*g* Ita rem ad viuum expreſſerat, vt lupa illa quodammodo moueri videretur, & rotundam longamque ceruicem reflectens alternos mulcere, id eſt, vnum poſt alterum, & modo hunc, modo illum blandè palpare.

*h* Fingere vel hoc loco eſt extergere corpora puerorum, vel ad integram faciem perducere, & quaſi membra figurare, vt à nutricibus finguntur corpora infantium, ne vel in gibbos protuberent, vel membra diſtorqueantur.

*Nec procul hinc Romam ,* a *& raptas* b *ſine more* c *Sabinas,*
*Conſeſſu caueæ,* d *magnis* e *Cicenſibus* f *actis ,* g
*Addiderat , ſubitóque nouum* h *conſurgere bellum,* *Bellum Sabinū.*
*Romulidis, Tatióque* i *ſeni, Curibúſque* k *ſeueris,*

*a* Vulcanus propè hoc antrum Romam addiderat, eiúſque primam fundationem exſculpſerat.

*b* Qui primi ad iacienda Romæ fundamenta confluxerant, cùm vxores non haberent à finitimis petierunt: nemine concedente, ludos Circenſes in honorem Neptuni ſe celebraturos eſſe dixerunt, & eorum prætextu magnam vtriúſque ſexus multitudinem è vicinis ciuitatibus conuocarunt, cúmque Circenſes agerentur, in ipſo caueæ ſiue theatri conſeſſu Sabinorum filias rapuerunt *ſine more*, id eſt, ſine exemplo, vnde aliquot bella exorta ſunt, à Ceninenſibus, Cruſtuminis, Antennatibus, ſed cum his omnibus bellis Romulus victor fuiſſet, ſubitò & ex improuiſo bellum exarſit illatum à Tatio Rege Sabinorum: cúmque Sabini iam rupem Tarpeiam obtinerent, poſt aliquot conflictus, Sabinorum filiæ quæ raptæ fuerant, in medium prouolarunt, & hinc maritos, inde patres ſuos obteſtatæ, iis perſuaſerunt, vt fœdus inter ſe percuterent. Tatius Romam commigrauit cum magna parte Sabinorum, quam rem geſtam Vulcanus in Æneæ clypeo cælauerat.

*c* Sine exemplo.

*d* Seruius. Cauea eſt vbi populus ſpectat, Plautus in Amphitruone

*Vt conquiſitores ſinguli in ſubſellia*
*Eant per totam caueam ſpectatoribus.*

*e* Factis magno apparatu, vt ſpectatores è vicinis vrbibus elicerent.

*f* Ludi fuerunt equeſtres in honorem Neptuni quem Conſum nominabant, dicti Circenſes, vel à Circe, vt ait Tertullianus, vel quòd in circo agerentur. Circus fuit locus ad equeſtres & curules ludos conſtitutus, quem ab equorum curſu hippodromum nominabant.

g Cum agerentur. *h* Poſt Ceninenſe & Cruſtuminum.

*i* Regis Sabinorum.

*k* Cures vrbs Sabinorum, ſeueros appellat vel ob aſperitatem & ſeueritatem domeſticæ diſciplinæ; vel à monte cui nomen Seuerus.

*Poſt iidem* a *inter ſe poſito certamine Reges,*
*Armati Iouis ante aras, paterâſque* b *tenentes*
*Stabant, & caſâ iungebant fœdera porcâ.* c
Metius quadrigis diſtractus. *Haud procul inde, citæ Metiū* d *in diuerſa quadrigæ*
*Diſtulerant, (at tu dictis* e *Albane maneres)*
*Raptabátque viri mendacis* f *viſcera Tullus*
*Per ſyluam, & ſparſi rorabant ſanguine vepres.*
Porſena. *Nec non Tarquinium* g *eiectum Porſenna iubebat*
*Accipere, ingentique vrbem obſidione premebat:*
*Æneadæ* h *in ferrum pro libertate ruebant.*

a Romulus Rex Romanorum, & Tatius Rex Sabinorum.

b Ad libandum diis

c Fœdera dicta ſunt à feriendo. Fœdera enim ſancientes. Feciales porcam ſilice feriebant, dicentes *Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit publico conſilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Rom. ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam? tantóque magis ferito, quanto magis potes polléſque, id vbi dixit porcum ſaxo ſilice percuſſit,* ait Liuius lib. 1.

d Metius Suffetius Dictator Albanorum cum Romanis & Tullo Hoſtilio fœderatus, Fidenati bello in auxilium à Romanis euocatus ex fœdere, medius inter duos exercitus fortunam expectauit & pugnæ ſe ſubtraxit. Eam ob rem Tullus Metium religatum inter duos currus diſtrahi iuſſit, equis in diuerſa nitentibus.

e Id ſupplicum non Romanorum crudelitati, ſed Metij perfidiæ tribuendum eſt. Si enim fœdus ſeruaſſes ô Dictator Albane, & promiſſis ſtetiſſes, tam acerbum ſupplicium tibi non contigiſſet. f Qui fidem fefellerat.

g Sextus Tarquinius Tarquinij Superbi Romanorū Regis filius pudicitiā Lucretiæ violauit: Lucretia ſibi mortem conſciuit: eiectus eſt Tarquinius cum liberis: confugit ad Porſenam Regē Hetruriæ, ille Tarquiniū reducere conatus Vrbem obſedit: & hiſtoriam hāc in Æneæ clypeo Vulcanus expreſſerat.

h Romani ab Ænea oriundi, & præcipuè Mutius ille Scæuola, qui hoſtium caſtra ingreſſus vt Porſenam occideret, pro Rege ſcribam pari ferè ornatu veſtitum obtruncauit: &

*Illum* a *indignanti ſimilem, ſimilémque minanti* *Horatius Cocles.*
*Aſpiceres, pontem auderet quòd vellere Cocles,*
*Et fluuium vinclis innaret Clœlia ruptis.* *Clœlia.*
*In ſummo* b *cuſtos Tarpeiæ Manlius arcis*
*Stabat pro templo, & Capitolia celſa tenebat,* *Galli è Capitolio deiecti.*
*Romuleóque recens horrebat regia* c *culmo.*
*Atque hic auratis volitans argenteus* d *anſer*
*Porticibus, Gallos in limine adeſſe canebat.*
*Galli per dumos* e *aderant, arcémque tenebant*
*Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.*
*Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis:*

vt mortem ſe contemnere oſtenderet, dextram accenſo ad ſacrificium foculo iniecit. Vnde & Scæuolæ cognomen, quod poſt hæc ſcæuâ manu, id eſt ſiniſtra vteretur.

a Sic effigiatus erat Porſena vt in ipſa clypei cælatura indignari videretur, quòd Horatius Cocles poſtquam hoſtes, fuſis Romanorum copijs, vndique inſtantes ſolus ſubmouere non poterat, ponte reſciſſo Tiberim tranſnatauit nec arma dimiſit, & Clœlia vna ex obſidibus Regi Porſenæ datis, elapſa cuſtodiam, quaſi ruptis vinculis & effracto carcere fugiens per Tiberim equitauit, & Romam ſe recepit.

b In ſumma parte clypei ſculptum erat Capitolium, & Manlius illud contra Gallos cuſtodiens. Manlius enim Gallos nocte ad Capitolium ſubeuntes clangore anſeris excitatus è ſumma rupe deiecit. de nomine arcis Tarpeiæ dictũ ſuperiùs.

c Seruius. *Curiam Calabram dicit quam Romulus texerat culmis: ideo autem Calabra, quòd cùm incertæ eſſent Calendæ aut idus, à Romulo conſtitutum eſt, vt ibi Patres vel populus calarentur, ideſt vocarentur, & ſcirent qua die Calendæ eſſent, vel etiam idus, &c.*

d Idem Seruius. *Hic in Capitolio ſcilicet. Satis prudenter argenteum anſerem dixit, nam quaſi & epitheton eſt coloris, & ſignificauit rem veram. Nam in Capitolio in honorem illius anſeris, qui Gallorum nuntiauerat aduentum, poſitus fuerat anſer argenteus.*

e Galli Senones per vepres rupis Tarpeiæ iam ad ſummum peruenerant; & arcem propemodum obtinebant.

*Virgatis* a *lucent ſagulis : tum lactea* b *colla*
*Auro innectuntur, duo quiſque Alpina coruſcant*
*Gæſa* c *manu, ſcutis protecti corpora longis.*
*Hinc exſultanteis Salios,* d *nudoſque Lupercos,* e
Salij Flamines Ancilia. *Lanigeroſque apices,* f *& lapſa ancilia* g *cælo*
*Extuderat :* h *caſtæ ducebant ſacra per vrbem*.
*pilentis* i *matres in mollibus hinc : procul abdit*

*a* Sagula ſunt parua ſaga, ſagũ tunica militaris : virgata dixit, quaſi in modum virgarum ſegmentata, *paſſementés en long.* Notet Seruius Poëtam ad Gallicam linguam alludere, per quam *virga purpura dicitur. Virgatis ergo ac ſi diceret purpuratis.*

*b* Alludit ad nomen Galli enim à Græcis γάλαται nominantur γάλα *lac.*

*c* Vnuſquiſque Gallorum vibrat manu duo gæſa confecta è lignis Alpinis. Alpes montes ingentis altitudinis qui Galliam ab Italia diſterminant. Gæſa haſtæ viriles, inquit Seruius; nam etiam Galli viros fortes gæſos vocabant.

*d* Liuius lib. 1. agens de inſtitutis Numæ Pompilij. *Salios duodecim Marti Gradiuo legit : tunicęque pictę inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen : cæleſtiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per vrbem ire canentes carmina tripudijs ſolemnique ſaltu iuſſit.*

*e* Luperci fuerunt Panis Lycæi ſacerdotes, qui nudis corporibus : pudendis duntaxat capræ, quam immolauerant, pelle velatis, per luſum atque laſciuiam currebant, obuios quoſque corrigiâ ferientes. Matronæ ſponte ſe plagis offerebant, vt fœcundæ euaderent. Vide notas in Cœlianam & ſecundam Philippicam.

*f* Flamines intelligit, dicti quaſi pilamines, quod laneos apices ſiue floccos quoſdam è pilis factos in capite geſtarent. fuerunt tres præcipui, Dialis, Martialis, Quirinalis. Dialis Ioui, Martialis Marti, Quirinalis Quirino ſiue Romulo fuit mancipatus Vide Vatianam, §. 25. Nota. 2.

*g* Ancile fuit clypeus rotundus, qui regnante Numa de cœlo delapſus eſt : ad cuius ſimilitudinem ne diſcerni poſſet, vndecim alios fieri iuſſit Numa Pompilius.

*h* Cælauerat, tundendo exſculpſerat.

i Matronæ in pilentis, ſiue vehiculis ſacris & penſilibus, ac molliter ſtratis per vrbem Romanam ſacra ducebant.

*Tartareas etiam ſedes, alta oſtia* a *Ditis*
*Et ſcelerum pœnas, & te Catilina* b *minaci*
*Pendentem ſcopulo, Furiarumque ora trementem,* Catilina
*Secretoſque pios;* c *his dantem iura Catonem.* d
*Hæc inter tumidi latè maris ibat imago*
*Aurea:* e *ſed fluctu ſpumabant cærula cano,*
*Et circùm argento clari delphines in orbem* Bellum
*Æquora verrebant* f *caudis, æſtumque ſecabant.* Actiacum.
*In medio* g *claſſeis æratas, Actia* h *bella*
*Cernere erat; totúmque inſtructo Marte* i *videres*
*Feruere Leucaten, auróque effulgere fluctus.*
*Hinc Auguſtus agens Italos in prælia Cæſar*
*Cum patribus, populóque, Penatibus,* K *& magnis Dîis* l Auguſtus.
*Stans celſa in puppi: geminas cui tēpora* m *flāmas*

*a* Profundas fauces inferni, vbi Dij ſiue Pluto dominatur.
*b* Propter coniurationem qua Vrbem delere voluiſti æternis ſuppliciis affectum cælauit (paratos.
*c* Et pios à Catilinæ reliquorumque impiorum conſortio ſe-
*d* Catonem Cenſorium intelligit, non enim laudat Catonem Vticenſem, qui fuerat Cæſaris inimicus.
*e* Cælata etiam erat in clypeo Æneæ, maris effigies.
*f* Natabant per aquas maris æſtuantes. *g* In medio mari.
*h* Auguſtus Cæſar M. Antonium nauali certamine ſuperauit in Actiaco mari prope Leucatem promontorium Epiri.
*i* Directo in aciem nauali exercitu.
k Dijs priuatis Romanorum.
*l* Communibus omnium gentium qui ab Ennio numerantur.
*Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Vulcanus, Neptunus, Apollo.*
*m* Suetonius in Auguſto cap. 79. *Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam diuini vigoris: gaudebatque ſi quis ſibi acrius contuenti, quaſi ad fulgorem ſolis, vultum ſummitteret.*

*Læta vomunt, patriúmq; a aperitur vertice ſidus.*
Agrippa. *Parte alia ventis, ac Diis Aggrippa* b *ſecundis,*
*Arduus agmen agens, cui belli inſigne* c *ſuperbum*
*Tempora nauali fulgent roſtrata coronâ.*
*Hinc* d *ope Barbarica, variĳſque Antonius armis,*
Antonius. *Victor ab Auroræ populis, & littore Rubro*
*Ægyptum, viréſque Orientis, & vltima ſecum*
*Bactra* e *vehit, ſequiturq; (nefas) Ægyptia* f *cōiux.*
*Vna omnes ruere, ac totum ſpumare, reductis*

*a* Stella Iulij Cæſaris qui Auguſtum adoptauit, de hac ſtella Virgilius in bucolicis.

*Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.*

Suetonius in Iulio cap. 88. *Ludis, quos primò conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa vndecimam horam creditúmque eſt animam eſſe Cæſaris in Cælum recepti, & hac de cauſſa ſimulacro eius in vertice additur ſtella.* Ex illo tempore, inquit Seruius in honorem patris, Auguſtus ſtellam in galea cœpit habere depictam.

*b* Vipſanius Agrippa gener Auguſti, Deos habuit propitios ſibique fauentes & obſecundantes ad nutum: vel ſecundos ait comparatione Auguſti qui primum Deorum fauorem obtinebat.

*c* Agrippa ob res bene geſtas contra Sextum Pompeium, nauali corona in modum roſtrorum facta donatus fuit: quòd inſigne naualis victoriæ ſuperbum fuit, & magnificum, quia nemo mortalium præter Agrippam & M. Varronem huiuſmodi corona donatus eſt.

*d* Ex alia parte depictus eſt M. Antonius, qui contra Cæſarem pugnauit fretus auxilio barbarorum, quos ex oriente contraxerat, vbi victorias aliquot retulerat, poſtea tamen à Parthis victus duas legiones amiſit: ſed victoriarum meminit, clades inuoluit ſilentio, quia magis id in Auguſti laudem redundat, ſi victorem viciſſe videatur.

*e* Bactriani finitimi ſunt Perſis. Vltimi dicuntur quia valdè remoti ſunt ab occidente, vel quia Bactriani erant vltimæ gentes ad quas ſe extendebat imperium Antonij.

*f* Cleopatra Regina Ægypti, quam repudiatâ octauia ſorore Auguſti Antonius duxit vxorem, quod nefas.

*Conuulſum remis roſtriſque ſtridentibus,* a *æquor.*
*Alta petunt: pelago* b *credas innare reuulſas*
*Cycladas,* c *aut monteis concurrere montibus altos,*
*Tanta mole viri turritis puppibus* d *inſtant.*
*Stupea* e *flamma manu, teliſque volatile ferrum*
*Spargitur, arua nouâ Neptunia cæde rubeſcunt* f.
*Regina* g *in mediis patrio vocat agmina ſiſtro:*
*Nec dum* h *etiam geminos à tergo reſpicit angueis.*
*Omnigenũq; deûm mõſtra,* i *& latrator* k *Anubis,* Cleopatra.

a Alij legunt *tridentibus*, vide 5. Æneidos 143. quia roſtra nauiũ tres quaſi dentes ferreos habebãt hinc inde prominentes.

b Tanta erat nauium amplitudo, vt non tam naues quam inſulæ è fundo maris reuulſæ natare viderentur.

c Cyclades inſulæ quas tertio Æneidos ſparſas per æquor fuiſſe dicit, nomen habent à figura circulari, qua diſpoſitæ ſunt inter ſe, vel quia Delum circundant.

d Hoc ab Hiſtoria tractum dicit Seruius. Nam Agrippa primus hoc genus turrium inuenit vt de tabulatis ſubitò erigerentur ſimul ac ventum eſſet in prælium, turres hoſtibus improuiſæ.

e Flamma in ſtupis concepta, & intelligit malleolos ad nauium incendium comparatos.

f Aquæ marinæ Neptuno conſecratæ rubeſcunt cæde nouâ & ante hunc diem inauditâ dicuntur arua per tranſlationem, quia vt terra vomere; ita mare roſtris nauium aratur & proſcinditur.

g Seruius. *Cleopatra ſibi tantum adſumpſerat, vt ſe Iſim vellet videri. Iſis autem eſt Genius Ægypti qui per ſiſtri* (inſtrumenti muſici genus eſt) *motum quod gerit in dextera. Nili acceſſus receſſuſque ſignificat: per ſitellam quam ſiniſtra manu retinet, oſtendit affluentiam omnium lacunarum.*

h Nondum præuidet mortem à tergo venientem & duas illas aſpides quæ ad eius corpus admotæ morſu venenato eam poſteà peremerunt.

i Colebant Ægyptij monſtruoſos Deos, vt cæpe, allia, Ibes, crocodilos.

k Anubis Deus Ægyptiorum, qui capite canino depingitur.

*Contra Neptunum*, a *& Venerem, contráque Mineruam*
*Tela tenent: ſæuit medio in certamine Mauors,*
*Cælatus ferro triſtéſque ex æthere* b *Diræ,*
*Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia pallâ:* c
*Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.*
*Actius* d *hæc cernens arcum intendebat Apollo*
*Deſuper, omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,*
*Omnis Arabs*, e *omnes vertebant terga Sabæi.*
*Fuga Antonij & Cleopatræ.*
*Ipſa videbatur ventis Regina vocatis*
*Vela dare, & laxos iam, iamq; immittere* f *funeis.*
*Illam inter cædes pallentem morte* g *futura*
*Fecerat ignipotens, vndis, & Iapyge* h *ferri.*
*Contra autem* i *magno mærentem corpore Nilũ,*
*Pandentémque ſinus, & tota veſte vocantem*
*Cæruleum in gremium, latebroſáq; flumina victos.*

*a* Deos Auguſto fauentes: Mars, Diræ, Diſcordia, Bellona, Dij vtrique parti communes, ante quàm Mars & Bellona ſe ad Auguſtum inclinarent.

*b* De quibus 12. Æneidos verſu 845.

*c* Palla veſtis talaris & oblonga.

*d* Templum Apollinis fuit in Leucate promontorio conſtitutum, quod mari imminebat. 3. Æneidos.

*Hinc & Leucatæ nimboſa cacumina montis*
*Et formidatus nautis aperitur Apollo.*

*e* Ægyptij, Arabes, Sabæi, fuerunt cum M. Antonio, quos videri vult ab ipſo Appoline in fugam eſſe conuerſos.

*f* Laxare rudentes ad auram captandam.

*g* Quam ſibi inferre deſtinarat.

*h* Vento qui de Apulia ſpirans optimè ad Orientem ducit.

*i* E regione ſculpſerat etiam Nilum magnitudinis ingentis, qui lugebat cladem ſuorum Regum Antonij & Cleopatræ, & ſinus pandebat vt eos exciperet accepta clade fugientes.

*a* Epitome

*At Cæſar, triplici inuectus* a *Romana triumpho* — **Triumphi Auguſti.**
*Mœnia, Dijs Italis, votum immortale, ſacrabat.*
*Maxima tercentum* b *totam delubra per vrbem*
*Letitia, ludiſque viæ, plauſúque fremebant,* — **Supplicationes**
*Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:*
*Ante aras terram cæſi ſtrauere iuuenci.* — **Sacrificia.**
*Ipſe ſedens niueo candentis limine Phœbi,*
*Dona* d *recognoſcit populorum, aptátque ſuperbis*
*Poſtibus:* e *incedunt victæ longo ordine gentes,*
*Quã variæ linguis, habitu tam veſtis, & armis.*
*Hic Nomadũ* f *genus, & diſcinctos* g *Mulciber*h
*Afros,*

a Epitome Liuiana *In vrbem reuerſus tres triumphos egit, vnum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium ex Cleopatra*, & ædem Apollinis opus immortalitate dignum, quod ante pugnam vouerat, conſecrauit.
*b* Numerus certus pro incerto ſignificat ob Auguſti victorias ſupplicationem ad omnium Deorum templa fuiſſe inſtitutam; ibique hoſtiis maioribus fuiſſe litatum.
*c* Auguſtus ſedens in limine templi Apollinis Palatini, cuius erat è candenti ſiue candido marmore ſimulacrum.
*d* Quæ auri coronarii nomine poſt victoriam à Sociis & fœderatis populis offeruntur.
*e* Vel appendit ad fores Apollinis Palatini, vel affigit veſtibulo ædium ſuarum. Solebant enim veteres hoſtium ſpolia, deorum alicui conſecrata, poſtibus appendere, quæ nec emptori domus refigere licebat, nec vetuſtate collapſa renouare. Notat Seruius porticum ab Auguſto factam fuiſſe in qua ſimulacra omnium gentium collocauerat, quæ porticus appellabatur AD NATIONES.
*f* Nomades ſiue Numidæ populi Africani ſic dicti quaſi νομέες paſtores à magnitudine paſtionis.
*g* Afri zona non vtebantur antiquitus, ſed veſtem habebant ad talos defluentem,
*h* Vulcanus dictus Mulciber quòd ignis omnia mulceat & molliat: vnde & Homerus frequenter [illegible].

Gentes deuictæ.

*Hic Lelegas,* a *Caraſque* b *ſagitti feróſq; Gelenos* c
*Finxerat:* d *Euphrates* e *ibat iam mollior vndis,*
*Extremiq; hominum Morini,* f *Rhenúſq; bicornis* g*,*
*Indomitiq; Daæ* h*, & pontem indignatus* i *Araxes.*
*Talia per clypeum Vulcani* k *dona parentis*
*Miratur, rerúmque ignarus* l *imagine gaudet,*
*Attollens humero famámque, & fata* m *nepotum.*

*a* Populos in Theſſalia.

*b* In Aſia minore.

*c* In Scythia.

*d* Formauerat, exſculpſerat.

*e* Fluuius qui ætate Auguſti Romanorum imperium terminauit, ita formatus erat in clypeo, vt fluctus ſuos molliuiſſe videretur, ſentiens ſe Romanis armis eſſe ſuperatum.

*f* Populi in Gallia Belgica. *Ceux de Terrouane* qui à Carolo V. Imperatore deleti ſunt eo ipſo anno qui his duabus vocibus expreſſus eſt DeLetI MorInI. Dicuntur *hominum extremi* quia extremis Oceani Britannici (nunc Anglicanum vocant) fluctibus alluuntur, neque vlla terra continens vlterior agnoſcebatur verſus occaſum, priuſquam nouus orbis detectus eſſet, quem Indias Occidentales appellant.

*g* Qui duobus oſtijs in mare deuoluntur.

*h* Scythiæ Aſiaticæ populi, qui à Septentrione Perſidem attingunt.

*i* Seruius. *Hic Armeniæ fluuius, cui Alexander Magnus pontem fecit quem fluminis incrementa ruperunt, poſtea Auguſtus firmiore ponte eum ligauit.* Pontem igitur indignatus dicitur, vel quòd dignatus non fuerit pontem ab Alexandro ſibi impoſitum ſuſtinere, vel quòd reluctans & indignans coactus tandem ab Auguſto fuerit pontem recipere.

k A Vulcano fabricatum, quem Venus mater Æneæ filio donauerat.

*l* Quamuis Æneas ignoraret res eâ ſculpturâ ſignificatas, & quaſi cælaturæ integumentis inuolutas, tamen delectabatur ipſa rerum imagine, & cælatura.

*m* Fata poſterorum ſuorum in clypeo depicta.

FINIS.

# PVBLII VIR. MARONIS ÆNEIDOS LIBER IX.

## MODESTINI IVRISCONSVLTI In Nonum Æneidos Librum.

### *ARGVMENTVM.*

Atque ea diuerſa penitus dum parte geruntur,
Iunonis monitu Turnus feſtinat in hoſtem.
Teucrorum naues Rutulis iaculantibus ignem
Nympharum in ſpeciem diuino numine verſæ.
Euryali,& Niſi cœptis fuit exitus impar.
Pugnatur,caſtra Æneadæ vallúmque tuentur.
Audacem Rutulum dat letho pulcher Iulus.
Fit via vi. Turnus Bitian & Pandaron altum
Deiicit,& totis victor dat funera caſtris.
Iamquefatigatus recipit ſe in caſtra ſuorum.

*ATQVE ea diuerſa* a *penitus dũ*
*parte geruntur,* — *Iris mittitur ad Turnum.*
*Irim de cælo miſit Saturnia Iuno*
*Audacem ad Turnum: luco tum*
*fortè parentis* b

a Cùm hæc in regionibus valde remotis penitúſque diſſitis & ſeparatis gererentur, cùm Æneas ad extremas Vrbes Hetruriæ penetraſſet, ibique tum auxilijs Hetruſcorum, tum armis Vulcanijs inſtrueretur, Iúno Saturni filia miſit Irim Deorum nuntiam ad Turnum, qui adeò erat audax, inconſultus & temerarius, vt cùm bello, quod ipſe concitarat, arderet Italia, cùm Æneas valde ſollicitus auxilia vndequaque conquireret, ipſe quaſi iam ſecurus victoriæ, otioſus in luco Pilumni deſideret, quaſi nihil agendum ſupereſſet.

b Imo aui, 10. Æneid.

*Pilumni* a *Turnus ſacrata valle* b *ſedebat.* c
*Ad quem ſic roſeo Thaumantias* d *ore locuta eſt:*
*Turne,* e *quod optanti Diuûm promittere nemo*
*Auderet, voluenda dies, en attulit vltrò.*
*Eum hortatur.* *Æneas vrbe,* f *& ſocijs, & claſſe relicta,*

*Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.*

Imò ibid *Pilumnúſque illi quartus pater*

Luci fuerunt ſyluæ opacæ Deorum numini conſecratæ, vel per antiphraſim quòd minimè luceant: vel quia arbores ſacras non ſolùm vittis & tenijs, ſed etiam lucernis & cereis decorabant, Prudentius libro poſteriore contra Symmachum

*Et quæ fumificas arbor vittata lucernas*
*Seruabat, cadit vltricis ſub vulnere bipennis.*

Vide Notas in Milonianam parag. 86. Not. 3.

a Pomponius Sabinius. *Pilumnus dictus eſt à Pilumno qui pinſendi morem inſtituit: nam frumenta pilo tundebantur, & à ſtercorandis agris idem Saturnus dictus eſt ſterculinus. Alij volunt Pilumnum & Pithumnum fuiſſe duos fratres & Pithumnum dictum fuiſſe Sterculinum.* Varro coniugales Deos fuiſſe ſuſpicatur.

b Nullus lucus fuit ſine religione, inquit Seruius.

c Sedere vel ſignificat auſpicari, vt 7. Æneid.

*Ipſe Quirinali lituo paruáque ſedebat. Succinctus trabeâ.*

vel conſilium capere quia ſedebant in Senatu, & conſilium, quaſi conſedium, vnde prouerbium anima ſedens fit ſapientior, vtraque expoſitio eſt Seruij. vel ſedere eſt parentare & operari manibus mortuorum Tibullus lib. 3.

*Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo.*

Quod multis probat noſter Cerdanus, vel denique, quod magis arridet, ſedere eſt otiari, vt.

*— melior a[illegible] ſedet omina præſens*

d Iris, quàm Thaumantis filiam eſſe fabulantur, vt ſcribit Plato in Theæteto.

e Turne dies voluenda, id eſt, quæ celeriter voluetur, & elabetur, ac proinde non eſt negligenda, quæ ſemel elapſa recuperari non poteſt, dies, inquam, tibi vltrò nec cogitanti, nec optanti obtulit tam opportunam rei bene gerendæ occaſionem, vt nemo Deorum tibi optanti poſſit offerre meliorem, nec auſit promittere, ne ſi promittat, mentiatur.

f Quam ædificare cœpit ſtatim atque ad Italiam appulſus & Troiam nominauit.

*Sceptra Palatini,* a *ſedémque petiuit Euandri:*
*Nec ſatis:* b *extremas Coriti penetrauit ad vrbes:*
*Lydorúmque* c *manum collectos armat agreſtes.*
*Quid dubitas? nūc tēpus equos, nūc poſcere currus:*
*Rumpe moras omnes, & turbata* d *arripe caſtra.*
*Dixit, & in cœlum paribus* e *ſe ſuſtulit alis,*
*Ingentémque fuga* f *ſecuit* g *ſub nubibus arcum.*
*Agnouit iuuenis,* h *duplicéſque ad ſidera palmas* Turnus ad Iridem.
*Suſtulit: ac tali fugientem eſt voce ſecutus,*

a Addit Euandrum Regem. qui in Palatino monte regnat, ibique fortunarum ſuarum ſedem & domicilium collocauit.
b Nec ſufficit Æneæ, quod Euandrum adierit, longiùs enim progreſſus eſt, & in vrbes, quæ in Corito monte poſitæ ſunt penetrauit qui mons eſt in extrema parte Hetruriæ.
c Armat & conſcribit exercitum ex Lydis agreſtibus, id eſt ex Hetruſcis & Tyrrhenis qui à Lydia profecti cum duce ſuo Tyrrheno Hetruriam occuparunt.
d Inuade caſtra Troianorum quæ iam turbata ſunt & magno timore perculſa propter Æneæ abſentiam: vel inuade poſtquam ea turbaueris.
e Aequali niſu libratis & examinatis in vtramque partem, vt alas ne mouere quidem videatur: 5. Aeneid. de columba.

*Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.*

f Diſceſſus celeritate. g Seruius. *Hoc eſt duxit, vt*

*Ille viam ſecat ad naues.*

*Et reuera arcus ipſe variis coloribus ſectus eſt.* Vult, opinor dicere, Iris in cœlum diſcedens duxit & extendit arcum in nubibus, magna colorum varietate ſegmentatum & virgatum. Cerdanus hoc loco. *Secuit arcum quaſi ipſa Iris humana forma, redderet in medio ſui arcus imagine quadam ſpectabili. Finge fœminam in medio cœleſtis arcus volantem, talis Iris. Nam Seruius friuit.* Sed fortaſſe clarius hoc pacto. Iris in medio arcus cœleſtis apparuerat, ſed cùm in cœlum magna celeritate diſcederet, arcum illum perrupit, & in duas partes ſecuit qua cœleſtis arcus diuiſione, nubes in vtramque partem receſſerunt, & diſſipatis deterſiſque nubibus repente clara tempeſtas, ſiue ſerenitas exorta eſt, quod Turnus miratur.
g Turnus Iridem quidem Deorum nuntiam agnouit, ſed an

*Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam*
*Detulit in terras? vnde hæc tam clara repentè*
*Tempeſtas? video medium diſcedere* a *cœlum,*
*Palantéſque* b *polo ſtellas, ſequor omina tanta,*
Deos precatur. *Quiſquis in arma vocas, & ſic effatus, ad vndam*
*Proceſſit, ſummóque hauſit* c *de gurgite lymphas,*
*Multa Deos orans, onerauitque* d *æthera votis.*
*Iámque* e *omnis campis exercitus ibat apertis,*
*Diues equûm, diues pictai veſtis, & auri.*
*Meſſapus primas acies, poſtrema coërcent*
Exercitus incedit. *Tyrrhidæ* f *iuuenes: medio dux agmine Turnus*

*a* Ioue, an à Iunone, an à quopiam alio Deo miſſa fuiſſet, neſciebat.

*a* Alij legunt *diſcindere*, diuidi, diſcindi, ſe diſcindere. Alij *deſcendere.* Minùs eleganter. Alij *diſcedere.* Quam veram & germanam lectionem agnoſcunt viri eruditi. Seruius. *Chaſma dicit factum, id eſt ſubitam aëris diſruptionem, & quemdam receſſum, per quod vult videri inter chaſma Irim ſe recepiſſe.*

*b* Idem Seruius. *quaſi in alienum tempus errore venientes.* Fulgetra videntur intelligi.

*c* De more 8. Æneidos verſu 69.

*—— Rite cauis vndam de flumine palmis,*
*Extulit, & tales effudit ad æthera voces.*

Seruius. *Locus iſte dictus eſt ſecundùm augurum morem, apud quos fuerat conſuetudo, vt ſi poſt acceptum augurium ad aquam veniſſent, inclinati aquas haurirent exinde manibus, & fuſis precibus promitterent.*

*d* Deos ipſos votis iterum atque iterum repetitis fatigauit, & eorum aures obtudit & onerauit.

*e* Seruius. Intelligamus hunc exercitum primò confuſe in campos ruiſſe: poſt digeſtum in ordines: vt ſit ſequentium fluminum congrua comparatio: quæ flumina dicit poſt camporum inundationem ad alueos reuerti. Nam hoc vult dicere, vt de campis flumina in alueos ſuos redeunt, ſic digeſta eſt in acies militum multitudo, quæ fuerat antè diffuſa.

*f* Filij Tyrrhei illius qui gregibus Latini præfectus erat, poſtremas acies cogunt, colligunt, ordinant, nec patiuntur

*Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſuprà eſt:*
*Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus*
*Per tacitum Ganges,* a *aut pingui flumine* b *Nilus,*
*Cùm refluit campis, & iam ſe condidit alueo.*
*Hîc ſubitam* c *nigro glomerari puluere nubem*
*Proſpiciunt Teucri, ac tenebras inſurgere campis.*
*Primus ab aduerſâ* d *conclamat mo'e Caius,*
*Quis globus,* e *ô ciues caligine voluitur atrâ?*
*Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros,*
*Hoſtis adeſt: eia ingenti clamore per omnes*
*Condunt ſe Teucri portas,* f *& mœnia complent,*
*Námque ita diſcedens* g *præceperat optimus armis*

*Turbantur Caſtra Troianorum.*

milites extra ordines ſuos diuagari, vel *coërcent*, qſt agmen claudunt.

*a* Ganges fluuius Indiæ profundus, ſedatus. & tacitè labens, qui ſecundum Strabonem vno oſtio: ſecundum Senecam nouem alueis; ſecundum Melam ſeptem in mare deuoluitur: Secundum Apuleium 1. Florid.

*——Centum valles illi oráque centum,*
*Oceanique fretis centeno iungitur amni.*

*b* Cicero 2. de natura Deorum. *Aegyptum Nilus irrigat. & cùm tota æſtate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitoſque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit* 4. Gerg.

*Et Viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,*

*c* Troiani aduertunt ſubeuntium Latinorum pedibus puluerem excitari, & totos campos tenebris obuoluere, cœlúmque prætexere.

*d* Ex aggere ſiue turri aduerſa & oppoſita Latinis, vnde videre poterat eos qui contra veniebant.

*e* Pro quantus pulueris globus excitatur, & obducit aërem caligine? *f* Obſident ab interiori parte portas, & mœnia cingunt militibus contra hoſtium irruptionem.

*g* Hoc, inquit, Troiani non faciebant ex ignauia. Sed Aeneas rei bellicæ peritiſſimus, cùm profectus eſt ad Euandrum præceperat, vt ſi quis belli caſus ſe abſente contigiſſet, portas clauderent, nec pugnæ aleam tentarent, & in campum manus conſerturi deſcenderent.

Æneas, ſi qua intereà fortuna fuiſſet.
Neu ſtruere auderent aciem, neu credere campo,
Caſtra modo & tutos ſeruarent aggere muros.
Ergo etſi cōferre manum pudor, a iraque mōſtrat,
Obijciunt portas tamen, & præcepta faceſſunt:
Armatique cauis expectant curribus hoſtem.
Turnus, vt ante volās tardū b præceſſerat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & vrbi c
Improuiſus adeſt: maculis quem Thracius d albis
Portat equus, criſtaque tegit galea e aurea rubra:
Ecquis erit mecum, f iuuenes, qui primus in hoſtē?
En (ait & iaculum intorquens emittit in auras)

*Excuſat Troianos à ſuſpicione ignauiæ.*

*Turnus bellum indicit.*

a Cerdanus. *Pudor atque ira Troianos ad exeundum hortabātur: contrà præcepta Aeneæ retabant ne exirēt: vicit obedientia militarem ardorem. Itaque hoſtem expectant in curribus muniti armis*
b Legionem grauis armaturæ.
c Troiæ, quam Æneas caſtrorum in morem pinnis atque aggere muniuerat.
d Sic Priamus Politæ filius lib. 5. deſcribitur.

*—— Quem Thracius albis*
*Portat equus bicolor maculis, vestigia primi*
*Alba pedis, frontémque oſtentans arduus albam.*

e Turnum tegit galea habens criſtam rubram.
f Verba ſunt Turni. Quis erit veſtrum, ô ſocij, qui mecum primus hoſtes Troianos inuadet, en principium pugnæ. Hæc dixit Turnus, & ſimul iaculum immiſit *in auras*, non vt hoſtem feriret (nullus enim aderat) ſed vt bellum indiceret & campo ſe intulit arduus & ſublimis, vt ipſo inceſſu geſtúque corporis Martem ſpirare videretur. *Hoc de Romana ſolennitate tractum*, inquit Seruius. *Cùm enim volebant bellum indicere, Pater Patratus, hoc eſt princeps fecialium proficiſcebatur ad hoſtium fines, & præfatus quædam ſolennia, clara voce dicebat ſe bellum indicere propter certas cauſas, &c. & hæc clarigatio dicebatur à claritate vocis. poſt quam clarigationem haſtâ in eorum fines miſſâ indicabatur iam pugnæ principium. Poſt tertium autem & tricesimum diem, quàm res repetiſſent ab hoſtibus, feciales haſtam mittebāt.*

*Principium pugnæ, & campo ſeſe arduus infert.*
*Clamorem* a *excipiunt ſocij, fremitúque ſequuntur*
*Horriſono. Teucrûm* b *mirantur inertia corda:*
*Non æquo dare ſe campo: non obuia ferre*
*Arma viros,* c *ſed caſtra fouere. huc turbidus,* d *atque huc*
*Luſtrat equo muros, aditúmque per auia quærit.*
*Ac veluti pleno lupus inſidiatus ouili,*
*Cùm fremit ad caulas,* e *vẽtos perpeſſus, & imbres,*
*Nocte ſuper media:* f *tuti ſub matribus agni* Conatur in Caſtra irrumpere.
*Balatum exercent, ille* g *aſper, & improbus ira*
*Sæuit in abſentes, collecta fatigat edendi*
*Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces:*
*Haud aliter Rutulo* h *muros, & caſtra tuenti* Comparatio.
*Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet:*
*Qua tentet ratione aditus, & qua via* i *clauſos*

*a* Claram vocem Turni, ſiue clarigationem.

*b* Donatus. *Pro animo ſuo Rutuli, cùm Æneæ conſulta mãdatáq; neſcirent, inertes Teucros iudicabant, cùm illi prudentiſſimi Regis ſui præcepta ſeruantes non crederent ſe campo, ſed caſtra diligẽtiùs cuſtodirent.* Quemadmodum gallina, quæ cùm oua fouet, ita ijs affixa eſt, vt vix inde poſſit auelli: *caſtra fouere,* vt vernaculè, *couuer la cendre.*

*c* Mirantur cur Troiani cùm viri ſint & bellis aſſueti, non vt viri prodeant in aciem, ſed vt mulieres mœnibus incluſi delitеſcant.

*b* Donatns. *Fremens Turnus, quòd præter ſpem hoſtis copiam non haberet, circuibat muros, explorãs qui ad eos exiſtere poſſet ingreſſus, quem negabat caſtrorum firma conſtructio.* Quibus exprimitur Turni violentia. Nam viam per inuia nemo ſanus requirit.

Idem Donatus. *Ouilia ſunt loca in quibus oues manent. Caulas dixit ambitum ipſum, quo tutæ aduerſus inſidias continentur.*

*f* Vltra mediam noctem, maioris noctis parte tranſacta.

*g* Lupus. *h* Turno Regi Rutulorum.

*i* Per quam viam Turnus Troianos eiiciat è vallo, & exire cogat im planitiem ad manus conſerendas.

*Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.*
*Claſſem, quæ lateri caſtrorum* a *adiuncta latebat,*
*Aggeribus ſeptam circùm, & fluuialibus vndis*
*Inuadit: ſociòſque incendia poſcit* b *ouantes:*
*Atque manum* c *pinu flagranti feruidus implet.*
*Tum verò incumbunt: vrget præſentia Turni,*
*Atque omnis facibus pubes* d *accingitur atris:* e
*Diripuêre focos: piceum* f *fert fumida lumen*
*Tæda, & commiſtam Vulcanus* g *ad aſtra fauillam.*

Claſſem Troianorum conatur incendere.

*Quis Deus, ô Muſæ, tam ſæua incendia Teucris*
*Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?*
*Dicite; priſca fides facto,* h *ſed fama perennis.*
*Tempore quo primùm Phrygiâ formabat in Idâ*
*Æneas claſſem, & pelagi petere alta parabat:*
*Ipſa deûm fertur genitrix Berecynthia* i *magnum*
*Vocibus his affata Iouem; da nate petenti,*
*Quod tua chara parens domito te poſcit Olympo.*

*a* Vrbis caſtrorum in morem munitæ.
*b* Turnus petit tædas & materiam aptam ad excitandum incendium, à ſuis, qui iam certa ſpe victoriæ tripudiabant, & quaſi triumphabant,
*c* Accipit tædam pineam, quæ tantæ magnitudinis erat, vt totam geſtantis manum impleret.
*d* Iuuentus, ſiue iuuenes.
*e* Atrum fumum voluentibus.
*f* Nigrum ex ardenti pice excitatum.
*g* Ignis.
*h* Factum hoc licet priſcum ſit, & antiquum, tamen eius fama non eſt obliterata vetuſtate.
*i* Mater Deorum à monte Phrygiæ Berecyntho. eſt Cybele. *k* Seruius. *Præſta ei cuius beneficio ſeruatus ad Olympi regna veniſti, cùm Saturnus reliquos ſuos deuoraret.* Vel, ſenſus eſt. Id eſt quod petam non ſuperabit tuas vires, tam enim potens fuiſti vt cœlum ipſum domueris.

*Pinea ſylua* a *mihi multos dilecta per annos,*
*Lucus in arce* b *ſumma, quo ſacra ferebant,*
*Nigranti piceâ,* c *trabibúſque obſcurus acernis.* d
*Has ego Dardanio iuueni,*e *cùm claſſis egeret,* *Matris Deûm ad Iouē oratio.*
*Læta dedi: nunc ſollicitam timor anxius vrget.*
*Solue metus,*f *atque hoc precibus ſine poſſe parentē,*
*Neu curſu quaſſatæ vllo, neu turbine venti*
*Vincantur: proſit noſtris in montibus ortas.*
*Filius huic contrà, torquet* g *qui ſidera mundi:*
*O genitrix, quò fata vocas? aut quid petis iſtis?*
*Mortaline manu factæ, immortale carinæ*
*Fas* h *habeant? certúſque incerta pericula luſtret* *Iouis reſponſio.*
*Æneas? cui tanta Deo permiſſa poteſtas:*
*Imò vbi defunctæ finem,* i *portuſque tenebunt*
*Auſonios, olim quæcunque euaſerit* k *vndis,*
*Dardaniúmque ducem Laurentia vexerit arua,*
*Mortalem eripiam formam, magníque iubebo*

a Pinus Matri Deûm fuit conſecrata.
b In ſummo montis Idæi cacumine. ſic Riphææ arces, Caulonis arces alibi nominantur. Idæ cacumen dictum Gargara.
c Arboris genus eſt, vnde pix deſudat.
d Acer quercûs ſpecies.
e Æneæ læta & prompto animo conceſſi, vt arbores è meo luco abſcinderet, & ex ijs naues contexeret.
f Eripe mihi hunc metum.
g Fulcit, ſuſtinet, vt de Atlante.
*Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.*
Vel rotat & circumagit. h Ius
i Periculis maritimis liberatæ, cùm Troianos ad Italiam peruexerint.
k Quindecim naues quæ ſuperfuerint Æneas viginti nauibus mare conſcenderat. Vna nauis Orontis hauſta eſt naufragio 1. Æneidos, quatuor incendio deflagrarunt à matronis Troianis incenſæ. vt lib. 5. Superſunt igitur 15.

*Æquoris eſſe Deas: qualis Nereia a Doto,*
*Et Galatea ſecant b ſpumantem pectore pontum,*
*Dixerat: idque ratum Stygij c per flumina fratris,*
*Per pice torrentes, d atraque voragine ripas,*
*Annuit, & totum nutu treme fecit Olympum.*
*Ergo aderat promiſſa dies, & tempora Parcæ*
*Debita complerant: cùm Turni iniuria e matrem*
*Admonuit ſacris ratibus depellere tædas.*
*Hic primùm noua lux f oculis effulſit, & ingens*
*Viſus ab aurora cœlum tranſcurrere nimbus,*
*Idæique chori: g tum vox horrenda per auras*
*Excidit, & Troum Rutulorúmq; agmina complet.*
*Ne trepidate h meas, Teucri, defendere naues,*
*Néve armate manus: maria antè exurere Turno,*
*Quàm ſacras dabitur pinus: vos i ite ſolutæ,*
*Ite Deæ pelagi: genitrix iubet, & ſua k quæque*
*Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,*

*a* Nerei filiæ, Nymphæ marinæ.
*b* Natant pectore in aquas maris ſpumantes incubanti.
*c* Per Stygem, Acherontem, Cocytum, Phlegethontem Plutonis flumina vel paludes. 6. Æneid.

*Cocyti ſtagna alta vides, ſtygiámque paludem,*
*Dii cuius iurare timent, & fallere numen.*

*d* Vel ardentes, vel torrentis inſtar æſtuantes.
*e* Incendium nauibus à Turno per iniuriam oblatum.
*f* Lumen quod Deorum capita ambit.
*g* Chori Deorum minorum, qui Matri Magnæ famulantur.
*h* Ne labora, ne feſtinate.
*i* Vos autem ô naues, ite iam liberæ à retinaculis, quæ vos ad anchoras religabat. Ite Magna Mater iubet vos in Nymphas marinas transformare, & ab anchoris diſcedere.
k Donatus. *Nota vincula vim periculi imminentis oſtendunt: nã ſi eſſet otium, ſoluerentur potiùs vincula eadem, quàm rumperẽtur*

*Delphinumque modo demerſis æquora roſtris*
*Ima petunt, hinc virgineæ ( mirabile monſtrum )* Naues Aeneæ mutantur in Nymphas marinas
*Reddunt ſe* a *totidem facies, pontóque feruntur,*
*Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ.*
*Obſtupuêre animis Rutuli,* b *conterritus ipſe*
*Turbatis Meſſapus equis, cunctatur* c *& amnis*
*Rauca ſonans: reuocátque pedem Tiberinus ab alto.*
*At non audaci ceſſit fiducia Turno:*
*Vltrò animos tollit* d *dictis, atque increpat vltrò:* Turni cauſa in Erigẽ hortatio ad ſuos.
*Troianos hæc monſtra petunt:* e *his Iuppiter ipſe*
*Auxilium ſolitum eripuit: non tela,* f *nec ignes*
*Expectant Rutulos: ergo maria inuia Teucris:*
*Nec ſpes vlla fugæ: rerum pars altera adempta eſt:*
*Terra autem in manibus noſtris: tot millia gentes*
*Arma ferunt Italæ, nil me fatalia terrent,*

a Totidem nymphæ ex aquis emergunt, & è fundo reddũtur, quot naues demerſæ fuerunt.

b Quo cum eſſet Neptuni filius, fiduciâ patris ſui nihil ex mari timere debebat.

c Tyberis raucum ſonitum edens cunctatur, nec audet aquas ſuas in mare emittere, in quo videbat tam inuſitatum prodigium contigiſſe.

d Erigit verbis animos ſuorum, quos videbat eo miraculo ſtupefactos

e Hæc prodigia perniciem Troianis portendunt: Nam Iupiter ablatis eorum nauibus, eripuit eis auxilium aſſuetum. Nõ enim armis, & virtute, ſed nauibus, & fuga ſolent Troiani ſalutem ſuam expedire.

f Seruius. *Non expectant Troiani, vt Rutulorum ignibus & telis pereant, qui iam nautum amiſſione perierunt.* Amiſſis ergo nauibus iam non poſſunt nauigare, & fugâ è noſtris manibus elabi. Et è duobus elementis; quæ ſunt humana generi conceſſa, mare iam illis ademptum eſt: terra autem eſt in noſtra poteſtate: & ita neque terra neque mari Troiani poſſunt euadere.

*Si qua Phryges præ ſe iactant reſponſa Deorum:*
*Sat fatis, Venerique datum eſt, tetigêre quod arua,*
*Fertilis Auſoniæ Troës: ſunt & mea contra*
*Fata mihi, ferro ſceleratam exſcindere gentem,*
*Coniuge prærepta:* a *nec ſolos* b *tangit Atridas*
*Iſte dolor, ſoliſque licet capere arma Mycenis.*
*Sed periiſſe ſemel ſatis eſt:* c *peccare fuiſſet*
*Antè ſatis, penitus modò non genus omne peroſum*
*Fœmineum, quibus hæc medij fiducia* d *valli,*
*Foſſarúmque moræ, lethi diſcrimina parua,*
*Dant animos, an non viderunt mœnia Troiæ*
*Neptuni fabricata manu conſidere in ignes?*
*Sed vos, ô lecti, ferro quis ſcindere vallum*
*Apparat, & mecum inuadit trepidantia caſtra?*

*a* Prærepta mihi Lauinia, quam Latinus pater mihi deſponderat.

*b* Nec ſolùm Agamemnoni & Menelao licet iraſci propter raptum Helenæ, & bello perſequi acceptam iniuriam: licebit etiam mihi Troianam gentem exſcindere propter raptum Lauiniæ.

*c* Obiiciet aliquis Traianos bis non eſſe puniendos, ſed ſufficere quòd ſemel perierunt. Reſpondeo, eos vno ſcelere, vno Helenæ raptu debuiſſe eſſe contentos, totiéſque repetendam ab ijs eſſe pœnam, quoties peccauerint. Hoc enim priore ſupplicio emendare ſe & ad meliorem frugem redire debuerunt, & tantum non omne genus fœmineum odiſſe, cum experientiâ didicerint, ſe propter vnius Helenæ raptum in tantas clades incidiſſe.

*d* Vſque adeo, inquit, inertes ac ſtolidi, vt inde ſe arbitrentur ſuperiores ac fortes, quod paruulo interſtitio valli & exiguâ morâ foſſarum à nobis ſeparentur, quibus hoc tantùm præſtat hæc valli & foſſarum intercapedo; vt paulò tardiùs moriantur. Nam ſi viderunt mœnia Troiæ Neptuni manu fabricata incendio deflagraſſe, nihil eſt cur in his vallis & foſſis ponant fiduciam.

*Non armis mihi Vulcani,* a *non mille carinis*
*Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes*
*Hetruſci ſocios, tenebras, & inertia furta*
*Palladij cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,*
*Ne timeant: nec equi cæca condemur in aluo:*
*Luce palam certum eſt igni circundare muros.*
*Haud ſibi cum Danais rem faxo,* b *& pube Pelaſga*
*Eſſe putent, decimum quos diſtulit Hector in annũ.*
*Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,*
*Quod ſuper eſt læti benè geſtis corpora rebus* c
*Procurate viri, & pugnam ſperate parati.*
*Interea vigilum excubiis obſidere portas,*
*Cura datur Meſſapo, & mœnia cingere flammis.* d

*a* Ad exſcindendam & internecione delendam gentem Troianorum, non opus habeo armis à Vulcano fabricatis, vt opus habuit Achilles, non mille nauibus, vt Græci mille nauibus contra Troianos bellum intulerunt: his, inquam, mihi non eſt opus etiam ſi omnes Hetruſci ſe Troianis adiunxerint, nec fraude vtemur contra illos, vt vſi ſunt Græci, cùm Vlyſſes & Diomedes noctu per cuniculos, aut etiam per cloacas in vrbem Troianam illapſi, cuſtodes arcis dormientes iugularunt, & Palladium, id eſt imaginem Mineruæ de cœlo lapſam furtim ſuſtulerunt, aut cùm Græciæ principes in obſcurum & latebroſum equi lignei vterum ſe condiderunt, & his inſidiis vrbem ceperunt.

*b* Ita me geram, vt ſentiant Troiani ſe cùm Græcis rem non habere: ſed nos Græcis eſſe longè fortiores: qui tamen Græcis tãdiu non teſtitiſſent, niſi Hector ſua virtute bellum diſtuliſſet, & protelaſſet, feciſſetq; vt Troani tardiùs vincerentur.

*c* Ne paruam rem effectam eſſe putatote, quòd Troiani naues ſuas amiſerint, & caſtris ſe tenentes ſuum metum & inertiam oſtenderint: ſed quaſi re benè geſta veſtros animos ad lætitiã & gratulationes cõuertite, & ſperate fore vt breui Troianos excutiamus vallo, & vel inuitos cogamus in cãpũ deſcendere.

*d* Circum mœnia ignes excitate cõtra nocturnas eruptiones.

*Niſus erat portæ cuſtos, acerrimus armis* *Niſus & Euryalus.*
*Hyrtacides: comitem Æneæ quem miſerat Ida*
*Venatrix*, a *iaculo celerem, leuibúſque ſagittis:*
*Et iuxtâ comes Euryalus: quo pulchrior alter*
*Non fuit Aeneadûm*, b *Troiana nec induit arma:*
*Ora puer primâ ſignans intonſa iuuentâ.*
*His amor vnus erat*, c *pariterque in bella ruebant,*
*Tunc quoque communi portam ſtatione tenebant.*
*Niſus ait: Dij ne hunc* d *ardorem mentibus addũt,*
*Euryale: an ſua cuique Deus ſit dira cuipdo?*
*Aut pugnam, aut aliquid iamdudum inuadere magnum.*

di vigiles primis ſuccedebant. Lucanus l. 5.
*Tertia iam vigiles commouerat hora ſecundos.*
horâ ſextâ ſiue media nocte, tertij vigiles, noua demum vſque ad auroram quarti vigiles vices variabant. Eſt itaque vices exercere nihil quam per vices prioribus vigilibus ſuccedere, & eam muri partem tueri, quæ ſorte cuique contigerat.

*a* Notat Seruius. *Ida* non eſſe nomen montis, ſed mulieris, quæ fuit Niſi mater, Hyrtaci coniux. Neque enim bellè Ida venatrix, quaſi feris & venationibus abundans dicetur.

*b* Quo nemo pulchior, fuit non ſolùm inter eos qui Troiæ excidio elapſi, & ſecuti Æneam ab eo nomen habuerunt: ſed ne inter eos quidem qui quouis alio tempore Troiana arma induerunt.

*c* Florens prima lanugine, & ſignãs ora, quaſi lanugo nondum totas genas veſtiret, ſed linea quædam & nota lanuginis inſerperet, quam nondum totonderat.

*d* Ita ſe mutuo ſimilique affectu diligebãt, vt vnus amor è duobus conflatus eſſe videretur: & eam ob rem in acie nolebãt à ſe inuicem ſeparari. Huic amori fortunæ felicitas acceſſerat, nã cum excubiæ ſorte ducerentur, ẽandem ſortiti ſuntſtationem.

*e* O Euryale, Num Deus aliquis hoc in animo meo ardens deſiderium excitauit, an quiſque cupiditatis ſuæ vehementiam ſibi Deum putat, & ad id ſe diuino inſtinctu moueri credit, ad quod propria cupiditate impellitur?

*Niſus proponit quid apud ſe deliberet.*

*Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete eſt.*
*Cernis a quæ Rutulos habeat fiducia rerum?*
*Lumina rara micant: ſomno, vinóque ſoluti*
*Procubuêre: ſilent latè loca, percipe porrò*
*Quid dubitē, b & quæ nunc animo ſententia ſurgat.*
*Ænean acciri omnes populuſque, Patréſque*
*Expoſcunt, mittique viros, qui certa reportent.*
*Si tibi, c quæ poſco, promittunt (nam mihi facti*
*Fama ſat eſt) tumulo videor reperire ſub illo*
*Poſſe viam ad muros, d & mœnia Pallantæa.*
*Obſtupuit magno laudum perculſus amore*
*Euryalus, ſimul his ardentem aſſatur amicum.*
*Méne igitur ſocium ſummis adiungere rebus*
*Niſe fugis; ſolùm te in tanta pericula mittam? e*

*a* Videſne quàm negligentes & ſecuri ſunt Rutuli præ fiducia. Rari ignes in eorum caſtris, accenſi ſunt, quaſi nullas hoſtium inſidias pertimeſcant, & in tanta locorum latitudine ſilentium vbique eſt plenum: quod iudicio eſt Rutulos per ebrietatem in ſomnum eſſe collapſos.

*b* Audi quid apud me tacitus initio deliberauerim, nunc autem facere decreuerim. Vel quid dubitem an perficere poſſim, & ad felicem exitum perducere: conari tamen & tentare ſi quo pacto fieri poſſit, in animum meum induxerim.

*c* Si Troiani volunt promittere ſe tibi perſoluturos eſſe ea præmia quæ poſcam ab illis (nam, quod ad me attinet, præmia mihi non flagito, ſufficiet enim gloria quæ naſcetur ex facto tam illuſtri.) Si, inquam, tibi volunt præmia promittere, videor mihi poſſe reperire viam ſub illo tumulo, quem intento digito tibi oſtendo, ad vrbem Euandri, quo ſe contulit Æneas auxilium ab eo petiturus.

*d* Videtur hæc eſſe inter muros & mœnia diſtinctio, quòd mœnia nonnunquam dicantur omnia ædificia publica ciuitatis, vt portæ, turres, propugnacula muri, prout à portis & turribus diſtinguuntur. Vide tamen pro Marcello §.10. nota 3.

*e* Permittamne vt tu ſolus, me non comitante, tanto periculo vitam exponas.

*Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes* — Reſpondet Euryalus.
*Argolicum terrorem inter, Troiæque labores*
*Sublatum,* a *erudijt:* b *nec tecum talia geſſi,*
*Magnanimum Ænean, & fata extrema ſecutus.*
*Eſt hic, eſt animus lucis* c *contemptor: & iſtum*
*Qui vitâ bene credat emi, quò tendis, honorem.*
*Niſus ad hæc: Equidem de te nil tale* d *verebar:*
*Nec fas, non: ita me referat tibi magnus* e *ouantem*
*Iupiter, aut quicunque oculis hæc aſpicit æquis,*
*Sed ſi quis (quæ multa vides diſcrimine tali)*
*Si quis in aduerſum rapiet caſúſve Deúſve,*
*Te ſupereſſe velim: tua vita dignior* f *ætas.*
*Sit qui me raptum pugna, pretióve redemptum*
*Mãdet humo* g *ſolita: aut, ſi qua id fortuna vetabit,*

*a* Tolli dicuntur pueri, cùm recens in lucem editi ſuſcipiuntur à parentibus vt educentur. Terentius Andriâ.

*Quicquid peperiſſet decreuerunt tollere.*

*b* Primis imbuit militiæ rudimentis.

*c* Noui ipſe quoque pro laude vitam ſalutemque contemnere: noui facinus magnũ ſine magno periculo compleri non poſſe: ſcio honorem, quò tu adſpiras, vel vitæ ipſius impendio comparandum eſſe.

*d* Quale tu ſuſpicaris nec de te adoleſcente fortiſſimo fas eſt tantũ flagitium vereri, quaſi tu mortẽ honeſtam pertiſmeſcas

*e* Eſt iuramentum Ita me Deus adiuuet, ita redeam ad te victor & triumphans, vt de te nihil ſiniſtri ſuſpicabar.

*f* Ætas tua florens digna eſt vita longiore, quam vt in tam apertum periculum prouehatur.

*g* Sepeliat in terra conſueta, in qua mortui ſepeliri ſolent. Quia tamen mandare terræ dicimus, non mandare terra, legendum videretur.

*Mandet humo ſolita.* — vel ita diſtinguendum

*Mandet humo: ſolita aut ſi quid fortuna vetabit.*

Hoc ſenſu, aut ſi fortuna, id vetabat, quæ ſolet viris fortibus eſſe contraria.

*Abſenti ferat inferias,* a *decoretque ſepulchro;*
*Neu matri miſeræ tanti ſim cauſſa doloris,*
*Quæ te ſola, puer multis è matribus* b *auſa*
*Proſequitur, magni nec mœnia curat* c *Aceſtæ.*
*Ille autem: Cauſſas nequicquam nectis inanes,*
*Nec mea iam mutata loco ſententia cedit;*
*Acceleremus ait; vigiles ſimul excitat; illi*
*Succedunt, ſeruántque vices ſtatione* d *relicta,*
*Ipſe comes Niſo graditur, Regémque* e *requirunt.*
*Cætera per terras omnes animalia ſomno*
*Laxabant curas, & corda oblita laborum;*
*Ductores Teucrum primi & delecta iuuentus,* f
Conſultant inter ſe Troiani proceres
*Conſilium ſummis regni de rebus habebant,*
*Quid facerent, quiſue Æneæ iam nuntius eſſet.*
*Stant longis adnixi haſtis, & ſcuta tenentes,*
*Caſtrorum, & campi medio:* g *tum Niſus, & vnà*

*a* Cenotaphium mihi mortuo exſtruat, & ad illud ſepulchrũ inane ferat inferias. Dictæ inferiæ quòd mortuorũ ſepulchris inferãtur. Docet & eruditè probat hoc loco noſter Cerdanus inferias ſex præcipue rebus contineri. Aqua, melle, lacte, vino, ſanguine, comis: victimas addere potuiſſet. lib. 10. Æneidos.
— *Inferias quos immolet vmbris.*
*b* E fœminis nobilibus, & matronis.
*c* Nec manere voluit in Sicilia, vbi Aceſtes vrbem Aceſtam ſiue Segeſtam tradidit Troianis mulieribus & ſenibus habitandam, vt ſcribitur 3. Aeneid.
*d* Portæ cuſtodia.
*e* Aſcanium filium Regis Aeneæ.
*f* Videtur ad militiæ Romanæ morem alludere: quippe cùm militari conſilio non primi ductores ſolùm, Legati, Quæſtores, Tribuni militum, Præfecti Equitum: ſed interdum primipili, centuriones, & delecti quidam equites intereſſent.
*g In mediis caſtris principes ſunt ſemper*, Inquit Seruius, conſilium autem militare habebatur, vel in prætorio, vel ſaltem

*Euryalus confeſtim alacres* a *admittier orant:*
*Rem magnam, pretiúmque moræ fore: primus Iulus*
*Accepit trepidos,* b *ac Niſum dicere iuſsit.*
*Tunc ſic Hyrtacides: Audite ô mentibus æquis*
*Æneadæ, neve hæc noſtris ſpectentur* c *ab annis,* Niſus iis proponit conſilia de vocando Aenea.
*Quæ ferimus. Rutuli ſomno, vinóque ſepulti*
*Conticuêre, locum* d *inſidiis conſpeximus ipſi,*
*Qui patet in biuio portæ, quæ proxima ponto:*
*Interrupti* e *ignes, atérque ad ſidera fumus*
*Erigitur: ſi fortuna* f *permittitis vti,*

principiis, quæ principia fuerunt ante prætorium, penè in medio caſtrorum, vt videre eſt apud Lipſium lib. 5. de militia Rom.

*a* concitati. Terentius.

*Quid tu es triſti, quid ve es alacris?*

*b* Feſtinantes.

*c* Eſtote æqui iudices, & rem ipſam quam dicturi ſumus, non ætatem ponderate, & in ſtatuenda non annorum Euryali, ſed rationum habete rationem.

*d* Non aliorũ relatione cognouimus, ſed nos ipſi noſtris oculis conſpeximus locum qui patet, & cõmodus eſt ad inſidias Rutulis comparandas. Is autem locus eſt in biuio ſiue cõcurſu duarum viarum ad portam vrbis Tyrrheno mari vicinam.

*e* Interrupta eſt illa ſeries ignium quam Rutuli circa muros vrbis accenderant, ignibus alibi adhuc ardentibus, alibi iam penè ſopitis & adeo marcidis vt loco flammarum ater fumus in aërem erigatur, quo indicio patet Rutulos dormire, nec ignem amplius fouere.

*f* Si permittitis vt oblatam occaſionem rapiamus, mox hîc affore cernetis Æneam, cùm ſpolijs, ingenti Rutulorum cæde peracta: Æneam, inquam affore cernetis, quæſitum à nobis ad mœnia Pallantæa, & inde euocatum. Id eſt quem ibimus quæſitum vſque ad Pallantæum, neque aberrabimus à via. Hanc enim probè tenemus, & cùm aſſidue venantes, ad obſcuras quaſdam & opacas valles deueniſſemus, vidimus vrbem Pallantæum in excelſo montis faſtigio conſti-

*Quæſitum Ænean ad mœnia Pallantæa,*
*Mox hic cum ſpolijs ingenti cæde peracta*
*Affore cernetis; nec nos via fallit euntes.*
*Vidimus obſcuris primam ſub vallibus vrbem*
*Venatu aſſiduo, & totum cognouimus amnem.*
*Hic annis grauis, atque animi maturus Alethes,*
*Dij patrij, a quorum ſemper ſub numine Troia eſt,*
*Non tamen omnino Teucros delere paratis.*
*Cùm tales animos iuuenum & tam certa* b *tuliſtis*
*Pectora: Sic memorans, humeros, dextraſq; tenebat*
*Amborum, & vultum lachrymis, atque ora rigabat.*
*Quæ vobis, quæ digna, viri pro talibus auſis,*
*Præmia poſſe rear ſolui? pulcherrima* c *primum*
*Dij, moréſque dabunt veſtri*; *tum cætera* d *reddet*
*Actutum pius Æneas, atque integer æui*

tutam, & flexus reflexúſque Tiberis, eiúſque vada, & omnia viarum compendia cognouimus.

a Seruius *Licet iraſcamini ad tempus, hinc tamen apparet non velle vos penitus delere Troianos, quòd tales animos noſtris iuuenibus datis.*

b Fortia, firma, non fluctuantia, aut timore nutantia.

c Cùm in rebus humanis nulla præmia veſtris meritis reſpondeant, expectanda ſunt à Deo præmia meritorum: & à moribus veſtris, quia nimirum, ipſa virtus ſibi præmium eſt ampliſſimum. Vide Milonianam parag. 97. Nota 1.

d Secundaria præmia, debita veſtris virtutibus reddet pius æneas, actutum, id eſt ſtatim & primum quoque tẽpore, & poſtea reddet Aſcanius cùm ad vitæ integritatem ſiue ad virilem ętatem peruenerit. Hanc autem eſſe huius loci ſententiam colligi poteſt è particula ſequenti. *Imo ego*, &c. quæ aduerſatiua eſt quodammodo. Vt ſi dicat Aſcanius: imò non eſt expectandum donec ad virilem ætatem peruenerim, ſed iam nunc dabo duo pocula &c. Priùs tamen quàm præmia proponat obteſtationem interſerit, ne palam Alethæ contradicere videatur.

*Aſcanius, meriti tanti non immemor vnquam.*
*Imò ego vos, cui ſola ſalus genitore reducto,*
*Excipit Aſcanius, per magnos Niſe Penates,* a
*Aſſaracíq; Larẽ,* b *& canæ* c *penetralia* d *Veſtæ* e
*Obteſtor,* f *quæcumque mihi fortuna, fideſque eſt,*
*In veſtris pono gremijs,* g *reuocate parentem:*
*Reddite conſpectum; nihil illo triſte recepto.*
*Bina dabo argento perfecta,* h *atque aſpera ſignis* i
*Pocula, deuictâ genitor quæ cepit Ariſba:* k
*Et tripodas* l *geminos: auri duo magna* m *talenta:*

*a* Vide Milon. parag. 39. Notâ 3.
*b* Aſſaracus Rex Troianorum, vnus ex Aſcanij maioribus: per Larem itaque vel publicum Larem Troianæ ciuitatis, vel priuatum familiæ Regiæ Larem, intelligit, vel ipſos manes, id eſt animam Aſſaraci. Vide Vatinianam paragr. 14. Notâ 8.
*c* Vel Antiquiſſimæ, vel omnium maximè venerandæ. Veſtam enim Deorum omnium antiquiſſimam putabant, & ei ſacrificiorum omnium primitias offerebant.
*d* Adyta, ſacraria.
*e* Deæ, quam alij ignem, alij Terram eſſe fabulantur.
*f* Adiuro.
*g* In vobis acquieſco: vobiſque commendo, & velut in veſtro ſinu depono, quicquid habeo fortunarum, quicquid fidei ſiue honeſtatis *Mes biens & mon credit.* Quia niſi pater meus breui redierit, omnibus fortunis euertar, & non ſolùm rẽ, ſed etiam fidem & honeſtatẽ amittam. Vel in vobis acquieſco quæſóq; vt id faciatis quod à me & fortunarum mearum fideique & pietatis in parentem poſtulant rationes.
*h* Tota ex argento facta.
*i* Aſperata ſignis ſiue icunculis quibuſdam, vel arte toreutica impreſſis, vel eminenti cælatura expreſſis & extantibus.
k Vrbs eſt Phrygiæ, quam Homerus cum Rhetæo & Dardano numerauit.
*l* Lebetas qui tribus pedibus ſuſtinentur, quos antiqui plurimi faciebant. Vide 5. Æneid. Verſu 104.
*m* Talenta alia fuerant parua, alia magna. vide notas pro Rab. Poſthumo parag. 21.

*Quæſitum Ænean ad mœnia Pallantæa,*
*Mox hic cum ſpolijs ingenti cæde peracta*
*Affore cernetis; nec nos via fallit euntes.*
*Vidimus obſcuris primam ſub vallibus vrbem*
*Venatu aſsiduo, & totum cognouimus amnem.*
*Hic annis grauis, atque animi maturus Alethes,*
*Dij patrij,* a *quorum ſemper ſub numine Troia eſt,*
*Non tamen omnino Teucros delere paratis.*
*Cùm tales animos iuuenum & tam certa* b *tuliſtis*
*Pectora: Sic memorans, humeros, dextraſq; tenebat*
*Amborum, & vultum lachrymis, atque ora rigabat.*
*Quæ vobis, quæ digna, viri pro talibus auſis,*
*Præmia poſſe rear ſolui? pulcherrima* c *primum*
*Dij, moréſque dabunt veſtri; tum cætera* d *reddet*
*Actutum pius Æneas, atque integer æui*

tutam, & flexus reflexúſque Tiberis, eiúſque vada, & omnia viarum compendia cognouimus.

a Seruius *Licet iraſcamini ad tempus, hinc tamen apparet non velle vos penitus delere Troianos, quòd tales animos noſtris iuuenibus datis.*

b Fortia, firma, non fluctuantia, aut timore nutantia.

c Cùm in rebus humanis nulla præmia veſtris meritis reſpondeant, expectanda ſunt à Deo præmia meritorum: & à moribus veſtris, quia nimirum, ipſa virtus ſibi præmium eſt ampliſſimum. Vide Milonianam parag. 97. Nota 1.

d Secundaria præmia, debita veſtris virtutibus reddet pius æneas, actutum, id eſt ſtatim & primum quoque tẽpore, & poſtea reddet Aſcanius cùm ad vitæ integritatem ſiue ad virilem ętatem peruenerit. Hanc autem eſſe huius loci ſententiam colligi poteſt è particula ſequenti. *Imo ego*, &c. quæ aduerſatiua eſt quodammodo. Vt ſi dicat Aſcanius: imò non eſt expectandum donec ad virilem ætatem peruenerim, ſed iam nunc dabo duo pocula &c. Priùs tamen quàm præmia proponat obteſtationem interſerit, ne palam Alethæ contradicere videatur.

*Aſcanius, meriti tanti non immemor vnquam.*
*Imò ego vos, cui ſola ſalus genitore reducto,*
*Excipit Aſcanius, per magnos Niſe Penates,* a
*Aſſaraciq; Larẽ,* b *& canæ* c *penetralia* d *Veſtæ* e
*Obteſtor,* f *quæcumque mihi fortuna, fideſque eſt,*
*In veſtris pono gremijs,* g *reuocate parentem:*
*Reddite conſpectum; nihil illo triſte recepto.*
*Bina dabo argento perfecta,* h *atque aſpera ſignis* i
*Pocula, deuictâ genitor quæ cepit Arisba:* k
*Et tripodas* l *geminos: auri duo magna* m *talenta:*

*a* Vide Milon. parag. 39. Notâ 3.
*b* Aſſaracus Rex Troianorum, vnus ex Aſcanij maioribus: per Larem itaque vel publicum Larem Troianæ ciuitatis, vel priuatum familiæ Regiæ Larem, intelligit, vel ipſos manes, id eſt animam Aſſaraci. Vide Vatinianam paragr. 14. Notâ 8.
*c* Vel Antiquiſſimæ, vel omnium maximè venerandæ. Veſtam enim Deorum omnium antiquiſſimam putabant, & ei ſacrificiorum omnium primitias offerebant.
*d* Adyta, ſacraria.
*e* Deæ, quam alij ignem, alij Terram eſſe fabulantur.
*f* Adiuro.
*g* In vobis acquieſco: vobiſque commendo, & velut in veſtro ſinu depono, quicquid habeo fortunarum, quicquid fidei ſiue honeſtatis *Mes biens & mon credit*. Quia niſi pater meus breui redierit, omnibus fortunis euertar, & non ſolùm rẽ, ſed etiam fidem & honeſtatẽ amittam. Vel in vobis acquieſco quæſóq; vt id faciatis quod à me & fortunarum mearum fideique & pietatis in parentem poſtulant rationes.
*h* Tota ex argento facta.
*i* Aſperata ſignis ſiue icunculis quibuſdam, vel arte toreutica impreſſis, vel eminenti cælatura expreſſis & extantibus.
*k* Vrbs eſt Phrygiæ, quam Homerus cum Rhetæo & Dardano numerauit.
*l* Lebetas qui tribus pedibus ſuſtinentur, quos antiqui plurimi faciebant. Vide 5. Æneid. Verſu 104.
*m* Talenta alia fuerant parua, alia magna. vide notas pro Rab. Poſthumo parag. 21.

*Cratera antiquum: quem dat Sidonia Dido.*
*Si verò capere Italiam, ſceptriſque potiri*
*Contigerit victori, & præda ducere* a *ſortem,*
*Vidiſti quo Turnus equo, quibus ibat in armis*
*Aureus: ipſum illum,* b *clypeum, criſtáſque rubẽtes*
*Excipiam ſorti,* c *iam nunc tua præmia Niſe.*
*Præterea bis ſex genitor lectiſsima matrum* d
*Corpora, captiuóſque dabit, ſuáque omnibus arma:*
*Inſuper his campi, quod Rex habet ipſe Latinus.*
*Te verò,* e *mea quem ſpatiis propioribus ætas*
*Inſequitur, venerande* f *puer, iam pectore toto*
*Accipio, & comitem caſus complector in omnes.*
*Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus,*
*Seu pacem, ſeu bella geram, tibi maxima rerum,*
*Verbonúmque fides. Contra quem talia fatur*
*Euryalus: Me nulla dies tam fortibus* g *auſis*

*a* Iacere ſortem ad prædam diuidendam.

*b Ipſum illum equum*: inquit Seruius.

*c* Non patiar vt ſortes in equum & arma Turni iaciantur, ſed ea tibi citra ſortem dabo, & iam nunc tibi in præmium deſtinantur.

*d* Cum dicit *matrum*, non ſolùm ſexum oſtendit, ſed etiam fœcunditatem, vt ait Seruius, Matres etiam dicuntur, Matronæ, nobiles fœminæ & primariæ.

*e* Tibi verò, O Euryale, cuius ætatẽ ætas mea proximè ſequitur, vt parua ſit inter ætatem vtriuſque diſtinctio, iam nunc defero primum locum inter amicos.

*f* Vel propter formæ dignitatem & præſtantiam, quæ eum venerabilem reddebat, vel quia virtus ætatem præueniens eum auguſtum & quouis honore & reuerentia dignũm faciebat. De maieſtate pueritiæ dictum nonnihil in Cælianã parag. 7.

*g* Offers mihi periculorum, gloriæ, pacis, belli, omnium denique factorum & conſiliorùm tuorum ſocietatem, O Aſcani: Tibi viciſſim promitto me tibi non defuturum, nullamque diem fore, quæ me ab hac virtute & fortitudine quæ me

*Diſsimilem arguerit: tantùm, fortuna ſecunda,*
*Aut aduerſa cadat: ſed te ſuper [a] omnia dona*
*Vnum oro, genitrix Priami de gente [b] vetuſta*
*Eſt mihi, quam miſeram tenuit non Ilia tellus*
*Mecum excedentem, non mœnia regis Aceſtæ:*
*Hanc ego nunc ignarã huius, quodcũque pericli eſt,*
*Inque ſalutatam linquo: nox, & tua teſtis*
*Dextera, quòd nequeam lachrymas perferre parẽtis:*
*At tu, oro, ſolare inopem, & ſuccurre relictæ:*
*Hanc ſine me ſpem ferre tui: [c] audentior ibo*
*In caſus omnes. Perculſa mente dederunt*
*Dardanidæ lacrymas: ante omnes pulcher Iulus:*
*Atque animum patriæ [d] ſtrinxit pietatis imago,*
*Tunc ſic effatur.*

*Euryalus matrem ſuam commẽdat.*

*Spondeo digna [e] tuis ingentibus omnia cœptis.*
*Námque erit iſta mihi genitrix, [f] noménque Creuſæ*

nunc ad fortiter faciendum hortatur, degeneraſſe conuincat. Hoc tantùm poſſum de me promittere, nã fortunæ proſperos aduersóſque caſus præſtare non poſſum. Hoc poſſum profiteri me in omni fortunæ caſu fortier eſſe facturum, quemadmodum tu me in omnes fortunæ caſus comitem amplecteris.

a Vltra omnia promiſſa, præ omnibus quæ mihi polliceris.

b Nobiliſſima, & ipſa Aſcanio conſanguinea: nam Aſcanius Priami nepos per matrem Creuſam.

c Fac vt feram mecum ſpem te matri meæ inopi & relictæ futurum eſſe auxilio & ſolatio: id ſi feceris maiore animo, maiore alacritate ſubibo omnia pericula.

d Aſcanius videns hanc Euryali pietatem, viſus eſt ſibi videre viuam & expreſſam imaginem paternæ pietatis, quà Æneas ipſius pater Anchiſen ex incendio Troiano liberauit, & illius pietatis recordatione perculſus & quaſi ſtrictus & deuinctus lacrymas vbertim effudit.

e Vt tu omnia ſumma mereris, ita omnia tibi ſumma promitto, & digna tuis iſtis generoſis conatibus.

f Tua mater apud me matris propriæ locum obtinebit: excepto quòd non vocatur Creuſa, vt mater mea vocabatur.

*Solum deſuerit, nec partum* a *gratia talem*
*Parua manet, caſus* b *factum quicunque ſequetur.*
*Per caput hoc iuro, per quod pater ante* c *ſolebat,*
*Quæ tibi polliceor reduci, rebúſque ſecundis*
*Hæc eadem matriq; tuæ, generique* d *manebunt.*
*Sic ait illachrymans, humero ſimul exuit enſem*
*Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon*
*Gnoſſius,* e *atque habilem* f *vaginâ aptarat eburnâ,*
*Dat Niſo Mneſtheus pellem, horrentiſque leonis*
*Exuuias, galeam fidus permutat Alethes.*

*Munera dantur Niſo & Euryalo*

*Protinus armati incedunt, quos omnis euntes*
*Primorũ* g *manus ad portas, iuuenúmque, ſenũque*
*Proſequitur votis, necnon & pulcher Iulus*
*Ante annos, animúmque gerens, curámque virilem,*
*Multa patri portanda dabat mandata, ſed auræ*
*Omnia diſcerpunt,* h *& nubibus irrita donant.*

*a* Etiam ſi tu illam non oratione tua commendares, tamẽ magna illam gratia maneret; magno eſſet honore proſequènda, vel hoc ſolùm nomine quòd te talem ac tantum, tã fortem, tam generòſum filium in lucem produxerit.
*b* Merita tua & gratiam matri tuæ rependendam non euentis, ſed conſiliis & factis tuis põderabo, eámque omni obſeruantia proſequendam putabo, ſiue res tibi bene, malè ſucceſſerit.
*c* Videtur hoc iuramẽto non ſolùm ſuam, ſed etiam patris ſui fidem velle obligare. Quaſi dicat vſurpo illud iuramentum quòd hactenus fuit patri meo ſanctiſſimum.
*d* Conſanguineis, propinquis. Neque enim liberos habebat Euryalus. *e* Cretenſis à Gnoſſo Cretæ ciuitate.
*f* Accommodatam ad habendum. *Adiuſtée.*
*g* Primores, turba procerum, ſiue optimatum.
*h* Monebat vt illi multa patri ſuo Æneæ nuntiarent; ſed fruſtra: cum enim illi nuntiatur non fuerint, perinde fecit atque ſi verba in ventos effunderet.

*Egreſſi ſuperant* a *foſſas, noctiſque per vmbram*
*Caſtra inimica* b *petunt, multis tamen antè futuri*
*Exitio; paſſim vino, ſomnóque per herbam*
*Corpora fuſa vident, arrectos littore currus,* c
*Inter lora, rotáſque viros, ſimul arma iacêre.*
*Vina ſimul: Prior Hyrtacides* d *ſic ore locutus,*
*Euryale, audendum dextra, nunc ipſa vocat res.* e
*Hac iter eſt; tu, ne qua manus ſe attollere nobis*
*A tergo poſſit cuſtodi, & conſule longè.*
*Hæc ego vaſta* f *dabo, & lato te limite ducam.*
*Sic memorat, vocémq; premit, ſimul enſe ſuperbum*
*Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis*
*Extructus,* g *toto proflabat pectore ſomnum,*
*Rex idem, & regi Turno gratiſſimus augur:*
*Sed non augurio potuit depellere peſtem.*
*Tres iuxta famulos temerè* h *inter tela iacentes:*
*Armigerúmq; Remi premit, aurigámque ſub ipſis*
*Nactus equis; ferróque ſecat pendentia colla.*

*Ingrediuntur hoſtium caſtra.*

*Multos occidunt Rutulorum.*

*a* Tranſgrediuntur foſſam vrbi circundatam.
*b* Petunt caſtra, quæ ipſis mortem adferre debebant, multis tamen ante futuri exitio quam morte occumberent.
*c* Extremas curruum partes in terram depreſſas, iugum & temonem erectum, vt fieri ſolet equis abſentibus.
*d* Niſus Hyrtaci filius.
*e* Res ipſa nos hortatur ad audaciam, & præclara rei bene gerendæ occaſio.
*f* Vaſtabo caſtra, iis occiſis qui locum occupant: faciamque latum limitem quo tranſire poſſimus.
*g* Rhamnetem nobilem & generoſum enſe aggreditur, qui fortè in alto ſublimique toro tapetibus extructis & circumfuſis inuolutus ſtertebat.
*h* Paſſim, fortuitò, negligenter, quocunque loco ſomnus eos occuparat.

*Tum caput ipſi aufert domino [a] truncũque relinquit*
*Sanguine ſingultantem, atro tepefacta cruore*
*Terra, torique madent: nec non Tamyrúmque, Lamúmque*
*Et iuuenem Serranum: illâ qui plurima nocte*
*Luſerat, inſignis facie, multóque iacebat*
*Membra Deo [b] victus: felix ſi protinus illum*
*Æquaſſet nocti ludum, in lucémque tuliſſet.*
*Impaſtus ceu plena leo per ouilia turbans [c]*
*(Suadet enim veſana fames) manditque, trahitque*
*Molle pecus, mutúmque metu: fremit ore cruento.*
*Nec minor Euryali cædes: incenſus & ipſe*
*Perfurit, ac multam in medio ſine nomine plebem,*
*F[?]dumq; Hebesũq; ſubit, [d] Rhetúmq; Abarimque*
*Ignaros, Rhetum vigilantem, & cuncta vidẽtem:*
*Sed magnum metuens ſe poſt cratera tegebat:*
*Pectore in aduerſo totum cui cominus enſem*
*Condidit aſſurgenti, & multa morte recepit: [e]*
*Purpuream [f] vomit ille animam, & cum ſanguine miſta*

[a] Remo caput abſcindit, & corpus amputato capite truncatũ relinquit ſanguinem crebris emittens ſingultibus.

[b] Vel vino, vel ſomno, ſed ſomno potiùs qui Græcis dicitur πανδαμάτωρ, & ſanè res ipſa poſtulat vt de ſomno capiamus, cùm felix futurus fuiſſe dicatur, ſi ad lucem vſque vigilaſſet, & æquaſſet nocti ludum, id eſt tota nocte luſiſſet.

[c] *Perturbans ouilia*, eſt tmeſis, inquit Seruius.

[d] Inuadit.

[e] Cum multo morientis cruore gladium recepit, & eduxit è corpore, vel ipſum Rhetum recepit dira hoſpitalitate Græcis ξενίζειν, *occidere*. Vide Piſonianam parag. 85. notâ 4.

[f] Alludit ad quorundam Philoſophorum opinionem.

ψυχὴ δ᾽ ἄρ᾽ ἀνθρώπου πέλεται περικάρδιον αἷμα.

*Vina refert moriens: hic furto* a *feruidus inſtat:*
*Iámque ad Meſſapi ſocios tendebat: vbi ignem*
*Deficere extremum, & religatos rite videbat*
*Carpere gramen equos; breuiter cùm talia Niſus*
*( Senſit enim nimiâ cæde, atque cupidine ferri )*
*Abſiſtamus, ait: nam lux inimica* b *propinquat:*
*Pœnarum exhauſtū* c *ſatis eſt: via facta per hoſtes.*
*Multa virûm ſolido argento perfecta relinquunt*
*Armáque, cratcráſque ſimul, pulchróſque tapetas.*
*Euryalus phaleras* d *Rhamnetis, & aurea bullis* e
*Cingula, Tyburti Remulo* f *ditiſſimus olim*
*Quæ mittit dona, hoſpitio cùm iungeret abſens,* Spoliat inte-
*Cædicus, ille ſuo moriens dat habere nepoti:* remptos.
*Poſt mortem bello Rutuli, prædáque potiti:*
*Hæc rapit, atq; humeris nequicquam fortibus aptat*

*Quippe anima eſt fuſus ci cum præcordia ſanguis.*
quòd autem ait, *vomit*, etiam ad ebrietatem videtur alludere.
*a* Nocturno prælio: Et commode noſter Cerdanus huc refert Curtium lib. 4. *Furto, non prælio opus eſſe cenſebat, intempeſta nocte opprimi poſſe hoſtes.*
*b* Donatus. *Meritò dixit inimicam lucem: ſi enim tenebræ profuerūt, procul dubio obfutura fuerat lux, quæ nihil relinquit occultū.*
*c Bene, exhauſtum*, inquit Seruius, *vt eos oſtenderet auidos cædis fuiſſe, & cruoris hoſtilis.* *d* Ephippia, ſiue ornatum equeſtrem.
*e* Balteum militarem aureis bullis ſiue clauis diſtinctum.
*f* Seruius. *Conſuetudo erat apud maiores vt inter ſe homines hoſpitij iura mutuis muneribus copularent, vel in præſenti, vel per internuntios. Senſus ergo nunc talis eſt. Cædicus quidem Tiburti Remulo, cùm eum ſibi abſens hoſpitio vellet adiungere, miſit phaleras & cingula bullis aureis inſignita. Remulus moriēs nepoti ſuo cognomini hæc reliquit, qui poſtea victus à Rutulis eſt & occiſus.* Poſt eius mortem hæ phaleræ & balteus Rhamneti Rutulo in prædæ partem obtigerunt, hæc rapuit Euryalus, & balteum humeris aptauit, ſed fruſtra, quippe qui non eſſet eo fruiturus, ſed paulò poſt mortem oppetiturus.

*Tunc galeã Meſſapi habilem* a *criſtiſque decoram*
*Induit: excedunt caſtris, & tuta* b *capeſſunt.*
*Inter à* c *præmiſſi equites ex vrbe Latina,*
*Cætera dum legio campis inſtructa moratur,*
*Ibant, & Turno regi reſponſa ferebant,*
*Tercentum,* d *ſcutati* e *omnes, Volcente magiſtro.* f
*Iamque propinquabãt caſtris,* g *muróq;* h *ſubibant,*
*Cùm procul hos ĩ læua flectentes limite cernunt:*
*Et galea Euryalum ſubluſtri* k *noctis in vmbra*
*Prodidit immemorẽ,* l *radiiſque aduerſa refulſit.* m

*Excedunt à caſtris.*

*Incidunt in Volcentem & equitum turmas.*

*a* Galeam Meſſapi aptam ad habendum, & capiti conuenientem, quam temerè abiectam vidit, Meſſapo non procul dormiente.
*b* Niſus & Euryalus excedunt è caſtris Rutulorum, & in tuta ſe recipiunt.
*b* Niſus & Euryalus dum è caſtris in loca tutiora diſcederent, Volcens cum equitibus trecentis veniens ex vrbe Laurento, quæ tum erat Latinorum metropolis, miſſus ante legionem quæ propter grauem armaturam tardiùs incedebat, Volcens, inquam, quædam reſponſa ad Turnum afferebat, cùm Turnus quibuſdam de rebus conſilium à Latino Rege petiiſſet.
*d* More Romano Polybius lib 6. *ἱππεῖς ποιοῦσι τριακοσίους εἰς ἕκαστον ϛρατόπεδον. Equites faciũt trecentos in ſingulas legiones.*
*e* *Nam clypeati*, inquit Seruius, *Nam clypei peditum ſunt, ſcuta equitum*, tamen vt alibi dictum turmæ ſunt claſſes clypeatæ
*f* Idem Magiſter equitum dicitur more Romano, qui Dictatori adiungi ſolet.
*g* Rutulorum.
*h* Troianorum.
*i* Niſum & Euryalum in ſiniſtram partem declinantes aduertunt.
*k* Quæ ſereno cœlo habebat aliquid luminis.
*l* Incautum, qui non meminit galeam operire vt lateret.
*m* Oppoſita radijs lunæ, & iis repercuſſa reſplenduit, & Euryalum detexit.

*Haud temere eſt viſum* : a *conclamat ab agmine*
*Volcens* :
*State viri : quæ cauſſa viæ? qui ve eſtis in armis?*
*Qui ve tenetis iter? nihil illi tendere* b *contrà*,
*Sed celerare fugam in ſyluas & fidere nocti*,
*Objiciunt equites ſeſe ad diuortia* c *vota*
*Hinc, atque hinc : omnemq; aditũ cuſtode coronant*. d
*Sylua fuit latè dumis* , e *atque ilice* f *nigra*
*Horrida : quam denſi complerant vndique ſentes* :
*Rara per occultos ducebat ſemita* g *calles*.
*Euryalum tenebræ ramorum, oneroſaque præda*
*Impediunt : fallitque timor regione viarum*.
*Niſus abit, iámque imprudens* h *euaſerat hoſtes*, Niſus euaſit.

*a* Putauerunt id non ſine cauſſa contigiſſe , ac proinde non eſſe negligendum.
*b* Infinitiuus pro indicatiuo : *tendebant* , *celerabant* , *fidebant*
*c* Ad viarum diuerticula , quæ equites illi, vt indigenæ, probè nouerant. Iſidorus. *Diuortia ſunt flexus viarum , hoc eſt viæ in diuerſa tendentes &c ſiue ſemitæ tranſuerſæ quæ ſunt alteræ viæ.*
*d* Omnes viarum aditus ſiue exitus , circumquaque cingunt & obſident appoſitis cuſtodibus.
*e* Hæc videtur eſſe inter dûmos , vepres , ſentes diſtinctio. Quod dumus ſit frutex humilis ſiue ſpinas habeat ſiue non. *Vn buiſſon.* Sentes ſiue rubus. *Des ronces.* Vepres, *ſpinetum.*
*f* Ilex ſpecies eſt quercus. ilex , acer, robur, fagus, eſculus, ſenſus autem eſt. Silua fuit lata opaca & vmbroſa dumis & ilicibus : quam ex omni parte ſentes ſiue rubi compleuerant.
*g* Paucæ erant ſemitæ tritæ hominum veſtigiis , & eæ erant interruptæ callibus occultis. Iſidorus. 15. Orig. cap. 16. *Semita itineris dimidium eſt, à ſemitu dicta. Semita autem hominum eſt, callis ferarum , & pecudum. Callis eſt iter pecudum inter montes, anguſtum & tritum, à callo pecudum vocatum ſiue callo pecudum perduratum. Tramites ſunt tranſuerſa in agris itinera.*
*h* Non cogitans de Euryalo qui poſt remanebat vepribus & ramis impeditus.

*Atque locos, qui poſt Albæ de nomine dicti*
*Albani: tum rex ſtabula alta Latinus habebat.*
*Vt ſtetit, & fruſtra, abſentem reſpexit amicum,*
*Euryale infelix, qua te regione reliqui?*
*Quáue ſequor? rurſus perplexum* b *iter omne reuoluens*
*Fallacis ſyluæ, ſimul & veſtigia retrò*
*Obſeruata legit, dumiſque ſilentibus errat:*
*Audit equos, audit ſtrepitus, & ſigna ſequentum,*
*Nec longum in medio* c *tempus, cũ clamor ad aures*
*Peruenit, ac videt Euryalum quẽ iam manus omnis*
*Fraude loci,* d *& noctis, ſubito turbante tumultu,*
*Euryalus capitur.* *Oppreſſum rapit, & conantem plurima* e *fruſtrà.*
*Quid faciat? qua vi iuuenem, quibus audeat armis*
*Eripere? an ſeſe medios moriturus in hoſtes*
*Inferat, & pulchram properet* f *per vulnera mortẽ?*

*a* Fruſtra reſpexit, quia reſpiciens non vidit Euryalum.
*b* Relegens iterum iter perplexum & variis ſemitis & callibus diuerticuliſq; implicatum, in ſylua quæ flexus deuios & fallaces habebat, eò redit vnde diſceſſerat per ſua ipſius veſtigia, diligenter obſeruans quam viam initio tenuiſſet, & errat per dumeta in quibus altum ſilentiũ, ſine hominum vocibus, ſine fremitibus beſtiarum: ſed extra dumos erant equi hinnientes & equites frementes, quos ex illis dumis ſilentibus audiebat.
*c* Inter auditum ſonum, & viſum Euryalum.
*d* Viarum perplexitate, & flexibus turbatum noctis tenebris etiam fallacibus. & hoſtium ingruentiũ tumultum oppreſſum.
*e* Modo conantem fuga elabi, modo mortem ſuam magno vendere, & quam plurimos hoſtium occidere, ſed fruſtra. Quid enim vnus inter tam multos.
*f* Proſperè ſibi mortem accerſat, in medios hoſtium globos irruens, Propertius.
*Quòd ſi forte tibi properarint fata quietem.*
pulchram, quia honeſtum eſt pro amico mortem oppetere a Citò.

*Ocyùs* a *adducto* b *torquens haſtile lacerto,* *Niſus*
*Suſpiciens altam* c *Lunam, ſic voce precatur:* *Lunam*
*Tu Dea, tu præſens, noſtro ſuccurre labori,* *inuocat.*
*Aſtrorum decus, & nemorum Latonia* d *cuſtos:*
*Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris*
*Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,*
*Suſpendiue tholo,* e *aut ſacra ad faſtigia fixi:*
*Hunc ſine me turbare globũ,* f *& rege tela per auras,*
*Dixerat: & toto connixus corpore ferrum* *Sulmonem*
*Conjicit, haſta volans noctis* g *diuerberat vmbras,* *interficit.*
*Et venit aduerſi* h *in tergum Sulmonis, ibique*
*Frangitur, ac fixo* i *tranſit præcordia ligno.*

*a* Cito ſiue, properè haſtam vibrauit, ne ipſo cunctante locum mutarent, qui Euryalum detinebant.
*b* Adducere brachium eſt ita reducere vt quaſi poſt tergum retrahatur, quod fieri ſolet ab iis, qui vehementiùs ferire volunt, vt fortiùs exeat quod fuerit deſtinatum.
*c* In medio cæli & ſupra verticem ferè conſtitutam. Ex quo colligas fuiſſe tum fermè vigeſimum lunæ diem, quippe quæ appetente die cæli medium obtineret.
*d* Latonæ & Iouis filia, Dea venationis.
*e* Tholus eſt medium templi in rotunditatem collecti & quaſi cameræ ſiue teſtudinis vmbilicus, in quem trabes, aut etiam lapides fornicis coëunt: ad quem ſolebant exuuias hoſtium aut ferarum appendere. Alij, inquit Seruius. *dicunt eſſe tectum ſine parietibus columnis ſubnixum. Aedes autem rotundas dicunt tribus Diis fieri debere, Veſtæ, Dianæ, vel Herculi, vel Mercurio.* Statius 2. Theb. *Figámque ſuperbis Arma tholis.*
*f* Equitum turmam ſiue cuneum confertum & conglobatum.
*g* Auras nocturnas ſiue tenebroſas.
*h* Haſta tanto impetu cõtorta eſt vt cùm Sulmonis aduerſi pectus ſiue anteriorem partem percuſſerit, fixo manubrio præcordia tranſiuerit, eiúſque cuſpis ad tergum vſque penetrarit, idque tanta violentia vt haſta ad ſpinã dorſi alliſa frangeretur.
*i* Alij legunt *fiſſo* hoc ſenſu haſta fracta eſt tanto impetu, vt finderetur: ita lignũ & haſtile fiſſũ, & ipſa fiſſione acuminatũ.

*Voluitur* a *ille, vomens calidum de pectore flumen,*
*Frigidus*, b *& longis* c *ſingultibus ilia pulſat.*
Et Tagū
*Diuerſi* d *circunſpiciunt: hoc acrior idem,*
*Ecce aliud ſumma* e *telum librabat ab aure:*
*Dum trepidant*, f *it haſta Tago per tempus vtrumque*
*Stridens, traiectóque hæſit tepefacta cerebro.*
Volcens Euryali morte vult ſocios vlciſci.
*Sæuit atrox Volcens, nec teli conſpicit vſquam*
*Auctorem: nec quò ſe ardens immittere poſſit.*
*Tu tamen* g *interea calido mihi ſanguine pœnas*
*Perſolues amborum, inquit, ſimul enſe recluſo,*
*Ibat in Euryalum: tunc verò exterritus, amens*
*Conclamat Niſus: nec ſe celare tenebris*
*Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem.*
Niſus offert ſe morti pro amico.
*Me, me:* h *adſum qui feci in me conuertite ferrum,*
*O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iſte* i *nec auſus,*
*Nec potuit: cælum hoc & ſidera conſcia teſtor.*

*a* Sulmo ita vulneratus cadit conuolutim, non porrectim effundens vim ſanguinis copioſam.
*b* Moriens & calorem vitalem ſenſim amittens.
*c* Longi ſingultus qui lõgo tractu ex imis viſceribus ducuntur.
*d* In diuerſas patres circumſpectant; & ſe in omnem parrem obuertunt. Idem Niſus tanto animoſior librat telum aliud, quanto melius illi prior ictus ſucceſſerat.
*e* Manum verſus ſupremam auriculæ patrem adducebat, vt vibratiorem ictum infligeret.
*f* Dum trepidi feſtinautéſque in omnem pattem circumſpectant, haſta magno ſtridore vibrata, tanto impetu in Tagi temporibus defigitur, vt ex vna parte in alteram penetret, & intepeſcens hæreat cerebro quod traiecerat.
*g* Quoniam latet ſocius tuus, tu interim, donec illi inuenitur duorum pœnas expendes.
*h* Ellipſis eſt. Me potiùs quàm Euryalum occidite.
*i* Euryalus.

*Tantum* a *infelicem nimium dilexit amicum.*
*Talia dicta dabat: ſed viribus* b *enſis adactus*
*Tranſadigit coſtas, & candida pectora rupit,*
*Voluitur Euryalus letho, pulchroſque per artus*
*It cruor: inque humeros ceruix collapſa recumbit.* Euryalus occiditur.
*Purpureus veluti cum flos ſuccisus aratro*
*Langueſcit moriens: laſſóve papauera collo* Comparatio.
*Demiſere caput, pluuia cum forte grauantur.*
*At Niſus ruit in medios, ſolúmque per omnes*
*Volcentem petit, in ſolo Volcente moratur.*
*Quem circum glomerati hoſtes, hinc cominus atque hinc*
*Proturbant: inſtat non ſegniùs, ac rotat enſem* Niſus Volcentem interficit.
*Fulmineum: donec Rutuli* c *clamantis in ore*
*Condidit aduerſo, & moriens animã abſtulit hoſti:* Confoditur.
*Tum ſuper exanimem ſe ſe proiecit amicum*
*Confoſſus: placidâque* d *ibi demũ morte quieuit:*
*Fortunati, ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,*

a Vel eſt Epiphonema Poëtæ loquentis, vel quod mihi magi arridet, loquitur adhuc Niſus. Iſte Euryalus nullum ſcelu admiſit, aut ſi quod ſcelus admiſit, illud eſt vnicũm quòd me nimium dilexit, nec voluerit à me ſeparari Venit igitur non vt vobis noceret, ſed vt me amicum ſuum ſequeretur, vel vt ait Donatus. *Hoc ſolùm deliquit quia venit huc mecum, amicitia hominis infelicis ductus, non odio veſtro.*

b Idem Donatus. *Niſus quidem loquabatur, quæ prodeſſe Euryalo potuiſſent, ſed hoſtis tenuit intentionem ſuam, & quantum iræ gerere animo in ictu quo Euryalum percuſſit oſtendit. Nam viribus omnibus adegit enſem per coſtas.*

c Volcentis.

d Quam Niſus placidam exiſtimabat, ſua ſorte & morte contentus, quòd ante quàm moreretur, Euryali interfectori vitam abſtuliſſet.

*Nulla dies* a *vnquam memori vos eximet æuo:*
*Dum domus Æneæ* b *Capitoli immobile ſaxum*
*Accolet: imperiúmque pater Romanus habebit.*
*Victores præda Rutuli, ſpoliiſque potiti*
*Volſcentem exanimum flentes in caſtra ferebant.*
Luctus Rutulorum. *Nec minor in caſtris luctus, Rhamnete reperto*
*Exangui, & primis vna tot cæde peremptis,*
*Serranóque, Numáque;* c *ingens concurſus ad ipſa*
*Corpora, ſeminecéſque, viros tepidumque* d *recenti*
*Cæde locum, & plenos ſpumanti ſanguine riuos.*
*Agnoſcunt ſpolia inter ſe, galeamque nitentem*
*Meſſapi & multo phaleras ſudore receptas.*
*Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras*
*Tithoni* e *croceum linquens Aurora cubile.*

*a* Nulla futuri temporis longinquitas veſtri memoriam obliuione delebit.

*b* Memoria veſtri vigebit in æternum. Cum Ioui Capitolium dicaretur. Terminus noluit ei locum concedere aut è ſede ſua dimoueri: quo ſigno præſagiri æternitatem imperij putabant. Gellius refert ænigma. *An ſemel minus an bis minus, an vtrúmque noluit Ioui cedere de Capitolio.* quod explicat Politianus. Nec ſemel minus, nec bis minus, ſed vtrũque, id eſt, Terminus noluit Ioui concedere. Placet tamen ſimpliciùs ita Virgiliũ exponere. Nulla temporis longinquitas de Niſi & Euryali laudibus conticeſcet quamdiu Roma ſtabit incolumis & populus Romanus à Troianis oriundus circa immobilem Capitolij rupem habitabit (accolere περιοικεῖν) & Cæſares, qui ſunt ex Æneæ familia, & patres patriæ dicuntur imperium Romanum obtinebunt.

*c* Cùm cædem deſcriberet, nullam Numæ fecit mentionem. Vnde colligendum relinquit, longè plures cecidiſſe, quàm ibi nominentur.

*d* Alij legunt. —— *Tepidúmque recentem Cæde locum.*

*e* Tithonum Troianum ab Aurora amatum, eique matrimonio coniunctum fuiſſe fabulantur. Vnde cubile Tithoni, perinde eſt ac ſi thorus genialis Auroræ diceretur. Vocatur

*Iam ſole infuſo, iam rebus* a *luce retectis,*
*Turnus in arma viros, armis circundatus ipſe*
*Suſcitat, æratáſque acies in prælia cogit*
*Quiſque ſuas:* b *variiſque acuunt rumoribus iras,*
*Quin ipſa arrectis (viſu miſerabile) in haſtis*
*Præfigunt capita, & multo clamore ſequuntur,*
*Euryali, & Niſi.*
*Æneadæ duri* c *murorum in parte ſiniſtra*
*Oppoſuêre aciem (nam dextrâ cingitur amni)*
*Ingentéſque tenent foſſas, & turribus altis*
*Stant mœſti, ſimul ora virûm præfixa videbant*
*Nota nimis miſeris, atróque fluentia tabo.*
*Intereà pauidam volitans pennata per vrbem*
*Nuntia fama ruit, matriſque allabitur aures*
*Euryali: ac ſubitus miſeræ calor oſſa reliquit.*
*Excuſſi manibus radii,* d *reuolutáque penſa* e
*Euolat infelix, & fœmineo vlulatu,*
*Sciſſa comam,* f *muros amens, atque agmina curſu*
*Prima* g *petit: non illa virûm, non illa pericli,*
*Telorúmque memor, cœlũ de hinc queſtibus implet.*

*Turnus copias ducit.*

*Niſi & Euryali capita haſtis affixa.*

*Opponunt ſe Troiani.*

*Mater Euryali.*

croceum cubile, quòd lux Auroræ, croci cuiuſdam inſtar flaueſcere videatur crocus: *du ſaffran.*

*a* Rebus quæ noctis tenebris erant velatæ, nouæ lucis infuſione illuſtratis.

*b* Singuli duces ſuas copias educunt in aciem, & varios de Troianis rumores confingunt, vt militum animos, quaſi ſubiectis facibus inflamment.

*c* Duris obſidionum laboribus aſſueti & exercitati per decennium.

*d* Textoria inſtrumenta, quibus filum in tramam immittitur. *La nauette.*

*e* Penſum, filum fuſo glomeratum.

*f* Sciſſam comam habens.

*g* Ad primam agminis frontem contendit, adeò quippe im-

*Matris Euryali lamentatio.*

*Hunc ego te, Euryale aſpicio? tune illa ſenectæ*
*Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam*
*Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum*
*Affari extremum miſeræ data copia matri?*
*Heu terra ignota, canibus data præda Latinis,*
*Alitibuſque iaces; nec te, tua funera* a *mater*
*Produxi,* b *preſſiue oculos,* c *aut vulnera laui,* d
*Veſte tegens,* e *tibi quam noctes feſtina, dieſque*
*Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles.*
*Quò ſequar? aut quæ nunc artus, auulſáque mēbra,*
*Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te*
*Nate, refers? hoc ſum terraque, marique ſecuta?*
*Figite me, ſi qua eſt pietas, in me omnia tela*

patientia doloris amens fuit, vt nullam aut pudoris aut ſalutis haberet rationem.

*a* Nec ego mater tua te, immò non iam te, ſed tuum cadauer & tuum funus produxi, & extuli ad ſepulturam. Placet tamen Seruij interpretationi inſiſtere, *Funera, id eſt funerea. Nam apud maiores funereas dicebant, eas ad quas funus pertinebat, vt ſororem, matrē. Nam præficæ ſunt planctus principes non doloris.*

*b* Vel in veſtibulo domûs pedibus ad ianuam verſis de more collocaui, vel extuli ad ſepulturam.

*c* De more Ouid. in epiſtolis 1.

*ille meos oculos comprimat, ille tuos.*

*d* Seruius. *Romana conſuetudo fuit, vt mortui lauarentur, ideóque hos qui hoc officium implebant, pollinctores appellatos dicunt qui mortuis os polline oblinebant ne liuor appareret extincti.*

*e* Nonnulli volunt Poetam ad alium morē alludere: quòd antiqui ſibi ſuiſque lintea funebria magno ſtudio compararent vt Penelope 1. Odyſſeæ telam texebat qua Laertem ſocerum ſuum vita defunctum obuolueret. Non placet: nam infauſti erat ominis ſi mater Euryalo filio telam funebrem texuiſſet. Sed potiùs queritur ſe veſte, quam ad alios faciebat, non potuiſſe filij ſui cadauer inuoluere. Quomodo enim funebrem telam texens curas aniles ſolari potuiſſet?

*Conjicite, ô Rutuli, me primam* a *abſumite ferro.*
*Aut tu, magne pater Diuûm,* b *miſerere, tuoque*
*Inuiſum hoc detrude caput ſub tartara telo,*
*Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.*
*Hoc fletu concuſſi animi, mœſtuſque per omnes* *Troiani miſerentur.*
*It gemitus, torpent infractæ* c *ad prælia vires.*
*Illam incendentem* d *luctus Idæus, & Actor,* *Eam domum referunt.*
*Ilionei monitu, & multùm lacrymantis Iuli,*
*Corripiunt, intérque manus ſub tecta reponunt.*
*At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro* *Tubarum clãgo.*
*Increpuit, ſequitur clamor, cœlumque remugit,*
*Accelerant acta pariter teſtudine* e *Volſci,* f
*Et foſſas implere parant, ac vellere vallum.*

*a* Vnuſquiſque enim in propriæ ſalutis deſperatione credit vniuerſa ſecum eſſe peritura: quaſi diceret Poëta, qnandoquidem extincto Euryalo nomen Troianum eſt periturum, me primam omnium occidite.
*b* Aut tu Iupiter miſerere mei, & me, quæ tibi ſum iampridem inuiſa fulminis ictu interfice: quandoquidem nec telis Rutulorum occidor, nec præ muliebri infirmitate, mihi poſſum ipſi mortem acceſſere, & abrumpere ſtamen Parcarum, à quo dependet mea vita crudelis, quæ ad nihil aliud mihi relicta videtur, quàm vt crudeliter me miſerijs affligat.
*c* Vel torpent vires ad prælia, quæ hactenus infractæ & inuictæ fuerant: Vel animus Troianorum ſuccumbit dolori & miſericordiæ qui ad prælia infractus erat.
*d* Matrem Euryali, quæ his querelis, quaſi materiam dolori ſuo ſuggerebat, vt eum magis magiſque accenderet.
*e* Iſidorus. *Teſtudo eſt ſcutorum connexio curuata in teſtudinis morem.* Id eſt Series & connexio quædam coniunctorum inter ſe clypeorum, quam ſupra capita ſic ſuſtinebant vt nonmodo milites armati, ſed etiam equi nonnuquam ſuper illos clypeos incedentes in hoſtium mœnia inſilirent, vt ſcribit Oppianus in Cynigeticis.
*f* Qui Camilla duce Venerant.

Rutulorum impreſſio.

*Quærunt pars aditum, & ſcalis aſcendere muros,*
*Quà rara eſt acies, interlucétque a corona*
*Non tam ſpiſſa viris, telorum effundere contrà*
*Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis* b
*Aſſueti longo* c *muros defendere bello.*

Troianorum defenſio.

*Saxa quoque infeſto voluebant pondere, ſi quâ*
*Poſſent tectam* d *aciem perrumpere; cum tamen omnes*
*Ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.*
*Nec iam ſufficiunt: nam quà globus imminet* e *ingẽs*
*Inmanem Teucri molem voluúntque, ruúntque:*
*Quæ Rutulos ſtrauit latè, armorúmque reſoluit*
*Tegmina;* f *nec curant cæco* g *contendere Marte*
*Ampliùs audaces Rutuli: ſed pellere vallo*
*Miſſilibus certant.*

Mezentius.

*Parte alia horrendus viſu, quaſſabat Hetruſcam*
*Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.*
*At Meſſapus equûm domitor, Neptunia proles,*
*Reſcindit vallum, & ſcalas in mœnia poſcit.*

a *Alij conſilio potius, quàm temeritate ducti,* inquit Donatus, *voluerunt ſcalis appoſitis muros adſcendere, per ea loca quæ videbantur non multis defenſoribus inſtructa: apparebant enim rari & ſperabantur defenſioni murorum ſupereſſe non poſſe.*
*b* Perticis oblongis.
*c* Quos belli Troiani decennalis vſus fecerat doctiores.
*d* Teſtudine coopertam.
*e* Qua parte denſiſſima Rutulorum turba inſtat.
*f* Clypeos inter ſe connexos à ſe inuicem deſiunxit, reſoluítque teſtudinem.
*g* Poſt hanc ſuorum ſtragem Rutuli non fecerunt amplius teſtudinem, vt ſub illa pugnaretur, ſed aperta dimicatione certare maluerunt.
*h* Ipſe oriundus ex Hetruria, & olim Rex Hetruriæ.

*Vos, ô Calliope, a precor, aſpirate canenti:*
*Quas ibi tum ferro ſtrages: quæ funera Turnus*
*Ediderit: quem quiſque virûm demiſerit Orco:*
*Et mecum ingenteis oras* c *euoluite belli.*
*Et meminiſtis enim Diuæ & memorare poteſtis.*
*Turris erat vaſto ſuſpectu,* c *& pontibus altis,*
*Opportuna loco: ſummis quam viribus omnes*
*Expugnare Itali, ſummâque euertere opum vi*
*Certabant: Troës contrà defendere ſaxis,*
*Perque cauas denſi tela intorquêre feneſtras.*
*Princeps* d *ardentem coniecit lampada Turnus,*
*Et flammam* e *affixit lateri, quæ plurima* f *vento*
*Corripuit tabulas, & poſtibus hæſit adeſis.*
*Turbati trepidare intus, fruſtraque malorum*
*Velle fugam, dum ſe glomerant, retróque reſidunt*
*In partem? quæ peſte* g *caret: tum pondere turris*
*Procubuit ſubitò & cælum tonat omne fragore:*
*Semineces* h *ad terram immani mole ſecuta,*

*a* Tu cum tuis octo ſororibus, videlicet Muſis.
*b* Ingentis belli non tantum initia, ſed etiam extrema explicate: nam oræ ſunt extremitates.
*c* Turris erat altiſſima pontibus altis inſtructa quibus ad vicina propugnacula poterat commeari.
*d* Primus, ante alios.
*e* Malleolum, de quo vide dicta pro Milone peragr. 65. nota 9.
*f* Quæ flamma creſcens & vento flagellata celeriter inuaſit aſſeres tabulati, & poſtibus adhæſit, eóſque hærendo cœpit exedere & abſumere.
*g* Quæ non infeſtatur incendio, ſic 5. Æneidos.
*—— Lentuſque carinas*
*Eſt vapor, & toto deſcendit corporre peſtis.*
*h* Semimortui veniunt ad terram, confixi ſuis ipſorum telis & duris trabibus transfoſſum habentes pectus, cùm eos

*Confixique ſuis telis, & pectora duro*
*Transfoßi ligno veniunt: vix vnus Helenor*
*Et lycus elapſi, quorum primæuus* a *Helenor,*
*Mæonio Regi quam ſerua Lycimnia furtim*
*Suſtulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis:*
*Enſe leuis* b *nudo, parmáque inglorius* c *albâ.*
*Iſque vbi ſe Turni media inter millia vidit,*
*Hinc acies, atque hinc acies adſtare Latinas:*
*Vt fera quæ denſâ venantum ſepta corona*
*Contra tela furit, ſeséque haud neſcia morti,*
*Iniicit, & ſaltu ſupra venabula fertur;*
*Haud aliter iuuenis,* d *medios moriturus in hoſtes*
*Irruit, & qua tela videt denſiſſima, tendit.*
*At pedibus longè melior Lycus inter & hoſtes,*
*Inter & arma fuga muros tenet, altaque certat*
*Prendere tecta manu,* e *ſociúmq; attingere dextras,*

immanis tignorum & lapidum labentium moles ſequeretur & ſuis ruinis inuolueret.

*a* Maior natu quàm Lycus, qui tamen ipſe paulo poſt iuuenis vocatur Donatus *Filius, inquit, fuit Regis, natus tamen ex ſerua, nutritus furtim, & quod nō licebat, ſeruus in militiā Troianam datus eſt.* De delectu ſeruorum prohibitio, dictum in Piſ. par. 23. Nota 6.

*b* Inſinuat Helenorem velitem fuiſſe ſiue militem leuis armaturæ. Liuius lib. 31. *Veliti Romano parmam gladiſmque habenti.*

*c* Glorioſum erat clypeum habere pictum. Solebant enim ſua vel maiorum ſuorum facta in ſcutis depingere, aut etiam alia ſigna quæ ipſorum nobilitatem oſtenderent. Tirones autem, qui & factis & genere erant ignobiles, parmam albam non pictam geſtabant. *d* Helenor.

*e* Seruius. *Tunc alti non erant muri: ſed ad impetum tantùm repellendum, ut, etiam Saluſtius oſtendit, vbi Sertorium humeris ſublatum per muros adſcendiſſe commemorat.*

*Quem Turnus pariter curſu, telôque ſecutus,*
*Increpat his victor: Noſtraſne euadere demens*
*Speraſti te poſſe manus? ſimul arripit ipſum*
*Pendentem, & magna muri cum parte reuellit* a. Comparatio.
*Qualis vbi aut leporem, aut cãdenti corpore cygnũ,*
*Suſtulit alta petens pedibus* Iouis *armiger* b *vncis:*
*Quæſitum aut matri multis balatibus agnum*
*Martius* c *à ſtabulis rapuit lupus. Vndique clamor*
*Tollitur: inuadunt, & foſſas aggere complent.*
*Ardentes tædas alij ad faſtigia iactant.*
*Ilioneus ſaxo, atque ingenti fragmine* d *montis,*
*Lucetium portæ ſubeuntem, igneſque ferentem,*
*Emathiona Liger, Chorineum ſternit Aſylas.* Variæ cædes.
*Hic iaculo bonus, hic longè fallente ſagitta;*
*Ortygium Cæneus, victorem Cænea* Turnus;
*Turnus Ityn, Cloniumque Dioxippum, Promulũque,*
*Et Sagarim, & ſummis ſtãtem pro turribus* e *Idã:*
*Priuernum Capys: hunc primò leuis haſta Themillæ*
*Strinxerat:* f *ille manum proiecto tegmine demens*

*a* Adeo, inquit Cerdanus vterque fortiter arripuit, Lycus murum ad ſalutem, Turnus Lycum ad exitium.
*b* Aquila quam, *Miniſtrum fulminis alitem.* Horatius appellat.
*c* Marti dedicatus. Horatius. *Nec Martiali hædilia lupos.*
*d* Ingenti ſaxo, quod fuerat è monte defractum.
*e* Non quidem ſtantem ante turres (erat enim incluſus & ipſe obſeſſus) ſed ſtantem pro turrium defenſione.
*f* Themillas Troianus Priuernum Italum haſta leuiter & languide iacta perſtrinxerat, & quaſi ſummum corpus vulnere deguſtarat At ille fuit adeo demens vt ſcutum, quo ſe contra grauiores ictus tegere debuiſſet manu proiecerit, & ſiniſtram ad vulnus tulerit. Id Capys Troianus aduertens tam certo determinatóque ictu ſagittam emiſit vt manum plagæ admotam lateri ſiniſtro affixerit, & pulmones, quibus reſpirabat, abditos intus, & pectoris cratibus obiectos lethifero vulnere perruperit.

*Ad vulnus tulit: ergo alis allapſa ſagitta,*
*Et læuo infixa eſt lateri manus: abditáque intus*
*Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.*
*Stabat in egregiis Arcentis filius armis,*
*Pictus acu chlamydem,* a *& ferrugine clarus Ibera,*
*Inſignis facie: genitor quem miſerat Arcens.*
*Arcens.* *Eductum Martis luco,* b *Simæthia circum*
*Flumina, pinguis vbi, & placabilis ara Palici.*
*Stridentem fundam poſitis Mezentius armis,*
*Ipſe ter adductâ* c *circum caput egit habenâ,*
*Et mediâ aduerſi liquefacto* d *tempora plumbo*

*a* Habens chlamydem acu pictam & conſpicuam purpura quadam ſubnigricante Hiſpanica, vel, vt alij malunt Pontica.

*b* Arcens filium ſuum in Martis luco educatum miſerat cum Aenea, cùm is è Sicilia in Italiam contenderet, qui lucus eſt circa Simæthium flumen in Sicilia, vbi ſunt aræ Palicis Dijs Siculis conſecratæ. Pingues appellat, vel quia frequenter ſparguntur adipe victimarum, vel quia vt apud Macrobium. 5. Saturn. c. 19. ſcribit Xenagoras, cùm in ſumma annonæ penuriæ Siculi Palicorum Deorum iuſſu heroi cuidam ſacrificaſſent, reddita frugum vbertate, omne oblationum genus ad eorum aras contulerunt. Placabilem vocat, ad differentiam quia iuxta Palicorum aras erant duo crateres ſiue lacus, quos Dellos vocabant, Palicorum fratres aiebant. Dicti ſunt illi lacus *implacabiles* quia non placabantur periuris, ſed qui iuraturus acceſſerat, ſi fidem fefelliſſet, eum ſtatim ſuis vorticibus hauriebât vt refert ibidē Polemon. Dicti Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι. quod cum eorum mater grauida demerſa fuiſſet in terram, ipſi in lucem editi emerſerant. Aeſchilus.

πάλιν γὰρ ἥκουσ' ἐκ σκότους τοῦδ' εἰς φάος.

*c* Loro fundæ ter circum caput rotato.

*d* Tanta vi excutiebâtur è fundis plumbeæ glandes, vt in curſu liqueſcerent. Lucret. lib. 6. —— *Plumbea verò.*
*Glans etiam longo curſu viduanda liqueſcit.* Ouidius.
*Non ſecus exarſit, quàm cùm Balearica plumbum*
*Funda iacit, volat illud & incandeſcit eundo,*
*Et quos non habuit ſub nubibus inuenit ignes.*

*Diffidit, ac multa porrectum extendit arenâ.*
*Tum primùm bello celerem intendiſſe ſagittam*
*Dicitur, ante feras ſolitus terrere fugaces*
*Aſcanius, fortémque manu fudiſſe* [a] *Numanum,*
*Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem*
*Germanam, nuper thalamo ſociatus, habebat.*
*Is primam ante aciẽ digna, atque indigna relatu* Numanus exprobrat Troianis.
*Vociferans, tumidúſque nouo* [b] *præcordia regno*
*Ibat, & ingenti ſeſe clamore ferebat:*
*Non pudet obſidione iterum, vallóque teneri*
*Bis capti* [c] *Phryges, & morti prætendere muros?* [d]
*En* [e] *qui noſtra ſibi bello connubia poſcunt.*
*Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?*
*Non hic Atridæ,* [f] *nec fandi fictor Vlyſſes:*
*Durum à ſtirpe genus: natos ad flumina* [g] *primùm*
*Deferimus, ſæuóque gelu duramus & vndis,*

*a* Proſtrauiſſe.
*b* Habens cor inflatum, & ſuperbus quòd nouum ſibi regnum comparaſſet ducta in coniugem Turni ſorore.
*c* Semel ad Hercule, iterum ab Agamemnone.
*d* Muris interiectis mortem à vobis propulſate.
*e* Irriſio. Egregios verò viros & fortes qui volunt vxores ſibi bello comparare, & pactum Turno Lauiniæ coniugium interuertere. Quaſi bene illis Helenæ raptus ſucceſſerit.
*f* Nos Itali ſimiles non ſumus Agamemnoni & Menelao, aut Vlyſſi mendaciorum concionatori qui dolum celat ſermonis ornatu.
*g* Donatus. *Apud nos*, inquit. *vnuſquiſque cùm naſcitur, cum ipſo primæ lucis exordio labores quoque duriſſimos auſpicatur, in vndas fluuiales & in glaciem miſſus, ne aliquando delicias etiam ſui neſcius ſentiat.* More à Spartanis ſiue Lacedæmoniis ducto, vt notant interpretes & ſanè Dionyſius lib. 2. agens de Sabinis, eos à Spartanis traxiſſe dicit, τὸ πολεμικὸν, ϗ τὸ λιτοδίαιτον ϗ τὸ παρὰ τὰ πάντα τὰ ἔργα τοῦ βίου σκληρὸν. *Belli ſtudia, frugalitatem, vitæ duritiem.*

*Venatu inuigilant pueri,* a *ſyluaſque fatigant,*
*Flectere* b *ludus equos,& ſpicula tendere cornu.*
*At patiens operum, paruóque aſſueta iuuentus,*
*Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello;*
*Omne æuum ferro teritur, verſaque* d *iuuencum*
*Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus*
*Debilitat vires animi, mutátque vigorem:*
*Canitiem galea* e *premimus, ſempérque recentes*
*Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.*
*Vobis picta* f *croco,* g *& fulgenti murice* h *veſtis:*
*Deſidiæ cordi: iuuat indulgere choreis:*
*Et tunicæ manicas,* i *& habẽt redimicula* k *mitræ.*
*O veræ Phrygiæ* l *(neq; enim Phryges) ite per alta*

*a* Statim à prima pueritia inuigilant venationi, & obeundo ſyluas ad fatigationem vſque percurrunt, vel feras ipſas curſu fatigant in ſyluis degentes.

*b* Seruius *Flectere verbo antiquo vſus eſt, nam equites apud veteres flexuntæ vocabantur, ſicut ait Varro.*

*c* Arcu vel ex cornibus animalium, vel ex cornu arbore facto.

*d* Turnebus *ſemper in manibus tela militaria gerimus, etiam cùm terram ſubigimus. Nam & haſta pro boum ſtimulo vtimur, & haſta tardos boues increpamus.*

*e* In ſenectute militamus.

*f* Seruius. *Veſtes acu pictas coloribus Phryges primi inuenerunt. Nam ideo & artifices talium veſtium Phrygiones appellantur.*

*g* Flauo colore. Crocus, *du ſaffran.*

*h* Purpura, murex oſtrei genus vnde purpura.

*i* S. Auguſtinus lib 3. de doctrina Chriſtiana, *Talares ac manicatas tunicas habere apud Romanos flagitium erat.*

K Ligamina, vincula quibus mitræ capiti impoſitæ ad mentum religantur. 4. Æneidos.

*Mæonia mentum mitra crinemque madentem*
*Subnixus, rapto potitur.*

mitra capitis tegumentum. Vide orat. pro Rab. Poſthumo parag. 26. nota 2. *l* O molles & effœminati.

*Dindyma;*[a] *vbi aſſuetis biforẽ*[b] *dat tibia*[c] *cantum,*
*Tympana*[d] *vos, buxúſque vocat Berecynthia*[e] *matris*
*Idææ, ſinite arma viris, & cedite ferro.*
*Talia iactantem*[f] *dictis, ac dira canentem*[g]
*Non tulit Aſcanius; neruoque:*[h] *obuerſus equino* — *Aſcanius arcum tendit.*
*Contendit telum; diuerſáque brachia*[i] *ducens,*
*Conſtitit ante Iouem, ſupplex per vota precatus,*
*Iuppiter omnipotens, audacibus annue cœptis.*
*Ipſe*[k] *tibi ad tua templa feram ſolemnia dona,* — *Ioui vouet iuuencum.*
*Et ſtatuam ante aras aurata fronte*[l] *iuuencum.*

*a* Montes Cybelæ Deorum matri conſecratos.
*b* Seruius. *Biſonum, imparem, & ſeruanis eis tibiarum ſuarũ, id eſt Phrygiarum naturam. Tibiæ autem Serranæ quæ ſunt pares & æquales habent cauernas: aut Phrygiæ, quæ & impares ſunt, & inæquales habent cauernas. Ergo biforem, biſonum diſſimilémque non ſunt pari modulatione compoſitæ.* Laudat Varronem. *Tibia Phrygia dextra vnum foramen habet: ſiniſtra duo quorum vnum acutum ſonum habet, alterum grauem.*
*c* Dictæ tibiæ quod fierent è tibijs aſinorum, ceruorum, hinnulorum
*d* Iſidiorus l. 3. Orig. cap. 21. *Tympanum eſt pellis vel corium ligno ex vna parte extenſum.* Catullus in Aty.
*Quatierſque terga tauri teneris caua digitis.*
Lucret. *Tympana tenta tonant.*
*e* Fiſtula è buxo facta: ſic dicta à monte Phrygiæ Berecyntho qui mons Matri Phrygiæ dicatus.
*f* De Italorum virtute glorianrem. *g* Troianis exprobrantem.
*h* Seruius. *In arcubus nerui equini ſolent eſſe* citat Accium Philoctetâ: *Tendens neruo equino concita tela.*
*i* Brachia ſic in diuerſum contendens.
*— Vt manibus iam tangeret æquis*
*Læuâ aciem ferri, dextrâ neruóque papillam.*
*k Bene*, inquit Seruius, *quia adhuc pater pro Aſcanio ſolebat ſacrificare.* *l* De more Prudentius.
*Nec non & auro frons coruſcat hoſtiæ*
*Setáſque fulgor bracteatis inficit.*
Tertullianus de corona hanc vouendi formulam refert. *Hunc tibi, Iupiter, bouem cornibus auro decoratum vouemus.*

*Candentem a pariterque caput* b *cum matre ferentẽ:*
*Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.*
*Audiit & cœli genitor de parte ſerena* c
*Intonuit læuum:* d *ſonat vnà lethifer arcus.*
*Et fugit horrendum ſtridens elapſa ſagitta:*
*Pérque caput Remuli venit, & caua tempora ferro,*
*Traiicit, I, verbis virtutem illude ſuperbis;*
*Bis capti Phryges hæc Rutulis reſponſa remittunt.*
*Hæc tantùm Aſcanius: Teucri clamore ſequuntur;*
*Lætitiáque fremunt, animóſque ad ſidera tollunt.*
*Ætheria tum fortè plagâ* e *crinitus Apollo*
*De ſuper Auſonias acies, vrbémque* f *videbat,*
*Nube ſedens; atque his victorem affatur Iulum:*
*Macte* g *noua virtute puer: ſic itur ad aſtra,*
*Dijs genite,* h *& geniture Deos: iure* i *omnia bella*

*Remulum interficit.*

*Troiani applaudunt.*

*Et Apollo.*

*a* Diis inferis nigras, Dijs ſuperis candidas hoſtias immolabant. *b* Æqualem matri, nondum patri.

*c* Non è nubibus, ſed è ſerenitate, vt conſtaret tonitru ab ipſo Ioue, non è cauſſis naturalibus proficiſci.

*d* Vide 2. Æneidos Verſu 639. Vbi diximus auguria captantes ad Orientem obuerti conſueſſe, & Septentrionem ad ſiniſtram habuiſſe: Septentrio autem eſt nobilior pars mundi, quia Sol luſtrans Zodiacum in ſignis Septentrionalibus, per octo dies & horas ſeptem, diutiùs quàm in ſignis Auſtralibus commoratur. *e* Ex ſumma aëris regione.

*f* Troiam, vbi Troiani obſidebantur.

*g* Seruius. *Magis aucte. Et eſt ſermo tractus à ſacris. Quoties enim aut Thus aut vinum ſuper victimam fundebatur dicebant mactus eſt taurus vino, vel thure, hoc eſt, cumulata eſt hoſtia, & magis aucta,* &c. *Mactus autem apud veteres etiam mactatus dicebatur, vt Ennius. Liuius inde redit magno mactatus triumpho.*

*h* Qui genitus es à Venere Dea, & ab Ænea qui eſt in numerum Deorum referendus, & gignes Romulum, Iulium Cæſarem, & Auguſtum qui & ipſi in Deos referentur.

*i* Meritò in fatis eſt, vt Auguſtus Cæſar ex tua progenie naſcatur, qui finem imponet omnibus bellis tum externis, tum

ciuilibus

*Gente ſub Aſſaraci fato ventura reſident,*
*Nec te Troia capit:* a *Simul hæc effatus, ab alto*
*Aethere ſe mittit, ſpirantes* b *dimouet auras,*
*Aſcaniúmque petit: formâ tum vertitur oris*
*Antiquum in Buten: hic* c *Dardanio Anchiſæ*
*Armiger ante fuit, fiduſque ad limina cuſtos,* d
*Tum comitem Aſcanio pater addidit: ibat Apollo*
*Omnia longæua* e *ſimilis, vocémque, colorémque,*
*Et crines albos, & ſæua ſonoribus arma:*
*Atque his ardentem* f *dictis affatur Iulum,*
*Sit ſatis Æneide,* g *telis impunè Numanum*
*Oppetiiſſe tuis: primam hanc tibi magnus Apollo*
*Concedit laudem & paribus* h *non inuidet armis:* *Iubet Aſcanium à pugna deſiſtere.*
*Cætera* i *parce puer bello, ſic orſus Apollo,*
*Mortales medio* k *aſpectus ſermone reliquit,*
*Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.*

ciuilibus, eáque faciet, reſidere & mitigari. Aſſaracus fuit Rex Troianorum, pater Capyos, auus Anchiſæ, proauus Aeneæ abauus Aſcanij.

a Maiores quàm patria, ſiue ſuperas patriæ tuæ dignitatem.

b Spirabiles, quas ſpiramus. c Butes ſenex.

d Atrienſem vocabant, ſeruum omnium honoratiſſimum, qui atrio reliquiſque ſeruis præerat, & venientes ad dominum admittebat: Vide Piſonianam paragr. 67. Nota 9.

e Butæ. Ibat Apollo Butæ ſimilis, voce colore, canitie, armorum flictu & ſonitu terribili.

f Deſiderio dimicandi.

g Sufficiat tibi, ô fili Aeneæ, quod Numanum impunè & ſine vllo tuo detrimento occideris.

h *Pari gloriæ,* inquit Seruius. *Nam vt Apollo puer extinxit Pythonem in vindictam matris, ſic Numanum Aſcanius. Paribus ergo armis, id eſt ſimilibus, non perit'a, ſed triumpho.*

i Deinceps, de cætero.

k Non abſoluto colloquio, Non expectato Aſcanij reſponſo.

*Agnouêre: Deum proceres, diuináque tela*
*Dardanidæ, pharetrámque fuga ſenſere ſonantem;*
*Ergo auidum pugnæ dictis, ac numine Phœbi*
*Aſcanium prohibent: ipſi in certamina rurſus*
*Succedunt, animáſque in aperta pericula mittunt.*
Pugna recrudeſcit. *It clamor totis per propugnacula muris;*
*Intendunt acres arcus, amentáque* a *torquent.*
*Sternitur, omne ſolum telis, tum ſcuta, cauæque*
*Dant ſonitum flictu* b *galeæ: pugna aſpera ſurgit:*
*Quantus ab Occaſu veniens* c *pluuialibus hœdis*
*Verberat imber humum, quàm multa grandine nimbi*

*a* Lipſius lib. 4. poliorcet. dial. 4. Iacula, inquit, aliàs loro reuincta, & eo excuſſo adiuuabantur. Id dicebant amentum. Gloſſæ *amentum ἅμμα ἀκοντίων* vinculum iaculorum Feſtus: *Amenta, quibus vt emitti poſſint vinciuntur iacula. Ex Græco quod eſt ἅμματα, vel quod aptantes ea ad mentum trahant*, &c. Fuit autem non aliud quàm lorum reuinctum in haſta media circiter, quòd manui deinde & primoribus digitis illigabant leuiter in emiſſu cum impetu ſoluendum.

*b* Alliſione telorum & gladiorum. Eligere eſt per concurſum inter ſe tangere & concutere cum ſonitu.

*c* Tantus eſt conflictus, tantus fragor armorum, tanta telorũ frequentia, quanta eſt copia & impetus imbris ab occidentali plaga venientis, qui hœdorum pluuias adferentium ortu & occaſu tanta violentia cadunt, vt non in terram cadere, ſed eam verberare & flagellare videantur.

*Sub cornu Tauri*, inquit Seruius, *eſt ſignum cui & auriga ſiue Heniochus, nomen eſt. Hunc cum Tauro una clara ſtella coniungit. Retinet autem Auriga ſtellas duas in manu, quæ Hædi vocantur, & Capram, quam Amaltheam dicunt, quarum & ortus & occaſus grauiſſimas tempeſtates faciunt. Oriente autem Scorpione occidunt. Oriuntur ariete deſinente.*

*In vada præcipitant, a cum Iupiter b horridus Auſtris c*
*Torquet aquoſam hyemem, & cælo caua nubila rumpit.*
*Pandarus & Bitias, Idæo Alcanore creti,*
*Quos Iouis eduxit luco ſylueſtris Hiera,*
*Abjetibus iuuenes patrijs, d & montibus æquos,*
*Portam, quæ ducis imperio commiſſa, e recludunt*
*Freti armis: vltróque inuitant mœnibus hoſtem.*

Pandarus & Bitias portam caſtrorum aperiunt.

*Ipſi intus dextrâ, ac læuâ pro turribus, f adſtant*
*Armati ferro, & criſtris capita alta coruſci:*
*Quales aëriæ liquentia g flumina circum,*
*Siue Padi ripis, Atheſin ſeu propter amœnum*
*Conſurgunt geminæ quercus, intonſaque cælo*
*Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant.*
*Irrumpunt aditus Rutuli, vt vidêre patentes.*

Comparatio.

*a* In flumina præcipitantur, vel ſe præcipitant. ſunt autem, nimbi repentini & præcipites pluuiæ, inquit Iſidorus.
*b* Aër, vt Horat. *Sub Ioue frigido* alibi, —— *Imbres Niueſque deducunt Iouem.* Eum autem Iouem intelligit qui *Pluuius, Imbricitor.* Ὑέτιος nominatur.
*c* Auſter ventus pluuioſus. Statius 1. Thebaid.

—— *Sed plurimus Auſter*
*Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet,*

*d* In Idæo monte patrio creſcentibus.
*e* Portam aperiunt quàm Æneas diſcedens eorum cuſtodiæ crediderat, vel quam Æneas claudi iuſſerat commiſſis & coniunctis inter ſe foribus, vnde & compages ſiue iuncturæ cõmiſſuræ dicuntur. *f* Ante turres.
*g* Legit Seruius. *Liquetia* non *liquentia*, & dicit Liquetiam, eſſe fluuium Venetiæ inter Altinum & Concordiam. *Padus* ſiue *Erydanus* Italiæ fluuius aliquas Prouincias dextrâ læuâque contingit inter quas & Venetiæ partem præterfluit *Athiſis*. Venetiæ Fluuius eſt, Veronem ciuitatem alluens, n Padum cadens.

*Continuò Quercens, & pulcher Equicolus armis,*
*Et præceps animi Tmarus, & Mauortius Hæmon,*
*Agminibus totis aut verſi terga dedêre,*
*Aut ipſo portæ poſuêre in limine vitam,*
*Tum magis increſcunt animis diſcordibus* a *iræ:*
*Et iam collecti Troës glomerantur eodem,*
*Et conferre manum & procurrere longiùs audent.*
*Ductori Turno diuerſa* b *in parte furenti,*
*Turbantique viros, perfertur nuntius, hoſtem*
*Feruere cæde noua & portas præbere patentes.*
*Deſerit incæptum, atque immani concitus ira*
*Dardaniam ruit ad portam fratreſque* c *ſuperbos*
*Et primũ Antiphatem (is enim ſe primus* d *agebat)*
*Thebana de matre* e *nothum Sarpedonis alti*
*Coniecto ſternit iaculo: volat Itala cornus* f
*Aëra per tenuem, ſtomachóque infixa ſub altum*
*Pectus abit; reddit ſpecus* g *atri vulneris vndam*
*Spumantem,* h *& fixo ferrum in pulmone tepeſcit.*

*Turnus Antiphatem interficit.*

a Increſcit & incrudeſcit animis iratis diſcordia inter Rutulos & Troianos. *b* Longe ſeparata. *c* Pandarum & Bitian, *d* Longius ante cæteros à porta procurrerat. Agebat ſc. i. ibat 6. Aeneid.

*Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat.*

*e* Filium naturalem Sarpedonis alti ſiue nobilis, quippe qui & Rex Lyciorum fuit & Iouis filius. Filium, inquam Sarpedonis ex matre Thebana, Aliæ ſunt Thebæ Ægyptiæ, aliæ Bœotiæ, aliæ Phrygiæ Hoc loco Thebas Phrygias intelligit.
*f* Iaculum de Italica corno factum.
g Donatus. *Specus: dixit ſuſpenſuram corporis in modum ſpeluncæ naturali ratione compoſit: non vndam veram, ſed in modum vndæ copiam ſanguinis fundebat ex vulnere.* Alij nomine ſpecus per auxeſim intelligunt ipſum vulnus latum & profundum
*h* Non iaculo eminus, ſed manu cominus ferit.

*Tum Meropem, atque Erymantha manu, tum ſternit Aphidnum.*
*Tum Bitian ardentem occulis, animiſq; frementem*
*Non iaculo (neque enim iaculo vitam ille dediſſet)* & Bitiam.
*Sed magnum Aſtridens contorta phalarica* b *venit*
*Fulminis acta modo:* c *quam nec duo taurea terga,*
*Nec duplici ſquamâ lorica fidelis, & auro*
*Suſtinuit, collapſa* d *ruunt immania membra:*
*Dat tellus gemitũ, & clypeũ* e *ſuper intonat ingens.*
*Qualis in Euboico* f *Baiarum littore quondam*

a Valdè & grauiter ſtridens, magnum ſtridorem emittens.

b de Phalarica fuſe Seruius hoc loco & Cerdanus fuſiſſime. Vide Iſidorum lib. 18. cap. 7. Vegetium lib. 4. cap. 18 Silium lib. 1. Nos vno Liuij loco contenti ſimus lib. 21. *Phalarica erat Saguntinis miſſile telum, haſtili oblongo, & cætera tereti præterquam ad extremum vbi ferrũ extabat, id ſicut in pila quadratum id ſtupa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum armis transfigere corpus poſſet. Sed id maximè etiamſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus, pauorem faciebat; quod cùm medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudúmque militem ad inſequentes ictus præbebat* Quare ob impetum & ignem commode fulmini comparatur. Silius lib. 1.

*Fulminis hæc ritu ſummis è mœnibus arcis*
*Incita ſulcatum tremulà ſecat aëra flammâ.*

c Duo taurina tergora quibus Bitiæ clypeus erat contextus, & lorica corpus fideliter muniens duplici ordine ſquamarũ aurearum cõtextarum opere plumario phalaricæ impetum non ſuſtinuerunt. d Bitias ingenti corporis magnitudine præditus ad terram labitur.

e Seruius. *Aut ipſe ingens ſuper clypeum intonat: aut ingens clypeum ſuper ipſum tonat.* Notant Grammatici clypeum & maſculino & neutro genere reperiri. Quamuis ſi proprie loqui velimus clypeus armorũ, clypeum ſiue clupeum imaginis eſt.

f Baiæ, ſitæ ſunt in Italia, iuxta Cumas, in littore maris Tyrrheni balneis & aquis repentibus celeberrimæ. Dicuntur Euboicæ, quia vicinæ Cumis quas Chalcidenſes ex Euboea profecti in Italia condiderunt.

*Saxea pila* a *cadit: magnis quam molibus ante*
Comparatio. *Conſtructam iaciunt ponto: ſic illa ruinam*
*Prona trahit, penitúſque vadis illiſa recumbit.*
*Miſcent ſe maria, & nigræ attolluntur arenæ:*
*Tum ſonitu Prochyta* b *alta tremit, durúmq; cubile*
*Inarime, Iouis imperiis impoſta Typhœo.*
*Hic Mars atmipotens animum, viréſque Latinis*
*Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit:*
*Immiſitque fugam Teucris, atrúmque timorem.*
Fugiunt Troiani. *Vndique conueniunt, quoniam data copia pugnæ,*
*Bellatórque animo Deus incidit.*
*Pandarus vt fuſo germanum* c *corpore cernit,*
*Et quo ſit fortuna loco, qui caſus agat res:*

a Quemadmodum pila in littore conſtructa aliquando ruinã trahit, & in mare magno fragore delabitur: quam fabri murarij magnis molibus extructam ante faciunt, id eſt obijciunt & opponunt mari: vbi vides particulam *ante* referri ad *iaciunt* per figuram quam tmeſim ſiue diuiſionem appellant, non ad *conſtructam*. Vel ſi mauis ad *conſtructam* referre, ſenſus erit. Quemadmodum ſaxea pila magno fragore in mare cadit, quã cœmentarij priùs extrà mare conſtructã, & partim robuſteis ſtipitibus, partim catenis, & puluere Puteolano ſiue Baiano compactam in mare demittunt. Cui interpretationi fauet Vitruuius lib 5. cap. 12. & Horatius ode prima. lib. 3.

*Contracta piſces æquora ſentiunt,*
*Iactis in altum molibus: huc frequens*
*Cæmenta demittit redemptor.*

Baianus autem puluis, vt ſcribit Vitruuius lib 2. cap. 6. *commixtus cum calce & cæmento, non modo cæteris ædificiis præſtat firmitates, ſed etiam moles quæ conſtruuntur in mari ſub aqua ſolideſcunt* Vide Strabonem lib. 5.

*b* Prochyta & Inarime paruæ inſulæ littori Baiano vicinæ. Inarimen impoſitam Typhœo giganti fulmine Iouis percuſſo fabulantur, quòd ea terra exuſta eſt & crebris fulguribus impetitur.

*c* Fratrem ſuum Bitiam,

*Portam vi multa conuerſo cardine torquet,*
*Obnixus latis humeris, multóſque ſuorum* Turnus caſtris Troianorum includitur.
*Mœnibus excluſos, duro in certamine linquit:*
*Aſt alios ſecum includit, recipitque ruentes,*
*Demens qui Rutulum in medio non agmine Regem*
*Viderit irrumpentem, vltróque* a *incluſerit vrbi,*
*Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.*
*Continuò noua lux* b *oculis effulſit, & arma*
*Horrendum ſonuêre: tremunt in vertice criſtæ*
*Sanguineæ, clypeóque micantia fulgura mittit.*
*Agnoſcunt faciem inuiſam, atq; immania membra*
*Turbati ſubitò Æneadæ: tum Pandarus ingens*
*Emicat,* c *& mortis fraternæ feruidus ira* d Pandarus Turno minatur.
*Effatus: Non hæc dotalis* e *regia Amatæ,*
*Nec muris cohibet patriis media Ardea* f *Turnum:*
*Caſtra inimica vides: nulla hinc exire poteſtas.*
*Olli ſubridens ſedato* g *pectore Turnus:*
*Incipe, ſi qua animo virtus, & conſere dextram:*
*Hic etiam inuentum* h *Priamo narrabis Achillem.*

a *Inſuper*, inquit Seruius vel vltrò, non rogatus.

b Turnus qui ignotus in vrbem irruperat, ſubitò armorũ crepitantium horrendo fragore, criſtis rubris, clypei fulgore & ipſa corporis magnitudine cognoſcitur.

c Exilit. d Iratus ob illatam fratri Bitiæ necem.

e Seruius. *Aut tibi data per dotem, aut quia ſperabatur, & bene Amatæ, quia ſolùm illa generum eſſe cupiebat, contra mariti iudicium. Ergo cum mulieri probatum, non viro dicit. Notandum ſane quia id agit, vt oſtendat non ſe per imprudentiam Turnum incluſiſſe, ſed illum per temeritatem ſibi minime profuturam caſtra penetraſſe.* f Vrbs vbi Daunus pater Turni habitabat.

g Sine vlla perturbatione, magna vultus, vocis, & animi tranquillitate, quæ miram in periculis animi magnitudinem & propriæ virtutis fiduciam indicabat.

h Ego te ad Priamum mittam, qui nunc eſt apud inferos, vi-

*Dixerat: ille rudem nodis,* a *& cortice crudo*
*Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam:*
*Excepêre auræ vulnus:* b *Saturnia Iuno*
*Detorſit veniens: porteque infigitur haſta:*
*At non hoc telum,* c *mea quod vi dextera verſat*
*Effugies: neque enim is teli,* d *nec vulneris auctor.*
*Sic, ait, & ſublatum altê conſurgit in enſem:*
*Et mediam ferro gemina inter tempora frontem*
A Turno occiditur. *Diuidit, impubéſque immani vulnere malas,*
*Fit ſonus: ingenti concuſſa eſt pondere tellus.*
*Collapſos artus, atque arma cruenta cerebro* e
*Sternit humi moriens; atque illi partibus æquis*
*Huc caput, atque illuc humero ex vtroq; pependit.*
*Diffugiunt verſi trepida formidine Troës.*
*Et, ſi continuò victorem* f *ea cura ſubiſſet,*
*Rumpere clauſtra manu, ſocioſque immittere portis,*
*Vltimus ille dies bello, gentique* g *fuiſſet:*
*Sed furör ardentem, cædiſque inſana cupido*
*Egit in aduerſos.*

tà perfunctus, vt ei nuncies in Italia nouum eſſe inuentum Achillem qui tè occideret.

*a* Incompoſitam & impolitam, cum ſuo cortice.

*b* Non tetigit corpus Turni, ſed Iuno magna vi deflexit ictum venientem.

*c* Gladium, vt pro Milone paragr. 9. n. 3. paragr. 11. Nota. 2.

*d* Neque enim ego tam infirmus ſum & parum exercitatus, vt exire & declinare poſſis plagam è mea manu venientem. Vel telum quidem tuum & ictus euitari potuit, at meus ictus declinari non poterit, quia ſum longè belli virtute præſtantior.

*e* Quod ſparſum fuerat ſciſſo bifariam capite.

*f* Turnum.

*g* Troianæ, quæ penitus fuiſſet extincta.

*Principio Phalarim & ſucciſo poplite* [a] *Gygen*
*Excipit: hinc raptas* [b] *fugientibus ingerit haſtas*
*In tergum: Iuno vires, animúmque miniſtrat.*
*Addit Halyn comitē,* [c] *& confixū Phegea* [d] *parmâ.*
*Ignaros deinde in muris, Martémque cientes,* [e]
*Alcandrúmque, Haliúmque, Noëmonáque, Prytanimque.*
*Lyncea tendentem contrà, ſocioſque vocantem*
*Vibranti gladio connixus ab aggere dexter* [f]
*Occupat; huic vno deiectum cominus ictu*
*Cum galea longè iacuit* [g] *caput, inde ferarum*
*Vaſtatorem Amicum: quo non felicior alter*
*Vngere tela manu ferrúmque armare* [h] *veneno:*
*Et Clytium Æoliden, & amicum Cretea Muſis,*

*Qui & alios plures interficit.*

---

[a] Excipit Gygen, eiúſque politem ſuccidit. *Luy coupe le iarret.*

[b] De cadaueribus; vel quas fugientes abiecerant.

[c] Cum aliis interficit.

[d] Turnus Phegei parmam transfixerat, & haſta corpus Phegei tanta vi penetrauit, vt Phegeum ſimul cum parma configeret conſueretque.

[e] Pugnam agitantes.

[f] Lynceum à dextra parte adoritur, eúmque vibranti gladio ſic ab aggere totis viribus connitens præuenit & præoccupat vt ei quam celerrime caput amputetur.

[g] Seruius. *Ad exprimendum celeritatem præterito vſus eſt tēpore.* Fabius lib 8. cap. 6. *Præcipuè ex his oritur mira ſublimitas, quæ audaci & proxime periculū tranſlatione tollantur, cùm rebus ſenſu carentibus actum quemdam & animos damus, qualis eſt.* ——*Pontem indignatus Araxes. Duplicatur interim hæc virtus apud Virgil.* —— *Ferrúmque armare veneno. Nam & venenum armare, & ferrum armare tranſlatio eſt.* Quia vt homines ferro armati ſunt terribiliores, ita ferrum veneno imbutum eſt atrocius.

*Cretea Muſarum comitem, cui carmina ſemper,*
*Et citharæ cordi, numeroſque intendere a neruis*
Mneſtheus Troianis hortatur. *Semper equos, atque arma virûm, pugnaſq; canebat.*
*Tandem ductores, audita cæde ſuorum,*
*Conueniunt Teucri, Mneſtheus, acérque Sereſtus,*
*Palantéſque* b *vident ſocios, hoſtémque receptum.*
*Et Mneſtheus, quò deinde fugam* c*? quò tenditis? inquit.*
*Quos alios muros? quæ iam vltrà mœnia habetis?*
*Vnus homo, & veſtris, ô ciues vndique ſeptus*
*Aggeribus, tantas ſtrages impune per vrbem*
*Ediderit? iuuenum primos tot miſerit Orco?*
*Non infelicis patriæ,* d *veterumque Deorum* e*,*
*Et magni Æneæ, ſegnes, miſerétque pudétque?*
*Talibus accenſi firmantur, & agmine denſo*
*Conſiſtunt. Turnus paulatim excedere pugnâ,*
*Et fluuium* f *petere, ac partem, quæ cingitur amni.*
Turnus paulatim excedit pugnâ. *Acriùs hoc Teucri clamore incumbere magno,*
*Et glomerare manum: ceu ſæuum turba leonem*
*Cum telis premit infenſis: at territus ille*
comparatio. *Aſper, acerba tuens retrò redit: & neque terga*

a Seruius. *Rhythmos facere intenſione neruorum.* Varias modulationes & ſonorum inflexiones fidibus modo contentis, modò laxioribus temperare.

b Fugâ hac illac diſperſos.

c Si caſtris veſtris exturbamini, quò deinde fugietis.

d Non vos miſeret Troiæ infelicis, quæ penitus extinguetur deleto nomine Troiano, niſi Turnum expellitis? Non vos pudet eiuſdem, cui ſempiternam infamiæ labem inferetis, ſi ab vno victi fueritis?

e Penatium quos ſemper coluere Troiani.

f Tiberim.

*Ira dare, aut virtus patitur: nec tendere contra:*
*Ille quidem hoc cupiens, potis eſt per tela, viróſque*
*Haud aliter retro dubius veſtigia Turnus*
*Improperata refert, & mens exæſtuat irâ.*
*Quin etiam bis tum* [a] *medios inuaſerat hoſtes:*
*Bis conuerſa fuga per muros agmina vertit.*
*Sed manus è caſtris properè coit omnis in vnum,* Iuno vires illi non amplius ſubminiſtrat.
*Nec contrà vires audet Saturnia Iuno*
*Sufficere* [b]*: aëriam cælo nam Iupiter Irim*
*Demiſit, germanæ* [c] *haud mollia iuſſa ferentem,*
*Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.*
*Ergo nec clypeo iuuenis ſubſiſtere tantùm,*
*Nec dextrâ valet, iniectis ſic vndique telis*
*Obruitur: ſtrepit aſſiduo caua tempora circum*
*Tinnitu galea, & ſaxis ſolida æra fatiſcunt,* [d]
*Diſcuſſæque iubæ capiti, nec ſufficit vmbo*
*Ictibus: ingeminant haſtis & Troes, & ipſe*
*Fulmineus Mneſtheus: tum toto corpore ſudor*
*Liquitur, & piceum* [e] *( nec reſpirare poteſtas)*
*Flumen agit; feſſos quatit æger anhelitus artus.*
*Tum demum præceps ſaltu ſeſe omnibus* [f] *armis*
*In fluuium dedit; ille ſuo cum gurgite flauo*

*a* Etiam tum, cùm Mneſtheus & Sereſtus ſuos accenderent.
*b* Subminiſtrare.
*c* Quæ Iunoni Iouis fratris nomine grauiter minaretur.
*d* Saxis percuſſa rimas agunt & affatim dehiſcunt.
*e* Turnebus lib. 22. c. 7. Per tranſſumptionem *piceum* interpretor nigrum, & ex eo multum: multus enim humor nigricat, qui paucus, pellucet, & limpidus eſt.
*f* Cum omnibus armis, non abiecto clypeo, vt fugere ſolent ignaui.

*Turnus ad ſuos reuertitur.*

*Accepit venientem* a *ac mollibus extulit vndis:*
*Et lætum ſociis abluta* b *cæde remiſit.*

a Blande & molliter excepit in ſuo gurgite. Flauum appellat vel ob arenam flauentem. vt 7. Aeneid.

*—— Et multa flauus arena*

Vel etiam ſi Tiberim conſtet albicâtes habere aquas, ex eóq; Albulam olim vocatum fuiſſe, flauum tamen per tranſſumptionem dici poſſe ſcribit Turnebus lib. 26. Aduerſ. cap. 7. cùm enim, inquit, homines flaui pulchri videantur, ex eo dicunt factum eſſe vt flauus pulchrum ſignificet. Heſychius ξανθὸν *Flauum* , *pulchrum* interpretatur Neque verò ſolus Poëta *Flauum Tiberim* appellat Horatius lib. 1 ode 2.

*Vidimus flauum Tiberim.*

& ode 8. *Cur timet flauum Tiberim tangere.*

& lib. 2. ode 3.

*Villáque flauus quam Tiberis lauit.*

b Expiata Poſt prælia & cædes ſe abluebant 2. Æneidos.

*Me bello è tanto digreſſum & cæde recenti*
*Attrectare nefas, donec me flumine viuo Abluero;* —Ouidius
*Ah nimiùm faciles, qui triſtia crimina cædis*
*Fluminea tolli poſſe putatis aqua.*

Romanis poſt victorias de hoſte partas exercitum ad expiandam cædam luſtrare ſolemne erat.

*FINIS.*

# PVBLII VIR. MARONIS ÆNEIDOS LIBER X.

## MODESTINI IVRISCONSVLTI In Decimum Æneidos Librum.

### *ARGVMENTVM.*

Concilium diuis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus inſtant,
Aduenit Aeneas multis cum millibus heros.
Mars vocat, & totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in prælia Turnus.
Cæduntur que duces, & cadit ſiue nomine vulgus,
Subtrahitur pugnæ Iunonis numine Turnus,
Aeneas perſtat Mezenti cæde piatâ,
Et Lauſum inuictâ perimit per vulnera dextrá.
Mox vltor nati Mezentius occidit ipſe.

*PANDITVR interea domus omnipotentis a Olympi,*
*Conciliumque vocat diuûm pater, atque hominum rex,* Concilium Deorum
*Sydeream in ſedem, terras vnde arduus omneis*
*Caſtraque Dardanidũ aſpectat, populóſque Latinos.*

a Lib. 12. verſu 791.
*Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi Alloquitur.*
Sic æther omnipotens in Georgicis.
*Tum pater omnipotens fæcundis imbribus æther.*
ſiue quòd Olympus omnia complectatur: & omnium potiatur, ſiue quod à diis omnipoteniibus habitetur. Quidam per patefactionem Olympi, diei ortum intelligunt.

*Conſidunt tectis bipatentibus,* a *incipit ipſe.*
*Cælicolæ magni, quianam* b *ſententia vobis*
*Verſa retrò? tantúmque animis certatis iniquis?*
*Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.*
*Quæ contra vetitum diſcordia? qui metus,* c *aut hos,*
*Aut hos arma ſequi, ferrúmque laceſſere ſuaſit?*
*Adueniet juſtum pugnæ, ne arceßite,* d *tempus,*
*Cùm fera Carthago Romanis arcibus olim*
*Exitium magnum, atq; Alpeis immittet* e *apertas,*
*Tum certare odiis,* f *tum res rapuiſſe licebit:*

Iupiter Deos hortatur ad concordiam.

*a* Patentibus ab ortu, & ab occaſu, vel quia in oſtiis duæ ſunt valuæ, quæ aperiuntur ambæ, cùm ingreſſura eſt magna multitudo: vel quia cœlum dijs introeuntibus & euntibus patebat. *b* Quare mutauiſtis ſententiam?

*c* Quæ cauſſa, quis timor aut Troianos, aut Rutulos impulit, vt arma ſequerentur, & bello ſe inuicem prouocarent, ferrumque ipſum quodammodo proritarent?

*d* Non eſt opus, inquit Iupiter, O cœlicolæ, mutuis inter vos diſcordiis dimicare, & tempus præuenire ſiue præoccupare veſtris diſſenſionibus deſtinatum. Adueniet enim illud tẽpus cùm Carthaginenſes duce Annibale, viam ſibi per Alpes aperient, ſaxis igne & aceto reſolutis, magnamque perniciem immittent Italiæ; Nam apud Trebiam, apud Thraſimenum, apud Cannas Annibal referet tres inſignes victorias de Romanis, & ducentâ penè Romanorum millia trucidabit; tum licebit inter vos diſſidere.

*e* Emphaſis pro: *per Alpes immittet exercitum.*

*f* Seruius *Clarigationem exercere, hoc eſt per feciales bella indicere. Nam veteres* lædere, res rapere *dicebant, etiam ſi rapinæ nullum crimen exiſteret ſimiliter* ſatisfacere, res reddere *dicebant.* Qua occaſione de clarigatione longam texit orationem. Quòd viros doctos impulit vt idem eſſe dicerent *res rapere,* quod *res repetere.* Sed, opinor, liquida eſt huius loci ſententia. Rebus clarigatione repetitis, & bello per feciales indicto, certare odiis, & res rapere inuicem licebit: quod nunc ante belli indictionem non licet.

*Nunc ſinite, & placidum* a *læti componite fœdus.*
*Iuppiter hæc paucis: at non Venus aurea* b *contra*
*Pauca refert.*
*O pater, ô hominum diuûmque æterna poteſtas,* Querela Veneris
*(Namque aliud quid ſit, quod iam implorare queamus?)*
*Cernis vt inſultent Rutuli, Turnúſque feratur*
*Per medios inſignis equis, timidúſque,* c *ſecundo*
*Marte ruat? non clauſa tegunt iam mœnia Teucros,*
*Quin intra portas, atque ipſis prælia miſcent* d
*Aggeribus murorum, & inundant ſanguine foſſæ.*
*Æneas ignarus abeſt.* e *Nunquámne leuari*
*Obſidione ſines? muris iterum* f *imminet hoſtis*

a Legit Seruius: *placitum*, & interpretatur *placitum aut mihi, aut fatis, aut quod velim vobis placere.*

b Venus à Græcis χρυσῆ πολύχρυσος: quæ etiam, vt Herodotus ſcribit, hoc nomine templum habuit apud Ægyptios. Sed ne ſit otioſum adiectum dicamus Venerem hic *auream* ab eloquentia nominari, vt apud Ciceronem. *Veniet aureum flumen orationis voluens Ariſtoteles* vnde Chryſologis & Chryſoſtomis inditum nomen. Quid ſi *aurea* non ad Venerem, ſed ad *pauca* referatur hoc ordine verborum? *at contrâ Venus refert non pauca* ſiue multa *aurea* id eſt reſpondet Venus prolixa & aurea oratione. *aurea dicta* Lucretio.

c Inflatus & ſuperbus ſecundis belli ſucceſſibus.

d Vnus Turnus craſtra Troianorum ingreſſus eſt: ſed vtitur numero multitudinis ad maiorem inuidiam concitandam.

e Profectus eſt ad Euandrum, & inde ad Hetruſcos, ignarus, eorum quæ Rutuli contra Troianos in Latio moliuntur.

f Hoſtis, qui priùs obſedit veterem Troiam, iterum imminet muris Troiæ nouæ, quæ in Italia nunc primum excitatur & Diomedes Tydei filius, qui veteres ſocios vel amiſit naufragio, vel alijs caſibus, (non nulli enim in aues mutati fuerant) nouum conſcribit exercitum, vt iterum Troianos obſideat. Arpos ſiue Argyripam condidit Diomedes Rex Aetoliæ. Vide lib. vndecimum verſu 246.

*Aeolia excitos? a aut actam nubibus Irim, b*
*Nunc etiam manes (hæc intentata manebat*
*Sors c rerum) mouet, & ſuperis immiſſa repente*
*Alectos media, Italûm bacchata per vrbes.*
*Nil ſuper imperio moueor, ſperauimus iſta,*
*Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mauis.*
*Si nulla eſt regio, Teucris quam det tua coniux d*
*Dura: per euerſæ, genitor, fumantia e Troiæ*
*Excidia obteſtor: liceat demittere ab armis*
*olumem Aſcanium, liceat ſupereſſe nepotem.*
*Æneas ſanè ignotis iactetur in vndis:*
*Et quamcumque viam dederit fortuna, ſequatur:*
*Hunc tegere, & diræ valeam ſubducere pugnæ.*
*Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos, atq; Cythera,*
*Idaliæque domus, poſitis in glorius armis*
*Exigat hic æuum magna ditione iubeto.*
*Carthago premat Auſoniam: nihil vrbibus inde*
*Obſtabit Tyriis g quid peſtem euadere belli*

*a* Lib. primo à verſu 54. *b* Libro 5. & initio libri 9.
*c* Iuno Iridem è cœlo, ventos è mari exciuerat, reſtabat igitur vt ex inferno Diras euocaret, quod feciſſe dicitur 7. Aeneidos. vt eſt in fabulis, regna omnia iactis ſortibus inter ſe diuiſerant. Pluto apud Claudianum 1. de raptu Proſer.

*Tertia ſupremæ patior diſpendia ſortis*

*d* Iuno Iouis & ſoror & coniux.
*e* Tum recenti vt adhuc propemodum fumare videantur.
*f* Cythera eſt inſula iuxta Laconiam Veneri ſacra: reliquæ ſunt ciuitates Cypri eidem Veneri dedicatæ. Per celſam Paphon veteremPaphum in colle poſitam intelligit, quam Strabo & alij Palæpaphum appellant
*g* Si oppreſſi fuerint Troiani, à quibus Romani ducturi ſunt originem, nihil oſtrabit Carthaginenſibus, Tyriorum colonis: quo minu contra fata orbis terrarum imperium conſequantur.

*Iuuit, & Argolicos medium* a *fugiſſe per ignes,*
*Totq; maris, vaſtæque exhauſta* b *pericula terræ,*
*Dum Latium Teucri, recidiuáque* c *Pergama quærunt?*
*Non ſatius* d *cineres patriæ inſediſſe ſupremos,*
*Atque ſolum, quo Troia fuit* e*? Xanthum, & Simoënta*
*Redde* f *oro miſeris; iterumque reuoluere caſus*
*Da pater Iliacos Teucris.* g *Tum regia Iuno*
Iunonis responſio *Acta furore graui: Quid me alta ſilentia cogis*
*Rumpere* h *& obductum verbis vulgare dolorem*
*Æneam hominum quiſquam, diuúmque ſubegit*

*a* Lib.2. —— *Dant tela locum flammæque recedunt.*
lib.7. —— *Medias acies, medióſque per ignes Inuenere viam.*
*b* Tolerata vt a lib. 11.
*Mitto ea quæ muris bellando exhauſta ſub altis.*
*c* Alij legunt *rediuiua* eodem ſenſu renaſcentia, reſurgentia maluit Propertius. *Arma reſurgentis portant victricia Troiæ.*
*d* Nonne melius fuiſſet permanſiſſe in patriæ cineribus & in ſolo genitali reſediſſe, quam extra patriam tot caſibus & periculis agitari.
*e* Lib. 3. *Et campos vbi Troia fuit.*
*f* Donatus *Neceſſarium poſcit.* redde: *ipſius enim iuſſu fines regionum ſuarum Troiani dimiſerant, ipſe reddere debuit, quod lugendo ſuſtulerat, aut id quod pollicitus fuerat, dare.* Xanthus & Simois fluuij Troianum agrum præterfluentes, qui ſæpè Troianorum ſanguine redundarunt.
*g* Inuidioſè. Concede, inquit, beneficij loco Troianis, vt iterum eoſdem caſus ſubeant, quos priùs bello Troiano ſubierunt. Longe enim tum melior erat eorum conditio, quàm hoc tempore, quo periculoſiùs, & ab hoſtibus crudelioribus obſidentur.
*h* Donatus. *Rumpitur quippe quicquid magnam violentiam ſenſerit, & non emergit ex alto pectoris niſi quod vi cogentis excluditur. Obductus verò dolor eſt quem tegit patientia diſſimulantis.* Metaphora ducta videtur à vulneribus, quibus cicatrix obducitur.

*Bella ſequi? aut hoſtem Regi ſe inferre Latino;*
*Italiam petiit fatis auctoribus eſto,*
*Caſſandræ impulſus furiis:* a *num linquere caſtra*
*Hortati* b *ſumus: aut vitam committere venti?* c
*Num puero* d *ſummam belli,* e *num credere muros?*
*Tyrrhenam ve fidem,* f *aut gẽtes agitare quietas?* g
*Quis deus in fraudem, quæ dura potentia noſtra*
*Egit? vbi hîc Iuno, demiſſa ve nubibus Iris?*
*Indignum eſt, Italos Troiam circumdare flammis*
*Naſcentem,* h *& patriâ Turnum conſiſtere terrâ,*
*Cui Pilumnus auus,* i *cui diua Venilia* k *mater.*

*a* Videtur eſſe correctio ſuperioris conceſſionis: quanquam non dicendum fuerat Troianos fatis auctoribus Italiam petiiſſe: non enim ea fata fuerunt, ſed furioſæ vaticinia Caſſandræ, quæ non diuino furore inſtincta, ſed ab ipſis furiis concitata vaticinabatur.

*b* Vtitur genere maſculino, vt non ſuam vnius, ſed omnium Deorum cauſſam agere videatur. *c* Vanas & inanes ſpes perſequi, vel cum vitæ ſuæ diſcrimine.

*d* Aſcanio,

*e* Quos Æneas in Italiam appulſus vrbem deſignaturus aratro conſtruxerat.

*f* *Inire ſocietatem cum inimicis gentibus Turno.* inquit Seruius.

*g* Duodecim Hetruſcorum gentes licet ad repetendum à Turno Mezentiũ vellent in bella prorumpere, tamen erant quietæ propter illud oraculum.

*Externos optate duces.*

*h* Dixiſti, O Venus indignum eſſe quod Rutuli naſcentem Troiani obſiderent, & circa illam ignes accenderent, facéſque inferrent, & penè dixiſti indignum eſſe, quod Turnus in patria terra, ſiue in Italia conſiſteret: qui tamen à Diis Italicis eſt oriundus. Neque enim manere poteſt in Italia ſtãtibus Troianis. *i* Imò tritauus. *Pilumnúſque illi quartus pater* k Venilia, Dea marina. Norant æſtum maris venientem dici *Veniliam* è veniendo, remigrantem vero & iterum redeuntem *alaciam.* De Pilumno dictum initio 9. Æneidos.

*Quid face Troianos atra a vim ferre Latinis?*
*Arua aliena iugo premere? atque auertere prædas?*
*Quid ſoceros legere, & gremiis abducere pactas?*
*Pacem orare manu: præfigere puppibus arma?*
*Tu potes Aeneam b manibus ſubducere Graiûm,*
*Proq; viro nebulam, & ventos obtendere inaneis:*
*Et potes in totidem claſſem conuertere nymphas.*
*Nos aliquid Rutulos contra iuuiſſe nefandum eſt;*

Quanto indignius eſt quod Troiani ferro, flammáque bellum Latinis intulerunt? agros alienos arauerunt, & circunducto aratro condendæ vrbis ambitum deſignarunt? quòd prædas abegerunt? Latinum ſocerum arbitrio ſuo ſibi legerunt? Quid? quod Lauiniam Turno pactam & deſponſam à gremio complexúque matris Amatæ conantur abducere? quid? Quod pacem orare ſe fingunt, & interim arma retinent, vt ſi conditiones, quas ipſi proponunt, non admittantur, vt & armis, quod petunt, extorqueant? Quid denique? quod ſunt adeo violenti, vt cùm Æneas ad Euandrum, auxilij petendi cauſſa profectus eſt, arma puppi præfixerit? lib. 8.

*Miratur nemus inſuetum fulgentia longè*
*Arma virûm fluuio, pictáſque innare carinas.*

b Æneam in periculo mortis verſantem Venus mater è Diomedis manibus obiecto peplo liberare volens, vulnus accepit, vt fuſe narrat Homerus lib. 5. Iliados à verſu 300. Non igitur Venus potuerat filium ſuum liberare, id tamen dicit quia vt inquit Homerus v. 344.

ϗ τὸν μὲν κατὰ χερσὶν ἐρύσατο Ἀπόλλων, κυανέῃ νεφέλῃ-

*Aeneam manibus ſubduxit Phœbus Apollo. Cærulea nebula.*

& 20. Iliados eundem Aeneam cum Achille congreſſum bona Iunonis veniâ, ſubduxit Neptunus offuſa Achilli caligine. Vide fusè, verſu 321.

—— κατ᾽ ὀφθαλμῶν χέεν —— Πηλείδῃ Ἀχιλῆϊ.

*Oculis obtendit Achilli Neptunus nebulam.* —— Sed hæc tribuit Veneri: quæ in gratiam Veneris ab aliis facta eſſe conſtabat, vt ſubdit ne nauibus quæ non ab ipſa Venere ſed à Matre Deorum fuerant in Nymphas mutatæ, vt narratur 9. Aeneid.

*Æneas ignarus abeſt, ignarus & abſit:*
*Eſt Paphos, Idaliumque tibi: ſunt alta Cythera.*
*Quid grauidam* a *bellis vrbẽ & corda aſpera tẽtas?*
*Noſne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo*
*Conamur?* b *nos, an miſeros qui Troas Achiuis*
*Obiecit? quæ cauſſa* c *fuit conſurgere in arma*
*Europámque Aſiamque? & fœdera ſoluere furto?*
*Me duce Dardanius* d *Spartam expugnauit adulter:*
*Aut ego tela dedi, fouiue cupidine bella?*
*Tunc docuit metuiſſe tuis:* f *nunc ſera querelis*
*Haud iuſtis aſſurgis & irrita iurgia iactas,*
*Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant*

*a* Si tot habes vrbes, vt gloriaris, quid attentas Laurentum inuadere, quæ vrbs eſt grauida & quaſi prægnans viris adeò bellicoſis, vt bellum parturire videatur.
*b* Egone conor res Troianorum funditus euertere, quæ adeò fluxæ ſunt & caducæ, vt nemine impellente collapſuræ ſint? An tu, ô Venus euertiſti, & miſeros Troianos Græcis obieciſti quaſi lepuſculos canibus laniandos? Venerem alloquens vtitur & tertiâ perſona & genere maſculino, quia mauult intelligi, quàm à ſe dici Venerem excidij Troiani cauſſam extitiſſe:
*c* Quæ cauſſa fuit præter vnam te, cur Græci Europæi Troianis Aſiaticis bellum inferrent? & Paris Priami filius ſocietatem & fœdus inter Græcos & Troianos initam adulterio clanculario & raptu Helenæ violaret.
*d* An me duce, an potiùs inſtigante te, ô Venus, Paris Lacedæmonem profectus, Helenam inde ſecum abduxit, perinde ac ſi vrbem expugnaſſet armiſque viciſſet.
*e* Videtur exprobrare quòd, vt ſcribitur 8. Æneidos. Venus Vulcanum ſuis blanditiis pellexerit ad arma Æneæ fabricanda, vel non excitaui bellum Troianum, illudque foui amore Paridis, & Helenæ.
*f* Cum iſta faciebas Troianis tuis metuere debuiſti: nunc autem nimiùm ſero Troianis iam ad imum miſeriarum deuolutis, iniuſtè conquereris, in alios cauſſam conferens, & iactas iurgia nihil illis profutura.

*Cælicolæ, aſſenſu vario;* a *ceu flamina prima* b
*Cum deprehenſa fremunt ſyluis & cæca* c *volutant*
*Murmura, venturos nautis prodentia ventos.*
*Tum pater omnipotens, rerũ cui ſumma poteſtas,*
*Infit,* d *eo dicente Deûm domus alta ſileſcit,*
*Et tremefacta ſolo tellus, ſilet arduus æther.*
Iupiter cõcilium cõ ludit. *Tũ Zephyri poſuêre,* e *premit placida æquora põtus.*
*Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.*
*Quandoquidem Auſonios cõiungere fœdere Teucris*
*Haud licitum eſt, nec veſtra capit diſcordia finem,*
*Quæcuiq; eſt fortuna hodie, quã quiſq; ſecat* f *ſpem*

a Alijs Iunoni, alijs Veneri fauentibus.

b Ita dij fremunt inter ſe, quemadmodum ante tempeſtatis exortum fremitus quidam in ſyluis detentus auditur, & murmur increbreſcit, cuius cauſſa obſcura eſt *prima* vocat *flamina* ventum & tempeſtatem præcedentia *deprehenſa*, quia ex improuiſo audiuntur, & ingruunt viatoribus ſubito futuræ tempeſtatis indicio deprehenſis.

c Vel quia horum ratio in arcanis naturæ poſita eſt, vel murmur quod in cæcis denſiſque ſyluarum vmbraculis excitatur, vel murmur incluſum, & ramis impeditum ſic 12. lib.

—— *Tum murmure cæci Intus ſaxa fremunt.*

vel murmur ſurdum & obtuſum.

d Incipit loqui ſic alibi —— *Ita farier infit.*

e Flatum remiſerunt.

f Exponunt Seruius & Nonius. *Secare, ſequi vnde & ſectatores bonorum ſectores dicti ſunt.* Turnebus interpretatur *quam quiſque ſpem ſumit.* Qui enim qui deſecat, ſibi id ſumit quod & Græci ἀποτέμνεσθαι dicunt. Videtur autẽ eſſe hæc Poëtæ ſentẽtia. Neutri præcipue parti fauebo, ſed habebo ſine vllo diſcrimine Rutulos & Troianos, & ſecundum hodiernam cuiuſque fortunam, ſpemque, quæ cuique, ſecundũ præſentem fortunæ ſtatum, prudẽter affulſerit, euentum moderabor. Secare ſpem dicuntur, inter ſe & diuerſa ſperando in partes contrarias diuiduntur. Sic metuit Æneas quod ſperat Turnus, Turnus metuit; quod ſperat Æneas.

*Tros, Rutulúſve fuat, nullo deſcrimine habebo:*
*Seu fatis Italûm* a *caſtra obſidione tenentur,*
*Siue errore malo Troiæ, monitiſque ſiniſtris.*
*Nec Rutulos ſoluo: ſua cuique exorſa laborem,*
*Fortunámque ferent: rex Iupiter omnibus idem.*
*Fata viam inuenient. Stygij* b *per flumina fratris,*
*Per pice torrentes, atráque voragine ripas*
*Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.*
*Hic finis fandi; ſolio tum Iupiter aureo*
*Surgit, Cælicolæ medium quem ad limina ducunt.*
*Interea* c *Rutuli portis circum omnibus inſtant*
*Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis,* Caſtra Troiana obſidentur.
*Aſt legio Æneadum vallis* d *obſeſſa tenetur;*
*Nec ſpes vlla fugæ, miſeri ſtant turribus altis*
*Nequicquam; & rarâ* e *muros cinxere coronâ* Pauci Troiani reſiſtunt
*Aſius Imbraſides,* f *Hicetaoniúſque Timætes:*

a Siue ita poſtulant Latinorum Rutulorúmque fata, vt caſtra Troianornm obſidione teneantur, ſiue errauerunt Troiani venientes in Italiam decepti ambiguis Deorum oraculis, vel potius Caſſandræ furijs, vt Iuno dicebat: neque hoc dico quod putem Rutulos eſſe ab omni culpa liberandos. Sed rem in medio relinquo: idque vnum prædico. Prout quiſque bellum incœpit, ita laboris & fortunæ exitum ſortietur, iſque vincetur qui reluctantibus fatis temere bellum ſuſceperit; vincet qui prudenter & fatis obtemperans ad arma ſe conuerterit.
b Vide lib. 9. verſu 104.
c Donatus *Reditus eſt iſte narrationis, quam poſt finem noni libri, conſilii d. ſcribendi cauſſa dimiſerat.* Seruius, *Inſtant portis omnibus circùm, id eſt, circumcirca fuſi.*
d Idem *Intra vallos, id eſt, foſſarum fuſtes, qui valli vocantur. Nam munitio ipſa vallum neutro dicitur genere.*
e Qua pridiè multi vulnerati & occiſi fuerant, & ſic exhauſta murorum cuſtodia.
f Patronimica à patribus Imbraſo & Hicetaone.

*Aſſaracique duo, & ſenior cum Caſtore Tybris,*
*Prima: acies a hos germani Sarpedonis b ambo,*
*Et Clarus & Hæmon Lycia comitantur ab alta:*
*Fert ingens toto connixus corpore ſaxum.*
*Haud partem exiguam montis Lyrneſius c Acmon,*
*Nec Clytio genitóre minor, nec fratre Meneſtheo,*
*Hi iaculis, illi certant defendere ſaxis,*
Aſcanius. *Molirique ignem, d neruóque aptare e ſagittas,*
*Ipſe inter medios f Veneris iuſtiſſima cura,*
*Dardanius, caput ecce puer detectus honeſtum g:*
Comparatio. *Qualis gemma micat, h fuluum quæ diuidit aurum*
*Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem*
*Incluſum buxo, aut Oricia i terebintho*

*a* Donatus ait his verbis exprimi paucitatem. *Qualis hæc acies fuit prima in fronte conſtituta quam fecerunt homines quinque?* At Seruius (*Prima acies*) interpretatur: (*Magni viri*)
*b* Fratres vterini: non enim erant ex eodem patre oriundi: Sarpedonem enim Regem Lyciorum Iouis fuiſſe filium Homerus fabulatur.
*c* Ex Lyrneſo Phrygiæ ciuitate, vnde Briſeis oriunda.
*d* Seruius. *Quid eſt* moliri? *Num iniicere, an tentare iacere?*
*e* Ad funem arcus accommodare.
*f* Ipſe Aſcanius à Dardano oriundus, quem Venus ob pulchritudinem & ſpem poſteritatis meritò diligebat, ſtabat inter medios Troianos ſine galea, caput habens detectum.
*g* Pulchrum vt.
*Téque quatérque manu pectus percuſſit honeſtum.*
*h* Candida facies Aſcanij ita reſplendebat inter flauos capillos vndatim per ceruicem defluentes, quemadmodum micat gemma candida inſerta aureo monili ad colli aut capitis ornatum comparata, vel quemadmodum ebur candidum lucet, buxo vel terebintho, artificioſe circumdatum. Vide lib. 1. verſu. 596. vel vt maluit Donatus, *Aſcanius comparatur gemmæ & ebori, circunſtantes autem Troiani auro & buxo & terebintho.*
*i* Seruius. *Orice: ciuitas eſt Epiri iuxta quam naſcitur terebinthus*

*Lucet ebur: fuſos ceruix cui lactea crines*
*Accipit, & molli ſubnectit circulus auro* a.
*Te quoq; magnanimæ viderunt* b *Iſmare gentes*
*Vulnera dirigere, & calamos armare veneno* — *Iſmarus.*
*Mæonia generoſe domo:* d *vbi pinguia culta*
*Exercéntque viri, Pactolúſque irrigat auro.*
*Affuit & Mneſtheus, quem pulſi priſtina Turni*
*Aggere murorum* c *ſublimem gloria tollit:*
*Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.*
*Illi inter ſeſe duri certamina belli* — *Mneſtheus.*
*Contulerant: media Æneas freta nocte ſecabat,*
*Namq; vt ab* f *Euandro caſtris ingreſſus Hetruſcis.*

*nigrum lignum habens folia in buxi ſpeciem. Rutuli autem comparationem ad candidum vultum, qui erat nigris crinibus cinctus.* Sed ſi è terebintho colligit nigros fuiſſe capillos Aſcanij, quid auro & buxo faciemus.

*a* Extremæ capillorum fimbriæ teniâ filis aureis contexta in circulum cohibentur.

*b* Tu quoque, ô Iſmare, fuiſti gentibus ſpectaculo. Si non ob formæ dignitatem, vt Aſcanius, ſaltem ob tractandorum armorum peritiam. Sagittas enim è calamo ſiue arundine cõfectas, herbis venenatis infectas, tam certo & determinato ictu ad vulnus infligendum dirigebas, vt te gentes quãtumuis bellicoſæ & magnanimæ cum admiratione ſpectarent.

*c* Nono Æneid. verſ. 773.

*d* Iſmarus genus ducebat è Lydia, quam priùs Mœoniam vocitabant: vbi terras fertiles homines colunt, & Pactolus quædam auri ramenta trahens irrigat.

*e* Vt narratur 9. Æneidos deſinente.

*f* Redit ad propoſitam narrationem quam intermiſerat initio lib. 9. Statimatque, inquit, Æneas ab Euandro profectus ingreſſus eſt caſtra Hetruſcorum, qui Mezentium à ſe ad Rutulos fuga elapſum ad pœnam repetentes, prohibiti fuerant ſine externo Duce Rutulis bellum inferre, & caſtris in littore poſitis, nauibus paratis ad vrbem Agyllinam conſederant, in ea caſtra ingreſſus Aeneas, Regem Tarchontem

*Aeneas quid egerit cum Hetruſcis.* *Regem adit, & regi memorat nomenque genuſque*
*Quidve petat, quidve ipſe ferat; Mezentius arma*
*Quæ ſibi conciliet, violentáque pectora Turni*
*Edocet; humanis quæ ſit fiducia rebus* *(chon*
150. *Fœdus inter Aeneam & Hetruſcos.* *Admonet, immiſcétque preces, haud fit mora; Tar-*
*Iungit opes, fœduſque ferit* a *tum* b *libera fatis*
*Claſſem conſcendit iuſſis gens Lydia Diuûm*
*Externo commiſſa duci. Æneia puppis*
155. *Aeneas nauigat* *Prima tenet,* c *roſtro Phrygios ſubiuncta leones,*
*Imminet Ida ſuper profugis gratiſſima* d *Teucris,*
*Hic magnus ſedet Æneas, ſecumque volutat*

adit, eique *memorat noménque genúſque*, ſe videlicet vocari Æneam, genere eſſe Troianum, petere ſe auxilium, aliquam auxilij viciſſitudinem polliceri, edocet Mezentium conciliare ſibi Rutulos, vt eorum armis reſtituatur in regnum: addit Turnum naturâ tam eſſe violentum, vt non quieturus ſit priùs quam reſtitueritMezentium ſumpta de illis vltione qui ſuum Regem eiecerant. Admonet magnam eſſe rerum humanarum inconſtantiam, ac proinde Hetruſcos, etiam ſi modo opibus & potentia floreant, non debere nimium felicitati ſuæ confidere. Troianiſque afflictis ac ſupplicibus auxilium denegare Fieri enim poſſe vt mutata fortuna Troiani viciſſim opem ferant afflictis.

*a* Init fœdus & ſocietatem cum Ænea, porca ſilice mactata 8. Æneidos.

*b* Poſt initum fœdus Hetruſci, qui è Lydia profecti partem Italiæ tenuerunt, liberi ſolutique fatis, quæ ipſos ſine externo duce bellum Rutulis inferre prohibuerant, claſſem conſcenderunt, Deorum iuſſu præcedente, hoc aruſpicis reſponſo

*Externos optate duces.*

*c* Nauis Aeneæ primo loco nauigat, habens ſub roſtro æream effigiem eorum Leonum qui ſunt Matri Phrygiæ conſecrati de quibus lib. 3. *Et iuncti currum Dominæ ſubiere leones.*

*d* Blandè permulcent animos Troianorum amara quadã dulcedine, ob recordationem patriæ ſuæ dulciſſimæ, quam amiſerant. Videtur Idæus mons in Aeneæ puppi fuiſſe depictus, & inde naui nomen inditum.

*Euentus belli varios: Pallaſque* a *ſiniſtro*
*Affixus lateri, iam quærit* b *ſidera, opacæ*
*Noctis iter, iam quæ paſſus, terráque marique.*
*Pandite nunc Helicona deæ,* c *cantúſque mouete,*
*Quæ manus intereà Thuſcis comitetur ab oris* — Catalogus Hetruſcorum.
*Ænean, armétque rates, pelagóque vehatur:*
*Maßicus* d *ærata princeps ſecat æquora Tigri;*
*Sub quo mille manus iuuenum, qui mœnia Cluſi,* — Maſſicus.
*Quique urbem liquere Coſas: queis tela* e *ſagittæ,*
*Corytique* f *leues humeris, & lethifer arcus:*
*Vnà toruus Abas: huic totum inſignibus armis*
*Agmen, & aurato fulgebat Apolline* g *puppis.* — Abas.
*Sexcentos illi dederat Populonia* h *mater*

a Pallas Euandri filius Aeneæ honoris cauſſa dextram conceſſus patrem conceſſerat, & ſic eius ſiniſtra lateri hærebat affixus vt ab eo nunquam diſcederet.
b Pallas ſerias Æneæ de bello cogitationes iuueniliter interrumpit, & modo quærit ab eo nomina ſitúſque ſiderum, quibus nocturni nauium curſus diriguntur, modo exquirit quid ille paſſus fuerit terra bello Troiano per decennium, mari & nauigatione per ſeptennium. c Vide 7. Aeneid. verſ 641.
d Maſſicus primus omniū Hetruſcorum nauigat naui roſtrata & ære præfixa, quæ tigrim in puppi depictam habuit, vnde & nomen Cluſum & Coſæ vrbes Hetruriæ. Maſſicum Oſinium vocabit infrà.

*Qua Rex Cluſinis aduectus Oſinius oris*

e Tela nomen generale omnium armorum quibus eminus pugnatur à Græco τηλοῦ ſiue τηλόθεν. Vide Milon parag. 9. nota 3 q. 11. nota 2. Sagittæ vero ſunt minuta quædam miſſilia quę arcu exploduntur, pennis inſtructa vt celeriùs deferantur lib. 12 —— *ſtridens ali allapſa ſagitta.*
f Seruius: *Coryti propriè ſunt arcuum thecæ, dicuntur, tamen etiam ſagittarum quas & pharetras nominamus* quo poſteriore ſenſu poëtę coryton frequenter vſurpant.
g In puppi depicta Apollinis effigie. h Ciuitas Thuſciæ.

*Qui Cærete domo, qui ſunt Minionis* b *in aruis,*
*Et Pyrgi veteres,* c *intempeſtæque* d *Grauiſcæ,*
*Non ego te* e *Ligurum ductor, fortiſſime bello*
*Tranſierim Cycne, & paucis comitate Cupauo:*
*Cuius olorinæ ſurgunt de vertice pennæ:*
*Crimen amor veſtrum,* f *formæque inſigne paternæ.* Cycnus in auē mutatus
*Námq; ferunt luctu* g *Cycnum Phaëthontis amati*

veluti mente vna ad id bellum conſpirantes : hæc ille: verùm non ait quibus militibus hos trecentos adiecerit. Quidam, inquit Seruius, *Aſtur* pro *Aſturis* accipiunt apud quos equi & equites optimi perhibentur Sed hoc difficile eſt. Aſtures enim ſunt in citeriore Hiſpania, niſi dicere velimus Aſtures quoſdam ex Hiſpania veniſſe in Italiam cum duce Aſture ſibi cognomine, & conſediſſe in Hetruria.

a Qui ſunt domo Cæretani, qui ſunt domo Cæretana, ac ſi diceret qui ſunt domo Carthagine, ſic alibi *Vnde domo?*

b *Minio fluuius eſt Tuſciæ vltra Centum Cellas.* Seru.

c Qui antiquitùs magna gloria florebant, quo tempore Tyrrheni exercebant piraticam. d Peſtilentes & intemperatæ dictæ Grauiſcæ, inquit Cato, ab aëris grauitate.

e Donatus interpretatur Cycnum cognomento Cupauonem filium illius Cycni qui in auem ſui nominis mutatus eſt. Alij putant hoc verſu patriæ Cycni, & filij Cupauonis fieri mentionem: fortaſſe Cupauum nomen eſt vrbis Liguriæ, nunc vetuſtate obliteratum, vnde Cycnus paucis comitatus aduenerat, habens in galea criſtam de plumis olorinis ſiue Cycneis ad memoriã paternæ mutationis in auem ſibi cognominem.

f Crimen dicitur cauſſa & caput mali, vt lib 12.

*Se cauſſam clamat crimenque, caputque malorum.*

hic igitur eſt ſenſus. Amor eſt crimen veſtrum, & malorum cauſſa, quæ patre amiſſo, & in olorem mutato, familiæ veſtræ contigerunt, cuius transmutationis inſigne fuit criſta ex pennis olorinis, alij ſic interpretantur, vt dicat vtriuſque fuiſſe crimen: patris quod plus æquo Phaethontem amauerit, filij quod pennas olorinas geſtans viſus fuerit de amore paterno, qui tantæ calamitatis cauſſa fuit, quodãmodo gloriari.

g Phaethon Solis & Clymenes filius, equos patris vno die re-

*Populeas inter frondes vmbramque ſororum*
*Dum canit, & mæſtum muſâ ſolatur amorem,*
*Canentem molli plumâ duxiſſe ſenectam,*
*Linquentem terras & ſidera voce ſequentem:*
*Filius* a *æquales comitatus claſſe cateruas,*
*Ingentem remis Centaurum promouet: ille*
Centaurus nauis. *Inſtat aquæ, ſaxumque vndis immane minatur.*
*Arduus & longâ ſulcat maria alta carinâ.*
*Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,*
Genus. *Fatidicæ Mantus,* b *& Thuſci filius amnis,*
*Qui muros, matriſque dedit tibi Mantua nomen.*
Mantua. *Mantua diues auis:* c *ſed non genus omnibus vnũ* d
*Gens illi triplex,* e *populi ſub gente quaterni:*

gendos acceperat, ſed cùm illi ſuum agitatorem in diuerſa raptarent & cœlum terraſque incenderent, Iupiter cum fulmine deiecit in Erydanum ſiue Padum, eius ſorores ob fraternã necem luctu tabeſcentes in populos arbores mutatæ ſunt, & pro lacrymis ſuccinum ſiue electrum exudant. Fertur Cycnus ſub illis populis, & vmbra quã ſorores Phaëthontis, in arbores ita conuerſæ proijciebant, diu ceciniſſe vt dolorem ex amici ſui morte perceptum muſica cantúque abſtergeret, quoad tandem præ amici deſiderio pedetentim incanuit, & illam canitiem per totum corpus duxit atque effudit, donec in auem ſibi cognominem verteretur & cantans in altum euolaret.

*a* Cycnus ſuperioris Cycni filius, comitatus cateruas æquales claſſe, id eſt æqualiter in vnamquamque nauem diſtributas, vel æquales virtute, aut cultu armorum, ingentem nauem remis impellit, quæ nomen habuit à Centauro in puppi depicto, hic porrò Centaurus ita pactus erat vt immane ſaxum manibus teneret, quaſi proiecturus in mare.

*b* Ocnus fuit Mantus & Tiberini filius, Manto filia Tireſiæ vatis Thebanorum poſt mortem patris venit in Italiam.

*c* Præpotens maioribus & fundatoribus.

*d* Thebani, Tuſci Veneri Mantuam condiderunt vt ſcribit Seruius. *e* Idem Seruius. *Mantua tres habuit tribus quæ in quaternas curias diuidebantur, & ſingulis ſinguli Lucumnos*

*Ipſa caput populis, Tuſco de ſanguine vires.*
*Hinc quoque* a *quingentos in ſe Mezentius armat*
*Quos patre Benaco* b *velatus arundine* c *glauca*
*Mincius, infeſta ducebat in æquora pinu:*
*It grauis* d *Auletes, centenaque arbore* e *fluctum* *Auletas*
*Verberat aſſurgens: ſpumant vada marmore verſo.* *Triton*
*Hunc vehit immanis Triton,* f *& cærula concha* *nauis.*

*imperabant &c.* Per gentem igitur triplicem tres Mantuanorum tribus intelligit, per populos ſub gente ternos, indicat quaternas illas curias in quas ſingulæ tribus erant diſtributæ. Quarum curiarum & tribuum Mantua erat metropolis, & vires omnes ſiue potentiam ducebat ab Hetruſcis populis, qui eam quaſi matrem agnoſcebant.

*a* Ex hac vrbe Mantuana Mezentius quingentos odio ſui in arma compellit.

*b* Quingentos iſtos Mantuanos Mincius fluuius Mantuam alluens filius Benaci patris, mittebat in mare Tyrrhenum nauibus è pinu cõtextis & Rutulo nomini infeſtis. Illi enim Mantuæ naues conſcenderant & per Mincium flumen ad Padum nauigarant, deinde Pado delati ad mare Tyrrhenum peruenerant. *Patre Benaco*, idem eſt atque patrem Benacum habens vel filius Benaci ſic autem vocatur, quia Mincius, vt ait Strabo poſt Polybium, ex eo lacu naſcitur, & defluit, vel ſaltem vt Plinius maluit, per eum lacum tranſmittitur.

*c* Tertio Georg. —— *Tardis ingens vbi flexibus errat*
*Mincius & viridi prætexit arundine ripas.*

*d* Vel quòd grauem geſtaret armaturam, vel potiùs quòd magna naui veheretur.

*e* Subigit nauem centum remis, qui propter magnitudinem arbores nominantur & fluctum maris verberat, pellitque non ſedens, ſed aſſurgens ad fortiùs remigandum, idque tanto impetu facit vt ſpuma remorum pulſibus excitata ad imum maris fundum, ſiue vada perueniat, euerſis & fundo reuolutis aquis, quæ prius marmoris inſtar erant læuigatæ.

*f* Auletes vehebatur ingenti naue quæ Triton vocabatur, ob Tritonem in puppi ita depictum, vt buccinam inflare, & buccinæ clangore mare ipſum exterrere videretur.

*Exterrens freta: cui laterum tenus hiſpida nanti*
*Frons hominem præfert, in a Priſtin deſinit aluus.*
*Spumea ſemifero ſub pectore murmurat vnda.*
*Tot lecti proceres terdenis nauibus ibant*
*Subſidio Troiæ, & campos ſalis* b *ære ſecabant.*
*Iámque dies cælo conceſſerat, almaque curru*
*Noctiuago Phœbe* c *medium pulſabat Olympum,*
*Æneas (neque enim membris dat cura quietem)*
*Ipſe ſedens, clauúmque regit, veliſque* d *miniſtrat.*
*Atque illi medio in ſpatio, chorus ecce ſuarum*
*Occurrit comitum, Nymphæ quas alma Cybele*
*Numen habere maris,* e *Nymphaſq; è nauibus eſſe*
*Iuſſerat: innabant pariter fluctúſque ſecabant,*
*Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ:*
*Agnoſcunt longè regem,* f *luſtrantque choreis.*
*Quarum quæ fandi doctiſſima* g *Cymodocea,*
*Ponè ſequens dextra puppim tenet: ipſaque dorſo*
*Eminet, ac læua tacitis* h *ſubremigat vndis*
*Tum ſic ignarum alloquitur. Vigilaſne Deûm gens*

Nimphæ è nauibus factæ, Æneæ occurrunt.

*a* In piſtricem ſiue balænam.
*b* Per aquas maris ſalſas, & camporum inſtar planas patentéſque nauigabant, æratis nauium roſtris mare ſulcantes.
*c* Luna.
*d* Se miniſtrum velis præbet. Tacitus de moribus German. *nec velis miniſtrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt* 6 æneid. *Ipſe ratem conto ſubigit veliſque miniſtrat.* Statius 7. Thebaidos à Pontano & Cerdano laudatus.
*Ipſe ſedens velis, pariterque miniſtras habenis.*
*e* De quibus fuſe 9 Aeneidos.
*f* Aeneam agnoſcunte longinquo, eúmque choreis circumeũt
*g* Quidam putauerunt Cymodoceam ideò fandi doctiſſimam fuiſſe, quia fuerat nauis Ilionei, quod Seruius ait eſſe ſtultiſſimum
*h* Non obſtrepentibus
*i* Aeneam qui neſciebat naues ſuas in nymphas maris fuiſſe mutatas.

a Seru.

*Ænea? vigila* a *& velis immitte* b *rudenteis,*
*Nos ſumus Idææ* c *ſacro de vertice pinus,*
*Nunc pelagi Nymphæ, claßis tua: perfidus vt nos* Eius ad Aeneam oratio.
*Præcipites ferro Rutulus, flammáque premebat,*
*Rupimus inuitæ* d *tua vincula, téque per æquor*
*Quærimus: hanc genitrix faciem miſerata refecit,*
*Et dedit eſſe Deas, æuúmque agitare ſub vndis.*
*At puer Aſcanius muro, foßiſque tenetur*
*Tela inter media, atque horrenteis Marte Latinos:*
*Iam loca iuſſa tenet* e *forti permiſtus Hetruſco*
*Arcas eques: medias illis opponere turmas*
*Ne caſtris iungant, certa eſt ſententia Turno.*
*Surge, age, & aurora ſocios veniente vocari*
*Primus in arma iube, & clypeum cape, quem dedit ipſe*
*Inuictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.*
*Craſtina lux, mea ſi non irrita dicta putaris,*
*Ingenteis Rutulæ ſpectabit cædis aceruos:*

*a* Seruius. Verba ſunt ſacrorum: nam virgines Veſtæ certa die ibant ad Regem ſacrorũ & dicebant: *Vigiláſne Rex vigila*
*b* Laxa & excute funes nauticos, vt vela pandantur ad auram captandam.
*c* Nono Æneidos. verſu 80.
*d* Magna dignitate Aeneæ, à cuius vinculis inuitæ naues diſceſſerint, eius enim commodum vel immortalitati ſuæ præferebant, maluiſſentque illi ſub inanimata nauium ſpecie famulari, quàm immortalitatem adipiſci.
*e* Nullibi dicitur quãdo id iuſſerit Aeneas Sed, vt colligi poteſt, non ſolùm maritimum adducebat exercitum contra Rutulôs, ſed etiam terreſtres copias Hetruſcorum cum Arcadũ equitibus præmiſerat, iiſque locum aſſignarat, quò primùm conuenirent, deinde ſe caſtris Troianorum coniungerent quod Turnus conatus eſt impedire, medium intercipiens ſpaciũ, vt ſe venientibus opponeret, & hoſtem hinc inde ſepararet

Dixerat, & dextrâ diſcedens impulit altam,
Haud ignara a modi, a puppim, fugit illa b per vndas,
Ocyor & iaculo, & ventos æquante ſagitta;
Inde aliæ celerant curſus, ſtupet inſcius c ipſe
Tros Anchiſiades, animos tamen omine d tollit
Tum breuiter ſupera aſpectans conuexa e precatur:
Alma f parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque vrbes, biiugique ad frena leones:
Tu mihi, nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium g Phrygibúſque adſis pede h diua ſecũdo.
Tantum effatus: & intereà reuoluta ruebat
Matura i iam luce dies, noctémque fugarat.

Æneæ preces ad Matrem Idæam. 215.

a Impulit nauem cum libramento peritiæ & moderationis: Cùm enim ea dea nauis anteà fuiſſet, modum impellendi naues potuit didiciſſe.

b Nauis impulſa

c Ignarus quid illud eſſet, verámne Nymphæ vocem audiiſſet, an falſa futilique rerum imagine falleretur.

d Quo ipſi dea prædixerat ingentem ſtragem Rutulorum.

e Cœlum quod conuexitate ſua circundat omnia.

f Ops ſiue Rhea eſt terra. *Alma* quòd homines & beſtias alat. Parens eadem & mater Deorum, fortaſſe quòd idolorum materies, ebur, aurum &c. è terra promantur. Idæa vel Phrygia, quia in Idæo Phrygiæ mõte colebatur. Dindyma mons Phrygiæ, vnde dicitur Dindymena. Eadem turribus coronata depingitur, quia vrbes terrâ ſuſtinentur. Eadem biiugi leones ſunt ad frena, id eſt, ſunt frenorum patientes, qua de re Lucretius lib. 2.

*Adiunxerat feras, quod quamuis effera proles*
*Officiis debet molliri victa parentum.*

Sue, vt ait Ouidius. 4. Faſt

*—— Feritas mollita per illam*
*Creditur, id curru teſtificata ſuo eſt.*

g Fac vt proſperũ & ſecundum ſit iſtud omen victoriæ illudque quam primùm exequaris, quod hoc omine portenditur.

h Octauo Æneid. *Tua dexter adi pede ſacra ſecundo.* id eſt faue.

i Plena, tempeſtiua rebus gerendis.

*Principio ſociis edicit, ſigna* a *ſequauntur,*
*Atque animos aptent armis, pugnæque parent ſe.*
*Iamque in conſpectu Teucros habet, & ſua caſtra*
*Stans celſa in puppi, clypeum tum deinde ſiniſtra*
*Extulit ardentem: clamorem ad ſidera tollunt*
*Dardanidæ è muris:* b *ſpes addita ſuſcitat iras.*
*Tel amanu iaciunt: quales ſub nubibus atris*
*Strymoniæ* c *dant ſigna grues, atque æthera tranant*
*Cum ſonitu, fugiuntque Notos clamore ſecundo.* d
*At Rutulo regi,* e *ducibuſque ea mira videri*
*Auſoniis, donec verſas ad littora puppes*
*Reſpiciunt, totumque allabi* f *claſſibus æquor.*
*Ardet apex capiti* g *criſtiſque ac vertice flamma*
*Funditur, & vaſtos vmbo* h *vomit aureus igneis:*

*Venit in conſpectum Troianorum obſeſſorum.* *Lætantur Troiani.* *Comparatio.* *Mirantur Rutuli.* *Terrentur armorum fulgore.*

*a* Vel tubæ clangorem, vel militaria vexilla, vel teſſeram militarem intelligit.

*b* Agnito & conſpecto Ænea cum auxiliaribus copiis Troiani clamorem indicem lætitiæ ſuſtulerunt.

*c* *A Strymone fluuio Thraciæ iuxta quem habitant* (inquit Seruius) *Hæc autem comparatio non ad telorum pertinet iactum, ſed ad Troianorum clamorem.*

*d* Læto, iucundo.

*e* Turno. Donatus. *Quia Rutuli in plano fuerant neſciebāt cauſam gaudij Troianorum, & admodum mirabantur, vnde illis eſſet repentina lætitia.*

*f* Idem Donatus. *Repentè viderunt per totum æquor naues ad littus accedere.* Adeoque perterriti fuerunt, vt videre ſibi viderẽtur non claſſes æquore, ſed potiùs totum æquor claſſibus allabi, & cū illis nauibus totos fluctus ſuos interram prouoluere.

*g* Intuentibus Aeneam è longinquo ita fulgor armorum oculos perſtringebat, vt videretur totus ardere, & apice, criſtis, clypeo, non lucem & ſplendorem, ſed incendia quædam & flammas emittere.

*h* Vmbilicus clypei, ſiue rotunditas quædam in medio clypei extuberans & deſinens in acumen.

*Non ſecus, ac liquida* a *ſi quando nocte cometæ* b
*Sanguinei lugubre rubent, aut Syrius* c *ardor.*
Comparatio. *Ille ſitim, morbóſque ferens mortalibus ægris*
*Naſcitur, & læuo* d *contriſtat lumine cœlum.*
*Haud tamen audaci Turno fiducia ceſſit*
Turnus conatur Hetruſcos expellere. *Littora præripere,* e *& venientes pellere terra.*
*Vltrò animos tollit dictis, atque increpat vltrò.*
*Quod votis optaſtis,* f *adeſt, perfringere dextra:*
*In manibus Mars ipſe, viri: nunc coniugis eſto*
Turni hortatio. *Quiſque ſuæ, tectique memor:* g *nunc magna referto*
*Facta,* h *patrum laudes vltrò occurramus ad vndā*

*a* Pura, ſerena, enubi.
*b* Cometæ dicuntur ἀπὸ τὸ κόμης quaſi ſtellæ comatæ, qui è terræ exhalationibus accenſis in ſuprema aëris regione naſcuntur, & ſanguineo rubore bella, peſtes; regnorum mutationes & ſimiles caſus luctuoſos longè ante denuntiant.
*c* Syrius eſt ſtella in ore caniculæ, vel etiam procyon, dictus ἀπὸ τȣ̃ σεσηρέναι, quòd præ ſiti canes hiare & linguam exertare faciat.
*d* Noxio, infauſto, mali præſagij.
*e* Non ideò tamen Turnus abiecit ſpem littoris occupandi priuſquam ad illud Tyrrheni naues ſuas appellarent.
*f* Tandem ô *viri* fortes & generoſi, *Mars ipſe adeſt in manibus,* quos ſępe *votis optaſtis*, vt poſſetis virtutē in aperto exercere, cominus pugnare, manus cōſerere, conferre ſigna, hoſtium acies, & cōfertos globos *dextra pertingere* & perrumpere. Hactenus enim cùm ſummo ſtudio pugnare cuperetis, hoſtes Mœnibus incluſi, diſcluſſi foſſis pugnæ copiā non dabat: modò, hoſtes habetis, quos in aperto patentique cāpo, ſtatim atque è nauib⁹ exierint, cædere & internecione delere poſſitis.
*g* Nunc vnuſquiſque veſtrum meminerit nihil aliud agi hodierno die, quàm vtrùm victi coniuges veſtras, liberos; familias, domos Laréſque familiares amittere, an victores retinere debeatis.
*h* Nunc vnuſquiſque commemoret res à maioribus ſuis præclare geſtas, & gloriam quam illi bellica virtute ſibi compararunt, vt hac commemoratione ſeipſum ad can-

*Dum trepidi* a, *egreſſiſque labant veſtigia prima.*
*Audenteis fortuna iuuat*
*Hæc ait, & ſecum verſat quos ducere contrà,*
*Vel quibus obſeſſos poſſit concredere muros* b.
*Interea Æneas ſocios de puppibus altis*
*Pontibus exponit; multi ſeruare recurſus*
*Languentis pelagi, & breuibus ſe credere ſaltu,*
*Per remos alij, ſpeculatus littora Tarchon,*
*Quà vada, nō ſperat, nec fracta remurmurat vnda,*
*Sed mare inoffenſum creſcenti allabitur æſtu:*
*Aduertit ſubitò proras, ſociósque precatur;*
*Nunc ô lecta manus, validis incumbite remis,*
*Tollite, ferte rates, inimicam findite roſtris*

*Aeneas ſocios in terram exponit.*

*Tarchon ſuos hortatur.*

dem virtutem accendat, & maiorum facta referat & imitatione repræſentet.

*a* Dum recens è nauibus egreſſi nondum poſſunt tutò conſiſtere,& certo paſſu figere pedum veſtigia.

*b* Ne Troiani obſeſſi in ipſo ardore conflictus è mœnibus erumpant, & à tergo Rutulos adoriantur.

*c Tranſtris*, vt exponit Seruius. Senſus eſt opinor. Quia naues propter altitudinem non ita poſſunt littori applicari, vt non aliquid aquæ interfluat, Aeneas iuſſit crates quaſdam ſiue pōticulos è cratibus cōtextos è nauibus iaci, per quos milites in terram deſcenderent: ſed tāta fuit militum alacritas, vt plerique non expectarent huiuſmodi ponticulos, ſed obſeruato refluxu, quà pelagus languebat, & minùs erat profundum, in loca breuia & vadoſa deſilirent: Alij arreptos nauium remos in terram coniicerent, iiſque tanquam ponticulis vterentur, & per eos in terram deſcenderent.

*d* Tarchon princeps Hetruſcorum aduertit locum quem putabat vadoſum non eſſe, ſed profundum deceptus argumento aquæ non fractæ nec remurmurantis: ſed verè locus ille vadoſus erat, & ideo tantùm fracta non remurmurabat vnda, quia mare nullis ſaxis offenſum fluxu maris ſenſim excreſcente & extumeſcente allabebatur ad terram, & quamuis profundum non eſſet, tamen ſine ſaxorum alliſorū ſtrepitu leniter influebat.

*Hanc terram,* a *ſulcumque ſibi premat ipſa carina,*
*Frangere* b *nec tali puppim ſtatione* c *recuſo,*
*Arrepta tellure ſemel. Quæ talia poſtquam*
*Effatus Tarchon, ſocij conſurgere* d *tonſis*
*Spumanteiſque rates aruis inferre Latinis,*
*Donec roſtra tenent ſiccum, & ſedere carinæ*
*Omnes innocuæ:* a *ſed non puppis tua Tarchon,*
*Námque inflicta vadis,* f *dorſóg dum pendet iniquo*
*Anceps, ſuſtentata diu, fluctúſque fatigat;*
*Soluitur, atque viros mediis exponit in vndis.*
*Fragmina remorum* h *quos, & fluitantia tranſtra*

*Tarchontis nauis d ſoluitur.*

*a* Tanto impetu naues ad hanc terram hoſtium conuertite, vt roſtra nauium ad littus impacta, non ſolùm fluctus, ſed etiam terram ipſam findant, & ipſa carina (ſiue nauium venter) per has roſtrorum fiſſuras in terram immiſſa ſulcum ſibi premendo aperiat, & ita terræ imprimatur, vt imprimi ſolet aratrum.

*b* Iam non recuſo nauem confringere, poſtquàm terram hoſtilem apprehendero. Hæc enim ſemel arripienda eſt, quam vel victor certam & propriam obtinebo, vel victus in ea moriar, neque nobis iam opus eſt nauibus, neque diſceſſu, ſed de victoria cogitandum.

*d* *Statio, vbi ad tempus ſtant naues, portus vbi hyemant.* Seru.

*e* Inſurgentes cœperunt naues tonſis & palmulis ad portum appellere.

*f* Illæſæ, quibus nihil contigit aduerſi, quibus vada non nocuerunt

*g* Naui Tarchōtis impulſa & impacta locis vadoſis & iniquis dum arenæ cumulo inæqualiter exaggerato, & reliquis vadi partibus inæqualibus ſuſpenſa nutat in vtramque partem ancipiti libramento ſe ſuſtentans, & fluctus ita frequenter impellit, vt eos fatigare videatur: hæc inquam nauis poſt diutinam mutationem repente diſſoluta eſt, & in medijs vndis adhuc poſita viros quos vehebat, effudit.

*h* Seruius. *Dorſum eſt durior arena, quæ remeantibus fluctibus plerunque denſatur, & in modum ſaxi durescit: hoc à nautis pulcinus vocatur.*

*Impediunt : retrahitq; pedes ſimul vnda relabens:* *Turnus ſuos in pugn. m rapiim adducit.*
*Nec Turnum ſegnis retinet mora, ſed rapit acer*
*Totam aciem in Teucros, & contrà in littore ſiſtit.*
*Signa canunt :* a *primus turmas inuaſit agreſteis* b
*Æneas, omen pugnæ :* c *ſtrauitque Latinos,*
*Occiſo Therone : virûm qui maximus vltrò*
*Æneam petit: huic gladio, pérque æerea ſcuta,* *Aeneas multos interficit.*
*Per tunicam ſqualentem* d *auro, latus haurit* e *apertum*
*Inde Lycam ferit, exſectum iam matre perempta,*
*Et tibi, Phœbe, ſacrum* f *: caſus euadere ferri*

a Claſſico ſignum datur ex vtraque parte ad milites excitandos.

b Copias ex ruſticanis & agreſtibus collectas, quæ ſolent vrbanis eſſe fortiores.

c Ex quo bene ſunt ominati augurantes fore vt quemadmodum Aeneas hoc primo conflictu victor extitiſſet, ita in ſumma totius belli victor euaderet.

d De huius verbi proprietate fusè Seruius hoc loco, Gellius lib:7.cap 6.Macrobius lib.6 cap.17. *Id ſignificat copiam denſitatemque: auri in ſquamarum ſpeciem intexti. Squalere enim ab ſquamarum crebritate aſperitatéque quæ in ſerpentum piſciúmque coriis viſuntur.*

e Latus ingenti vulnere patefactum vita & ſanguine exhaurit. Videtur eſſe tranſlatum à belluis, *haurit, deuorat, deglutit, exorbei*. Sic Homerus. ἔντερα χαλκὸς ἀφυσε. *Inteſtina hauſit gladius* —— Hebræi etiam audacius dicunt *in ore gladii deuorare. Quidam,* inquit Seruius, *Italicam elocutionem putant, cùm enim à latere quis aliquem adorſus gladio occidit,* HAVSIT ILLVM *dicunt.*

f Idem Seruius, *Omnes qui ſecto matris ventre procreantur, ideo Apollini conſecrati ſunt, quia Deus medicinæ eſt, per quem lucem ſortiuntur-*

*Cui licuit paruo* a *: nec longe Ciſſea durum,*
*Immanémque Gyan, ſternenteis agmina clauâ,*
*Deiecit letho, nihil illos Herculis arma* b,
*Nil validæ iuuere manus, genitórque Melampus*
*Alcidæ comes, vſque graueis dum terra labores*
*Præbuit* c. *Ecce Pharo voces dum iactat inerteis,* d
*Intorquens jaculum, clamanti ſiſtit in ore.*
*Tu quoque flauentem prima lanugine malas,*
*Dum ſequeris Clytium infelix, nōua gaudia, Cydon* e,
*Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,*
*Qui iuuenum tibi ſemper erant, miſerande iaceres,*
*Ni fratrum ſtipata* f *cohors foret obuia, Phorci*
*Progenies ſeptem numero, ſeptenaque tela* — *Septem fratres Aeneam adoriuntur.*
*Conÿciunt, partim galea clypeoque reſultant*
*Irrita : deflexit partim ſtringentia* g *corpus*
*Alma Venus : fidum Æneas affatur Achatem:*

*a* Qui poſtquam ad virilem ætatem peruenit, Æneæ gladium non potuit euadere.

*b* Claua, quam vel ac imitationem Herculis ferebant, vel quam fortaſſe pater ipſorum Melampus ab Hercule dono acceperat.

Idem Seruius. *Noue dixit, cùm bona præberi dicantur : an hæc Herculi profuerunt, vt ad immortalitem per iſta perueniret?*

*d* Aeneas Pharo clamanti iaculum intorquens defigit & ſiſtit in ore, dum ille per ſummam inertiam non ferro in certaminibus bellicis, ſed clamoribus irritis exiſtimat eſſe certandum & voces inertiæ ſuæ teſtes in ventum effundens aperto ore telum Aeneæ iaculantis excepit.

*e* Innuitur fuiſſe Cretenſis à Cydone ſiue Cydonia Cretæ ciuitate de quo Seruius

*f* Conſerta, conglobata.

*g* Cum iam corpus leuiter attingerent, & quaſi ſummam cutem libaſſent.

*Suggere tela mihi, ( non vllum dextera fruſtra*
*Torſerit in Rutulos ) ſteterant quæ in corpore Graiûm*
*Iliacis campis : tum magnam corripit haſtam*
*Et iacit; illa volans clypei tranſuerberat æra*
*Mæonis, & thoraca ſimul cum pectore rumpit.*
*Huic frater ſubit* b *Alcanor, fratrémque ruentem*
*Suſtentat dextra, traiecto miſſa lacerto*
*Protinus haſta fugit, ſeruatque cruenta tenorem:*

*Ipſe Mæonem interiicit. Alcanoris brachium transfigit.*

a Se commemoratione propriæ virtutis & rerum geſtarum recordatione ad fortiter faciendum accendit. Suggere, inquit mihi eadem illa tela, quæ olim in campis Troianis, contorta meis manibus hæſerunt in corporibus Græcorũ, & iam ſunt hoſtium cæde comprobata, vt eodem impetu rurſus à me cõiecta ſtent in corporibus Rutulorum Ita enim mihi propriæ virtutis ſum conſcius, vt ſciam hanc meam dexteram nullum telum fruſtra eſſe miſſuram.

b Mirus plane ictus: eadem haſta Mœonis clypeum, loricã & pectus tranſuerberat. Neque hoc ſatis. Sed cùm Alcanor fratrem ſuum Mœonem obiecta manu fulciret & ſuſtentaret, protinus & continuato impetu, quem Æneas impreſſerat, lacertum Alcanoris eadem haſtà traiecit, & ne ſic quidẽ retardato debilitatóque curſu, ſeruauit ſuum tenorem, ſi modum currendi, duorum fratrũ Mœonis & Alcanoris ſanguine infecta, & eodem impetu delata eſt, perinde atque ſi nihil medium occurriſſet, quod eius haſtæ vim & impreſſionem hebetaret. Adfertur Lucan. l 3. ab omnibus penè interpretibus.

*Haud vnum content a latus tranſiit, quieſcit.*
*Sed pandens pérque arma viam, pérque oſſa, relicta*
*Morte fugit, ſupereſt telo poſt vulnera curſus.*

Quanquam, vt fatear, videtur duas haſtas conieciſſe, & alterã Mœoni pectus rupiſſe, alteram traieciſſe brachium Alcanoris, ſi enim traiecto alterius pectore, alterius lacerto, fugiſſet, haſta, quomodo Numitor iaculum de fratris corpore rapere potuiſſet? quare dicendum eſt haſtam in pectore Mœonis hæſiſſe, & alteram in Alcanorem fuiſſe coniectam.

*Dexteráq; ex humero neruis moribunda pependit.*
*Tum Numitor, iaculo fratris* [a] *de corpore rapto,*
*Æneam petiit; ſed non & figere contrà*
*Eſt licitum, magnique femur perſtrinxit Achatæ:*
*Hîc Curibus* [b] *fidens primæuo corpore* [c] *Clauſus*
Clauſus multos necat. *Aduenit, & rigida Dryopem ferit eminus haſta*
*Sub mentum grauiter preſſa, pariterque loquentis*
*Vocem animámque rapit traiecto gutture: at ille*
*Fronte ferit terram, & craſſum vomit ore cruorem;*
*Treis quoque Threicios Boreæ de gente ſuprema* [d],
*Et treis, quos Idas pater, & patria Iſmara mittit,*
*Per varios ſternit caſus. Occurrit Haleſus* [e]
Haleſus Meſſapus. *Auruncæque manus: ſubit & Neptunia proles,*
*Inſignis Meſſapus equis: expellere* [f] *tendunt*
*Nunc hi, nunc illi: certatur limine* [g] *in ipſo*
*Auſoniæ: magno diſcordes* [h] *æthere venti*

*a* Mœonis.
*b* Profectus ex Curibus vrbe Sabinorum. Vide librum 7. verſu 709.
*c* Flore ætatis.
*d* Vel originem ducentes ex Zeto & Calai, qui Boreæ & Orithyæ Nymphæ filij fuerunt, vel ab extrema & ſuprema Thraciæ regione profectos olim in auxilium Troianorum, & fugæ participes. Anceæque coniunctos: *ſupermam* Aquilonis gentẽ ait cum oppoſitione ad Iſmarum vrbem eiuſdem Thraciæ, quæ non erat adeo remota.
*e* Vide lib 7. verſu 723. de Auruncis verſu 726. de Meſſapo verſu 691.
*f* Loco ſe inuicem mouere contendunt, Troiani Rutulos Rutuli Troianos.
*g* Littore.
Ceu venti flatibus & viribus æqualibus inter ſe depræliantur in aëre lato & ſpatioſo, in quo nulli ſcopuli altiores,

*Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:* Comparatio.
*Non ipſi inter ſe, non nubila, non mare cedit:*
*Anceps pugna diu, ſtant obnixa omnia contrà:*
*Haud aliter Troianæ acies, aciéſque Latinæ*
*Concurrunt: hæret pede* a *pes, denſúſque viro vir.*
*At parte ex alia, quà ſaxa rotantia* b *latè* Grauiter vtrinque confligitur.
*Intulerat torrens, arbuſtaque diruta ripis,*
*Arcadas inſuetos acies inferre pedeſtreis*
*Vt vidit Pallas Latio* c *dare terga ſequaci:*
*Aſpera queis natura loci dimittere quando*

nulli montes occurrunt, qui ventorum impetum frangant, aut debilitent. In hac ventorum pugna non ipſi venti inter ſe cedunt, non nubila, quæ ſibi inuicem è diuerſa parte colliduntur: non mare, quod voluit fluctus in ſe mutuò reciprocatos ſibique contrarios. Itáque diu pugnatur? quaſi ancipiti victoria, dubiáque in quam ſe partem inclinet. Cauſſa autem cur tamdiu pugnetur, ea eſt quod omnia ſtant obnixa contra ſe inuicem & venti ventis, nubes nubibus, mare mari obductatur & obnititur.

a Hæret pedipes ex Homero Iliados β

Ἀσπὶς δ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.
*Scutum ſcuto hæret, galeæ galea, atque viro vir.*

b Rotata, ſe rotantia.

c Latinis ſequentibus.

d Quibus Arcadibus, quoniam aſpera natura loci ſuaſit equos (quibus aſſueti fuerant, ignari pedeſtrium pugnarum) dimittere, quòd inutiles eſſent loco impedito: Pallas eos nunc precibus, nunc obiurgationibus accendit: vt equorum defectum virtute ſupplerent, & quamuis pedeſtribus pugnis aſſueti non eſſent, tamen in hoc rerum diſcrimine poſiti fortiter dimicarent. Hoc enim vnum iis reſtabat ſalutis expediendæ conſilium, vt aduerſos hoſtium globos facta impreſſione perrumperent; & in locum patentiorem longe ab illis ſaxis & arborum truncis torrente delatis euaderent. Neque enim ex equis pugnare poterant loco ſaxis & truncis tam impedito, neque fugam exequi, cùm à tergo mari clau-

*Suaſit equos, vnum quod rebus reſtat egènis,*
*Nunc prece, nunc dictis virtutẽ accendit amaris.*

Pallantis ad ſuos hortatio.

*Quò fugitis ſocij? per vos, & fortia facta,*
*Per ducis Euandri nomen, deuictáque* a *bella,*
*Spémque meam* b, *patriæ quæ nunc ſubit æmula laudis,*
*Fidite ne pedibus,* c *ferro rumpenda per hoſteis*
*Eſt via quà globus ille virûm denſiſſimus vrget:*
*Hæc vos* d, *& Pallanta ducem patria alta repoſcit.*
*Numina nulla premunt, mortali vrgemur ab hoſte,*
*Mortales totidem nobis animæque, manuſque.*
*Ecce maris magno claudit nos obice Pontus:*
*Deeſt iam terra fugæ, pelago Troiamne petemus?*
*Hæc ait, & medius denſos prorumpit* e *in hoſteis.*
*Obuius huic* f *primùm fatis adductus iniquis,*

derentur. Seruius exponit. *Quando* per *ſi quidem*. Sed & caret exemplo, nec ſatis quadrat iſta verborum conſtructio; *queis ſi quidem*, pro, *ſi quidem illis*, alij ſenſum ne quidem attigerũt.

*a* Finita, exhauſta, confecta quibus victores exſtitiſtis.

*b* Obteſtor vos, per ſpem illam virtutis futuræ, quam de me in animis veſtris concitaui, quæ hodierno die aliquem virtutis fructum cœpit exhibere, & nunc primùm patris virtuti ſuccedens eius gloriam æmulatur.

*c* Ne fugite, ne ſpem in fuga ponite, ne in prælio fugã, ſed victoriam cogitate; eo enim in ſtatu res eſt, vt niſi victores non poſſitis euadere.

*d* Hoc à vobis & à me, qui ſum dux veſter, patriæ nobilitas exigit, vt per medias & confertas hoſtium acies iter nobis faciamus.

*e* Vt eos hortaretur exemplo.

*f* Pallanti in denſos hoſtes prorumpenti primus omnium occurrit Lagus, ſed fatis iniquis: quippe qui eodem loci & temporis veſtigio à Pallante occiſus eſt: hunc enim La-

*Fit Lagus; hunc, magno vellit dum pondere ſaxū,*
*Intorto figit telo, diſcrimina coſtis*
*Per medium quá ſpina dedit, haſtamque receptat* a — Eius res
*Oſsibus hærentem, quem non ſuper occupat* b *His-* — geſtæ.
*bon.*
*Ille quidem hoc ſperans: nam Pallas antè ruentem,*
*Dum furit, incautum crudeli morte ſodalis*
*Excipit, atque enſem tumido in pulmone recondit.*
*Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetuſta*
*Anchemolum,* c *thalamos auſū inceſtare nouercæ:*
*Vos etiam gemini Rutulis cecidiſtis in aruis*
*Daucia, Laride* d *Tymbérque, ſimillima proles*

gum, dum ſaxum magni ponderis, quod in Pallanta mittere volebat, dextera velleret, Pallas intorto telo transfixit ea corporis parte, qua ſpina dorſi coſtas diſcriminat.

*a* Seruius. *Ideo frequentatiuo uſus eſt, quia oſſibus inhærentem haſtam facile auellere minimè poterat. Et expreſsit moram quandam & molitionem extrahentis. Ergo receptat & frequenti molitione diuellit.*

*b* Cùm Pallas ad recipiendam haſtam, & è corpore Lagi extrahendam ſe inclinaſſet, ſperabat Hisbon fore vt Pallantem ſtans ipſe deſuper occuparet & præueniret, id eſt, priùs Pallantem inclinatum occideret, quàm Pallas haſta recepta ſe in pedes erigeret Sed Hisbon Pallantem nō præuenit. Nam Pallas priùs Hisbonem furioſe & temerarie ruentem, ſibique ipſi non cauentem excipit & interficit eadem morte qua paulò ante Lagum Hisbonis ſodalem occiderat, & eius pulmonem enſe traiecit. Tumidum vocat pulmonem, vel quia naturaliter per reſpirationem inflatur, vel quia ob ſodalis mortem iracundia tumeſcebat.

*c* Seruius Danielis *Rhœtus Marrubiorū Rex fuerat in Italia, qui Anchemolo filio Caſperiam ſuperduxit nouercam, hanc priuignus ſtuprauit. Qua re cognita, cùm eum pater inſequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens ſe ille ad Turnum contulit, &c. Gente autē vetuſta ideo, quia à Forco Deo marino originē ducere legitur.*

*d* Larides & Tymber, fratres fuerunt gemini ſiue vno partu in lucem editi, qui Daucum patrem habuerunt, tam ſimi-

*Larides & Tymber inter ſe ſimillimi.*

*Indiſcreta ſuis, gratuſque parentibus error;*
*At nunc dura dedit vobis diſcrimina Pallas,*
*Nam tibi Tymbre caput Euandrius abſtulit enſis:*
*Te deciſa ſuum a Laride dextera quærit,*
*Semianiméſque micant digiti, ferrumq; retractant.*
*Arcadas accenſos monitu, & præclara tuenteis*
*Facta viri* b *miſtus dolor, & pudor armat in hoſtes:*
*Tum Pallas biiugis* c *fugientem Rhætea præter*
*Traiicit: hoc ſpatium, tantumque moræ fuit Ilo:*
*Ilo namque procul validam direxerat haſtam,*

*Arcades exemplo ducis excitantur.*

les inter ſe, vt ne domeſtici quidem alterum ab altero diſcernerent, ſed eos appellando frequenter errarent, qui error parentibus eorum erat gratiſſimus. Gaudebant enim ſe tam ſimilem prolem edidiſſe, vt alter ab altero dignoſci non poſſet. Sed Pallas inter hos fratres duas differentias poſuit. Nam enſe, quo Euander olim vſus fuerat, Tymbri caput, Laridæ dextram amputauit.

*a* Manus, Laridem ſuum dominum, & pars totum, à quo fuerat ſeparata, requirit & digiti ſemianimes, nondum penitus exhauſtis ſpiritibus, freqnenter exiliunt, & ferrum palpitando requirere videntur, quod reciſis neruis abiecerant, ex Ennio vt notat Seruius. *b* Pallantis-

*Oſcitat in campis caput à ceruice reuulſum,*
*Semianiméſque micant oculi, lucémque requirunt.*

*Retractare* igitur eſt iterum tractare. Quamuis exponit Donatus rejicere & recuſare.

*c* Pallas Rhœteum præter fugientem biiugis, traiecit haſtâ quam non ad eum, ſed ad alterum quemdam Rutulum, Ilum nomine deſtinarat: Hoc autem ita contigit, Teuthras & Tyres eius frater Arcades Rhœteum inſequebantur. Rhœteus in fugam ſe coniecit, & cùm ad illud ſpatium, quod erat inter Pallantem & Ilum, bigis citatis perueniſſet, Pallantis haſtam non ſibi, ſed Ilo deſtinatam medius intercepit, & in terram eſt è curru deuolutus Hoc tantum ſpatium & hæc ſola mora quo minus Ilus periret. Nam continuò poſt Rhœti mortem Ilus à Pallante occiſus eſt.

*Quam medius Rhœteus intercipit, optime Theutra*
*Te fugiens fratrémque Tyren, curruque volutus*
*Cædit ſemianimis Rutulorum calcibus arua.*
*Ac velut optata* a *ventis æſtate coortis*
*Diſperſa immittit ſyluis incendia paſtor:*
*Correptis ſubitò mediis extenditur vna* Comparatio.
*Horrida per latos acies Vulcania campos:*
*Ille ſedens victor flammas deſpectat ouanteis:*
*Non aliter ſociûm virtus coit omnis in vnum,*
*Téque iuuat Palla: ſed bellis acer Haleſus*
*Tendit in aduerſós, ſéque in ſua colligit* b *arma,* Haleſus occiditur.
*Hic mactat Ladona, Pheretáque, Demodocúmque*
*Strymonio dextram fulgenti diripit enſe,*
*Elatam in iugulum* c*: ſaxo ferit ora Thoantis,*
*Oſſáque diſpergit cerebro permiſta cruento,*
*Fata canens,* d *ſyluis genitor celarat Haleſum,*

a Quemadmodum paſtor in æſtate (qui iampridem ventos expectans in omnem incendendæ ſyluæ occaſionẽ imminebat) poſtquam vidit ventos coortos, ſparſim ſyluis immittit ignes vt multis illis ignibus è diuerſo coeuntibus vnum ingens excitetur incendium. Celeriter illis arboribus quæ mediæ ſunt inter ignes, flammâ comprehenſis, vnum incendium inſtar exercitus omnia populatur. Tum paſtor propoſiti ſui compos, ſedens in aliquo monte vicino, ex alto reſpicit flammas de ſylua incenſa triũphãtes. Non aliter Arcades, quos Pallas oratione ſua variis in locis ad virtutem accenderat, conueniunt in vnum & collatis viribus adiuuant Pallantem. Quos Pallas adſpicit, non quidem ſedens & otioſus, vt ille paſtor, ſed ita ſecurus præ animi magnitudine, vt quamuis fortiſſimè dimicans, tamen manibus, quod aiunt, compreſſis ſedere, & extra omnem Martis aleam poſitus eſſe videatur.

b Membra ſua contrahit, vt ictus vehementiores infligat, & ſcuto ſe protegit vt plagas exeat venientes.

c Iugulo imminentem & vulnus minantem.

d Hinc intelligas Haleſum non fuiſſe filium Agamemnonis,

*Arcadio infelix telo dat pectus inermum.*

*At non cæde viri tantâ perterrita Lauſus,*

*Pars ingens belli, ſinit agmina, primus Abantem* Lauſus ſuccedit.

*Oppoſitum* a *interimit, pugnæ nodúmque,* b *morámque,*

*Sternitur Arcadiæ proles, ſternuntur Hetruſci;*

*Et vos ô Graiis imperdita corpora Teucri.* c

*Agmina concurrunt ducibuſq;,* d *& viribus æquis,*

*Extremi* e *addenſant acies: nec turba moueri*

*Tela manuſque ſinit: hinc Pallas inſtat, & vrget,*

*Hinc contrà Lauſus, nec multùm diſcrepat ætas:*

*Egregij formâ, ſed queis fortuna negarat*

*In patriam reditus, ipſos concurrere paſſus*

*Haud tamen inter ſe magni regnator Olympi*

*Mox illos ſua fata manent maiore* f *ſub hoſte.*

*Interea ſoror* g *alma monet ſuccurrere Lauſo*

*Turnum, qui volucri curru medium ſecat agmen.*

*a* Abantem obſtantem interficit, qui ſociis quaſi pro muro erat. Dicitur autem *Lauſus pars ingens belli:* quia in ea pugna ſuæ parti multum conferebat ad victoriam.

*b* Seruius. Bene addidit morã, ne nodum alium acciperemus. *Nam nodus proprie eſt denſa peditum multitudo, ſicut turma equitum, vt lectum eſt in diſciplina militari*: modò autem nodum pro difficultate poſuit, quæ vix poteſt reſolui.

*c* Vos etiam cecidiſtis, ô Troiani, quos Græci Troiano bello non potuerant occidere.

*d* Lauſo & Pallante.

*e* Qui in extremo agmine erant, confertim aduenerunt, & aciem denſam effecerunt, vt præ multitudine, nec tela nec manus mouere poſſent.

*f* Pallas à Turno, Lauſus ab Aenea hoſtibus longè fortioribus debebat interfici.

*g* Iuturna, quæ in numerum deorum recepta immortalitatem à Ioue acceperat.

Turnus ſuccurrit Lauſo.

*Vt vidit ſocios : tempus deſiſtere pugnâ:*
*Solus ego in Pallanta feror, ſoli mihi Pallas*
*Debetur, cuperem ipſe parens* a *ſpectator* b *adeſſet.*
*Hæc ait : & ſocij ceſſerunt æquore iuſſo.* c
*At Rutulum abſceſſu iuuenis,* d *tum iuſſa ſuperba*
*Miratus, ſtupet in Turno, corpuſque per ingens* e
*Lumina voluit, obitque truci procul omnia viſu:*
*Talibus & dictis it contra dicta tyranni :* g
*Aut ſpoliis* h *ego iam raptis laudabor opimis,*
*Aut letho inſigni : ſorti pater æquus* i *vtrique eſt:*
*Tolle minas : fatus medium procedit in æquor.*
*Frigidus* k *Arcadibus coit in præcordia ſanguis.*
*Deſiluit Turnus biiugis : pedes apparat ire*
*Cominus. vtque leo* l *ſpecula cum vidit ab alta*

*a* Euander.
*b* Certaminis noſtri, & necis quæ Pallanti inferetur.
*c* Rutuli, prout à Turno iuſſi fuerant, ceſſerunt è planitie, vt Turno campum purum & patentem præberent, ad ineundum cum pallante ſingulare certamen.
*d* Pallas.
*e* Turnus ingenti fuit corporis magnitudine. lib. 7. verſu. 784.
*Et toto vertice ſuprà eſt.*
*f* Proprie, nam *procul* eſſe dicitur quòd longiuſcule quidem eſt, ſed tamen *præ oculis* eſt in conſpectu.
*g* Turni Regis Rutulorum.
*h* Spolia opima proprie, quæ duces de hoſtium ducibus referebant. Vide 6. Aeneid. verſu. 855.
*i* Quicquid acciderit, feret pater meus æquo animo.
*k* Cùm Pallas in medium campum prodiiſſet, ita exanimes redditi ſunt Arcades præ timore, vt eorum ſanguis obriguerit, & recedentes ex toto corpore ſe in præcordia conglobarit. Videbant enim impar eſſe certamen, & Turnum multo fortiorem.
*l* Donatus, Turnum comparat leoni, Pallantem tauro, & vt ex hoc iam præuideri poſſet, cuius dicturus ſit proueniſſe

*Stare procul campis meditantem prælia taurum,*
*Aduolat: haud alia eſt* Turni *venientis imago.* Comparatio.
*Hunc vbi contiguum* a *miſſæ fore credidit haſtæ,*
*Ire prior Pallas, ſi quà fors adjuuet auſum*
*Viribus imparibus: magnumque* b *ita ad æthera fatur:*
*Per patris hoſpitium,* c *& menſas quas aduena, adiſti,* Turni & Pallantis congreſſus.
*Te precor Alcide: cœptis ingentibus adſis:*
*Cernat ſemineci* d *ſibi me rapere arma cruenta,*
*Victorémque ferant* e *morientia lumina Turni.*
*Audiit Alcides iuuenem: magnúmque ſub imo*
*Corde premit gemitum, lacrymáſq; effudit inanes.* f

victoriam. Adiecit meditántem prælia. quia Pallas tunc primum belli certamina cœperat meditari. Videtur ad meditationem campeſtrem alludere, de qua plura parag. 11. Cœlianæ nota 2. *Specula* dicit *ab alta* quia Turnus ab alto curru deſiluit.

*a* Pallas vbi à ſuis diſgreſſus eò proceſſit, vnde putauit hoſtem telo poſſe contingi, ſiue poſtquam intra teli iactum veniſſe ſe putauit, prior ire cœpit, & tentare fortunam, ſi quo pacto, ſi quâ via fors maiora ſuis viribus auſum adiuuaret: neque enim ſperabat ſpe viribus, ſed ſolo caſu reportare poſſe de Turno victoriam, quia.

*Audentes fortuna iuuat.*

*b*. In quo dij magni habitant.

*c* Herculem ab Hiſpania redeuntem victo Gerione Euander hoſpitio exceperat. Iure igitur Pallas paternum hoſpitem obteſtatur.

*d* Seruius *Ad illud quod ait Turnus,*

*—— Cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet.*

*e* Donatus *Videat me moriens Turnus ſibi rapere arma ſanguine perfuſa, & antequam mors plena eius oculos claudat, victorem ferat quem credidit periturum.*

*f* Pallanti non profutura, etiam ſi enim Hercules cum lacry-

*Hercules Ioui ſupplicat pro Pallante. Iouis reſponſio*

*Tum genitor a natum dictis affatur amicis,*
*Stat ſua cuique dies, b breue, & irreparabile tempus*
*Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis,*
*Hoc virtutis opus. Troiæ ſub mœnibus altis*
*Tot nati cecidêre Deûm, c quin occidit vnà*
*Sarpedon d mea progenies: etiam e ſua Turnum*
*Fata vocant, metáſque f dati peruenit g ad æui.*
*Sic ait, atque oculos Rutulorum reiicit h aruis.*
*At Pallas magnis emittit viribus haſtam:*
*Vaginâque cauâ fulgentem deripit enſem.*

mis Iouem orauerit, non obtinuit tamen vt Pallas referret de Turno victoriam.

*a* Tum Iupiter filium ſuum Herculem pro Pallantis ſalute ſupplicantem his verbis benigne eſt allocutus.

*b* Vnicuique vitæ tempus definitum eſt & limitatum; atque hoc ipſum viuendi tempus anguſto clauditur fine, & cùm fuerit elapſum non poteſt reparari. Vide notas in Milonianam 97. *Gloriam eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoriâ conſolaretur* & Sextianam 47. *Neſciebam vitæ breuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum.*

*c* Vt Achilles Thetidis, Memnon Auroræ, Martis Aſcalaphus Achilles à Paride, Memnon ab Achille, Aſcalaphus à Patroclo interemptus.

*d* Sarpedon Rex Lyciorum, qui à Patroclo interemptus Iliados 11.

*e* Etiam Turno, perinde vt aliis eſt moriendum. Monet Seruius à pleriſque legi *& iam*, quaſi diceret Turno iam eſſe moriendum.

*f* Meta hîc pro fine, vt 1. Æneid.

*His ego nec metas rerum, nec tempora pono.*

aliàs meta pro flexu ætatis, vide Cœlianam. § 25.

*g* Vtitur tempore præterito, vt mortis celeritatem oſtendat, quaſi iam hora mortis decretoria Turno acceſſerit.

*h* Auertit oculos à Latio ne Pallantem videat morientem, dolorémque hauriat è tam acerbo ſpectaculo.

*Illa volans, a humeris ſurgunt quà tegmina ſumma*
*Incidit: atque viam clypei molita per oras,*
*Tandem etiam magno ſtrinxit de corpore Turni.*
*Hîc Turnus ferro præfixum robur* b *acuto*
*In Pallante diu librans iacit, atque ita fatur:*
*Aſpice num magè ſit noſtrum penetrabile telum:*
*Dixerat: at clypeum,* d *tot ferri terga,* e *tot æris,*
*Cum pellis toties obeat circundata tauri,*
*Vibranti cuſpis medium tranſuerberat ictu,*
*Loricæque moras,* f *& pectus perforat ingens:* g
*Ille rapit calidum fruſtra de vulnere telum* *Turnus occidit Pallantem.*
*Vna eadémque via, ſanguiſque, animuſque ſequuntur.*

*a* Haſta Pallantis volans incidit in humeros Turni, qua parte ſumma pars loricæ galeam attingit cùm per ambitum clypei viam ſibi cum difficultate feciſſet, donec tandem corpus Turni leui vulnere perſtrinxit, & ſummam cutem libauit.

*b* Haſtam è robore.

*c* Aſpice tuúmne, an meum telum altiùs penetret, & profundiorem plagem infligat.

*d* Cuſpis ictu vibranti tranſuerberat, clypeum medium, qui clypeus è multis ferri & æris laminis, multiplicique tauri tergore contextus erat, & circundatus, vel vt exponit Donatus; *Cum multa ſcutum terga habuiſſet æris & ferri, corióque eſſet circundatus plurimo: tamen perfoſſis omnibus, & loricæ diſſolutis impedimentis, pectus Pallantis, quaſi nihil obſtitiſſet, perruptum eſt, &c. Cum clypeum, quem Pallas geſtabat, tot ferri terga, tot æris ambirent: cum pellis tauri toties oras eius circundaret, ſic tamen euictis omnibus ingens pectus haſta patefecit.*

*e* Intelligit laminas ferreas quibus corium tauri tegebatur: tergum autem etiam alibi ponit pro tergore. Iam vt animalis dorſum tergore, ita clypeus laminis illis ferreis veſtitur.

*f* Loricam quæ ictus celeritatem & impetum retardabat.

*g* Cuſpis *ingens*, inquit Seruius, *ne ſit incongruum de puero ingens pectus*. Quod meritò Cerdano noſtro diſplicet. Nam vt refert verbis Galeoti Martij *Romæ tempore Henrici III inuentū*

*Corruit in vulnus: ſonitum ſuper arma dedere,*
*Et terram hoſtilem moriens petit ore* a *cruento.*
*Quem turnus ſuper aſsiſtens:*
*Arcades hæc, inquit, memores mea dicta referte*

Reddit corpus ad ſepulturam.

*Euandro: qualem meruit Pallanta remitto.*
*Quiſquis honos tumuli, quicquid ſolamen humãdi*
*eſt*
*Largior: haud illi ſtabunt* b *Æneïa paruo*
*Hoſpitia, & læuo preſsit pede talia fatus*
*Exanimum, rapiens immania pondera* c *baltei,*
*Impreſſumque nefas: vna ſub nocte iugali*

Spoliat Pallantem balteo.

*Cæſa manus iuuenum fœdè thalamique cruenti.*
*Quæ bonus Eurytion multo cælauerat auro.*
*Quo nunc turnus ouat ſpolio, gaudétque potitus.*
*Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,*
*Et ſeruare modum,* d *rebus ſublata ſecundis.*

*eſt cadauer Pallantis quem Turnus occidit, tantæ magnitudinis vt longitudine corporis ſui Romanos muros æquaret.*

*a* Libro ſequenti.
*—— Et humum ſemel ore momordit.*

*b* Non illi parui conſtabit, non leui pœna plectetur Euander, quod cum Aenea hoſpitium & ſocietatem contraxerat.

*c* Rapiens latum balteum ſiue cingulum militare, ponderoſũ, multiſque bullis aureis intextum. In quo inſculpta cælataque fuerat fabula Danaidum. Aegyptus & Danaus fratres fuerunt. Cum inter ſe Memphidos regno contenderent, Danaus venit in Peloponeſum, ibique regnauit. Filias habuit quinquaginta, Aegyptus frater totidem liberos. Nupſerunt illæ ſuis patruelibus, quos vna nocte iugali, prima videlicet coniugij die trucidauerunt in ipſo lecto geniali, præter vnam Hypermneſtram quæ Lynceo pepercit.

*d* Moderationem ſibi moderari, felicitati ſuæ frenos imponere.

*Turno tempus erit,* a *magno cùm optauerit emptum* Quod illi mortis cauſſam adferet.
*Intactum Pallanta, & cùm ſpolia iſta, diémque*
*Oderit: at ſocij multo gemitu, lacrymiſque*
*Impoſitum ſcuto* b *referunt Pallanta frequentes.*
*O dolor atque decus magnum rediture parenti:* c Epiphonema.
*Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.*
*Cùm tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos.*
*Nec iam fama mali tanti, ſed certior auctor* Mors Pallantis Aeneæ denuntiatur.
*Aduolat Æneæ tenui diſcrimine* d *lethi*
*Eſſe ſuos, tempus verſis ſuccurrere Teucris.*
*Proxima quæque metit gladio, latúmque per agmen*
*Ardens limitem agit ferro, te Turne, ſuperbum*
*Cæde noua quærens: Pallas, Euander in ipſis*
*Omnia ſunt oculis: menſæ quas aduena primus*
*Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos*
*Quatuor hic iuuenes, totidem, quos educat Vfens,* Octo viuos capit ad buſtum.
*Viuentes rapit inferias,* e *quos immolet vmbris,*
*Captiuóque rogi profundat ſanguine flammas.*

a Cùm propter hunc ipſum balteum interficietur ab Aenea: 12. Æneid.

b De more occiſos enim clypeis impoſitos referebant. Notum eſt illud Auſonij è Græco, traductum.

> *Mater Lacæna clypeo ob armans filium*
> *Cùm hoc, inquit, aut in hoc redi.*

c Euandro.

d Paruo admodum diſcrimine, ſiue interuallo & diſtantia ſuos ab internecione ſeparari.

e *Inferiæ ſunt ſacra mortuorum ab inferis dictæ. Sanè mos erat in ſepulchris fortium captiuos necari quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulchra dimicare, qui à buſtis buſtuarij dicti ſunt,* inquit Seruius.

*Inde Mago a procul infenſam cùm tenderet haſtam*
*Ille aſtu ſubit, ac tremebunda ſurperuolat haſta,*
*Et genua amplectens effatur talia ſupplex;*
*Per patrios manes, & ſpes ſugentis Iuli,*
*Te precor, hanc animam ſerues natóque, patrique;* Magus vitam poſtulat ab Ænea.
*Eſt domus alta: iacent penitùs defoſſa b talenta*
*Cælati argenti: ſunt auri pondera facti,*
*Infectique mihi, c non hic d victoria Teucrûm*
*Vertitur, haud anima vna dabit diſcrimina tanta.*
*Dixerat: Æneas contrà cui talia reddit.*
*Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,*
*Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus*
*Suſtulit iſta prior, e iam tum Pallante perempto,*
*Hoc patris Anchiſæ manes, f hoc ſentit Iulus.*

a Cùm Æneas in Magum haſtam intenderet, Magus calliditate quadem & peritia militari, ſe ſubmiſit & inclinauit, quod factum eſt vt haſta ipſa vibratione tremens ſuperuolaret, Mago intacto: at ille Æneæ genibus aduolutus vitam ab eo rogauit.

b In profundam terræ ſcrobem in foſſa, ibique abſcondita.

c *Quidam volunt tria genera argenti vel auri Poëtam complexum, ſignatum, factum, infectum, ſignatum quod in vaſis, & ſignis vt cælati argenti, infectum quod in maſſis: factum quod in moneta, & in ſpeciebus.* vt Donatus exponit.

d Ex meo interitu non dependet Troianorum victoria: nec vnius homini vita tantum ponet inter partes diſcrimen ſiue diuerſitatem & differentiam circa euentum & victoriam, vt ſi mortem euaſero partes Rutulorum attollant: ſi occubuero, eædem partes deprimantur.

e Tuæ necis cauſſa eſt Turnus, qui ex quo tempore Pallantem occidit, ſuſtulit iſta belli commercia, effecitque ne cuiquam parcerem, & de redemptionis pretio paſciſcerer & deciderem.

f Et patris Anchiſæ defuncti anima, & filius meus Aſcanius

*Sic fatus, galeam læua tenet, atque reflexa*
*Ceruice orantis capulo tenus abdidit enſem.*
*Nec procul Æmonides Phœbi, Triuiæque ſacerdos,*
*Inſula* a *cui ſacra redimibat tempora vitta,*
*Totus collucens veſte, atque inſignibus armis:*
*Quem congreſſus agit* b *campo, lapſumq; ſuperſtans*
*Immolat* c, *ingentiq; vmbra tegit* d *arma Sereſtus* e,
*Lecta refert humeris, tibi rex Gradiue* f *tropæum* g.
*Inſtaurant acies Vulcani ſtirpe creatus*
*Cæculus* h, *& veniens Marſorum montibus* i *Vmbro.*

ſentiunt nullam ineundam eſſe vobiſcum redimendæ vitæ pactionem.

a Seruius. *Faſcia in modum diadematis, à qua vittæ ab vtraque parte dependent, quæ plerumque lata eſt, plerumque tortilis de albo & cocco.* Noſter certè. 3. Georg. vittatam inſulam agnoſcit.

*Lanea dum niuea circundatur inſula vitta.*

Vittati porrò ſacerdotes. vide 3. Aeneid. verſ. 81. & lib. 7. verſu 418. etiam inſulati. Statius tum alibi, tum, lib. 4.

*Albaque puniceas interplicat inſula criſtas.*

b Agitat, inſequitur per campum.

c Seruius. *Immolat quaſi victimam, vt ille conſueuerat, nam hoc verbo ad ſacerdotis nomen ad luſit. Sanè immolari propriè dicuntur hoſtiæ, non cùm cæduntur, ſed cùm accipiunt molam ſalſam.*

d Donatus. *Quia dixit Aeneam ſuper lapſũ conſtitiſſe, dicit iacentis corpus interfectoris ſui vmbra contectũ.* vt Statius de aquila.

*Aduolat & magnâ trepidum circumligat vmbrâ.*

At Scaliger, Vrſinus, Cerdanus nomine ingentis vmbræ, nihil aliud quam ipſam mortem intelligunt.

e Prudenter monent hunc Sereſtum diuerſum fuiſſe ab illo quem Æneas diſcedens caſtris præfecerat 6. Æneid. verſu 181. nondum enim Troiani è ſuis caſtris eruperant.

f Mars. vide 3. Æneid. verſu 33.

g Vide initium libri ſequentis.

h Lib. 7. v 679.

i Ibidem. v. 750.

*Dardanides contrà furit ( Anxuris* a *enſe ſini-*
*ſtram,*
*Et totum clypei ferro deiecerat orbem )*
Vmbro ab Aenea occiditur. *Dixerat ille aliquid magnũ* b *vimque aſſore verbo*
*Crediderat : cælóque animum fortaſſe ferebat:*
*Canitiémque ſibi , & longos promiſerat annos.*
Tarquitus. *Tarquitus exultans contra fulgentibus armis,*
*Syluicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,*
*Obuius ardenti* c *ſeſe obtulit : ille reducta*
*Loricam , clypeique ingens onus impedit haſta.*
*Tum caput orantis ne quicquam,& multa parantis*
*Dicere deturbat terræ : truncumque repente* d
*Prouoluens , ſuper hæc inimico pectore fatur:*

*a* Antequam Æneas contra Cæculum & Vmbronem fureret: Vmbro dexteram Anxuris & totum clypei orbem deiecerat. Vmbro , inquam non Æneas , vt volunt interpretes. Nam quæ proximè ſequuntur , ad Vmbronem ſunt referenda , qui ſibi multos annos promiſerat,ſed ab Ænea occiſus eſt, vt dicitur 7. Æneidos 756.

—— *Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum Eualuit.*

*b* Vmbro diris quibuſdam , ſiue imprecationibus defixerat, ſiue , quod in idem recidit , Æneæ caput diis infernis deuouerat , & credebat ſuas illas execrationes vim habituras,eaq; ſpe ſic animum efferebat vt cœlum digito ſibi videretur attingere , Germanus alij non *magnum* , ſed *magicum* , legendum putant.Nihil muto. *Magnum* enim & μέγα nonnunquam idem eſt atque immane,dirum,horribile. Vide Ligurianam paragr. 12. nota 3. & lib. 12. verſu 908.

*c* Æneæ Tarquitus occurrit. Aeneas haſtâ ad maiorem libratiorémque impetum retracta , loricam & clypeum Tarquiti valdè ponderoſum ita conſuit atque transfixit , vt vſui amplius eſſe non poſſent ad protegendum Tarquitum. *Haſtam reducere , Ramener vn grand coup de halebarde.*

*d* Legitur etiam.

——— *Truncúmque tepentem.*

Ne fortaſſe malè ; tepebat enim truncus recens , nondum

*Iſtic nunc metuende iace: non te optima mater*
*Condet humi patrióve onerabit membra ſepulchro:*
*A litibus linquêre feris, aut gurgite merſum* Sarcamos.
*Vnda feret, piſcéſque impaſti vulnera lambent.*
*Protinus Antheum, & Lycam, prima agmina* a *Turni,*
*Perſequitur, fortémque Numam, fuluumque* b *Camertem*
*Magnanimo Volcente ſatum, ditiſsimus agri*
*Qui fuit Auſonidum, & tacitis* c *regnauit Amyclis.*
*Ægeon* d *qualis, centum cui brachia dicunt,*

euaporato calore vitali.

*a* Vel quia erant in primo Turni agmine: vel quia cenſebantur inter primos & præcipuos totius exercitus.

*b* Flauus, & fuluus, item ξανθὸς, idem eſt plerumque atque formoſus. Hinc Homerus paſſim. ξανθὸς Μενέλαος. Horatius *flauam Chlöen* appellat Iuuenalis.

——— *Et flaui dignus ferro Meleagri Fumat aper.*

*c* Amyclæ oppidum eſt inter Caietam & Terracinam cõſtitutum à Laconibus. *Cicero*, inquit Seruius, *propter nimiam modeſtiam periſſe illos ait, dum à finitimis accipiunt iniurias & tacent eas.* Addit: Cùm frequenter falsò nuntiarentur hoſtes, & inani terrore concuteretur ciuitas, lata lege cautum eſt, ne quis vnquam hoſtis nuntiaret aduentum. Poſtquam cùm vere hoſtis veniret, nullo nuntiante, ex improuiſo ciuitas capta eſt, vnde Tacitæ Amyclæ dictæ, quòd periere ſilentio. Lucilius.

*Mihi neceſſe eſt loqui. Nam ſcis Amyclas tacendo periiſſe.*

Silius. — *Quáſque euertêre ſilentia Amyclas*: è Græco adagio τὰς Ἀμύκλας ἡ σιγὴ ἀπώλεσεν. vel *tacitas* ait, ignobiles, de quibus tacetur.

*d* Ægeon, ſiue Briareus gigas centum geminus fuit: quem Iunone aliiſque diis contra Iouem conſpirantibus, Homerus à Ioue ſtetiſſe fabulatur. Maro, vt vides, à magiſtro ſuo diſſentit, niſi ſi primo ſtetit à Ioue, deinde rebellauit, & in ipſum arma conuertit.

Comparatio Ægeonis.

*Centenaſque manus, quinquaginta oribus ignem,*
*Pectoribuſque arſiſſe: Iouis cum fulmina contrà*
*Tot a paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret* b *enſes.*
*Sic* c *toto Æneas deſæuit in æquore victor,*
*Vt ſemel intepuit* d *mucro, quin ecce Nyphei*
*Quadriiuges in equos, aduerſáque pectora tendit:*
*Atque illi longè gradientem* e *& dira frementem*
*Vt vidêre, metu verſi retróque ruentes,*
*Effunduntque ducem, rapiuntque ad littora currus.*
*Interea bijugis infert ſe Lucagus albis*
*In medios, fratérque Liger, ſed frater habenis*
*Flectit equos, ſtrictum rotat acer Lucagus enſem.*
*Haud tulit Æneas tanto feruore furentes,*
*Irruit, aduerſaque ingens apparuit* f *haſtâ.*
*Cui Liger:*
*Non Diomedis equos* g *, non currum cernis Achillis,*

a Quinquaginta: nã centum habuit brachia, ac proinde quinquaginta dextras, totidem ſiniſtras.

b Educeret, euaginaret.

c Seruius. *Vt non unam manum putares. Namque ad hic pertinet comparatio, vt intelligamus cum multitudinis vice dimicaſſe, deſæuit, hic autem valdè ſæuit: aliàs ſæuire deſinit.*

d Sanguine calido & recenti reſperſus.

e Μακρὰ βιβῶν, inquit Homerus frequenter, Plautus *gradiri greſſum* gradior verbum militare.

f Verbum militare, quod terrorem quendam importat, vt libro 12.

— *Subitúſque apparuit ignis.*

g Ne putato tibi cum Diomede & Achille eſſe certamen, è quorum manibus olim elapſus es. Nos enim ſumus Achille & Diomede multo fortiores, qui te ſaluum & incolumemè manibus noſtris non patiemur euadere. Quod ſi te illi pene necauerunt, quanto magis tibi necem inferemus.

*Aut Phrygiæ campos* a: *nunc belli finis & æui*
*His dabitur terris : veſano talia latè*
*Dicta volant Ligeri, ſed non & Troïus heros*
*Dicta parat cōtra, iaculum nam torquet in hoſtem.*
*Lucagus, vt pronus pendens in verbera telo*
*Admonuit bijugos, projecto dum pede læuo*
*Aptat ſe pugnæ* b: *ſubit oras haſta per imas*
*Fulgentis clypei, tum læuum perforat inguen,*
*Excuſſus curru moribundus voluitur aruis,*
*Quem pius Æneas dictis affatur amaris :*
*Lucage,* c *nulla tuos currus fuga ſegnis equorum*
*Prodidit, aut vanæ vertêre ex hoſtibus vmbræ,*
*Ipſe rotis ſaliens juga deſeris. Hæc ita fatus*
*Arripuit bijugos : frater tendebat inermes*
*Infelix palmas, curru delapſus eodem.*
*Per te, per qui te talem genuere parentes,*
*Vir Troiane, ſine hanc animam,* d *& miſerere precantis :*
*Pluribus oranti Æneas : Haud talia dudum*
*Dicta dabas, morere, & fratrem ne deſere frater.*

*Liger inſoleſcit & minatur Aeneæ.*

*Aeneas Lucagū interficit.*

*Eidem inſultat.*

*Ligeri deprecatio.*

*Aeneæ reſponſio.*

*a* In quibus naſcuntur imbelles : qui etiam milites externos effœminant.

*b* Cum Lucagus corpus inclinans ſtimulo ſuos equos ad celeritatem incitaret, & ad pugnam ſe aptans pedem ſiniſtrum extenderet, Æneas haſtam intorſit, quæ imas oras clypei penetrans, crus, ſiue ſiniſtrum inguen, quod Lucagus ad pugnandum porrexerat, perforauit.

*c* Irriſio: Lucage non te equi tui prodiderunt, nec ſegnes in fugam verſi ſunt quaſi hoſtes vmbraticū quemdam terrorem iniecerint. Tu ipſe equos tuos deſeris.

*d* Permitte me viuere: ſine animam meam in corpore meo habitare.

*Liger occiditur.* *Tum latebras animæ pectus* a *mucrone recludit,*
*Talia per campos edebat* b *funera ductor*
*Dardanius, torrentis aquæ, vel turbinis atri*
*More furens, tandem erumpunt, & caſtra relinquunt*
*Aſcanius puer, & nec quicquam* c *obſeſſa iuuentus.*
*Iunonem interea compellat Iuppiter vltro.*
*Iouis ad Iunonẽ oratio per ironiam.* *O germana mihi, atque eadem gratiſſima coniux*
*Vt rebare Venus (nec te ſententia fallit)*
*Troianas ſuſtentat opes: non viuida bello*
*Dextra viris, animuſque ferox, patiénſque pericli.*
*Cui Iuno ſummiſſa: Quid ô pulcherrime coniux,*
*Sollicitas* d *ægram & tua triſtia dicta timentem?*
*Si mihi, quæ quondam fuerat, quámque eſſe decebat,*
*Vis in amore foret: non hæc mihi namque negares*
*Omnipotens, quin & pugnâ ſubducere Turnum,*
*Iunonis reſponſio.* *Et Dauno poſſem incolumem ſeruare parenti.*
*Nunc pereat* e *Teucriſque pio det ſanguine pœnas:*
*Ille tamen noſtra deducit origine nomen,*

a Pectus, in quo anima latet & continetur, aperit gladio & ita Ligerum interficit.

b Seruius. *Quaſi ad ſpectaculum, vnde & munerum editores vocantur.*

c Reliquerat quidem aliquos Turnus qui caſtra Troianorum obſiderent, eiſque commiſerat muros obſeſſos, ne Troiani in pugnam è ſuis caſtris erumperent, ſed fruſtra obſidebant, erumperent enim Troiani.

d Vltrò compellat, id eſt prior alloquitur, ab eâ minime prouocatus. Sollicitare proprie eſt è ſolo citare, ſiue loco dimouere.

Amara conceſſio. Troianis ad pœnam condonetur Turnus, quamuis pius.

*Pilumnúſque illi quartus pater, & tua largâ*
*Sæpe manu: multiſque onerauit limina* b *donis.*
*Cui Rex ætherei breuiter ſic fatur Olympi:*
*Si mora* c *præſentis lethi tempuſque caduco* d
*Oratur iuueni, méque hoc ita ponere ſentis:*
*Tolle fugâ Turnum, atque inſtantibus eripe fatis:*
*Hactenus indulſiſſe vacat.* e *ſin altior iſtis*
*Sub precibus venia vlla latet, totumque moueri,*
*Mutari ve putas bellum: ſpes paſcis inanes.*

*Iupiter permiſit Iunoni Turnum è pugna ſubducere.*

*a* Hanc ſeriem contexit Pomponius Sabinus Pilumnus ſiue Saturnus, Picus Faunus, Daunus, Turnus.

*b* Multa donaria frequenter fixit & ſuſpendit ad limina ſiue poſtes adytorum tuorum, in media templi teſtudine.

*c* Si tantùm illud à me poſtulas, vt mors Turni, quæ iam inſtat ad tempus aliquod differatur, censéſque ita mihi eſſe ſtatuendum: permitto vt illum ſubtrahas à periculo mortis imminente. Huc vſque enim Turno poteſt indulgeri, idque poteſt illæſa fatorum lege præſtari. Quod ſi maius aliquod beneficiũ latenter poſtulas, vt non ſolùm mors Turni differatur ad tẽpus, ſed vt è bello poſſit ſaluus & incolumis euadere, totáque propter Turnum totius belli ratio, & ſumma mutetur, inani ſpe lactaris. Id enim nunquam obtinebis.

*d* Morituro. Donatus, *Caducum dicitur quicquid immaturo tempore cadit ac deperit, vt ſunt arborum fructus, quorum pars appellatur caduca, quæ in vſu hominum non venit, propterea quod non adepta propriam maturitatem proſternatur ac pereat, inde tranſlatum eſt vt caduci dicantur homines qui in pueritia aut iuuenta moriuntur.*

*e* Seruius. *Dicendo, vacat, oſtendit ſupra hoc breue ſpatium nullam vlterius bonam ſtellarum irradiationem futuram: ex quo Turni fata differri non poſſe: vnde non ait,* indulſiſſe licet, *ſed* vacat? *ac ſi diceret, iam vndique in mortem traditur Turnus, hoc tantùm vacat ſpatium, &c.*

*Cui Iuno illacrymans; Quid ſi, quod voce grauaris,*
*Mente dares? atque hæc Turno rata* b *vita maneret?*
*Nunc manet inſontem grauis exitus: aut ego veri*
*Vana feror: quod vt ô potius formidine falsâ*
*Ludar, & in melius tua, qui potes, orſa reflectas.*
*Hæc vbi dicta dedit,* c *cælo ſe protinus alto*
*Miſit agens hyemem, nimbo ſuccincta per auras:*
*Iliacámque aciem, & Laurentia caſtra petiuit.*
*Tum Dea nube caua tenuem ſine viribus vmbram,*
Iuno inanem Æneæ figuram è nube fingit.
*In faciem Æneæ (viſu mirabile monſtrum)*
*Dardaniis ornat telis clypeúmque, iubaſque*
*Diuini aſſimulat capitis, dat inania verba,*
*Dat ſine mente ſonum greſſuſque effingit euntis:*
*Morte obita* d *quales fama eſt volitare figuras,*
Comparatio.
*Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.*
*At primas læta ante acies exultat imago,*

a Quid mali ſequeretur, quod voce abnuis & grauiter te ferre teſtaris, prompta animi voluntate concederes?
b Firma, & ſtabilis, confirmatâ Deorum voluntate.
c Iuno his dictis nullâ interpoſita mora è ſupremis cœli partibus tempeſtatem excitans, & nubibus ſuccincta, in campum vbi Rutuli cum Troianis pugnabant delapſa eſt: ibique tenuem vmbram, ſiue vmbratilem quandam; & inanem figuram formauit, & telis, clypeo, criſta ad ſimilitudinem Æneæ effinxit, quæ externam Æneæ ſpeciem oculis intuentium exhiberent. Dedit etiam verba, ſed inania, dedit ſonum, ſed ſine mente.
d Talis erat illa vmbra, quales vmbræ dicuntur eſſe poſt mortem, & huc illuc ita volitare, vt apprehendi non poſſint, aut quales videntur dormientibus cùm ſopitis ſenſibus eluſi falluntur.

*Irritatque virum a telis, & voce laceſſit.*
*Inſtat cui Turnus, ſtridentémque eminus haſtam* Ea figura Turnum laceſſit.
*Coniicit. Illa dato vertit veſtigia tergo.*
*Tum verò Æneam auerſum vt cedere Turnus*
*Credidit, atq; animo ſpem turbidus hauſit inanẽ.* b Turnus ſe opponit.
*Quò fugis Ænea? thalamos ne deſere pactos,* Fugit imago.
*Hac dabitur dextra tellus quæſita per vndas;*
*Talia vociferans ſequitur, ſtrictumque coruſcat* d Ille ſequitur.
*Mucronem; nec ferre videt ſua gaudia ventos:*
*Forte ratis celſi coniuncta crepidine e ſaxi*
*Expoſitis ſtabat ſcalis* f, *& ponte parato,*
*Qua rex Cluſinis aduectus Oſinius* g *oris.*
*Huc ſeſe trepida Æneæ fugientis imago* Aeneæ imago ſe coniicit in nauim.
*Coniicit in latebras: nec Turnus ſegnior inſtat,*
*Exſuperatque moras* h, *& pontes tranſilit altos;*
*Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem,*
*Auulſamque rapit reuoluta per æquora nauem.*

a Turnum.
b Quia falsò & inaniter putabat ſe adepturum de Aenea victoriam, quaſi iam Aeneas in fugam verteretur.
c Nuptias Lauiniæ, quas tu cum Latino patre pepigiſti.
d Vibrat gladium nudum; nec videt ſe fruſtra inaniter gaudere.
e Seruius. *Crepido eſt abrupti ſaxi altitudo. Crepidines etiam templorum dici ipſas ſuggeſtus, in quibus ædes ſunt collocatæ: & crepidines viarum, id eſt ipſæ eminentiæ dextra ſiniſtræque.*
f Nauis Regis Oſinij habebat ſcalarum expoſitarum, & demiſſarum pontem præparatum ad vltro citróque commeandum.
g Vel Maſſicus Rex Cluſinorum Oſinius cognominatus fuit, de quo ſupra 166. vel duo ferunt Reges, quorum vnus ibi nominatur, vt primarius. Cluſium ciuitas Hetruriæ.
h Turnus celeriter ſpatium inter littus & nauim interpoſitum tranſilit.

*In rupes, in ſaxa, volens vos Turnus adoro* [a],
*Ferte ratem, ſæuiſque vadis immittite Syrtis* [b]:
*Quò neque me Rutuli, neq; conſcia fama ſequatur.*
*Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,*
*An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens* — *Vult ſe occidere.*
*Induat* [c], *& crudum per coſtas exigat enſem:*
*Fluctibus an jaciat mediis, & littora nando*
*Curua petat, Teucrumque iterum ſe reddat in arma.*
*Ter conatus vtramque viam* [d], *ter maxima Iuno*
*Continuit, juuenémque animi miſerata repreßit.*
*Labitur alta ſecans, fluctúque æſtúque ſecundo* [e], — *Ardeam defertur.*
*Et patris antiquam Dauni defertur ad vrbem.*
*At Iouis interea monitis Mezentius* [f] *ardens* — *Mezentius Turno ſuccedit.*
*Succedit pugnæ, Teucróſque inuadit ouantes* [g].
*Concurrunt Thyrrhenæ acies, atque omnibus vni,*
*Vni odiiſque viro, teliſque frequentibus inſtant.*

& ab oculis meorum abſcondat.

*a* Adorare veteribus idem erat atque alloqui. Apuleius lib. 3. Aſini. *Accuſator quidam ſenior exurgit, & populum ſic adorat:* vel *adorare* eſt ſimpliciter *orare.*

*b* Vide 1. Aeneid. verſu 115.

*c* Transfigat gladio ob acceptam fuga infamiam.

*d* Vtramque mortis oppetendæ rationem vel ferro, vel fluctibus: vel potiùs vtramque viam vel ferro pereundi, vel fluctibus ad pugnam redeundi.

*e* Leuiter nauigat obſecundante fluctu & adſpirantibus ventis, & ad vrbem Ardeam defertur, vbi Daunus pater Turni habitat.

*f* Eam Iupiter Mezentio mentem iniecit, vt pugnæ in locum Turni ſuccederet, vt & maior Æneæ gloria, & Mezentius vinceretur, ſuæque impietatis pœnas expenderet.

*g* Lætitia triumphantes ob fugam Turni.

Compa-ratio.

*Ille a velut rupes, vaſtum quæ prodit in æquor,*
*Obuia ventorum furijs, expoſtaque ponto;*
*Vim cunctam, atque minas perfert cœlique, mariſque,*
*Ipſa immota manet: prolem Dolicaonis Hebrum*
*Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem:*

Cædes patratæ à Mezentio. Mimas.

*Sed Latagum ſaxo, atque ingenti fragmine montis*
*Occupat os b, faciémque aduerſam: poplite c Palmũ*
*Succiſo volui ſegnem ſinit: armáque Lauſo*
*Donat habere humeris d, & vertice figere criſtas.*
*Nec non Euantem Phrygium, Paridiſque e Mimanta*
*Æqualem, comitémque: vna quem nocte Theano*
*In lucem genitori Amyco dedit: & face prægnans*

a Mezentius ſimul & ſemel omnium Tyrrhenorum vim & impreſſionem ſuſtinet, velut rupes immobilis.

b Mezentius ingens ſaxum è monte, ſiue rupe defractum ita coniicit in Latagi faciem aduerſam, vt os eius occupet, id eſt ex parte faciem occupet quæ eſt os.

c Palmus erat fugax & velox, Mezentius illi poplitem ſuccidit, & ea corporis parte mutilauit, qua plurimum valebat. Non eum tamen interimit: ſed eum ſinit ſegnem & de cætero inutilem in campo volutari, cum eum, ſi voluiſſet, facile poſſet occidere.

d Donatus. *Scutum & galeam detractam hoſti dono dedit filio ſuo: non enim numini cuiquam hęc ſeruare potuit, aut conſecrare, qui deos contemnere perpetua obſtinatione didicerat.*

e Mimas Troianus fuit, Paridis comes, & æqualis, filius Amyci & Theanus, qui eadem nocte in lucem editus eſt à Theano, qua Hecuba Ciſſei filia Paridem peperit, cùm ſomniaſſet, ſe face eſſe prægnantem. Paris autem fax fuit, qua Troia incenſa eſt & penitus deflagrauit: nam raptu Helenæ Troianum bellum illa concitauit. Ea tamen inter eos

*Ciſſeis regina Parin creat: vrbe paterna*
*Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.*
*Ac velut ille* a *canum morſu de montibus altis*
*Actus* b *aper (multos Veſulus* c *quem pinifer annos*
*Defendit, multóſque palus Laurentia) ſilua*
*Paſtus* d *arundineâ, poſtquã inter retia ventum eſt*, Comparatio.
*Subſtitit, infremuitque ferox & inhorruit armos.*
*Nec cuiquam iraſci* e *propiuſve accedere virtus,*
*Sed iaculis, tutiſque procul clamoribus inſtant.*
*Haud aliter, iuſtæ* f *quibus eſt Mezentius iræ,*
*Non vlli eſt animus ſtricto concurrere ferro,*
*Miſſilibus longè & vaſto clamore laceſſunt.*

diſtinctio fuit, quod Paris in Troade mortem oppetiit: Mimas in Italia iuxta Laurentum occubuit ignotus. ſic apud Naſonem *proles ignara parentis* id eſt ignota.

a Seruius Antiqui *ille* vel magnitudini vel nobilitati adſignabant, vt —— *Multum ille & terris* ——
& —— *Pœnorum qualis in aruis* *Saucius ille graui* ——

b Depulſus & coactus in retia.

c Idem Seruius. *Veſulus Liguriæ eſt iuxta Alpeis: Liguria autem cohæret Tuſciæ, de qua fuerat Mezentius*. Idem monet: *multoſq;* poni pro *multoſue*, quia remotior eſt Veſulus à Laurentina palude, quàm vt idem aper potuerit in vtroque loco verſari.

d Refert, *paſtus*, non ad *defendit*, ſed ad *ſubſtitit*, hic aper poſtquàm in retia morſu latratúque canum coniectus eſt, primùm ſubſiſtit, quaſi dubius & non præuiſis laqueis irretitus & implicatus, deinde infremit, tandem inhorreſcit, id eſt, præ furore ſetas ſubrigit & horripilát.

e Neque cuiquam venatori ſatis eſt fortitudinis, vt auſit propius ad aprum accedere, cúmque venabulo transfigere. *Iraſci* dicit pro *percutere* cauſſa pro effectu: nam ira cauſa eſt, quæ plerumque ad ictus infligendos impellit.

f Nemo Tyrrhenorum, quibus iuſtè odio eſt Mezentius, audet cum illo nudo gladio concurrere: ſed eminus in eum te-

*Ille autem impauidus a partes cunctatur in omnes*
*Dentibus infrendens, & tergo decutit haſtas.*
*Venerat antiquis Coriti* b *de finibus Acron*
Acron. *Graius homo* c*, infectos linquens profugus hymenæos.*
*Hunc vbi miſcentem longè media agmina vidit*
*Purpureum pennis* d *& pacta coniugis oſtro:*
Comparatio. *Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans*
*(Suadet enim veſana fames) ſi fortè fugacem*
*Conſpexit capream, aut ſurgentem in cornua* e *ceruum,*

la iaculantur, & clamoribus inceſſunt quod ipſis tutum.

*a* Quidam hos duos verſu ad aprum referunt: ſed quid vetat eos aptare Mezentio qui cùm vndique telis & clamoribus impetatur, æqualiter in omnes ſæuiens quem primùm, quem poſtremum aggrediatur deliberans, cunctanter & ſine trepidatione in omnes partes ſe conuertit, & haſtas vndequaque coniectas decutit tergo, id eſt clypeo è varijs boum tergoribus contexto, vel reuera tergo & dorſo ſuo, quia cum vndique infeſtis haſtis peteretur, nō ſolùm aduerſos ictus recipiebat. Tandem dubitanti in quem irrueret, obiectus eſt Acron, in quem ſe primùm immiſit, purpura & armorum fulgore inuitatus.

*b* Coritus ciuitas Hetruriæ anquitiſſima, ſi quidem ante Dardanum florebat: ex qua ille in Phrygiam profectus.

*c Origine quidem Græcus, ſed qui de Tuſcia venerat ad bellum,* qui iam quidem habebat vxorem pactam, nondum tamen eam duxerat. Seruius. *hic ordo eſt, conciliata primo, dein pacta, dein ſponſa.*

*d* Cauſſam adfert cum eum longè viderit Mezentius, & cur in eum auiditate magna incurrreit. Quia purpuream habuit criſtam & veſtem oſtro fulgentē, quam ab vxore ſibi pacta dono acceperat: oſtrum ſiue murex eſt piſciculus è cuius ſanguine purpura conficitur.

*e* Cui cornua ſurgunt, cui tum primùm cornua de fronte protuberant. Horat. *Cui frons turgida cornibus Primis.*

*Gaudet hians immane,* a *comáſque arrexit & hæret*
*Viſceribus ſuper accumbens: lauit improba* b *teter*
*Ora cruor:*
*Sic ruit in denſos alacer Mezentius hoſtes,*
*Sternitur infelix Acron, & calcibus atram*
*Tundit humum expirans, infractáque tela cruentat.*
*Atque idem fugientem haud eſt dignatus Oroden*
*Sternere, nec iacta cæcum* c *dare cuſpide vulnus.*
*Obuius, aduerſoqne occurrit, ſéque viro vir*
*Contulit, haud furto* d *melior, ſed fortibus armis:* e
*Tum ſuper abiectum poſito pede nixus, & haſtâ,*
*Pars belli haud temnenda viris* f*, iacet altus Orodes.*
*Conlamant ſocij lætum Pæana* g *ſecuti:*
*Ille autem exſpirans: Non me, quicunque es, inulto,*

*Orodes occiditur.*

*a* Gaudet ob inuentam prædam immani rictu fauces aperiens iubas ſubrigit, prædam inuadit, occidit, euiſcerat, viſceribus affixus ſuperincumbit. Omnia tamen ſingillatim non dixit vt inuaſionem, cædem, euiſcerationem, quæ taceantur, dicto citius factas intelligas.

*b* Inſatiabilia, vt 3. Georg. *—— Hic piſcibus atram*
*Improbus ingluuiem, raniſque loquacibus explet.*

*c* Vulnus auerſum tergo infligere, quod is qui vulnerabatur videre non poſſet.

*d* Inſidiis.

*e* Haſta poſita & in corpus Orodis impreſſa.

*f* Magna pars belli confecta eſt proſtrato Orode qui plurimum momenti ſuis partibus afferebat.

*g* Pæan clamor militaris, lætus & feſtiuus, quo ſe inuicem vel exhortantur, vel ſibi de victoria gratulantur ἀπὸ τȣ̃ παίειν

*Moriens mortem prædicit Mezentio.*

*Victor nec longum a lætabere, te quoque fata*
*Proſpectant* b *paria, atque eadem mox arua tenebis.*
*Ad quem ſubridens miſtâ Mezentius irâ:*
*Nunc morere, aſt de me diuûm pater atque hominum rex*
*Viderit; hoc dicens eduxit corpore telum.*
*Olli dura quies oculos* c, *& ferreus verget*
*Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.*
*Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaſpen*
*Partheniúmque Rapo, & prædurum viribus Orſen.*
*Meſſapus Cloniúmque Lycaoniumque* d *Ericatem,*
*Illum infrenis equi* e *lapſu tellure iacentem,*
*Hunc peditem pedes, & Lycius proceſſerat Agis* f,
*Quem tamen haud expers Valerus virtutis auitæ*
*Deiicit, Antronium Salius, Saliumque Nealces,*

*Cædes variæ vtrimque illatæ.*

*à feriendo* Eius origo ab Apolline cùm Pythonem ſerpentem puer adhuc ſagittis interemit. Qui etiam ipſe Pæan vocatur.

*a* Diu, longo tempore.

*b* Iam ſunt adeo propinqua, vt iam te præ oculis habere, & proſpectare videantur. Putant autem morientes diuinare, quia anima, vt ait Cicero de diuinat. *appropinquante morte multò diuinior.*

*c* Orodes moritur. ſic Homerus 22. Iliad.

—— κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον
—— *Dormiuit ferreum ſomnum.*

Horat. 1. carm.

*Ergo Quintilium perpetuus ſopor Vrget.*

*d* A Lycaone Rege Arcadiæ.

*e* Lapſu equi aſperrimi, qui frenorum ſperneret regimen, vel qui reuera frenos non habebat, more Numidarum.

*f* Agis Lycius in aciem contra Meſſapum proceſſerat, non tamen ab ipſo Meſſapo, ſed à Valero fuit interemptus. Valerum à virtute auita commendat, quia maiores à fortitudine valeri nomen acceperant.

*Inſignis iaculo* a *& longè fallente ſagitta.*
*Iam grauis æquabat luctus, & mutua Mauors* b
*Funera, cedebant pariter, paritérque ruebant*
*Victores, victique, neque his fuga nota, nec illis.*
*Dij Iouis in tectis iram miſerantur inanem* c
*Amborum, & tantos mortalibus eſſe labores.*
*Hinc Venus, hinc contra ſpectat Saturnia Iuno.*
*Pallida* d *Tiſiphone media inter millia ſæuit.*
*At verò ingentem quatiens Mezentius haſtam*
*Turbidus ingreditur campo: quàm magnus* e *Orion,*
*Cùm pedes incedit medij per maxima Nerei*
*Stagna, viam ſcindens, humero ſupereminet vndas*
*Aut ſummis referens annoſam montibus ornum,*

Comparatio.

a Iaculum videtur eſſe maius miſſile quod manu torquetur; ſagitta quæ arcu diſploditur. longè fallens è longinquo ex unprouiſo veniens.
b Fortuna bellica.
c Vel carentem ratione, vt
——— *Dat inania verba.*
Vel quia, vt ſcribit Seruius nulla cauſſa tam iuſta eſſe poſſit, vt propterea bellum geri debeat; vel inanem non iuſte conceptam, vel vt ait Cerdanus, quia hac ira victoriam non promouebant, vel fortaſſe quia non erat duratura, ſed paulò poſt hi duo populi debebant in vnum conuenire.
d Vel quia irati expalleſcunt, vel quia furiæ pallorem & formidinem videntibus incutiunt
e Orionem venatorem fuiſſe fabulantur tantæ magnitudinis, vt per medium mare pedibus incederet, & ornos veteres ac proindè valdè excelſas ferens pro ſcipione cùm in terra gradiebatur caput ad nubes vſque attolleret, qui deinde in aſtra relatus exortu ſuo pluuias & tempeſtates ſolet concitare, vnde & primo libro nimboſus: lib. 3. armatus auro nuncupatur. Hæc autem comparatio non *pertinet ad ſolam corporis proceritatem*, vt voluit Seruius: quid enim abſurdius, quàm tantam Mezentio magnitudinem corporis affingere. Sed vel maximè

Aeneas occurrit Mezentio.

Hastam coniicit Mezentius.

*Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.*
*Talis ſe vaſtis infert Mezentius armis.*
*Huic contra Æneas, ſpeculatus in agmine longo,*
*Obuius ire parat: manet imperterritus ille,*
*Hoſtem magnanimum opperiens,& mole ſua* a *ſtat,*
*Atq; oculis ſpatium emenſus,* b *quantū ſatis haſta:*
*Dextra mihi Deus,& telum quod miſſile libro*
*Nunc adſint, voueo prædonis* c *corpore raptis*
*Indutum ſpoliis, ipſum te Lauſe, trophæum*
*Æneæ: dixit, ſtridentemque eminus haſtam*
*Iecit: at illa volans clypeo eſt excuſſa, proclúque*
*Egregium Anthorem latus inter & ilia figit:*
*Herculis Anthorem comitem, qui miſſus ab Argis*
*Hæſerat Euandro, atque Itala conſederat vrbe*

ad iram qua Mezentius *turbidus*, vt Orion *caput inter nubila condens*,& nimbos ciens:& ad terrorem quem incutiebat ſpectātibus:vt enim in pugna qui ſunt grandiores magis timentur,ita viciſſim qui magis timentur videntur eſſe grandiores. Bene Cerdanus Orionem Mezentio, medii Nerei ſtagna id eſt medinm mare, medio campo, in quem ille ingreſſus eſt, cùm priùs in extrema acie pugnaſſet, ornum haſtæ notat comparari. Non ita feliciter verſum,

*Ingreditúrque ſolo* ——

Ad ornum refert,depreſſis in terram radicibus, vertice ad nubes elato.

*a* Inconcuſſus in gradu conſiſtit,Aeneam hoſtem expectans.

*b* Vt viditMezentiusAneam proceſſiſſe intra tali iactum,non Deos inuocauit,quia contemptor eratDeorum,ſed dexteram & haſtam ſuam,in quibus tanquam in Deo ſpes omnes ſuas defixerat Non voluitMarti trophæum quo è quercu præciſis vndique ramis ſpolia Aeneæ conſecrata ſuſpenderet,ſed promiſit ſe illa arma Lauſo filio ſuo daturum, quaſi ipſe Lauſus futurus eſſet trophæum ornatum ſpoliis hoſtilibus.

*c* Prædones qui bellū iniuſtū inferūt,vt dicitur in iure ciuili.

*Sternitur infelix alieno vulnere,* a *cælumque*
*Aſpicit* b *& dulces moriens reminiſcitur Argos.*
*Tum pius* c *Æneas haſtam iacit: illa per orbem* d
*Ære cauum* e *triplici, per linea terga,* f *tribuſque*

*Anthor occiditur à Mezentio.*

a Quod vulnus non ipſi Anthori, ſed Aeneæ fuerat deſtinatum.

b Donatus, *Quaſi in quum morte ſua Deorum iudicium reprehenderet*: vel quia dolebat ſe luce & cœli conſpectu priuari, ideò poſtremum illud lumen auidè rapiebat, ex quo etiam doloris affectu patriæ memoria: quia nimirum gemebat ſe in æternũ relinquere duo omnium dulciſſima, lucem & patriam.

c Benè *pius* quia Mezentio contemptori Deorum necem inferre & tantam impietatem abolere cupiebat.

d Haſta Æneæ per clypeum Mezentij rotundum & cauum, triplici æris lamina, trium taurorum tergoribus contextum, lineis item integumentis coopertum ita penetrauit, vt altè adacto vulnere in imo inguine conſederit, profundius etiam vulnus adactura, ſi vires pertuliſſet tenorémque ſuum ſeruaſſet: ſed tot æris laminis, tot taurorum tergoribus perforatis, ita debilitatis erat eius impetus, vt quamuis profundum, non potuerit tamen lethale vulnus infligere.

e Sic lib. 3.

*Aere cauo clypeum, magni geſtamen Abantis.*

Ea enim figura fuerunt clypei, vt in medio tumerent.

f Terga ſunt quæuis operimenta, ſuprà.

*Tot ferri terga, tot æris.*

Id eſt tot laminas ferreas & æreas quibus clypeus operitur. Seruius. *Lineo tegbantur ſcuta, vt poſſent inhærere picturæ.* Neque quicquam aliud cæteri interpretes addiderunt. Dubitari tamen non poteſt, etiam firmitatis cauſſa lineis huiuſmodi tergis, aut etiam laneis vſos fuiſſe veteres, ſic Aiax λινοθώρηξ, *lino thorace indutus.* Plinius libro 9 cap. 1. *Honos lino etiam Troiano bello. Cur enim non & prœliis interſit, vt naufragiis? Thoracibus lineis paucos tamen pugnaſſe teſtis eſt Homerus.* Qui vſus poſtea frequentes, firmi autem erant in thoraces, quia filis pluribus funiculos ſtruebant, eóſque deinde nectebant, & conſerebant. Amaſis certè Rex Aegypti thoracem habuit, cuius ſingula fila trecentis filis conſtabant, vt

*Tranſiit intextum auris opus, imáque* a *ſedit*
*Inguine: ſed vires haud pertulit: ocyus enſem*
*Æneas viſo Tyrrheni* b *ſanguine, lætus*
*Eripit à femore, & trepidanti feruidus inſtat.*

Mezentius ab Ænea vulneratur.

*Ingemuit chari grauiter genitoris amore,*
*Vt vidit Lauſus, lachrymæque per ora volutæ.*
*Hîc mortis duræ caſum, tuáque optima facta,*
*(Si qua fidem tanto eſt operi latura vetuſtas)*
*Non equidem nec te,* c *iuuenis memorande, ſilebo.*

Lauſus patri ſuccurrit.

*Ille pedem referens & inutilis,* d *inque ligatus,*
*Cedebat, clypeoque inimicum haſtile trahebat:*
*Proripuit iuuenis,* e *ſeséque immiſcuit armis,*
*Iamque aſſurgentis dextræ, plagamque ferentis*
*Æneæ ſubijt mucronem, ipſumque morando*
*Suſtinuit: ſocij magno clamore ſequuntur,*
*Dum genitor nati parmâ protectus abiret:*
*Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hoſtem* f

Mezentius à periculo liberatur.

ſcribit Plinius loco citato. vide Lipſium lib. 4. de militia Rom. dialogo 6.

a Seruius hypallage *ima haſta, imo inguine.*

b Mezentij Regis Tyrrheniæ ſiue Hetruriæ.

c Non equidem, ô Iuuenis memorande, caſum mortis tuæ duræ & violentæ, quæ te in ætatis flore rapuit, non tua optima facta, pietatémque illam ſingularem, non te ipſum ſilebo, ſed æternam apud poſteros gloriam obtinebis, ſi qua vetuſtas, id eſt, poſteritas, creditura eſt tantum opus, quod tu perpetraſti. *Tanto autem operi*, inquit Seruius, nō de ſuis carminibus dicit, nec enim ſibi arrogat, ſed *tāto operi* id eſt pietati, & virtuti tuæ

d Inutilis ad pugnam, quippe vulneratus. *inque ligatus*, id eſt illigatus & impeditus vulnere, vel ideo ſe pugnæ ſubtrahebat, quia non erat ligatus, volebatque vulnus acceptum obligare vt ſanguis ſiſteretur.

e Lauſus. f Aeneam.

*Miſsilibus. Furit Æneas a tectuſque tenet ſe,* Comparatio.
*At velut effuſa ſi quando grandine nimbi*
*Præcipitant, omnis campis diffugit arator,*
*Omnis & agricola, & tuta latet arce viator,*
*Aut amnis ripis, aut alti fornice ſaxi,*
*Dum pluit in terris, vt poſſint ſole reducto* Aeneas undique impetitus.
*Exercere diem: Sic obrutus vndique telis*
*Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem*
*Suſtinet, & Lauſum increpitat, Lauſoque minatur.*
*Quò moriture ruis? maioráque viribus audes?*
*Fallitne incautum pietas tua? nec minùs ille* Admonet Lauſum vt deſiſtat.
*Exultat demens: ſæuæ iamque altiùs iræ*
*Dardanio ſurgunt ductori: extremáque Lauſo*
*Parcæ fila legunt.* d *validum namque exigit enſem* Nongaret Lauſus.

a Furit quidem Æneas dolore quod ſibi Mezentius eſſet ereptus, nec plenam adeptus eſſet de tanto hoſte victoriam: non ideo tamen temerè periculo ſe exponit, ſed ſe protegit & tuetur aduerſus hoſtes vndique imminentes.

b Quemadmodum grandine ingruente, arator, agricola, viator, aut in domibus tuguriiſque latent, aut in exeſarum riparum receptaculis, aut in ſpeluncis naturali fornice cameratis: & ibi tamdiu latent, donec, reducta ſerenitate, poſſint incœptum agriculturæ & itineris opus abſoluere: ita Æneas ex omni parte telis obrutus, grandinis more depluentibus, omnem belli nubem, donec detonet, & deferueat, ſiue remittatur, ſuſtinet, & ſe clypeo tegit, remiſſo relaxatóque Tyrrhenorum vndique ingruentium impetu, poſſit diem exercere, & inchoatam pugnam abſoluere.

c Lauſus nihilo ſeciùs, quàm ſi nihil comminatus fuiſſet Aeneas, exultat & geſtit ob ſperatam de Aenea victoriam, & ita demens eſt, vt non cogitet de periculo ſuis ceruicibus imminente. Donatus, *demens, tractus errore dementiæ, dum metu Aeneam duci imprudenter exſtimat.*

d de Parcis hominum vitam & fata nentibus vide primum Æneid. verſu 25. Eædem homine moriente, dicuntur, vitæ

Per medium Æneas iuuenem, totúmque recondit a:
Tranſiit & parmam mucro, leuia arma b minacis,
Et tunicam, molli mater c quam neuerat auro:
Impleuitque ſinum ſanguis: tum vita per auras
Conceſſit mœſta d ad manes, corpuſque reliquit.

*Aeneas ipſe ob eius mortem ingemiſcit.*

At verò vt vultum vidit morientis & ora,
Ora modis Anchiſiades pallentia miris,
Ingemuit miſerans grauiter, dextrámque tetendit, e
Et mentem patriæ ſubiit pietatis f imago.
Quid tibi nunc, miſerande puer, prò laudibus g iſtis?
Quid pius Æneas tanta dabit indole h dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua: i téque parentum
Manibus, k & cineri (ſi qua eſt ea cura) remitto.

filum abſcindere vel abrumpere. Maluit Poëta dicere *fila legunt* quemadmodum flores leguntur, & vngue carpuntur, vt mortis ab Ænea illatæ facilitatem oſtenderet.

*a* Capulò tenus abdit enſem in corpus Lauſi.

*b* Indicat imprudentiam Lauſi, qui auſus fuerat Aeneam fortiſſimum heroem laceſſere, eique minari, cùm tam leuibus armis vteretur.

*c* Matris opportunè facit mentionem, vt quaſi aliud agens lenem miſericordiæ motum adſpergat.

*d* Ideo dolens quòd vitam in flore ætatis amitteret.

*e* Vt ipſum vel labentem ſuſtineret, vel lapſum è terra ſubleuaret.

*f* In mentem reuocauit ſpeciem illius pietatis qua patrem ſuum Anchiſem extulerat è Troiano incendio, dolens ei ſe necem intuliſſe, qui ſimile patriæ pietatis ſpecimen exhibebat.

*g* Seruius. *Quia & contra fortiorem & pro patris ſalute dimicare conatus eſt.* Laudibus, id eſt, virtutibus.

*h* Idem. *Indoles propriè imago quædam virtutis futuræ.*

*i* Idem *Moris enim fuerat, vt cum his rebus ſepelirentur, quas dilexerant viui.*

*k* Permitto vt maiorum tuorum ſepulchro inferaris. Manes

*Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem:*
*Aeneæ magni dextrâ cadis, increpat vltro*
*Cunctantes ſocios & terrâ ſubleuat ipſum*
*Sanguine turpantem comptos de more capillo.*
*Interea genitor, Tyberini ad fluminis vndam*
*Vulnera ſiccabat* a *Lymphis, corpúſque leuabat*
*Arboris acclinis trunco: procul ærea ramis* *Mezentius vulnera lauat & ſiccat*
*Dependet galea, & prato grauia arma quieſcunt;*
*Stant lecti circùm iuuenes: ipſe æger, anhelans*
*Colla fouet, fuſus propexam in pectore barbam,*
*Multa ſuper Lauſo rogitat, multóſque remittit,*
*Qui reuocent, mœſtique ferant mandata parentis.*
*At Lauſum ſocii exanimum ſuper arma* b *ferebant,*
*Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum,* *Ad eum cadauer Lauſi refertur*
*Agnouit longè gemitum præſaga mali mens.*
*Caniciem immundo deformat puluere, & ambas*
*Ad cœlum tendit palmas, & corpore inhæret.* c
*Tantáne me tenuit viuendi nate voluptas,* *Mezentii luctus.*
*Vt pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ,*
*Quem genui? tuane hæc genitor per vulnera ſeruor*
*Morte tua viuens? heu! nunc miſero mihi demum*
*Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum.*
*Idem ego, nate, tuum maculaui crimine* d *nomen,*

putabant in ſepulchris cum cineribus reſidere. vnde lib. 3.
— *Animámque ſepulchro Condimus.* —
a Mezentius extergebat aquis cruorem é vulnere manantem in arboris truncum inclinatus.
b Impoſitum clypeo, vt ſuprà de Pallante.
c Toto corpore effuſus filij cadauer amplexatur:
d Vide librum 8. à verſu 483. ad 494.

*Pulſus ob inuidiam a ſolio, ſceptriſque paternis:*
*Debueram patriæ pœnas, odiiſque meorum*
*Omnes per mortes animam ſontem ipſe dediſſem,*
*Nunc viuo neque adhuc homines lucémq; relinquo*
*Sed linquam: ſimul hæc dicens attollit in ægrum*
Equum ad ſe adduci iubet — *Se femur: & quanquam vis alto vulnere tardat,*
*Haud deiectus* [b] *equum duci iubet: hoc decus illi,*
*Hoc ſolamen erat, bellis hoc victor abibat*
Eum alloquitur — *Omnibus: alloquitur mœrentem,* [c] *& talibus infit.*
*Phœbe diis (res ſi qua diu* [d] *mortalibus vlla eſt)*
*Viximus: aut hodie victor ſpolia illa* [e] *cruenta,*
*Et caput Æneæ referes, Lauſique dolorum*
*Vltor eris mecum: aut aperit ſi nulla viam vis*
*Occumbes pariter, neque enim fortiſſime, credo,*
*Iuſſa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.*
*Dixit, & exceptus tergo* [f] *conſueta locauit*
Equi tergo excipitur — *Membra, manúſque ambas iaculis onerauit acutis,*
*Ære caput fulgens,* [g] *criſtaque hirſutus equina.*

*a* Propter odium ciuium meorum.
*b* Et ſi profundi vulneris violentiâ impeditur, non tamen deiectus animo equum ad ſe adduci iubet.
*c* Quaſi mala domini ipſe ſentiret.
*d* Vide pro Marcello. parag. 28. notâ 2.
*e* Aut hodie referes illa arma Aeneæ mihi infortunata & ſanguine filij mei perfuſa, & mecum Lauſi mortem vlciſceris, aut ſi nulla virtus, nulla fortitudo bellica patefacit vlciſcendi rationem, mecum pariter morieris.
*f* Agnoſcit equus ſeſſorem ſuum, & genu flectens tergo recipit vt facilius adſcendat Mezentius; vt Plutarchus in præceptis coniugalibus fieri ſolere teſtatur.
*g* Aerea galea & fulgenti caput habens armatum è qua ſurgebat equi cauda, quæ criſtæ vicem ſupplebat.

*a* Donatus.

*Sic curſum in medios rapidus dedit: æſtuat ingens*
*Imo in corde pudor* a, *miſtoque inſania luctu,*
*Et furiis agitatus amor, & conſcia virtus:*
*Atque hîc Æneam magna ter voce vocauit.*
*Æneas agnouit eum, lætúſque precatur:* **Aeneam vocat.**
*Sic pater ille Deûm faciat, ſic altus Apollo,*
*Incipias conferre manum.*
*Tantum effatus, & infeſtâ* b *ſubit obuius haſtâ.*
*Ille autem, Quid me erepto, ſæuiſſime, nato*
*Terres? hæc via ſola fuit, qua perdere poſſes,* **Ille accurrit.**
*Nec mortem horremus, nec Diuûm parcimus* c *vlli.*
*Deſine: iam venio moriturus, & hæc tibi porto*
*Dona prius: dixit, telúmque intorſit in hoſtem.*
*Inde aliud ſuper, atque aliud, figitque, volatque* **In eum tela iaculatur Mezentius.**
*Ingenti gyro* d: *ſed ſuſtinet aureus vmbo.*
*Ter circum adſtantem læuos* e *equitauit in orbes,*
*Tela manu iaciens: ter ſecum Troius heros*

a Donatus. *Duobus animi motibus æſtuabat: pudoris, quia inuenerat fortiorem, & cuius virtutem in vulneris atrocitate perpenſerat: & luctus, quia talem perdiderat filium.* Seruius legit *vno in corde.* & interpretatur *vno pro eodem.* Quem etiam amor Lauſi filij quaſi furijs quibuſdam ad vlciſcendam illius necem incitabat, accedebat propriæ virtutis conſcientia quæ ipſum magis & magis ſtimulabat.
b *In vulnus paratâ, & pretentâ.*
c Noſter de la Cerda. *Omnes Deos* accuſo, omnes mihi ex æquo hoſtes, nullum veneror, vt tu qui Iouem & Apollinem inuocaſti.
d Mezentius ita iaculatur, vt non in eodem loco maneat, ſed circumeat gyris ingentibus, vt ſit ab Aenea remotior, ne ſi minoribus flexibus circuiret auerſus poſſet ab Aenea vulnerari: ſed omnia tela in Aeneæ clypeo figuntur, nec vllum corpus attingit.
e Seruius. *In læuam partem ideo circuibat, vt Aeneæ dexteram*

*Immanem ærato circumferi a tegmine ſyluam.*
*Inde vbi tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet*
*Vellere, & vrgetur pugnâ congreſſus iniquâ,* b
*Multa mouens animo iam tãdem erumpit, & inter*
*Bellatoris equi caua tempora conjicit haſtam.*
*Tollit ſe arrectum quadrupes* c, *& calcibus auras*
*Verberat, effuſúmque equitem ſuper ipſe ſecutus*
*Implicat, eiectóque incumbit cernuus* d *armo:*
*Clamore incendunt cælum, Troéſque, Latinique.*
*Aduolat Æneas, vaginâque eripit enſem,*
*Et ſuper hæc. Vbi nunc Mezentius acer, & illa*
*Effera vis animi? contrà Tyrrhenus, vt auras*
*Suſpiciens hauſit cælum, mentémque recepit.*
*Hoſtis amare, quid increpitas, mortémque minaris?*

*Equus Mezentii vulneratur. Præcipitatur Mezentius.*

*circumueniret, quæ vtique nuda erat.*

*a* Aeneas huc illuc ad ſingulos ictus ſe obuertit, clypeum æreum circumferens, aureiſque laminis & orbibus intextum, & tot ſpiculis transfigitur, vt quandam ſyluæ ſimilitudinem ræpreſentet. Statius 8. Thebaidos de Tydeo.

—— *Denſis iam conſitus haſtis Ferratum quatit vmbo nemus.*

*b* Pedes contra equitem pugnabat iniqua conditione.

*c* Cerdanus. Ad ſenſũ doloris ſe ſtatim equus attollit firmatque in pedes poſteriores arrectus totus: ac deinde ſubito mutata forma ſiſtit ſe in pedes anteriores, & *calcibus auras verberat*, & tum equitem effundit, incumbitque eiecto Mezentio cadens ipſe in armum pronus, & ſic implica, impeditque Mezentium, vt expedire ſe non poſſit.

*d* Turnebus lib. 18. cap. 9. ex Nonio cernuos interpretatur qui ſe in caput iaciant. *Cernui autem*, inquit, *cùm erecti ſunt, collum, cùm ſe in caput mittunt, tum caput habent deorſum miſſum*. Varro: *etiam pelles bubulas oleo perfuſas percurrebant ibi cernuabant.*

*e* Vt primum reſpirauit Mezentius, & ad ſe rediit.

*Nullum in cæde nefas* a, *nec ſic ad prælia veni,*
*Nec tecum meus hæc pepigit mihi fædera Lauſus,* Orat pro ſepultura.
*Vnum hoc ( per ſi qua eſt victis venia hoſtibus) oro :*
*Corpus humo patiare tegi : ſcio acerba meorum*
*Circunſtare odia* b:*hunc, oro, defende furorem:*
*Et me conſortem nati concede ſepulchro.*
*Hæc loquitur, iuguloque haud inſcius accipit* c *enſem :* Occiditur.
*Vndantique animam* d *diffundit in arma cruore.*

*a* Nihil eſt cauſſæ cur diutiùs cunćteris me occidere, nullum enim ſcelus admittes, nec ea conditione veni ad prælium vt victus mortem à me deprecarer.
*b* Probè compertum habeo me Tyrrhenis circunſtantibus, quibus olim imperaui, ſic odio eſſe, vt me cupiant obiici canibus laniandum, oro te id fieri prohibeas & me permittas cum Lauſo filio meo tumulari: permitte vt nato meo ſim conſors eiuſdem ſepulchri.
*c* Tanquam bonus gladiator, cùm mori iuberetur, non ceruicem contraxit aut colla ſubduxit, ſed ſciens & volens ferrum corpore recepit. vide Milonianam parag. 93. no .3. Sextianam paragr 90. nota 7.
*d* Animæ ſedem in ſanguine eſſe plerique veteres crediderunt quò nunc alludit Poëta

*FINIS.*

# PVBLII
# VIR. MARONIS
## ÆNEIDOS
## LIBER XI.

### MODESTINI IVRISCONSVLTI
In vndecimum Æneidos librum.

### *ARGVMENTVM.*

Conſtituit Marti ſpoliorum ex hoſte trophæum,
Exanimúmque patri natum pallanta remittit.
Iura ſepulturæ tribuit, tempúſque Latinis.
Euander patrios affectus edit in vrbe.
Corpora cæſa virûm paſſim digeſta cremantur.
Legati referunt Diomedem arma negaſſe.
Drances & Turnus: leges aquante Latino,
Concurrunt dictis, Æneas imminet vrbi.
Pugnatur, vincunt Troës, cadit icta Camilla.
Deinde duces caſtris, donec ceſſere, minantur.

*OCeanum interea* a *ſurgens Aurora reliquit.*
*Æneas* b, *quamquam & ſociis dare tempus humandis*

a Superiorem librum finierat nece Mezentij. Quid ſecutum fuerit, non exponit: ſed vel tacente Poëta facilè poteſt intelligi Rutulos terga vertiſſe, Troianos fugientibus inſtitiſſe, & magna Rutulorum ſtrage edita, primis intendentibus ſe tenebris in caſtra rediiſſe, ſibi de victoria & Aeneæ reditu fuiſſe gratulatos, mortuos luxiſſe, curaſſe vulneratos, quieuiſſe, quæ dum gererentur intereà dies exortus eſt. Quòd autem dicitur Aurora Oceanum reliquiſſe: ideo dictum, quia ſol oriens ex oceani fluctibus videtur emergere: neque apparet hominibus intuentibus id interuallum, quod eſt inter Oceanum, & cælum.

b Commendatur Æneæ pietas, qui licet aliis grauibus curis

*Præcipitant* a *curæ, turbatáque funere* b *mens eſt.*
*Vota deum* c *primo victor ſoluebat Eoo* d.
*Ingentem quercum* e *deciſis vndique ramis*
*Conſtituit tumulo,* f *fulgentiaque induit arma,*
*Mezentî ducis exuuias, tibi magne trophæum,*
*Bellipotens, aptat roranteis ſanguine criſtas,*
*Teláque trunca viri* g *& bis ſex thoraca petitum*
*Perfoſſúmve locis* h *clypeumque ex ære ſiniſtræ*

*Aeneas trophæũ de Mezentio.*

vrgeretur, nihil tamen habuit religione, & voti, quod conceperat, ſolutione antiquius.

*a Vrgent*, inquit Seruius, *nullam enim dilationem ſepultura patitur*, ne cadauera tabeſcant & diffluant, ſi ſepultura differatur.

*b* Pallantis, cuius corpus erat magnifico funeris apparatu ad patrem deferendum, de funere & exequiis vide Milionanam, parag. 34. nota 8.

*c* Trophæum Marti erexit, quod ſe, ſi victor fuiſſet, erecturum eſſe concepto voto promiſerat.

*d* Primo auroræ naſcentis exortu, *ἠώς aurora.*

*e* Varia trophæorum genera fuerunt lapidea, ærea, aurea, lignea, armorum aceruus: frequentiſſimè tamen *quercum deciſis vndique ramis* ſtatuebant, eámque hoſtium exuuijs veſtiebãt: vnde Stilico apud Claudianum lib. in Rufinum priore, Marti trophæum vouens his verbis inducitur.

*Et Thracas defende tuos: ſi lætior adſit*
*Gloria; veſtitâ ſpoliis donabere quercu.*

Vide notas in Piſonianam parag. 92.

*f* In colle ſiue loco eminenti & in tumulum aggerato: ita Statius 2. Thebaidos trophæum Tydei.

*Aggere camporum medio,* collocauit.

*g* Appendit tela Mezentii non integra, ſed fracta & trunca de more, Statius 2. Thebaidos.

*—— Huic truncos ictibus enſes*
*Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.*

Vide Piſon. loco citato.

*h* Atqui duo tantùm Mezentio vulnera Æneas inflixerat, nec loricam vllo ictu perfoderat. Nam priore ictu haſta Aeneæ in imo Mezentii inguine conſedit, poſteriore Mezentius iu-

*Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum* a.
*Tum ſocios ( namque omnis eum ſtipata tegebat*
*Turba ducum ) ſic incipiens hortatur ouanteis* b:
*Maxima res effecta* c, *viris timor omnis abeſto.*
*Quod ſupereſt: hæc ſunt ſpolia, & de rege ſuperbo*
*Primitiæ, manibuſque meis Mezentius* d *hic eſt.*
*Nunc iter ad regem nobis* e, *muroſque Latinos.*

*Ænea ad ſuos orat.* e.

gulo ferrum recepit, vt viſum eſt libro ſuperiore: quare obuiis vlnis Seruii ſubtilitatem amplector: Cùm duodecim eſſent Hetruriæ populi, quibus ſingulis præerant Lucomones ſiue Reguli quidam, à ſingulis Lucomonibus Mezentii mortui corpus fuiſſe totidem vulneribus appetitum: vt de Hectore tradit Homerus, de Tydeo poſt mortem etiam vulnerato, Statius 8. Thebaidos.

a Vel incluſum vaginâ eburnea, vel capulo eburneo ornatum.

b Lætitia triumphantes ob reportatam victoriam.

c Occiſo Mezentio magna pars belli confecta eſt: reliqua non ſunt metuenda. Hæc ſpolia, quæ videtis affixa trophæo, ſunt primitiæ totius belli, quod in Regem ſuperbum ſuſcepimus: & Mezentius manibus meis peremptus hoc trophæo quaſi ad viuum expreſſus eſt, vides me nomine Regis ſuperbi non Mezentium, ſed ipſum Turnum capere, quantumuis alicui refragentur. Sed dici non poteſt offerri primitias de Mezentio. *Primitiæ enim ſunt quæ diis offeruntur de fructibus nouis, aut fœtibus gregum*, inquit Donatus, & primæ veluti libationes, cùm de toto numero aliquid primò decerpitur, quod diis offeratur, vt ipſum *primitiarum* nomen aliquid conſequens importet, at oblatis his primitiis nihil ſupererat de Mezentio quod offerri poſſet, quare dicendum eſt nón oblatas fuiſſe primitias de Mezentio: ſed ipſius Mezentii ſpolia fuiſſe primitias de ſumma belli totius oblatas.

d Cerdanus noſter hæc verba MEZENTIVS HIC EST, inſcriptionem tropæi fuiſſe ſuſpicatur.

e Donatus. *Dixit geſta & agenda prænuntiat, nunc, inquit, nobis ad Regem* ( vel Turnum vel Latinum ) *dirigendum eſt iter, & ad ipſam ciuitatem* ( Laurentum ) *quæ refugium eſt inimici: hoc ſolum ſupereſt, vt conficiatur plena victoria.*

*Arma parate animis: & ſpe præſumite* a *bellum,*
*Ne qua mora ignaros, vbi primum vellere* b *ſigna*
*Annuerint Superi, pubémque educere caſtris*
*Impediat, ſegneſque metu ſententia tardet.*
*Intereà,* c *ſocios, inhumatáque corpora terræ*
*Mandemus, qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.*
*Ite, ait,* c *egregias animas, quæ ſanguine nobis*
*Hanc patriam peperêre ſuo,* d *decorate ſupremis*
*Muneribus: mæſtámque Euandri primus ad vrbem,* e
*Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem*
*Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo* f.
*Sic ait illacrymans, recipitque ad limina greſſum,*

*a* Seruius. *Bene* præſumite: *quaſi rem iam ſui iuris, vt ei deberi videatur certa victoria.* Iam hinc vos ad pugnam præparate, & bellum ante ſperate, ne cùm erunt auſpicato vellenda ſigna & iuuentus è caſtris in aciem educenda, tunc, quaſi inopinato & inexpectato caſu perculſi, ſitis ad pugnam tardiores, Pulchre Donatus, inquit, *propterea ante tempus dixi, ne vos meæ diſpoſitionis ignaros turbet repẽtina cõmotio, & opportunam faciendi celeritatem ex timore mora aliqua corrumpat, ne tunc cõſilia captetis, cùm vires requiruntur & facta.*

*b* Bene ſeruius. *Vellere propriè dixit, quia Romana ſigna figebantur in caſtris, & cùm ad bellum eundum fuiſſet, captatis auguriis auellebantur è terra, nam alibi ea figi non licebat.* Ideo dicit *Annuerint ſuperi* — vt indicet ſe inauſpicatò nihil eſſe geſturum, quod militum animos mirum in modum confirmat teſte Xenephonte in Hipparchico.

*c* Interea donec tempus obſidionis aduenerit, ſocios noſtros in pugna peremptos ſepulturæ mandemus.

*d* Iis iuſta faciamus, qui ſanguine & morte ſua nobis hanc patriam pepererunt: per quos Italiam, quaſi patriam poſſidemus.

*e* Pallantæum.

*f* Immatura morte oppreſſit, tranſlatio à fructibus qui acerbi

*Moriens mortem prædicit Mezentio.*

*Victor nec longum a lætabere, te quoque fata*
*Proſpectant b paria, atque eadem mox arua tenebis.*
*Ad quem ſubridens miſtâ Mezentius irâ :*
*Nunc morere, aſt de me diuûm pater atque hominum rex*
*Viderit; hoc dicens eduxit corpore telum.*
*Olli dura quies oculos c, & ferreus verget*
*Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.*
*Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaſpen*
*Partheniúmque Rapo, & prædurum viribus Orſen.*
*Meſſapus Cloniúmque Lycaoniumque d Ericatem,*
*Illum infrenis equi e lapſu tellure iacentem,*
*Hunc peditem pedes, & Lycius proceſſerat Agis f,*
*Quem tamen haud expers Valerus virtutis auitæ*
*Dejicit, Antronium Salius, Saliumque Nealces,*

*Cædes variæ vtrimque illatæ.*

*à feriendo* Eius origo ab Apolline cùm Pythonem ſerpentem puer adhuc ſagittis interemit. Qui etiam ipſe Pæan vocatur.

*a* Diu, longo tempore.

*b* Iam ſunt adeo propinqua, vt iam te præ oculis habere, & proſpectare videantur. Putant autem morientes diuinare, quia anima, vt ait Cicero de diuinat. *appropinquante morte multo diuinior.*

*c* Orodes moritur. ſic Homerus 22. Iliad.

—— κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον

—— *Dormiuit ferreum ſomnum.*

Horat. 1. carm.

*Ergo Quintilium perpetuus ſopor Vrget.*

*d* A Lycaone Rege Arcadiæ.

*e* Lapſu equi aſperrimi, qui frenorum ſperneret regimen, vel qui reuera frenos non habebat, more Numidarum.

*f* Agis Lycius in aciem contra Meſſapum proceſſerat, non tamen ab ipſo Meſſapo, ſed à Valero fuit interemptus. Valerum à virtute auita commendat, quia maiores à fortitudine valeri nomen acceperant.

*Inſignis iaculo* a *& longè fallente ſagitta.*
*Iam grauis æquabat luctus, & mutua Mauors* b
*Funera, cedebant pariter, paritérque ruebant*
*Victores, victique, neque his fuga nota, nec illis.*
*Dij Iouis in tectis iram miſerantur inanem* c
*Amborum, & tantos mortalibus eſſe labores.*
*Hinc Venus, hinc contra ſpectat Sarurnia Iuno.*
*Pallida* d *Tiſiphone media inter millia ſæuit.*
*At verò ingentem quatiens Mezentius haſtam*
*Turbidus ingreditur campo: quàm magnus* e *Orion,*
*Cùm pedes incedit medij per maxima Nerei*
*Stagna, viam ſcindens, humero ſupereminet vndas*
*Aut ſummis referens annoſam montibus ornum,* Comparatio.

a Iaculum videtur eſſe maius miſſile quod manu torquetur; ſagitta quæ arcu diſploditur. longè fallens è longinquo ex improuiſo veniens.

b Fortuna bellica.

c Vel carentem ratione, vt

——— *Dat inania verba.*

Vel quia, vt ſcribit Seruius nulla cauſſa tam iuſta eſſe poſſit, vt propterea bellum geri debeat; vel inanem non iuſte conceptam, vel vt ait Cerdanus, quia hac ira victoriam non promouebant, vel fortaſſe quia non erat duratura, ſed paulò poſt hi duo populi debebant in vnum conuenire.

d Vel quia irati expalleſcunt, vel quia furiæ pallorem & formidinem videntibus incutiunt

e Orionem venatorem fuiſſe fabulantur tantæ magnitùdinis, vt per medium mare pedibus incederet, & ornos veteres ac proindè valdè excelſas ferens pro ſcipione cùm in terra gradiebatur caput ad nubes vſque attolleret, qui deinde in aſtra relatus exortu ſuo pluuias & tempeſtates ſolet concitare, vnde & primo libro nimboſus: lib. 3. armatus auro nuncupatur. Hæc autem comparatio non *vertitur ad ſolam corporis proceritatem*, vt voluit Seruius: quid enim abſurdius, quàm tantam Mezentio magnitudinem corporis affingere. Sed vel maximè

*Aeneas occurrit Mezentio.*

*Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.*
*Talis ſe vaſtis infert Mezentius armis.*
*Huic contra Æneas, ſpeculatus in agmine longo,*
*Obuius ire parat: manet imperterritus ille,*
*Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſua* a *ſtat,*
*Atq; oculis ſpatium emenſus,* b *quantū ſatis haſtæ:*

*Haſtam coniicit Mezentius.*

*Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro*
*Nunc adſint, voueo prædonis* c *corpore raptis*
*Indutum ſpoliis, ipſum te Lauſe, trophæum*
*Æneæ: dixit, ſtridentemque eminus haſtam*
*Iecit: at illa volans clypeo eſt excuſſa, proclúque*
*Egregium Anthorem latus inter & ilia figit:*
*Herculis Anthorem comitem, qui miſſus ab Argis*
*Hæſerat Euandro, atque Itala conſederat vrbe*

ad iram qua Mezentius *turbidus*, vt Orion *caput inter nubila condens*, & nimbos ciens: & ad terrorem quem incutiebat ſpectātibus: vt enim in pugna qui ſunt grandiores magis timentur, ita viciſſim qui magis timentur videntur eſſe grandiores. Bene Cerdanus Orionem Mezentio, medii Nerei ſtagna id eſt medinm mare, medio campo, in quem ille ingreſſus eſt, cùm priùs in extrema acie pugnaſſet, ornum haſtæ notat comparari. Non ita feliciter verſum,

*Ingreditúrque ſolo* ——

Ad ornum refert, depreſſis in terram radicibus, vertice ad nubes elato.

*a* Inconcuſſus in gradu conſiſtit, Aeneam hoſtem expectans.
*b* Vt viditMezentiusAneam proceſſiſſe intra tali iactum, non Deos inuocauit, quia contemptor eratDeorum, ſed dexteram & haſtam ſuam, in quibus tanquam in Deo ſpes omnes ſuas defixerat Non voluitMarti trophæum quo è quercu præciſis vndique ramis ſpolia Aeneæ conſecrata ſuſpenderet, ſed promiſit ſe illa arma Lauſo filio ſuo daturum, quaſi ipſe Lauſus futurus eſſet trophæum ornatum ſpoliis hoſtilibus.
*c* Prædones qui bellū iniuſtū inferūt, vt dicitur in iure ciuili.

*Sternitur infelix alieno vulnere, a cœlumque*
*Aſpicit b & dulces moriens reminiſcitur Argos.*
*Tum pius c Æneas haſtam iacit: illa per orbem d*
*Ære cauum e triplici, per linea terga, f tribuſque*

*Anthor occiditur à Mezentio.*

a Quod vulnus non ipſi Anthori, ſed Aeneæ fuerat deſtinatum.

b Donatus, *Quaſi in quum morte ſua Deorum iudicium reprehenderet*: vel quia dolebat ſe luce & cœli conſpectu priuari, ideò poſtremum illud lumen auidè rapiebat, ex quo etiam doloris affectu patriæ memoria: quia nimirum gemebat ſe in æternũ relinquere duo omnium dulciſſima, lucem & patriam.

c Benè *pius* quia Mezentio contemptori Deorum necem inferre & tantam impietatem abolere cupiebat.

d Haſta Æneæ per clypeum Mezentij rotundum & cauum, triplici æris lamina, trium taurorum tergoribus contextum, lineis item integumentis coopertum ita penetrauit, vt altè adacto vulnere in imo inguine conſederit, profundius etiam vulnus adactura, ſi vires pertuliſſet tenorémque ſuum ſeruaſſet: ſed tot æris laminis, tot taurorum tergoribus perforatis, ita debilitatis erat eius impetus, vt quamuis profundum, non potuerit tamen lethale vulnus infligere.

e Sic lib. 3.

*Aere cauo clypeum, magni geſtamen Abantis,*

Ea enim figura fuerunt clypei, vt in medio tumerent.

f Terga ſunt quæuis operimenta, ſuprà.

*Tot ferri terga, tot æris.*

Id eſt tot laminas ferreas & æreas quibus clypeus operitur. Seruius. *Lineo tegbantur ſcuta, vt poſſent inhærere picturæ.* Neque quicquam aliud cæteri interpretes addiderunt. Dubitari tamen non poteſt, etiam firmitatis cauſſa lineis huiuſmodi tergis, aut etiam laneis vſos fuiſſe veteres, ſic Aiax λινοθώρηξ, *lino thorace indutus.* Plinius libro 9 cap. 1. *Honos lino etiam Troiano bello. Cur enim non & præliis interſit, vt naufragiis? Thoracibus lineis paucos tamen pugnaſſe teſtis eſt Homerus.* Qui vſus poſtea frequentes, firmi autem erant in thoraces, quia filis pluribus funiculos ſtruebant, eóſque deinde nectebant, & conſerebant. Amaſis certè Rex Aegypti thoracem habuit, cuius ſingula fila trecentis filis conſtabant, vt

Tranſiit intextum auris opus, imáque a ſedit
Inguine: ſed vires haud pertulit: ocyus enſem
Æneas viſo Tyrrheni b ſanguine, lætus
Eripit à femore, & trepidanti feruidus inſtat.
Ingemuit chari grauiter genitoris amore,
Vt vidit Lauſus, lachrymæque per ora volutæ.
Hîc mortis duræ caſum, tuáque optima facta,
( Si qua fidem tanto eſt operi latura vetuſtas )
Non equidem nec te, c iuuenis memorande, ſilebo.
Ille pedem referens & inutilis, d inque ligatus,
Cedebat, clypeoque inimicum haſtile trahebat:
Proripuit iuuenis, e ſeſéque immiſcuit armis,
Iamque aſſurgentis dextræ, plagamque ferentis
Æneæ ſubijt mucronem, ipſumque morando
Suſtinuit: ſocij magno clamore ſequuntur,
Dum genitor nati parmâ protectus abiret:
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hoſtem f

*Mezentius ab Ænea vulneratur.*

*Lauſus patri ſuccurrit.*

*Mezentius à periculo liberatur.*

ſcribit Plinius loco citato. vide Lipſium lib. 4. de militia Rom. dialogo 6.

a Seruius hypallage *ima haſta, imo inguine.*

b Mezentij Regis Tyrrheniæ ſiue Hetruriæ.

c Non equidem, ô Iuuenis memorande, caſum mortis tuæ duræ & violentæ, quæ te in ætatis flore rapuit, non tua optima facta, pietatémque illam ſingularem, non te ipſum ſilebo, ſed æternam apud poſteros gloriam obtinebis, ſi qua vetuſtas, id eſt, poſteritas, creditura eſt tantum opus, quod tu perpetraſti. *Tanto autem operi*, inquit Seruius, nô de ſuis carminibus dicit, nec enim ſibi arrogat, ſed *tãto operi* id eſt pietati, & virtuti tuæ

d Inutilis ad pugnam, quippe vulneratus. *inque ligatus*, id eſt illigatus & impeditus vulnere, vel ideo ſe pugnæ ſubtrahebat, quia non erat ligatus, volebatque vulnus acceptum obligare vt ſanguis ſiſteretur.

e Lauſus. f Æneam.

*Miſsilibus. a Furit Æneas tectuſque tenet ſe,* Comparatio.
*b At velut effuſa ſi quando grandine nimbi*
*Præcipitant, omnis campis diffugit arator,*
*Omnis & agricola, & tuta latet arce viator,*
*Aut amnis ripis, aut alti fornice ſaxi,*
*Dum pluit in terris, vt poſsint ſole reducto* Aeneas
*Exercere diem: Sic obrutus vndique telis* vndique impetitus.
*Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem*
*Suſtinet, & Lauſum increpitat, Lauſoque minatur.*
*Quò moriture ruis? maioráque viribus audes?*
*Fallitne incautum pietas tua? c nec minùs ille* Admonet Lauſum vt deſiſtat.
*Exultat demens: ſæuæ iamque altiùs iræ*
*Dardanio ſurgunt ductori: extremáque Lauſo*
*Parcæ fila legunt. d validum namque exigit enſem* Non paret Lauſus.

a Furit quidem Æneas dolore quod ſibi Mezentius eſſet ereptus, nec plenam adeptus eſſet de tanto hoſte victoriam: non ideo tamen temerè periculo ſe exponit, ſed ſe protegit & tuetur aduerſus hoſtes vndique imminentes.

b Quemadmodum grandine ingruente, arator, agricola, viator, aut in domibus tuguriiſque latent, aut in exeſarum riparum receptaculis, aut in ſpeluncis naturali fornice cameratis: & ibi tamdiu latent, donec, reducta ſerenitate, poſſint incœptum agriculturæ & itineris opus abſoluere: ita Æneas ex omni parte telis obrutus, grandinis more depluentibus, omnem belli nubem, donec detonet, & deferueat, ſiue remittatur, ſuſtinet, & ſe clypeo tegit, remiſſo relaxatóque Tyrrhenorum vndique ingruentium impetu, poſſit diem exercere, & inchoatam pugnam abſoluere.

c Lauſus nihilo ſeciùs, quàm ſi nihil comminatus fuiſſet Aeneas, exultat & geſtit ob ſperatam de Aenea victoriam, & ita demens eſt, vt non cogitet de periculo ſuis ceruicibus imminente. Donatus, *demens, tractus errore dementiæ, dum metu Aeneam duci imprudenter exſtimat.*

d de Parcis hominum vitam & fata nentibus vide primum Æneid. verſu 25. Eædem homine moriente, dicuntur; vitæ

*Per medium Æneas iuuenem; totúmque recondita:*
*Tranſiit & parmam mucro, leuia arma* b *minacis,*
*Et tunicam, molli mater* c *quam neuerat auro:*
*Impleuitque ſinum ſanguis: tum vita per auras*
*Conceſſit mœſta* d *ad manes, corpuſque reliquit.*
*At verò vt vultum vidit morientis & ora,*
*Ora modis Anchiſiades pallentia miris,*
*Ingemuit miſerans grauiter, dextrámq; tetendit,* e
*Et mentem patriæ ſubiit pietatis* f *imago.*
*Quid tibi nunc, miſerande puer, prò laudibus* g *iſtis?*
*Quid pius Æneas tanta dabit indole* h *dignum?*
*Arma, quibus lætatus, habe tua:* i *téque parentum*
*Manibus,* k *& cineri (ſi qua eſt ea cura) remitto.*

*Aeneas ipſe ob eius mortem ingemiſcit.*

filum abſcindere vel abrumpere. Maluit Poëta dicere *fila legunt* quemadmodum flores leguntur, & vngue carpuntur, vt mortis ab Ænea illatæ facilitatem oſtenderet.

*a* Capulò tenus abdit enſem in corpus Lauſi.

*b* Indicat imprudentiam Lauſi, qui auſus fuerat Aeneam fortiſſimum heroem laceſſere, eíque minari, cùm tam leuibus armis vteretur.

*c* Matris opportunè facit mentionem, vt quaſi aliud agens lenem miſericordiæ motum adſpergat.

*d* Ideo dolens quòd vitam in flore ætatis amitteret.

*e* Vt ipſum vel labentem ſuſtineret, vel lapſum è terra ſubleuaret.

*f* In mentem reuocauit ſpeciem illius pietatis qua patrem ſuum Anchiſem extulerat è Troiano incendio, dolens ei ſe necem intuliſſe, qui ſimile patriæ pietatis ſpecimen exhibebat

g Seruius. *Quia & contra fortiorem & pro patris ſalute dimicare conatus eſt.* Laudibus, id eſt, virtutibus.

*h* Idem. *Indoles propriè imago quædam virtutis futuræ.*

*i* Idem *Moris enim fuerat, vt cum his rebus ſepelirentur, quas dilexerant viui.*

k Permitto vt maiorum tuorum ſepulchro inferaris. Manes

*Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem:*
*Aeneæ magni dextrâ cadis, increpat vltro*
*Cunctantes ſocios & terrâ ſubleuat ipſum*
*Sanguine turpantem comptos de more capillo.*
*Interea genitor, Tyberini ad fluminis vndam*
*Vulnera ſiccabat* [a] *Lymphis, corpúſque leuabat*
*Arboris acclinis trunco: procul ærea ramis*
*Dependet galea, & prato grauia arma quieſcunt;*
*Stant lecti circùm iuuenes: ipſe æger, anhelans*
*Colla fouet, fuſus propexam in pectore barbam,*
*Multa ſuper Lauſo rogitat, multóſque remittit,*
*Qui reuocent, mœſtique ferant mandata parentis.*
*At Lauſum ſocii exanimum ſuper arma* [b] *ferebant,*
*Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum,*
*Agnouit longè gemitum præſaga mali mens.*
*Caniciem immundo deformat puluere, & ambas*
*Ad cœlum tendit palmas, & corpore inhæret.* [c]
*Tantáne me tenuit viuendi nate voluptas!,*
*Vt pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ,*
*Quem genui? tuane hæc genitor per vulnera ſeruor*
*Morte tua viuens? heu! nunc miſero mihi demum*
*Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum.*
*Idem ego, nate, tuum maculaui crimine* [d] *nomen,*

*Mezentius vulnera lauat & ſiccat.*

*Ad eum cadauer Lauſi refertur.*

*Mezentii luctus.*

putabant in ſepulchris cum cineribus reſidere. vnde lib. 3.
——*Animámque ſepulchro Condimus.* ——
[a] Mezentius extergebat aquis cruorem é vulnere manantem in arboris truncum inclinatus.
[b] Impoſitum clypeo, vt ſuprà de Pallante.
[c] Toto corpore effuſus filij cadauer amplexatur:
[d] Vide librum 8. à verſu 483. ad 494.

*Sic curſum in medios rapidus dedit: æſtuat ingens*
*Imo in corde pudor* a, *miſtoque inſania luctu,*
*Et furiis agitatus amor, & conſcia virtus:*
*Atque hîc Æneam magna ter voce vocauit.*
*Æneas agnouit eum, lætúſque precatur:* **Aeneam vocat.**
*Sic pater ille Deûm faciat, ſic altus Apollo,*
*Incipias conferre manum.*
*Tantum effatus, & infeſtâ* b *ſubit obuius haſtâ.*
*Ille autem, Quid me erepto, ſæuiſſime, nato*
*Terres? hæc via ſola fuit, qua perdere poſſes,* **Ille accurrit.**
*Nec mortem horremus, nec Diuûm parcimus* c *vlli.*
*Deſine: iam venio moriturus, & hæc tibi porto*
*Dona prius: dixit, telúmque intorſit in hoſtem.*
*Inde aliud ſuper, atque aliud, figitque, volatque* **In eum tela iaculatur Mezentius.**
*Ingenti gyro* d *: ſed ſuſtinet aureus vmbo.*
*Ter circum adſtantem læuos* e *equitauit in orbes,*
*Tela manu iaciens: ter ſecum Troius heros*

a Donatus. *Duobus animi motibus æſtuabat: pudoris, quia inuenerat fortiorem, & cuius virtutem in vulneris atrocitate perpenſerat: & luctus, quia talem perdiderat filium.* Seruius legit *vno in corde.* & interpretatur *vno pro eodem.* Quem etiam amor Lauſi filij quaſi furijs quibuſdam ad vlciſcendam illius necem incitabat, accedebat propriæ virtutis conſcientia quæ ipſum magis & magis ſtimulabat.

b *In vulnus paratâ, & pretentâ.*

c Noſter de la Cerda. *Omnes Deos* accuſo, omnes mihi ex æquo hoſtes, nullum veneror, vt tu qui Iouem & Apollinem inuocaſti.

d Mezentius ita iaculatur, vt non in eodem loco maneat, ſed circumeat gyris ingentibus, vt ſit ab Aenea remotior, ne ſi minoribus flexibus circuiret auerſus poſſet ab Aenea vulnerari: ſed omnia tela in Aeneæ clypeo figuntur, nec vllum corpus attingit.

e Seruius. *In læuam partem ideo circuibat, vt Aeneæ dexteram*

*Immanem ærato circumfert a tegmine ſyluam.*
*Inde vbi tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet*
*Vellere, & vrgetur pugnâ congreſſus inquâ,* b
*Multa mouens animo iam tãdem erumpit, & inter*
*Bellatoris equi caua tempora conjicit haſtam.*
Equus Mezentii vulneratur. *Tollit ſe arrectum quadrupes* c, *& calcibus auras*
*Verberat, effuſúmque equitem ſuper ipſe ſecutus*
Præcipitatur Mezentius. *Implicat, eiectóque incumbit cernuus* d *armo:*
*Clamore incendunt cælum, Troéſque, Latinique.*
*Aduolat Æneas, vagináque eripit enſem,*
*Et ſuper hæc. Vbi nunc Mezentius acer, & illa*
*Effera vis animi? contrà Tyrrhenus, vt auras*
*Suſpiciens hauſit cælum, mentémque recepit.*
*Hoſtis amare, quid increpitas, mortémque minaris?*

*circumueniret, quæ vtique nuda erat.*

*a* Aeneas huc illuc ad ſingulos ictus ſe obuertit, clypeum æreum circumferens, aureiſque laminis & orbibus intextum, & tot ſpiculis transfigitur, vt quandam ſyluæ ſimilitudinem ræpreſentet. Statius 8. Thebaidos de Tydeo.

—— *Denſis iam conſitus haſtis Ferratum quatit vmbo nemus.*

*b* Pedes contra equitem pugnabat iniqua conditione.

*c* Cerdanus. Ad ſenſũ doloris ſe ſtatim equus attollit firmatque in pedes poſteriores arrectus totus: ac deinde ſubito mutata forma ſiſtit ſe in pedes anteriores, & *calcibus auras verberat*, & tum equitem effundit, incumbitque eiecto Mezentio cadens ipſe in armum pronus, & ſic implica, impeditque Mezentium, vt expedire ſe non poſſit.

*d* Turnebus lib. 18. cap. 9. ex Nonio cernuos interpretatur qui ſe in caput iaciant. *Cernui autem*, inquit, *cùm erecti ſunt, collum. cùm ſe in caput mittunt, tum caput habent deorſum miſſum.* Varro: *etiam pelles bubulas oleo perfuſas percurrebant ibi cernuabant*

e Vt primum reſpirauit Mezentius, & ad ſe rediit.

*Nullum in cæde nefas* a, *nec ſic ad prælia veni,*
*Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lauſus,* Orat pro ſepultura.
*Vnum hoc (per ſi qua eſt victis venia hoſtibus) oro:*
*Corpus humo patiare tegi: ſcio acerba meorum*
*Circunſtare odia* b: *hunc, oro, defende furorem:*
*Et me conſortem nati concede ſepulchro.* Occiditur.
*Hæc loquitur, iuguloque haud inſcius accipit* c *enſem:*
*Vndantique animam* d *diffundit in arma cruore.*

*a* Nihil eſt cauſſæ cur diutiùs cuncteris me occidere, nullum enim ſcelus admittes, nec ea conditione veni ad prælium vt victus mortem à me deprecarer.
*b* Probè compertum habeo me Tyrrhenis circunſtantibus, quibus olim imperaui, ſic odio eſſe, vt me cupiant obiici canibus laniandum, oro te id fieri prohibeas & me permittas cum Lauſo filio meo tumulari: permitte vt nato meo ſim conſors eiuſdem ſepulchri.
*c* Tanquam bonus gladiator, cùm mori iuberetur, non ceruicem contraxit aut colla ſubduxit, ſed ſciens & volens ferrum corpore recepit. vide Milonianam parag. 93. no .3. Sextianam paragr 90. nota 7.
*d* Animæ ſedem in ſanguine eſſe plerique veteres crediderunt quò nunc alludit Poëta

*FINIS.*

# PVBLII VIR. MARONIS ÆNEIDOS LIBER XI.

## MODESTINI IVRISCONSVLTI In vndecimum Æneidos librum.

### *ARGVMENTVM.*

Conſtituit Marti ſpoliorum ex hoſte trophæum,
Exanimúmque patri natum pallanta remittit.
Iura ſepulturæ tribuit, tempúſque Latinis.
Euander patrios affectus edit in vrbe.
Corpora cæſa virûm paſſim digeſta cremantur.
Legati referunt Diomedem arma negaſſe.
Drances & Turnus: leges aquante Latino,
Concurrunt dictis, Æneas imminet vrbi.
Pugnatur, vincunt Troës, cadit icta Camilla.
Deinde duces caſtris, donec ceſſere, minantur.

*OCeanum interea* a *ſurgens Aurora reliquit.*
*Æneas* b, *quamquam & ſociis dare tempus humandis*

a Superiorem librum finierat nece Mezentij. Quid ſecutum fuerit, non exponit: ſed vel tacente Poëta facilè poteſt intelligi Rutulos terga vertiſſe, Troianos fugientibus inſtitiſſe, & magna Rutulorum ſtrage edita, primis intendentibus ſe tenebris in caſtra rediiſſe, ſibi de victoria & Aeneæ reditu fuiſſe gratulatos, mortuos luxiſſe, curaſſe vulneratos, quieuiſſe, quæ dum gererentur intereà dies exortus eſt. Quòd autem dicitur Aurora Oceanum reliquiſſe: ideo dictum, quia ſol oriens ex oceani fluctibus videtur emergere: neque apparet hominibus intuentibus id interuallum, quod eſt inter Oceanum, & cælum.

b Commendatur Æneæ pietas, qui licet aliis grauibus curis

*Præcipitant* a *curæ, turbatáque funere* b *mens eſt.*
*Vota deum* c *primo victor ſoluebat Eoo* d.
*Ingentem quercum* e *deciſis vndique ramis*
*Conſtituit tumulo,* f *fulgentiaque induit arma,*
*Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum,* 5. Aeneas trophæũ de Mezentio.
*Bellipotens, aptat roranteis ſanguine criſtas,*
*Teláque trunca viri* g *& bis ſex thoraca petitum*
*Perfoſſúmve locis* h *clypeumque ex ære ſiniſtræ* 10.

vrgeretur, nihil tamen habuit religione, & voti, quod conceperat, ſolutione antiquius.

*a Vrgent*, inquit Seruius, *nullam enim dilationem ſepultura patitur*, ne cadauera tabeſcant & diffluant, ſi ſepultura differatur.

*b* Pallantis, cuius corpus erat magnifico funeris apparatu ad patrem deferendum, de funere & exequiis vide Milionanam, parag. 34. nota 8.

*c* Trophæum Marti erexit, quod ſe, ſi victor fuiſſet, erecturum eſſe concepto voto promiſerat.

*d* Primo auroræ naſcentis exortu, *ἠώς aurora.*

*e* Varia trophæorum genera fuerunt lapidea, ærea, aurea, lignea, armorum aceruus: frequentiſſimè tamen *quercum deciſis vndique ramis* ſtatuebant, eámque hoſtium exuuijs veſtiebãt: vnde Stilico apud Claudianum lib. in Rufinum priore, Marti trophæum vouens his verbis inducitur.

*Et Thracas defende tuos: ſi lætior adſit*
*Gloria, veſtitâ ſpoliis donabere quercu.*

Vide notas in Piſonianam parag. 92.

*f* In colle ſiue loco eminenti & in tumulum aggerato: ita Statius 2. Thebaidos trophæum Tydei.

*Aggere camporum medio,* collocauit.

*g* Appendit tela Mezentii non integra, ſed fracta & trunca de more, Statius 2. Thebaidos.

*—— Huic truncos ictibus enſes*
*Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.*

Vide Piſon. loco citato.

*h* Atqui duo tantùm Mezentio vulnera Æneas inflixerat, nec loricam vllo ictu perfoderat. Nam priore ictu haſta Aeneæ in imo Mezentii inguine conſedit, poſteriore Mezentius iu-

*Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum* a.
*Tum ſocios (namque omnis eum ſtipata tegebat*
*Turba ducum) ſic incipiens hortatur ouanteis* b:
*Maxima res effecta* c, *viris timor omnis abeſto.*
Ænea ad ſuos orat. e. *Quod ſupereſt: hæc ſunt ſpolia, & de rege ſuperbo*
*Primitiæ, manibuſque meis Mezentius* d *hic eſt.*
*Nunc iter ad regem nobis* e, *muroſque Latinos.*

gulo ferrum recepit, vt viſum eſt libro ſuperiore: quare obuiis vlnis Seruii ſubtilitatem amplector: Cùm duodecim eſſent Hetruriæ populi, quibus ſingulis præerant Lucomones ſiue Reguli quidam, à ſingulis Lucomonibus Mezentii mortui corpus fuiſſe totidem vulneribus appetitum: vt de Hectore tradit Homerus, de Tydeo poſt mortem etiam vulnerato, Statius 8. Thebaidos.

*a* Vel incluſum vaginá eburnea, vel capulo eburneo ornatum.

*b* Lætitia triumphantes ob reportatam victoriam.

*c* Occiſo Mezentio magna pars belli confecta eſt: reliqua non ſunt metuenda. Hæc ſpolia, quæ videtis affixa trophæo, ſunt primitiæ totius belli, quod in Regem ſuperbum ſuſcepimus: & Mezentius manibus meis peremptus hoc trophæo quaſi ad viuum expreſſus eſt, vides me nomine Regis ſuperbi non Mezentium, ſed ipſum Turnum capere, quantumuis alicui refragentur. Sed dici non poteſt offerri primitias de Mezentio. *Primitiæ enim ſunt quæ diis offeruntur de fructibus nouis, aut fœtibus gregum*, inquit Donatus, & primæ veluti libationes, cùm de toto numero aliquid primò decerpitur, quod diis offeratur, vt ipſum *primitiarum* nomen aliquid conſequens importet, at oblatis his primitiis nihil ſupererat de Mezentio quod offerri poſſet, quare dicendum eſt non oblatas fuiſſe primitias de Mezentio: ſed ipſius Mezentii ſpolia fuiſſe primitias de ſumma belli totius oblatas.

*d* Cerdanus noſter hæc verba MEZENTIVS HIC EST, inſcriptionem trophæi fuiſſe ſuſpicatur.

*e* Donatus. *Dixit geſta & agenda prænuntiat, nunc, inquit, nobis ad Regem* (vel Turnum vel Latinum) *dirigendum eſt iter, & ad ipſam ciuitatem* (Laurentum) *quæ refugium eſt inimici: hoc ſolùm ſupereſt, vt conficiatur plena victoria.*

*Arma parate animis : & ſpe præſumite* a *bellum,*
*Ne qua mora ignaros, vbi primum vellere* b *ſigna*
*Annuerint Superi, pubémque educere caſtris*
*Impediat, ſegneſque metu ſententia tardet.*
*Intereà, ſocios, inhumatáque corpora terræ*
*Mandemus, qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.*
*Ite, ait,* c *egregias animas, quæ ſanguine nobis*
*Hanc patriam peperêre ſuo,* d *decorate ſupremis*
*Muneribus : mœſtámque Euandri primus ad vrbem,* e
*Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem*
*Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo* f.
*Sic ait illacrymans, recipitque ad limina greſſum,*

*a* Seruius. *Bene* præſumite : *quaſi rem iam ſui iuris, vt ei deberi videatur certa victoria.* Iam hinc vos ad pugnam præparate, & bellum ante ſperate, ne cùm erunt auſpicato vellenda ſigna & iuuentus è caſtris in aciem educenda, tunc, quaſi inopinato & inexpectato caſu perculſi, ſitis ad pugnam tardiores. Pulchre Donatus, inquit, *propterea ante tempus dixi, ne vos meæ diſpoſitionis ignaros turbet repētina cōmotio, & opportunam faciendi celeritatem ex timore mora aliqua corrumpat, ne tunc cōſilia captetis, cùm vires requiruntur & facta.*

*b* Bene ſeruius. *Vellere propriè dixit, quia Romana ſigna figebantur in caſtris, & cùm ad bellum eundum fuiſſet, captatis auguriis auellebantur è terra, nam alibi ea figi non licebat.* Ideo dicit *Annuerint ſuperi* — vt indicet ſe inauſpicatò nihil eſſe geſturum, quod militum animos mirum in modum confirmat teſte Xenephonte in Hipparchico.

*c* Interea donec tempus obſidionis aduenerit, ſocios noſtros in pugna peremptos ſepulturæ mandemus.

*d* Iis iuſta faciamus, qui ſanguine & morte ſua nobis hanc patriam pepererunt : per quos Italiam, quaſi patriam poſſidemus.

*e* Pallantæum.

*f* Immatura morte oppreſſit, tranſlatio à fructibus qui acerbi

*Corpus vbi exanimi poſitum* a *Pallantis Acetes*
*Seruabat ſenior, qui Parrhaſio* b *Euandro*
Corpus Pallantis. *Armiger ante fuit: ſed non felicibus* c *æque*
*Tum comes* d *auſpiciis charo datus ibat alumno.*
*Circum omnis famulúmque* e *manus, Troianáque turba,*
*Et mæſtæ Iliades* f *crinem de more ſolutæ,* g
*Vt verò Æneas foribus ſeſe intulit altis,*
*Ingentem gemitum tunſis ad ſidera tollunt*
*Pectoribus: mæſtóque immugit regia luctu.*
*Ipſe caput niuei fultum Pallantis, & ora*
*Vt vidit, læuique* h *patens in pectore vulnus*
Luctus Aeneæ. *Cuſpidis, Auſoniæ lacrymis ita fatur obortis:*
*Téne, inquit, miſerande puer, cùm læta veniret,*

adhuc & atroces decutiuntur ex arboribus, priuſquam ad maturitatem peruenerint.

*a* De ritu collocandi cadaueris in veſtibulo, pedibus ad ianuam verſis 2. Aeneidos verſus 644. Propriè igitur dicit ad limina, quia in limine ſiue veſtibulo cadauera ſolebant collocari

*b* Arcadio, Seruius. *Arcadum genera fuerunt quatuor, Parrhaſiorum, Menaliorum, Azanorum, Cinethorum.*

*c* Felicibus auſpiciis hæſerat Euandro, qui ex omnibus bellis victor euaſerat, vt cum Regem Herilum interemit. lib. 8. verſ. 363. Infelicibus auſpiciis ſecutus eſt Pallantem qui primo tyrocinij die extinctus eſt.

*d* De more. dabantur enim comites, ſumpta virili toga: Perſius *Vnus ais comitum.* —— Vide librum 5. verſu 546.

*e* Famulorum.

*f* Troianæ ancillæ, nam matronæ in Sicilia remanſerant excepta Euryali matre 9. Aeneid. 217.

*g* Vel de more lugentium, vel de more gentis, vel quia luctibus erant aſſuetæ, tot interemptis per decennium.

*h* Pulchro vt 7. Aeneidos. *Per læuia pectora lapſus*, non hiſpido, ſed inſtar marmoris polito.

*Inuidit fortuna mihi, ne regna videres*
*Noſtra* a, *neque ad ſedes victor veherere* b *paternas:*
*Non hæc Euandro de te promiſſa parenti*
*Diſcedens dederam, cùm me complexus euntem*
*Mitteret in magnum imperiũ metuénſque moneret*
*Acres eſſe viros* c *cum durâ* d *prælia gente.*
*Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani,*
*Fors & vota facit, cumulátque altaria donis:*
*Nos juuenem exanimũ, & nil iam cæleſtibus vllis*
*Debentem* f, *vano* g *mæſti comitamur honore.*
*Infelix nati funus crudele videbis.*
*Hi noſtri reditus, expectatique triumphi:*
*Hæc mea magna fides* h. *at non Euandre pudendis*

a Quæ mihi victori deferentur.
b Videtur ad triumphi morem alludere. lib. 8.
*At Cæſar triplici inuectus Romana triumpho Mœnia* ——
c Rutulos viros eſſe fortes & generoſos.
d Forti vt alibi. —— *Prædurum viribus Orſen.*
Sic Horatius —— *Aſperum Tactu leonem.* ——
Homerus frequenter χεῖρας ἀάπτους *aſperas tactu, ſiue duras manus appellat.*
e Nunc Euander ſpe vana deceptus & illuſus fortaſſe vota facit pro incolumitate filij ſui Pallantis, & victimas imponit altaribus.
f Qui iam tranſiit in poteſtatem Deorum inferorum, ac proinde nihil ampliùs debet Dijs cæleſtibus, quibus reddidit ſpiritum & vitam quam ab ijs acceperat. Neque ampliùs eſt ſuperis ſubditus aut obnoxius.
g Quem mortui ſentire non poſſunt.
h Hoccine tandem eſt quod de reditu Pallantis Euandro parti promiſeram?
i Non videbis filium tuum auerſis ſiue in dorſo acceptis vulneribus necatum, quæ ille non reſiſtens, ſed fugiens acceperit

*Vulneribus pulſum aſpicies: nec ſoſpite* a *dirum*
*Optabis nato funus pater. hei mihi! quantum*
*Præſidium Auſonia, & quantum tu perdis Iule!*
Pompa funeris Pallantis.
*Hæc vbi defleuit, tolli miſerabile* b *corpus*
*Imperat: & toto lectos ex agmine* c *mittit*
*Mille viros, qui ſupremum* d *comitentur honorem:*
*Interſintque patris lacrymis, ſolatia luctûs*
*Exigua ingentis, miſero ſed debita patri.*
Cadauer Pallantis.
*Haud ſegnes alij crates,* e *& molle pheretrum*
*Arbuteis texunt virgis, & vimine querno:*
*Extructoſque toros obtentu* f *frondis inumbrant.*
*Hîc iuuenem* g *agreſti ſublimem in ſtramine ponunt*
*Qualem virgineo demeſſum pollice florem,*
*Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi,*

a Nec filio tuo ſoſpite & per turpem ignominioſáque fugam elapſo, optabis illi & imprecaberis mortem diram: vel etiam tibi ipſi, quod parentes facere ſolent propter nequitiam liberorum.

b Cadauer Pallantis, cuius aſpectus miſericordiam & lacrymas intuentibus commouebat.

c Troianorum, Arcadum, Hetruſcorum.

d Qui funus exequantur, ſiue erant exequias, qui honor ſupremus eſt, quia poſt eum nullus ſupereſt mortuis deferendus. Hic comitatus *pompa funeris* dicebatur, de qua vide notas in Milonianam parag. 34. & parag. 87.

e Pheretrum: ſiue capulus è cratibus quernis contexitur, molle pheretrum appellat, vel molli fronde conſtratum, vel è lęto flexibilique vimine contextum. Dicitur φέρετρον ἀπὸ τοῦ φέρω *à ferendo*. capulus *à capiendo*, quod hominem capiat ſiue contineat.

f *Veluti cameram quandam capulo ramorum extenſione fecerunt.* Seruius

g Pallantis cadauer recens adhuc & retinens priſtinam ſuam pulchritudinem ſubſtratis frondibus imponitur, quemadmo-

*Cui neque fulgor adhuc: nec dũ ſua forma receſſit:*
*Non iam mater alit tellus, viréſque miniſtrat.*
*Tum geminas veſtes oſtroque auroque rigentes*
*Extulit* a *Æneas, quas illi læta laborum*
*Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido*
*Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.*
*Harum vnam* b *iuueni ſupremum mæſtus honorem*
*Induit, arſuráſque* c *comas obnubit* d *amictu:*
*Multáque præterea Laurentis* e *præmia pugnæ*

dum ſuper illas frondes poneretur flos violæ puellæ manu deceptus, aut hyacinthi, qui cùm demeſſus fuerit, iam incipit quidem langueſcere, nondum tamen fulgorem & natiuam ſuam pulchritudinem amiſit, ſed breui amiſſurus eſt, quia iam ſuccum terræ, è qua productus eſt, non trahit ſuis radicibus, nec ampliùs illo vitali ſucco nutritur & roboratur.

*a* Aeneas è ciſta depromſit & domo extulit duas veſtes preçioſiſſimas ſiue materiam ſpectes, ſiue artem, ſiue artificẽ. Nã materia fuit lana purpurea filis aureis intexta tã frequẽtibus vt præ metalli rigentis copia ſtarent erectæ & ſeipſas ſuſtinerent: ea porrò arte contextæ fuerant, vt fila purpurea, filis aureis eſſent diſcreta & diſcriminata. Artifex fuit non quæuis muliercula de plebe, ſed ipſa Dido Regina, quæ magnam delectationem ex opere ſuo capiebat, tũ quod amabat Aeneam cui texebat illas veſtes, tum quòd videbat opus illud eſſe perfectum omnibuſque numeris abſolutum, reſpondens ideæ quam mente conceperat.

*b* Harum duarum veſtium altera Pallantem induit, altera comas obuelabit: *Nam ſuprà duas veſtes ait eſſe prolatas*, inquit Seruius.

*c* Quas Aeneas arſura putabat more Troiano: cùm reuera fuerit humatus & tumulatus. Nam eius oſſa multis poſt ſeculis Romæ reperta fuiſſe prodiderunt, vt diximus 9. Aeneid. Seruius. *Velauit tranſlatio à nubibus, quibus tegitur cælum, vnde nuptiæ dicuntur quòd nubent ium capita obnubantur, id eſt velentur.*

*d* Contra Laurentinos & Rutulos initæ.

*Aggerat: & longo a prædam iubet ordine duci.*
*Addit equos, & tela quibus ſpoliauerat hoſtem,*
*Vinxerat & poſt terga manus* b, *quos mitteret vmbris*
*Inferias, cæſô ſparſuros ſanguine flammas.*
*Indutóſque jubet truncos hoſtilibus armis*
*Ipſos ferre duces* c *: inimicáque nomina* d *figi.*
*Ducitur* e *infælix æuo confectus Acetes,*
*Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora.*
*Sternitur & toto projectus* f *corpore terræ.*
*Ducunt & Rutulo perfuſos ſanguine currus.*

*Tropæa cadaueri prælata.*

*a* Ad maiorem pompam, & oſtentationem multitudinis ſpecioſiorem, quàm ſi confertim & tumultuariè præda ferretur.

*b* Iis etiam manus poſt terga religarat, quos ſtatuerat Pallantis manibus immolare, vt cæſi & ad buſtum mactati ſanguine ſuo rogum reſpergerent, octo autem fuerunt illi captiui buſto Pallantis deſtinati, de quibus libro ſuperiore verſu 517.

*c* Iubet Aeneas vt duces eorum mille, qui Pallantis funus proſequebantur, ferant truncos arborum indutos armis hoſtilibus, vel iubet Aeneas vt ſocij Troianique ferant truncos indutos armis hoſtilibus, qui trunci ducum à Pallante cæſorum ſpeciem exhibebant. Hi porrò trunci fuerunt trophæa.

*d* Iuſſit Aeneas vt in illis truncis ſiue trophæis tituli quidam nominibus hoſtium deuictorum inſcripti figerentur.

*e* Ad exprimendam doloris magnitudinem ſcribitur facta rerum mutatio, vt pulcherrimè Seruius aduertit. Nam & Acetes, quaſi præ dolore humanos ſenſus abiecerit, ducitur cùm ire debeat, & equus quaſi humano ſenſu præditus ſponte incedit & dominum lugens mortuum lacrymas grandibus guttis per ora diffluentes vbertim effundit.

*f* In terra toto corpore volutatur, quod facere ſolent lugentes: ſic Priamus Hectorem peremptum lugens κυλινδόμενος κατὰ κόπρον, *in ſimeto volutatus*. Iliade poſtrema deſcribitur.

*Poſt bellator equus, poſitis inſignibus* a, *Æthon* b
*It lacrymans, guttiſque humectat grandibus ora.*
*Haſtam alij, galeamque ferunt; nam cætera Turnus*
*Victor habet, tum mœſta phalanx, Teucrique ſequuntur,*
*Tyrrhenique duces, & verſis* c *Arcades armis.*
*Poſtquam omnis longè comitum proceſſerat ordo,*
*Subſtitit Æneas, gemitúque hæc addidit alto:*
*Nos alias hinc ad lacrymas, eadem horrida belli*
*Fata vocant* d*: Salue æternum mihi maxime Palla,*
*Æternúmque vale;* e *nec plura effatus, ad altos*

a Depoſitis phaleris & tapetibus quibus inſterni conſueuerat. Detonſis etiam iubis, vt videtur, id enim moris fuiſſe vt equorum iubæ in luctu raderentur, patet ex funere Hepheſtionis apud Plutarchum in Alexandro.

b Equus Pallantis dictus *αἴθων ardens* vel quaſi *ἀειθέων ſemper currens.*

c De more funerum. *Quoniam antiqui noſtri*, inquit Seruius, *contraria omnia in funere faciebant, ſcuta etiam inuertentes*, &c. Statius 6. Theb. in funere Archemori.

*Tum ſeptem numero turmæ: centenus vbique*
*Surgit eques, verſis ducunt inſignibus ipſi*
*Grainginae Reges.*

Hunc locum profert Cerdanus, laudatque Tacitum lib. 3. de funere Germanici, & Pedonem Albinouanum conſolatione ad Liuiam, de faſcibus inuerſis.

d Belli fata, quæ nobis Pallantem abſtulerunt, nos vocant ad alias lacrymas, & ad funus aliorum qui eodem bello ſunt interempti.

e Varro in libris logiſtoricis à Seruio laudatus ſcribit *idcirco mortuis* VALE *&* SALVE dici, *non quod aut valere aut ſalui eſſe poſſint, ſed quòd ab his recedimus eos nunquam viſuri. Catullus in inferiis fratris.*

*Túque in perpetuum frater aue, atque vale.*

*Tendebat muros* a, *greſſumque in caſtra ferebat.*
*Iamque oratores aderant ex vrbe Latina,*
*Velati ramis oleæ* b, *veniamque rogantes:*
*Corpora per campos ferro quæ fuſa iacebant,*
*Redderet,* c *ac tumulo ſineret ſuccedere terræ:*
*Nullum cum victis certamen, & æthere caſsis.*
*Parceret hoſpitibus* d *quondam, ſoceriſque vocatis,*
*Quos bonus Æneas, haud aſpernanda* e *precanteis*
*Proſequitur venia, & verbis hæc inſuper addit.*
*Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,*
*Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?*
*Pacémne exanimis, & Martis ſorte peremptis*
*Oratis? equidem & viuis concedere vellem.*
*Nec veni, niſi fata locum ſedémque dediſſent:*
*Nec bellum cum gente gero, Rex* f *noſtra reliquit*
*Hoſpitia, & Turni potiùs ſe credidit armis,*

Oratores Latini petunt ab Aenea ſepulturam ſuorum.

Eam concedit

*a* Aeneas iam quidem in vrbem redierat ad ſuos, vt conſtat è verſu 37. & ſequentibus (vbi enim illa regia niſi in vrbe? vbi fores altæ quibus ſe intulit? vnde depromiſit veſtas pretioſas?) ſed pompam funeris comitatus eſt, ſubſtititque poſtquam ille ordo longè proceſſerat, Pallantem extremum ſalutauit, & in vrbem reuertens Oratores Latinos inuenit.

*b* De more ſupplicum: vide lib. 7. verſu 254. & 257. lib. 8. verſu 116. & 128. *vrb.* porro *Latina* fuit Laurentum, ſiue Lauro lauiuium.

*c* Seruius. *Oſtendit iam campos in Troianorum eſſe poteſtate* Iuſtinus lib. 6. de Archidamo. *Per præconem corpora interfectorum ad ſepulturam poſcit? hoc enim ſignum fuit apud Græcos victoriæ traditæ.*

*d* Videns Æneas ea, quæ petebantur, non eſſe aſpernanda, veniam legatis concedit.

*e* Non ego, ſed Latinus cauſſa eſt belli quod inter nos exarſit: ille enim deſciuit à fœdere quod mecum pepigerat, cùm me & hoſpitem vocauit, & vltro affinitatem obtulit, promiſsa mihi Lauinia.

*Æquius huic* a *Turnum fuerat ſe opponere morti,*
*Si bellum finire manu, ſi pellere Teucros*
*Apparat, his decuit mecum concurrere telis.* *Prouocat Turnum ſingulari certamine.*
*Vixet* b, *cui vitam Deus, aut ſua dextra dediſſet.*
*Nunc ite, & miſeris* c *ſupponite* d *ciuibus ignem.*
*Dixerat Æneas: olli obſtupuere* e *ſilentes:*
*Conuerſique oculis inter ſe atque ora tenebant.*
*Tum ſenior, ſempérque odiis & crimine* f *Drances*
*Infenſus iuueni Turno, ſic ore viciſſim*
*Orſa* g *refert: O fama ingens, ingentior armis,*
*Vir Troiane, quibus cælo te laudibus æquem?*
*Iuſtitiane* h *priùs mirer, belline laborum?*
*Nos verò hæc* i *patriam grati referemus ad vrbem:*

*a* Æquius erat & magis rationi conſentaneum, vt Turnus mecum deſcenderet in ſingulare certamen, & illi morti ſe opponeret, quam iſti ciues veſtris, Turno fugiente, ſubierunt.

*b* Viuus euaſiſſet è pugna.

*c* Qui innocentes in acie ceciderunt. miſer enim & de mortuo dicitur, & de innocente. de mortuo in Liguriana paragr. 9. nota 6 de innocente 2. Philipp. §. 83. nota 6.

*d* Subiectis ignibus pyras accendite, in quarum faſtigio mortuorum corpora pheretris incluſa ſolent collocari.

*e* His auditis legati ſe mutuò reſpectabant admirantes Æneæ æquitatem.

*f* Drances infenſus Turno odiis & inimicitiis, quas aſſiduis altercationibus & criminationibus augebat, & ſubinde quaſi quodam flabello ventilabat.

*g* Seruata ſermonis vice, arrepta temporis occaſione, quæ grauaret Turnum, quæ orſus fuerat Æneas. de Turno perſecutus eſt Drances, & noua inuidia cumulauit.

*h* Græcorum more: θαυμάζωσι τὸ δικαιοσύνης *miror te iuſtitiæ*, id eſt, ἕνεκα τὸ δικαιοσύνης, *iuſtitiæ cauſa.*

*i* Donatus. *Quæ locutus es, vel quæ beneuolus præſtitiſti, grati referemus ad noſtros, atq; operã dabimus vt ſuperioris erroris no-*

*Et te, ſi qua viam dederit fortuna, Latino*
*Iungemus regi, quærat ſibi fœdera Turnus.*
*Quin & fatales* a *murorum attollere moles,*
*Saxaque ſubuectare humeris Troiana iuuabit.*
*Dixerat hæc: vnoque omnes eadem ore fremebant.*
*Bis ſenos pepigere dies,* b *& pace ſequeſtra* c
Induciæ *Per ſyluas Teucri, miſtique impunè Latini,*
*Errauere iugis, ferro ſonat alta bipenni* d
*Fraxinus: euertunt actas ad ſidera* e *pinus.*
*Robora* f *nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum,*
*Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus* g *ornos.*
*Et iam fama volans tanti prænuntia luctûs*
*Euandrum, Euandrique domos, & mœnia complet,*
*Quæ modò victorem Latio Pallanta ferebat.*

*ſtri culpâ ſubmota redeat Rex Latinus in concordiam tuam: ſitque arctiſſimè tibi firma religione coniunctus. Turnus verò ſi matrimonio iungi vult, aliud ſibi quæret*, quàm coniugium Lauiniæ.

*a* Tam parati erimus ad obſequium tuum vt muros tibi fataliter deſtinatos noſtris manibus excitaturi ſimus, ipſóſque lapides cum magna voluptate noſtris humeris portaturi ad vrbem Troianis extruendam.

*b* Aeneas & legati Latinorum pacti ſunt inducias in dies duodecim. Quas inducias tam religioſe pars vtraque ſeruauit, vt pace intermedia, ſine vllo periculo Troiani Latinis mixti paſſim errauerint, materiam ſecturi mortuorum rogis.

*c* Sequeſter, vt aiunt Iuriſconſulti, eſt is apud quem plures deponũt rem eandem, de qua controuerſia eſt, ſic dictus quòd pars vtraque eius fidem ſequatur. Explicat. Germanus *pacem ſequeſtram*, intermediam, intercedentem, προξενοῦσαν, μεσεγγυωμένην.

*d* Securis ferrea duas acies & veluti duas alas habens, vtrimque ſecans ἀμφήκης ἀμφιτόμος.

*e* Tam altas vt cœlo verticem miſcere videantur.

*f* Species eſt quercus.

*g* Sub onere gementibus.

*a* Donatus

*Arcades ad portas ruere* : a *& de more* b *vetuſto* Corpus Pallantis excipitur ab Arcadibus.
*Funereas* c *rapuere faces, lucet via longo*
*Ordine flammarum, & latè diſcriminat* d *agros.*
*Contrà turba Phyrgum veniens plangentia iungit*
*Agmina : quæ poſtquam matres ſuccedere tectis*
*Viderunt, mæſtam incendunt clamoribus vrbem.*
*At non Euandrum potis eſt vis vlla tenere :*
*Sed venit in medios, pheretro* e *Pallanta repoſto*
*Procumbit ſuper, atque hæret lacrymánſque, geménſque :*
*Et via vix* f *tandem voci laxata dolore eſt.*
*Non hæc,* g *ô Palla, dederas promiſſa parenti,*

*a* Donatus. *Feſtinabant commoti inſperato malo, vt irent obuiam funeri, nec ambulare iam, ſed in morem ruentium congeri videbantura ad portas.*

*b* Seruius. Danielis *Quia antea per noctem cadauera proferebantur cum faculis.*

*c* Idem. *Apud Romanos moris fuit vt noctu efferrentur ad funalia, vnde etiam funus dictum eſt : quia in religioſa ciuitate cauebant, ne aut magiſtratibus occurrerent, aut ſacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari. Inde etiam qui funeri praerant à veſpere primùm veſperones, deinde veſpillones dicti videntur*, & quibuſdam interiectis. *Alii ſicut Varro & Valerius Flaccus dicunt, ſi filius familias extra vrbem deceſſit liberi amicique obuiam procedunt, & ſub noctem in vrbem infertur in Cereris, facibus quoniam prælucentibus* ( legitur in *cereris*, fortaſſe legendum ) *cum cereis facibus per viam prælucentibus, ad cuius exequias nemo rogabatur.* Seneca ep. 112. *Quantulum enim à funere abſunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cercos viuunt.*

*d* Via flammis collucens ponit diſcrimen inter agros, eóſque ſeparat quodammodo.

*e* Cùm ij qui ferebant pheretrum conſtitiſſent, & illud depoſuiſſent, Euander procubuit ſuper Pallantem.

*f* Vix tandem præ nimio dolore hæc verba potuit eluctari.

*g* Non hoc, ô Palla, mihi pollicitus fueras, cum ad bellum

Euandri lamentatio.

*Cautiùs vt ſæuo vellet te credere Marti.*
*Haud ignarus eram, quantùm noua gloria in armis,*
*Et prædulce decus primo certamine poſſet.*
*Primitiæ iuuenis miſeræ,* a *bellique propinqui*
*Dura rudimenta, & nulli exaudita deorum*
*Vota, preceſque meæ: túque* b *ô ſanctiſſima coniux,*
*Felix morte tua, neque in hunc ſeruata dolorem.*
*Contrà ego viuendo vici mea fata, ſuperſtes*
*Reſtarem vt genitor: Troum* c *ſocia arma ſecutum*
*Obruerent Rutuli telis, animam ipſe dediſſem:*
*Atque hæc pompa* d *domum me, non Pallanta referret.*
*Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera nec quas*
*Iunximus hoſpitio dextras: ſors iſta ſenectæ*
*Debita erat noſtræ, quòd ſi immatura manebat*
*Mors natum, cæſis Volſcorum millibus antè*
*Ducentem in Latium Teucros cecidiſſe iuuabit.*
*Quin ego non alio digner te funere, Palla,*
*Quàm pius Æneas, & quam magni Phryges, & quam.*

profectus es, ſed promiſeras, fore, vt in adeundis periculis maiorem adhiberes cautionem, ne temerè te tam ſæui belli caſibus dubiis exponeres.

*a* O miſeras belli primitias ad quas iuuenis Pallas miſſus eſt! ô miſerum tyrocinium belli, quod cum Latinis Rutuliſque vicinis & finitimis populis gerebatur!

*b* O te felicem, coniux mea caſtiſſima, quæ priùs ſupremum vitæ diem obiiſti, quàm tantum haurires animo dolorem, filiúmque tuum immatura & acerba morte videres extinctum.

*c* Debueram ego potiùs ad bellum proficiſci, vt me Troianis auxiliantem Rutuli occiderent, quam filium meum Pallantē mittere in tam apertum periculum.

*d* Funeris traductio, vide Milon. parag. 34. n. 8.

*Tyrrheniquè duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.*
*Magna trophæa a ferunt, quos dat tua dextera letho.*
*Tu quoque nunc ſtares immanis truncus in armis,*
*Eſſet par ætas, & idem ſi robur ab annis,*
*Turne: ſed infelix Teucros quid demoror armis?*
*Vadite, & hæc memores regi b mandata referte:*
*Quòd vitam moror inuiſam, Pallante perempto,*
*Dextera cauſſa tua eſt, c Turnum natóque, patrique*
*Quam debere vides; meritis d vacat hîc tibi ſolus,*
*Fortunæque locus: non vitæ gaudia e quæro:*
*Nec fas: ſed nato manes perferre ſub imos.*
*Aurora intereà miſeris mortalibus almam*

a Truncos indutos armis hoſtilibus ſiue trophæa ferunt erectæ de magnis viris, qui tua manu pugnando ſunt interempti. De te quoque, ô Turne, trophæum erectum fuiſſet, niſi tu illum ætate, & corporis robore, propter ætatem ſuperaſſes: nam eum animi fortitudine haud quaquam ſuperabas.

b Aeneæ.

c Societas, quam dextrarum coniunctione inter nos contraximus, ô Aenea, cauſſa eſt huius meæ orbitatis, ac proinde tua illa dextera, quæ mihi calamilitatis cauſa fuit, debet Turnum occidere, & eius ſanguine tum dolorem meum explere, tum filij mei manes & cineres expiare.

d Donatus. *Reddendæ viciſſitudinis locum ſolum iſtum fortuna, tibi ſeruauit*, vel potius, vt explicat noſter Cerda, hic ſolus relictus eſt tibi ad merita tua in me augenda, & ad fortunam meam vna hac ratione potens bene de me mereri & aliqua me felicitate cumulare, ſi Turnum occideris.

e Neque enim delectatione lucis iſtius viuo neque fas eſt ſupereſſe orbatum tali filio patrem, ſed ea mihi vnica cauſſa eſt vitæ prorogandæ, quod ante quàm moriar expecto dum ſciã ſumptam eſſe de Turno vltionem; vt nuntius ad inferos pergam & Pallanti referam optatam de hoſte ſumptam eſſe vindictam.

Extulerat lucem referens opera atque labores.
*Inhumatio mortuorum.* Iam pater Æneas, iam curuo in littore Tarchon
Conſtituêre pyras a huc corpora quiſque ſuorum
More tulêre patrum, ſubiectíſque ignibus atris b
*Equitum circa rogos decurſio.* Conditur in tenebras c altum caligine cælum.
Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos, ter mæſtum funeris ignem
Luſtrauêre in equis, vlulatúſque ore dedêre.
*Vlulatus Turbæ.* Spargitur & tellus lacrymis, ſparguntur & arma.
It cælo clamórque virûm, clangórque tubarum. d
*Arma rogis iniecta.* Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, enſéſque decoros,
*victimæ Morti immolata.* Frenáque, feruentéſque e rotas: pars munera nota f
Ipſorum clypeos, & non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti: g
Setigeróſque ſues, raptáſque ex omnibus agris

a Seruius. *Pyra eſt lignorum congeries, Rogus cùm iam ardere cœperit? dicitur, Buſtum, cùm iam exuſtum vocatur. quem ordinem ſeruat Poëta, dicens.*

*Conſtituêre pyras.* ——
*Decurrêre rogos.* ——
*Semiuſtáque ſeruant Buſta.* ——

b Vel atrum fumum voluentibus, vel funebribus & luctuoſis.
c Aër fumi obſcuritate completur.
d Seruius. *Antè enim mortui ad tubam deducebantur.* Perſius.

*Hinc tuba, candelæ.*

Propertius lib. 4 eleg. vltima.

*Sic mæſtæ cecinêre tubæ, cùm ſubdita noſtrum*
*Detraheret lecto, fax inimica caput.*

e Quæ incitatione & curſu incaleſcunt. Horatius:

*Metaque feruidis Euitata rotis.*

f Quibus ſe defendere nequiuerunt.
g Deæ Morti multi boues immolantur.

*In flammam iugulant pecudes: tum littore toto*
*Ardentes ſpectant ſocios, ſemiuſtáque ſeruant* a
*Buſta, nec auelli poſſunt, nox humida donec*
*Inuertit cælum* b *ſtellis fulgentibus aptum* c.
*Nec minus & miſeri diuerſa in parte Latini*
*Innumeras ſtruxere pyras, & corpora partim*
*Multa virûm terræ infodiunt: auectáque partim*
*Finitimos tollunt in agros, vrbique* d *remittunt:*
*Cætera, confuſæque ingentem cædis aceruum,*
*Nec numero, nec honore cremant: tunc vndique vaſti*
*Certatim crebris collucent ignibus agri.*
*Tertia lux* e *gelidam cælo dimouerat vmbram:*
*Mœrentes altum cinerem, & confuſa* f *ruebant*
*Oſſa focis: tepidóque onerabant aggere terræ.*
*Iam vero in tectis prædiuitis vrbe Latini*
*Præcipuus fragor, & longè pars maxima luctus*

Latini ſuos ſepeliunt.

a Adſident ad buſta ſociorum.
b Sic lib. 2. *Vertitur interea cælum*, & ſanè diei noctiſque viciſſitudo naſcitur ex cœli conuerſione.
c Coniunctum, compactum, & ſtellis quaſi clauis diſtinctũ.
d Vel remittunt ad vrbem Laurentum, vel ad vnamquamque vrbem, vt in ſua quiſque vrbe ſepeliatur.
e *Mos enim erat*; inquit Seruius, *tertia die oſſa crematorum legi.*
f Quia ingens confuſæ cædis, id eſt confuſorum cadauerum aceruus, fuerat concrematus; vel quia pecudes & boues in flammam iugularant, ideo *confuſa oſſa*. Totius autem loci hæc eſt ſententia. Mœrentes eruebant aceruos cineris, qui propter innumeras illas pyras erat altus & valde copioſus & ex erutis illis aceruis oſſa ſeparabant: eaque terræ aggeribus tumulabant, qui aggeres erant adhuc tepidi, quia tanta vis incendii fuerat, vt etiam exemptum triduum non poſſet excludere.

Luctus in domo Latini.

*Hîc matres, a miſeræque nurus, hîc chara b ſororũ*
*Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi*
*Dirum execrantur bellum, Turnique hymenæos:* c
*Ipſum armis, ipſumque iubent decernere ferro,*
*Qui regnum Italiæ, & primos ſibi poſcat honores:*

Latinorum diſſenſio.

*Ingrauat hæc ſæuus Drances, ſolumque vocari*
*Teſtatur,* d *ſolum poſci in certamina Turnum.*
*Multa ſimul contrà variis ſententia dictis*
*Pro Turno, & magnum Reginæ nomen obumbrat,* e
*Multa virum meritis ſuſtentat fama trophæis.*

Legati redeunt à Diomede.

*Hos inter motus* f *medio flagrante tumultu,*
*Ecce ſuper mœſti magna Diomedis ab vrbe*
*Legati reſponſa ferunt: nihil omnibus actum*
*Tantorum impenſis operum: nil dona, nec aurum,*
*Nec magnas valuiſſe preces: alia arma Latinis*
*Quærenda: aut pacem Troiano ab rege petendam.*

a Matres filiorum, nurus maritorum, ſorores fratrum, pueri parentum mortem lugebant.

b Sorores, quæ fratres ſuos ſibi chariſſimos toto pectore deſiderabant, pectúſque plangebant, ſic 1. Æneidos.

*Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.*

Id eſt omnis Æneæ cura in charo Aſcanio, quem toto pectore deſiderabat, defixa eſt.

c Nuptias, quas Turnus cum Lauinia contrahere cupiebat, quarum nuptiarum cauſſa bellum illud exarſerat.

d Teſtatur ſolum Turnum ab Ænea prouocari ad ſingulare certamen ſupra verſũ 115.

e Quemadmodum viatores patulis arborum ramis obumbrantur, vt æſtum feruorémque ſolis vitent, ita Turnus Amatæ Reginæ nomine & auctoritate contra flagrantem inuidiam ſe tuetur, vel vt pulli ſub vmbra & alis matrum ſuarũ, ita Turnus Amatæ auctoritate ſe tuetur, & rerũ geſtarum famâ, trophæis & meritis ſuſtentatur, ne inuidiæ ſuccumbat.

f Cùm tumultus his altercationibus & animorum commo-

*Deficit ingenti luctu rex ipſe Latinus.*
*Fatalem Æneam manifeſto numine ferri*
*Admonet ira deûm, tumulique* a *ante ora recentes.*
*Ergo concilium magnum, primóſque ſuorum*
*Imperio accitos* b *alta intra limina cogit.* Senatus.
*Olli conuenêre, fluuntque ad regia plenis*
*Tecta viis, ſedet in mediis & maximus æuo*
*Et primus ſceptris* c *haud læta fronte Latinus:*
*Atque hîc legatos Ætola ex vrbe remiſſos,*
*Quæ referant, fari iubet, & reſponſa repoſcit* d
*Ordine cuncta ſuo, tunc facta ſilentia linguis.*
*Et Venulus dicto parens, ita farier infit:* e

tionibus, vt quidam ignis motu & iactatione flagraret, acceſſit inſuper alia augendi illius incendii cauſſa. Nam Venulus & alij, qui legati fuerant vt auxilium peterent à Diomede, ex Arpis ſiue Argyripa redierunt, & retulerunt ſe omnem operam & impenſas itineris perdidiſſe, fruſtra ſe aurum & alia dona obtuliſſe, fruſtra ſupplicaſſe Diomedi, nihil impetratum ex iis quæ rogabantur, ac proinde quærendum eſſe aliud auxilium, vel pacem ab Ænea petendam.

*a* Sepulchra eorum qui ſuperiore pugna fuerunt interfecti, in conſpectu & oculis omnium poſita.

*b* Iuſſu ſuo euocatos.

*c* Vel primus dignitate inter omnes reges, qui ex diuerſis ciuitatibus conuenerant, vt Turnus, Meſſapus, alii. Vel primus ſceptris inter Senatores qui etiam. σκηπτοῦχοι βασιλῆες, *Sceptriferi Reges.* —— ab Homero nominantur. Vide Piſonianam parag. 23. nota 5.

*d* Signatè *repoſcit*, quia iam ipſe priuatim, regio more, reſponſa legatorum audiuerat.

*e* Ita dicere incipit. vel enim *infit*, idem eſt atque *incipit*, Plautus Aulularia *Infit ibi poſtulare*. Lucretius lib. 3. —— *Quicunque adoretur & infit*, vel *eſt infit*, idem quod, *inquit*. quaſi dicat *inquit fari*, more Xenophontis in œconomico.

*Vidimus* a *ô ciues Diomedem, Argiuaque caſtra:*
**Venulus refert Legationem** *Atque iter emenſi caſus ſuperauimus omneis:*
*Contigimúſque manum* b *qua concidit Ilia tellus.*
*Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gentis*
**Diomedes Argyripa.** *Victor* d *Gargani* e *condebat Iapygis agris.*
*Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,*
*Munera præferimus, nomen, patriamque docemus:*
*Qui bellum intulerint, quæ cauſſa attraxerit Arpos.*
*Auditis ille hæc placido ſic reddidit ore.*
*O fortunatæ gentes, Saturnia* f *regna,*
*Antiqui Auſonij,* g *quæ vos fortuna quietos*
*Sollicitat,* h *ſuadétque ignota laceſſere* i *bella?*

*a* Cum admiratione ſpectauimus, & diligenter omnia conſiderauimus.

*b* Dexteram Diomedis, cuius potiſſimum virtute Troiana ciuitas exciſa eſt.

*c* Cùm ad Diomedem acceſſimus, ille condebat vrbem quam primò ἄργος ἵππιον nominauit, de vrbis auitæ cognomine: filius enim erat Tydei Ætoli, ſed auum maternum habuit Adraſtum Argiuorum Regem. Itali, qui prope Ἄργος ἵππιον habitant, corrupto vocabulo Argyripam nominarunt. Poſtea irrepente ſenſim maiori corruptione. *Arpos* vocauerunt.

*d* Vel propoſiti effector, vt alibi frequenter, vel quod veteres incolas bello victos eiecerat.

*e* Garganus mons Iapygiæ ( Iapigia pars Apuliæ ) nunc S. Michaëlis nomine & templo notiſſimus.

*f* Vide ſextum Aeneid. verſu 794. & octauum à verſu 318.

*g* Ibidem verſu 327.

*h* Sollicitare ſecundum primariam ſignificationem eſt ſolo citare & permouere, vt 12. Æneid. 404.

—— *Neqicquam ſpicula dextrâ*
*Sollicitat, prenſátque tenaci forcipe ferrum.*

*i* In vos prouocare arma Troianorum, quorum virtutem & fortitudinem nondum cognoſcitis.

*Quicumque Iliacos ferro violauimus* a *agros,*
*(Mitto ea quæ muris bellando exhauſta* b *ſub altis,* Præteritio.
*Quos Simois* c *premit ille* d *viros ) infanda per orbem* e
*Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus omnes,* Variæ Græcorum clades.
*Vel Priamo miſeranda manus.* f *ſcit triſte Mineruæ*
*Sidus, & Euboicæ cautes, vltórque Caphareus.* h
*Militia ex illa diuerſum ad littus abacti*

*a* Sacrilegè vaſtauimus, nam & violare de ſacris dicitur.
——— *Et veneris violaui vulnere dextram,*
& Ἴλιος ἱρὴ, item Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον paſſim.
*b* Oratoria præteritio. Prætermitto clades quas ſub Troiæ mœnibus, decennali obſidione tolerauimus, & exhauſimus. 4. Æneidos. —— *Quæ bella exhauſta canebat.*
*c* Simois fluuius Troiam præterfluens, qui multos Græcorum multos Troianorum oppreſſit & inuoluit.
*d* Cladibus noſtris memorabilis.
*e* Totum terrarum orbem noſtris cladibus impleuimus: non vno loco, ſed toto orbe difiecti ſacrilegii pœnas exoluimus. Pœnas expendere propriè dicuntur qui multæ nomine certũ æris pondus exoluunt, quod fieri ſolebat prius quàm Romani pecunia ſignata vterentur.
*f* Exercitus Græcorum tot cladibus afflictus fuit, vt vel Priamum ipſum potuerit ad miſericordiam commouere. Vide ora. pro Sextio parag. 121. *Fletum etiam inimicis atque inuidis excitaret.*
*g* Teſtis eſt noſtrarum calamitatum illa tempeſtas, quam Minerua ortu arietis ( vt ſcribit Seruius ) vel Arcturi ( vt mauult Solinus ) excitauit: de qua tempeſtate 1. Æneid. verſu 43.
*h* Caphareus eſt Eubœæ promontorium. Vocatur *vltor*, quia Nauplius Rex Eubœæ, pater Palamedis, vt vlciſceretur illatam à Græcis filio ſuo necem ( de qua nece 2. Aeneidos verſu 81. ) Nauplius, inquam, aduertens Græcos nocturna tempeſtate deprehẽſos è Capharea rupe facem extulit, illi portum eſſe rati claſſem eò conuerterunt, & nauibus ad cautes impactis fecerunt naufragium.

*Menelai Vlyſſi.*

*Atrides Protei* a *Menelaus aduſque columnas*
*Exulat: Ætneos vidit Cyclopas Vlyſſes* b:

*Pyrrhi*

*Regna Neoptolemi* c *referam, verſoſque penates*
*Idomenei?* d *Lybicóve* e *habitantes littore Locros?*
*Ipſe Mycenæus* f *magnorum ductor Achiuûm,*
*Conjugis infandæ prima intra limina dextrâ*

*Agamemnonis.*

*Oppetyt, deuicta Aſiā ſubſédit* g *adulter.*
*Inuidiſſe deos* h *patrijs vt redditus oris,*
*Conjugium optatum, & pulchram Calydona viderem.*

*a* Menelaus filius Atrei extra patrium ſolum eiectus eſt ad extremos Aegypti fines, vbi Proteus habitabat. Turnebus li. 5. Aduerſ. cap. 8. Ad fines Ægypti perueniſſe intelligit, ex eo quod in confiniis columnæ, quæ dirimerent terras, ponerentur. Pollux lib. 9. Onomaſt. στήλας ὁροθεσίας vocat idem καὶ ἡ ἑστηκυῖα στήλη ὅρος *& erecta columna eſt terminus.* De Proteo vide: Georg. exeuntem, & 4. Odyſſ. vbi fusè narrat ipſe Menelaus quid fecerit & paſſus fuerit in Aegypto.

*b* Vide 3. Æneidos, & 9. Odyſſ.

*c* Qui ab Oreſte occiſus Helenus Troianum regni Epirotici reliquit hæredem vt dicitur 3 Æneidos.

*d* Rex fuit Cretæ, qui poſt excidium Troianorum à ſuis ſubditis eiectus ad Italiam nauigauit & Salentinos campos occupauit, vt dicitur 3. Æneidos verſu 120.

*e* Vide dicta 3. libro ad verſum 400.

*f* Ipſe Agamemnon Rex Mycenarum, qui ductor fuit totius exercitûs in expeditione Troiana, adeo vt Rex Regum diceretur, Agamemnon, inquam, rediens vxoris ſuæ Clytemnestræ manu occiſus eſt. Intra prima limina, id eſt in ipſo domus veſtibulo, alij dicunt occiſum in balneis fuiſſe: Vide Homerum odyſſ. 4.

*g* Aegiſtus Thyeſtæ filius, Agamemnonis frater patruelis *ſubſedit*, & in inſidiis ad ſtuprum delituit, Valerius lib. 2. c. 1. *Nulli enim tunc ſubſeſſores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur.* Subſidere. ὑφεδρεύειν.

*h* Portenta qua ſecuta ſunt etiam nunc, indicant Deos inui-

*Nunc etiam horribili viſu portenta ſequuntur,*
*Et ſocij amiſſi petierunt æthera pennis,*
*Fluminibúſque vagantur aues (heu dira meorum*
*Supplicia!) & ſcopulos lacrymoſis vocibus implent.*
*Hæc adeò ex illo mihi iam ſperanda fuerunt*
*Tempore, cùm ferro cæleſtia corpora* a *demens*
*Appetij, & Veneris violaui vulnere dextram.*
*Ne verò: ne me ad tales impellite pugnas:*
*Nec mihi cum Teucris vllum poſt eruta bellum*
*Pergama: nec veterum memini* b *lætorve malorum.*
*Munera quæ patrijs ad me portatis ab oris,*
*Vertite ad Æneam, ſtetimus tela* c *aſpera contra,*
*Contulimúſque manus: experto credite, quantus*
*In clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam:*
*Si duo præterea tales Idæa* d *tuliſſet*
*Terra viros, vltro Inachias* e *veniſſet ad vrbes*
*Dardanus, & verſis* f *lugeret Græcia fatis.*

Socii Diomedis in aues mutati.

Aeneæ fortitudo.

diſſe mihi reditum: id eſt Deorum ira contigiſſe, vt priuarer coniuge, & patria mea calydone ad quam redire cupiebam. Diomedes autem, cùm vxorem ſuam Aegialem parum honeſtè pudicitiam habuiſſe comperiſſet, in patriam reuerti noluit ſed in Italiam nauigauit. hoc autem portentum ſecutum eſt quod ſocii Diomedis mutati ſunt in aues, quæ à Græcis erodij, à Latinis Diomedeæ nominantur.

a Non venerem ſolùm, ſed etiam ipſum Martem vulnerauit, vt dicitur lib. 5. Iliad.

b Nec libenter memini, nec lætor ob adeptam victoriam quæ tot malis fœdata fuit.

c Et eminus iaculis, & cominus gladio cum Aenea pugnaui.

d Troiana, ab Ida monte.

e Græcas, ab Inacho fluuio qui Argos præterfluit.

f Mutato rerum ordine Troiani, qui victi fuerunt, victores extitiſſent: & contrà, Græci qui victores fuerunt, victi lugerent.

*Quicquid apud duræ* a *ceſſatum eſt mænia Troiæ,*
*Hectoris Æneæque manu victoria Graiûm*
*Hæſit, & in decimum veſtigia rettulit annum.*
Audita legatione varium murmur exortum eſt. Comparatio.
*Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis:*
*Hic* b *pietate prior. Coëant in fœdera dextræ,*
*Quà* c *datur, aſt armis concurrant arma cauete.*
*Et reſponſa ſimul quæ ſint, Rex optime, regis* d
*Audiſti, & quæ ſit magno ſententia bello.*
*Vix ea legati,* e *variuſque per ora cucurrit*
Latini Oratio.
*Auſonidum turbata fremor; ceu ſaxa morantur*
*Cùm rapidos amnes, clauſo fit gurgite murmur,*
*Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus vndis.*
*Vt primùm placati animi, & trepida ora quierunt:*
*Præfatus diuos,* f *ſolio Rex infit ab alto:*
*Antè equidem ſumma de re ſtatuiſſe, Latini,*
*Et vellem, & fuerat melius: non tempore tali*
*Cogere concilium, cum muros obſidet hoſtis.*

a Aeneæ & Hectoris virtus fecit vt in annum decimum differretur noſtra victoria.
b Aeneas Hectorem pietate ſuperauit.
c Quibuſcunque conditionibus permittitur.
d Diomedis.
e Vix ea Venulus nomine omnium legatorum retulerat, cum populus Laurentinus fremuit in varias diuiſus ſententias, quemadmodum fractus ſaxorum obiectu rapidorum amnium curſus, & arctatus in gurgitem, in vicinas ripas murmur emittit per fragores & ſtrepitus.
f Refert Marcus Tullius diuinat in Verrem tritum illud & vſitatum apud imperitos cauſſidicos orationis exordium. *Iouem ego opt. max.* ad quem locum Aſcanius. *Incipiebant autem veteres, vt Virgilius oſtendit ab inuocatione Deorũ, quale eſt. Præfatus diuos, &c.* Vide Vatinianam parag. 14. Nota 1.

*Bellum importunum,* [a] *Ciues, cum gente deorum* [b]
*Inuictiſque viris gerimus, quos nulla fatigant*
*Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.*
*Spem ſi quam accitis Ætolûm* [c] *habuiſtis in armis,*
*Ponite: ſpes ſibi quiſque: ſed hæc quàm anguſta, videtis.*
*Cætera* [d] *quâ rerum iaceant perculſa ruinâ,*
*Ante oculos, intérque manus ſunt omnia veſtras,*
*Nec quemquam incuſo: potuit quæ plurima virtus*
*Eſſe, fuit: toto certatum eſt corpore* [e] *regni.*
*Nunc adeò quæ ſit dubiæ ſententia menti,*
*Expediam: & paucis (animos adhibete) docebo.*
*Eſt antiquus* [f] *ager Tuſco mihi proximus amni,*
*Longus in occaſum fines ſuper vſque Sicanos,* *Expoſitio conſilii.*
*Aurunci Rutulique ſerunt* [g] *& vomere duros*

a Donatus. *Importunum eſt quod defenſionis non habet portum, & quod non inuenit periculorum ratione ſuffugium.*
b Cum Troianis qui ſunt à diis ipſis oriundi.
c Iam nolite expectare auxilium ab Aetolis & Diomede: & quoniam externis omnibus auxiliis eſtis deſtituti, ſpem omnem in vobis ipſis collocate, ſed per vos ſatis ipſis cognoſcitis quàm ea ſpes ſit anguſta & tenuis.
d Tam perſpicuæ ſunt clades quibus exercitus noſter, opes, auxilia, imperium afflicta ſunt, vt ea manu tangere, & oculis videre poſſimus.
e Totis regni viribus bellatum eſt.
f Eſt mihi ager antiquus, id eſt à maioribus meis ad me hæreditate tranſmiſſus, vicinus Tyberi, qui verſus occaſum in longitudinem porrectus, vſque ad fines Sicanos extenditur: fines Sicani ſunt quos olim Sicani coluerunt, id eſt ager Romanus, nam vt dicitur 8. Æneidos *Tum manus Auſoniæ & gentes venêre Sicanæ.* hunc agrum mihi ſeruntAurunci & Rutuli, & ſede mihi ſtipendium decimáſque perſoluunt.
g Huius agri triplex vtilitas, nam planities apta frumento

*Exercent colles, atque horum aſperrima paſcunt.*
*Hæc omnis regio,* a *& celſi plaga pinea montis*
*Cedat amicitiæ Teucrorum, & fœderis æquas*
*Dicamus leges, ſocioſque in regna vocemus:*
*Conſidant,* b *ſi tantus amor, & mœnia condant.*
*Sin alios fines, aliámque capeſſere gentem*
*Eſt animus, poſſuntque* c *ſolo decedere noſtro:*
*Bis denas Italo texamus* d *robore naues,*
*Seu plures cõplere valent: iacet omnis* e *ad vndam*
*Materies: ipſi* f *numerúmque modúmque carinis*
*Præcipitant: nos æra, manus, naualia demus.*
*Præterea, qui dicta ferant, & fœdera firment,*
*Centum oratores prima de gente* g *Latinos*

conſeritur, colles aratro culti viribus veſtiuntur: aſperiores montium partes paſcuis abundant.

*a* Hic omnis ager, & præterea montis vicini pinetum donetur Troianis, iiſque concedebat ad pacem redimendam, & æquis conditionibus fœdus ineamus, eóſque non tanquam vectigales & ſtipendiarios, ſed tanquam ſocios in regni partem vocemus.

*b* Habitent nobiſcum, ſi ager aſſignatus eis placuerit.

*c* Si fata permittunt iis ex Italia diſcedere viginti naues iis Italico ligno faciamus, aut etiam plures, ſi plures, habere deſiderant.

*d* Hinc textrinum dicitur locus vbi naues texuntur. Ennius.

*Idem campus habet textrinum nauibus longis.*

*e* Omnis materia quæ ſufficit ad viginti pluréſue naues texendas, iam parata eſt, & ſciſſa ad ripam Tiberinam, vel fortaſſe ad littus maris Tyrrheni.

*f* Troiani numerum, magnitudinem & formam nauium texendarum deſignent: nos ſubminiſtremus artifices ad eas fabriandas, æs ad compingendas, funes & vela, cæterumque omnem rei nauticæ apparatum: ſic enim Seruius hoc loco capit *naualia*. Alias naualia dicuntur loca vbi naues ſũt.

*g* Videtur eſſe hypallage pro, primus, ſiue primarios de gente Latina.

*Ire placet, paciſque manu prætendere ramos,* a
*Munera portantes, eboriſque aurique talenta,*
*Et ſellam* b *regni, trabeamque inſignia noſtri.*
*Conſulite in medium,* c *& rebus ſuccurrite feßis.* Drances.
*Tum Drances idem* d *infenſus (quem gloria Turni*
*Obliquâ inuidiâ,* e *ſtimuliſque agitabat amaris:)*
*Largus opum & linguâ melior, ſed frigida bello*
*Dextera, conſiliis habitus non futilis* f *author,*
*Seditione potens (genus huic materna ſuperbum*
*Nobilitas* g *dabat, incertum de patre ferebat)*
*Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras,*

*a* Oliuam vittis redimitam de qua libris 7. & 8.

*b* Sellam eburneam ſiue curulem ſignis impreſſam de qua dictum pro Sextio paragr. 57. nota 5. de muneribus regibus mitti ſolitis à Senatu pro Sextio parag. 57. nota 1 de trabea & paludamnento vide Piſonianam paragr. 3 nota 2.

*c* In commune, vt —— *In medium quærebant.*

*d* Tum idem ille Drances qui Æneæ promiſerat fore vt Latinum ad incœptam ſocietatem reuocaret, & paulo antè: cùm Turnus apud populum in inuidiam vocaretur, maiores inuidiæ faces ſubiecerat. Idem, inquam, Drances ſurrexit in Senatu, & inuidiem in Turnum conceptam nouis augmentis onerauit, irámque magis & magis cumulauit.

*e* Drances gloriæ Turni inuidebat, obliquè tamen & quaſi per cuniculos eum ſic impugnabat, vt iræ ſuæ non priuatim inuidiam, ſed bonum commune prætexeret.

*f* Quid ſit futilis his verbis exponit Seruius. *Futilis vas quoddam eſt lato ore, fundo anguſto quo vtebantur in ſacris Veſtæ, quia aqua ad ſacra Veſtæ hauſta in terra non ponitur, quod ſi fiat piaculum eſt, vnde excogitatum eſt vas quod ſtare non* poſſit, *ſed poſitum ſtatim effunderetur, vnde & homo commiſſa non retinens futilis dicitur.* qui ſtatim reſoluitur & euaneſcit, vt lib. 12.

—— *Glacies ſeu futilis ictu* *Frangitur.*

*g* Filius erat ſororis ipſius Latini, ſed ex patre ruſtico & obſcuro, vt quidam tradiderunt.

Drancis Oratio.

*Rem nulli obſcuram, noſtræ nec vocis egentem*
*Conſulis, ô bone rex: cuncti ſe ſcire fatentur*
*Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant,* a
*Det libertatem fandi,* b *flatúſque remittat,*

Turni in inuidiam vocat.

*Cuius ob auſpicium infauſtum, moreſque ſiniſtros,*
*( Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur )*

A violentia.

*Lumina tot* c *cecidiſſe ducum, totámque videmus*
*Conſediſſe vrbem luctu,* d *dum Troia tentat*
*Caſtra, fugæ fidens, & cælum territat* e *armis:*
*Vnum etiam donis iſtis, quæ plurima mitti*
*Dardanidis, ducique* f *iubes, vnum optime regum*
*Adjicias, nec te vllius violentia vincat,*
*Quin natag egregio genero,* h *dignisque hymenæis* i

*a* Timent, & verentur apertè loqui, quamuis quaſi ſemimuti, apud ſe muſſent & obmurmurent, ſiue, vt exponit noſter Cerdanus occluſo ſunt ore adloquendum præ Turni metu & tantum naribus admurmurant.

*b* Permittat Turnus liberè pro Rep. loqui, & altos illos ſpiritus deponat quibus præ ſuperbia inflatur & intumeſcit.

*c* Tot proceres clariſſimos.

*d* Videmus vrbem Laurentum luctu eſſe demerſam, dum Turnus nouam illam vrbem, quam Aeneas in Italiam appulſus ſtatim aratro deſignauit, tentat inuadere, non virtuti fidens, ſed fugæ, vt cùm è caſtris Troianorum fugiens.

— *Saltu ſeſe omnibus armis In Tiberim dedit* —

Vt dicitur 9. libro exeunte, & cùm è pugna fugiens in Oſinij nauim conſcendit & Ardeam delatus eſt l. 10. a. v. 606. ad 688.

*e* Dum horrendis minarum tonitruis ita ſe iactat pueriliter, vt cœlum ipſum terrere ſibi videantur.

*f* Legunt alij *dicique* non *ducique* ne *duci*: *mitti* bis idem dixerit. interpretatur Cerda noſter, cum iubeas mitti dona, & dici mandata, adiice, &c. Seruius *mitti* de muneribus interpretatur, *dici* de nauibus vel agro, quem Latinus Troianis offerebat.

*g* Lauiniam. *h* Æneæ. *i* Nuptiis.

k Placet

*Des pater, & pacem hanc æterno fœdere iungas.*
*Quod ſi tantus habet mentes & pectora terror,*
*Ipſum obteſtemur,* a *veniámque oremus ab ipſo:*
*Cedat ius proprium regi, patriæque remittat.*
*Quid miſeros toties in aperta pericula ciues*
*Proiicis, ô Latio caput horum & cauſſa malorum?* Inuidiam concitat. in Turnum.
*Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes,*
*Turne: ſimul pacis ſolum* b *inuiolabile pignus.*
*Primus ego inuiſum quem tu tibi fingis, & eſſe*
*Nil moror,* c *en ſupplex venio: miſerere tuorum:*
*Pone animos, & pulſus* d *abi: ſat funera fuſi*
*Vidimus,* e *ingentes & deſolauimus agros.* Petit vt dimicet cum Aenea.
*Aut ſi fama mouet, ſi tantum pectore robur*
*Concipis, & ſi adeò dotalis regia* f *cordi eſt:*

*a* Placet hoc loco Cerdani noſtri hærere veſtigiis. Sententia eſt. Si quominus natam des Æneæ, Turni metu impediris, ô Latine, Turnum ipſum obteſtemur, vt cedat tibi Regi ius tuum proprium, ſiue vt Regem vti tuo iure patiatur: ius enim habet pater eligendi ſui generi, tradendæque filiæ cui voluerit. Ius, inquam, tibi cedat, & patriæ remittat, ſi quidem ex eo pendet ſalus totius ciuitatis.

*b* Non ſolum pacem à te poſcimus omnes vno conſenſu, ſed etiam vt cedas coniugio Lauiniæ, id enim vnicum aſt pacis pignus & auctoramentum, ſine quo pax nunquam poterit conſiſtere.

*c* Non repugno quo minus me tibi inimicum eſſe exiſtimes, vel: non ſum quidem tibi inimicus, ſed ſi velis eſſe, non recuſo.

*d* Diſcede hinc cum iam anteà pulſus fueris à Troianis, nec tibi ſuffragetur ad nuptias bellica fortitudo.

*e* Delectu militum agros exhauſimus colonis, qui bello occiderant. *ingentes* ἐμφατικῶς.

*f* Regia domus atque adeò regnum ipſum Latini, quod dotis loco dabitur ei qui Lauiniam ducet vxorem.

*Aude, atque aduerſum fidens fer pectus in hoſtem.*
*Scilicet a vt Turno contingat regia conjux,*
*Nos animæ viles, inhumata, infletáque turba*
*Sternamur campis? etiam b tu, ſi qua tibi vis,*
*Si patrij quid Martis habes, c illum aſpice contra,*
*Qui vacat.*
*Talibus exarſit dictis violentia d Turni,*
*Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:*
*Larga quidem e ſemper, Drance, tibi copia fandi,*
*Turni reſponſio.* *Tunc cùm bella manus poſcunt: Patribuſque f vocatis,*
*Primus ades: ſed non replenda eſt curia verbis,*
*Quæ tutò tibi magna volant, dum diſtinet g hoſtem*
*Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ,*
*Proinde tona eloquio ſolitum tibi, méque timoris*

*a* Ironia quaſi verò nos Latini ciues, tanquam animæ viles, debeamus interfici, & exequiis carere, vt Turnus Lauiniam ducat vxorem.

*b* Tu etiam quemadmodum alii qui fortiter pugnantes in acie ceciderunt & imprimis Mezentius qui cum Aenea congreſſus mortem oppetiit.

*c* Si quid remanet in te virtutis illius bellicæ qua ſemper tum omnes Latini, tum præcipuè maiores tui floruerunt, aude vel ſaltem oculos attollere, & Aeneam adſpicere in faciem, qui te prouocat ſingulari certamine.

*d* Turnus cùm eſſet natura violentus, & iam dolore arderet audito Latino, magis etiam exarſit audita Drancis oratione & cum gemitu vocem eluctatus eſt, quam in pectore dolor oppreſſerat.

*e* Donatus. *Præpoſtera eſt, inquit, Drance, eloquentia tua, non cùm neceſſitas viros ad arma compellit, tu concurris ad verba.*

*f* Senatoribus in curiam conuocatis, omnium primus accedis.

*g* Dum interpoſito muro ab hoſte ſeparamur.

*Argue tu, Drance, a tot quando, ſtragis aceruos* Ironia.
*Teucrorum tua dextra dedit, paſſimque trophæis*
*Inſignis agros, poſſit quid viuida virtus,*
*Experiare licet, b nec longè ſcilicet hoſtes*
*Quærendi nobis; circumſtant vndique muros.*
*Imus in aduerſos? quid ceſſas? an tibi Mauors*
*Ventoſa c in lingua, pedibúſque fugacibus iſtis*
*Semper erit?* Refellit crimen ignauiæ.
*Pulſus ego? aut quiſquam meritò fœdiſſime pulſum*
*Arguet, Iliaco tumidum qui creſcere Tybrin*
*Sanguine, & Euandri totam cum ſtirpe d videbit*
*Procubuiſſe domum, atque exutos Arcadas armis?*
*Haud ita me experti Bitias, e & Pandarus ingens?*
*Et quos mille die victor ſub Tartara miſi,* Drancem proditionis inſimulat.
*Incluſus muris, hoſtilique aggere ſeptus.*
*Nulla ſalus bello: f capiti cane talia demens*

*a* Ironia, accuſa timorem meum, ô Drance, quando quidem adeo fortis es vt interfectorũ à te aceruos cumularis & extruxeris, trophæa per agros excitaris, quos inſigniores feciſtis virtutis tuæ monumentis.

*b* Vis experiri vter noſtrum ſit fortior, tu an ego? adſunt hoſtes: nec longe nobis quærendi, circumſtant vndique muros, eóſque armis circumſonant? vis vt ambo impreſſionem in hoſtes faciamus? quid tergiuerſaris? an ſemper eris fortis oratione, re ipſa ignauus & fugax.

*c* Vana, vaniloqua.

*d* Pallante à me interfecto, vide lib. 10. medium; Procubuiſſe autem dicitur domus Euandri, ſiue illapſa, fuiſſe, quia Pallante ſublato, nulla ſpes poſteritatis remanebat.

*e* De quibus lib. 9. exeunte.

*f* Dicis, ô Drance, nullam eſſe bello ſalutem, quaſi euentum belli animo præſagias: hoc præſagiendum & canendum fuit Aeneæ, cuius capiti iam certa pernicies impendet, & partibus Troianorum quas tu tanquam tuas, relictis & pro-

*Dardanio, rebúſque tuis: proinde* a *omnia magno*
*Ne ceſſa turbare metu, atque extollere vires*
*Gentis bis* b *victæ, contra premere arma Latini.*
*Nunc & Myrmidonum* c *proceres Phrygia arma tremiſcunt,*
*Nunc & Tydides, & Lariſſæus* d *Achilles:*
*Amnis & Adriacas retrò fugit Aufidus* e *vndas,*
*Vel* f *cùm ſe pauidum contra mea jurgia fingit*
*Artificis ſcelus, & formidine crimen acerbat.*

**Terrorem à legatis iniectum eludit.**

ditis rebus Latini, amplecteris.

a Cùm itaque videas, nullam ſalutem eſſe rebus tuis, omnia metu perturbans, attollis vires Troianorum. deprimis arma Latinis vt hoc metu perterriti pacem cum Troianis ineamus.

b Priùs ab Hercule, iterum ab Agamemnone.

c Venulus à Diomede rediens magnum timorem Latinis incuſſerat, quaſi Diomedes ipſe metueret Troianos: Turnus, vt oſtendat huiuſmodi metus inanes eſſe & pueriles, ridicula quadam amplificatione rem exaggerat, quaſi non ſolus Diomedes, ſed etiam Pyrrhus & Achilles, qui Myrmidonibus imperarunt, morte defuncti, Troianos victos metuerent, de quibus vim retulerant victoriam.

d Lariſſæus dictus Achilles ab vrbe Lariſſa Phthiæ vicina.

e Aufidus amnis Apuliam & Appenninum montem præterfluens in mare Adriaticum deuoluitur. Hæc eſt igitur huius loci ſententia. Non ſolum Pyrrhus & Achilles Reges Myrmidonum etiam poſt mortem metuunt Troianos, non ſolùm Diomedes in Apulia habitans eoſdem timet, ſed etiam Aufidus eiuſdem Apuliæ fluuius adeò extimeſcit, vt audito Troianorum nomine fugiens aquas ſuas à mari Adriatico ad caput & originem ſuam reuocarit, qua hyperbole iniectum à legatis & à Drance terrorem eludit.

f Notanda particula *vel*, quæ vt aduertit noſter Turſellinus aureo illo libello de particulis Latinæ orationis in principio ſæpe indignationem continet. Cicero pro Flacco. *Vel quod eſt in eodem decreto ſcriptum homines clariſſimos ciuitatis vſus hoc prætore, circumuentos.* Iterum. *Vel quod ait Lucceius Luc. Flaccum ſibi dare cupiſſe,* &c pro Plancio. *Vel quod multos etiam*

*Numquam animam talem* a *dextra hac ( abſiſte moueri )* *Turnus reſpondet Latino.*
*Amittes: habitet tecum, & ſic pectore in iſto.*
*Nunc ad te, & tua magne pater conſulta reuertor:*
*Si nullam noſtris vltrà ſpem* b *ponis in armis:*
*Si tam deſerti ſumus, & ſemel agmine verſo*
*Funditus occidimus, nec habet fortuna regreſſum*
*Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.*
*Quanquam,* c *O ſi ſolitæ quicquam virtutis adeſſet:*
*Ille mihi* d *ante alios fortunatúſque laborum,*
*Egregiúſque animi, qui ne quid tale videret,*

*minùs eſt ferendum.* Hæc eſt proinde huius loci ſentẽtia. Quid aliud ad ſummam accuſationis indignitatem, & accuſatoris malignitatem reſtabat, quàm vt ſe pauidum fingeret iſte ſcelerum artifex & architectus, & crimen acerbius redderet ſimnlatione formidinis?

a Nunquam mea manu interfectus animam tam ignauam & inertem amittes, ac proinde deſine timere.

b Si poſt vnam Æneæ victoriam non audes ampliùs Latinorũ & Rutulorum armis confidere: Si à Diomede bellum cũ Troianis reſpuẽte deſtituti, ab omnibus auxiliariis deſerti pariter ſumus, ſi ſemel fuſo noſtro exercitu ita periimns vt fortuna non poſſit vllo modo reparari, non ſolum tibi aſſentior, ô Latine, qui dona Troianis mitti iubes ad redimendam pacem. ſed etiam ſum auctor vt poſitis armis dextras tendamus, & pacem veniamque ſupplices oremus.

c Quanquam ſiquid in nobis fortitudinis priſtinæ remaneret, iudicaremus ſatius eſſe milites mori, quàm hoſtibus ſupplicare.

d Hanc priſtinam maiorum noſtrorum virtutem retinuit. Mezentius, *mihi*, id eſt ex animi ſententia, tum fortunatus ob labores in vita ſuſceptos, tum egregius ob præſtantem animi virtutem, qui priuſquam nos videret Troianorum genibus aduolutos, quaſi futuram ignauiam noſtram & infamiam præſagiens, mortem fortiter oppetiit, & moriens

*Procubuit moriens, & humum ſemel* a *ore momordit,*
*Sin & opes nobis, & adhuc intacta* b *iuuentus,*
*Auxilioque vrbes Italæ, populique ſuperſunt* c
*Sin &* d *Troianis cum multo gloria vênit*
*Sanguine : ſunt illis ſua funera, párque per omnes*
*Tempeſtas : cur indecores in limine primo*
*Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?*
*Multa* e *dies, variúſque labor mutabilis æui*
*Rettulit in melius : multos alterna reuiſens*
*Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit.*
*Non erit auxilio nobis Ætolus,* f *& Arpi?*
*At Meſſapus erit, felixque Tolumnius, & quos*

poſtremò terram momordit, ne morienti gemitus contra voluntatem erumperet.

*a* Poſtremò *une fois pour toutes*, quaſi nihil vltra paſſurus.

*b* Nondum ad delectum vocata, ex qua conflari poteſt nouus exercitus.

*c* Seruius, Superabundant, adſunt vltrà quam bella depoſcunt.

*d* Quòd ſi Troiani non ſine magna ſuorum clade victoriam retulerunt: ſi multi ex iis ſunt interempti ſi eadem belli tēpeſtas æqualiter in Troianos & Latinos graſſata eſt, & vtroſque ſubuertit, cur nos potius quàm illi indecores in ipſo belli initio deficimus, & animo deſpondemus? cur ante tubæ ſonitum totis artubus contremiſcimus?

*e* Dies ſiue tempus, & varius labor humanæ vitæ mutabilis & variis caſibus obnoxiæ, multa, quæ iam penitus collapſa videbantur, in meliorem ſtatum reuocauit: & fortuna alterna, ſiue nunc vni, nunc alteri benigna multos felicitati ſuæ confidentes eluſit: multos alios quos in lubrico deiecerat rurſus in ſolido locauit.

*f* Dicet aliquis iure noſtris rebus eſſe deſperandum, quia non erit auxilio nobis Diomedes olim Rex Aetoliæ, nunc Arporum ſiue Argyripæ conditor. Reſpondeo non eſſe metuendum

*Tot populi miſere duces: nec parua* a *ſequetur*
*Gloria, delectos Latio, & Laurentibus agris.*
*Eſt & Volſcorum egregia* b *de gente Camilla,*
*Agmen* c *agens equitum, & florentes ære* d *cateruas.*

*Auxilia Italorum.*

*Quòd ſi me ſolum* Teucri e *in certamina poſcunt,*
*Idque placet, tantúmque bonis communibus obſto:*
*Non adeò has exoſa manus victoria fugit,*
*Vt tanta quicquam pro ſpe tentare recuſem,*

*Offert ſe ad ſingulare certamen.*

quia nobis erunt auxilio duces longè fortiores & feliciores Diomede, qualis eſt Meſſapus Neptuni filius.

*Quem neque fas igni cuiquam, nec ſternere ferro:*

Et Tolumnius augur cuius omnibus incœptis fortuna ſemper obſecundat.

*a* Latini & Laurentes, qui ad hoc bellum delecti fuerint, magnam gloriam conſequentur, cum ſine externorum auxilio vel Italia Troianos eiecerint, vel Troianum nomen penitus extinxerint. Quod ait *delectos* id facit ad extenuandas vires Troianorum, quaſi ſufficiat ad bellum conficiendum paucos è multis eligere, nec ſit opus ad pugnam educere.

*b* Fortiſſima & bellicoſiſſima, quippe quæ omnium frequentiſſime cum populo Romano bella geſſit.

*c* Agmen equitum dicitur vt 9. Æneidos.

*—— Conclamat ab agmine Volſcens.*

Cateruæ peditum. Horatius epiſt. ad Auguſtum.

*Dum fugiunt equitum turmæ, peditúmque cateruæ.*

*d* Armis æreis fulgentes.

*e* Solus Æneas Turnum prouocarat: ait tamen Teucros vniuerſos, ad maius animi & fortitudinis ſpecimen, quaſi paratus eſſet non tantum cum vno aliquo, ſed etiam cum omnibus dimicare. Senſus eſt: ſi me Troiani poſcunt ad ſingulare certamen, ſi placet vobis, ô Latini, vt ſolus ego congrediar pro vniuerſis, ſi in tantum obſum commodis publicis, vt niſi ſolus dimicauero, concidat vniuerſa Reſpub non adeò me deſeruit fortuna proſperior, vt vllum certamen recuſem pro ſpe tantæ gloriæ, qua dicar vel morte mea repræ-

*Ibo animis contrà,ᵃ vel magnum præſtet Achillē.*
*Factáque Vulcani manibus patria induat arma*
*Ille licet: vobis animam hanc, ſoceróque Latino*
Turni deuotio. *Turnus ego, haud vlli veterum virtute ſecundus,*
*Deuoueo, ᵇ ſolum Aeneas vocat: & vocet, oro.*
*Nec Drances ᶜ potiùs, ſiue eſt hæc ira deorum,*
*Morte luat: ſiue eſt virtus & gloria, tollat.*
*Illi ᵈ hæc inter ſe dubiis de rebus agebant*
Aeneas castra mouet. *Certantes: caſtra Aeneas, aciémque mouebat.*
*Nuntius ingenti per regia tecta tumultu*
*Ecce ruit, magniſque vrbem terroribus implet,*
*Inſtructos acie Tyberino à flumine Teucros,*
*Tyrrhenámque manum totis deſcendere ᵉ campis.*
*Extemplo turbati animi, confuſſaque vulgi*
*Pectora, & arrecta ſtimulis haud mollibus iræ:*

ſentaſſe libertatem Reip. vel inſigni victoriâ nomini Latino gloriam peperiſſe.

a Inibo certamen cum Aenea fortiter & generoſe, licet ille virtute & bellica fortitudine, ſe alterum Achillem exhibeat, & præſtet ſiue repræſentet.

b Alludit ad morem veterum ducum, qui ſe pro ſalute populi Romani deuouebant, vt Decij fecerunt.

c Animam meam pro patria deuoueo, ne Drances moriatur, ſi dij nobis irati Troianis annuunt victoriam: vel gloriam tollat & conſequatur, ſi in fatis eſt vt Troiani Latinorum virtute ſuperentur.

d Latinus, Turnus, Drances, alij, qui in curiam conuenerant.

e Quomodo deſcendebāt hi à flumine, cum ea fluminum natura ſit vt ſemper in inferioribus locis voluantur. Dictum eſt Phi. 2 parag. 11. dici deſcēdere non ſemper eum qui è ſuperiore loco in inferiorem ſe transfert, ſed etiam qui venit vndecumque periculum aliquod ſubiturus, vt veniebant Troiani & Hetruſci ad manus cum Latinis conferendas. Quod autē ait *totis campis* ἐμφατικῶς plane copiarum magnitudinem oſtēdit.

*Arma manu trepidi a poſcunt: fremit arma iuuentus:* Latinorum turbatio.
*Flent mæſti, mußantque* b *Patres, hic vndique clamor*
*Diſſenſu vario* c *magnus ſe tollit in auras:*
*Haud ſecus atque alto in luco cùm forte cateruæ*
*Conſedere auium, piſcoſóve amne Paduſæ,* d
*Dant ſonitum rauci* e *per ſtagna loquacia* f *cygni.*
*Immo ait, ô ciues, arrepto tempore,* g *Turnus,* Comparatio.
*Cogite concilium,* h *& pacem laudate ſedentes* i*:*
*Illi* k *armis in regna ruunt. Nec plura locutus*

*a* Feſtini.

*b* Queruntur, & verbis quaſi dolore abſorptis & deuoratis naribus admurmurant. Græce *μύζειν* vnde *μυκτὴρ* naſus.

*c* Aliis Drancis, aliis Turni verba laudantibus, iuuenibus arma poſcentibus, ſenibus muſſantibus.

d Seruius Danielis. *Paduſa pars eſt Padi. Nam Padus licet vnus ſit fluuius, habet fluēta plurima è quibus eſt Paduſa, quæ quibuſdam locis facit paludem, quæ plena eſt cycnorum.*

e Vel quia reuera rauci ſunt, & vt ait Lucianus lib. de electro Κρώζουσιν οὗτοι πάνυ ἄμουσον καὶ ἀσθενές. *crocitant hi admodum abſurdè & inualidè.* vel potius quia vox *rauci*, eſt τῶν μέσων, & modò in bonam, modò in malam partem ſumitur. Certè 7. Æneidos verſu 705. Meſſapi milites ſuauiter cantantes cum cycnis modulantibus confert, & nihilo ſecius cycnos *volucres raucas*, id eſt, *canoras* appellat. lib. 8. ineunte.

—— *Et rauco ſtrepuerunt cornua cantu.*

*f* Hypallage, nā ſtagno tribuit quod erat cycnis tribuendum, non enim ſtagnum loquax, ſed cycnorum loquacium cantu perſonabat.

g Arrepta occaſione. Quid autem propriè ſit occaſio, dictum pro Milone parag. 39. nota 2.

*h* Iriona.

*i* Otioſi: vide Piſonianam. parag. 10. nota 2.

K Troiani.

*Corripuit ſeſe, a, & tectis citus extulit altis.*
Turnus varia dat mãdata.
*Tu Voluſe armari Volſcorum edice b maniplis:*
*Duc, ait & Rutulos equites Meſſapus c in armis:*
*Et cum fratre d Coras latis diffundite e campis.*
*Pars aditus vrbis firment, f turréſque capeſſant.*
*Cætera, quà iuſſo, g mecum manus inferat arma.*
*Ilicet in muros tota diſcurritur vrbe.*
*Concilium ipſe pater, & magna incœpta h Latinus*
Perurbatio ciuitatis.
*Deſerit, ac triſti turbatus tempore differt.*
*Multáque i ſe incuſat, qui non acceperit vltro*
*Dardanium Aeneam, generumque adſciuerit vrbi.*
*Præfodiunt alij portas, k aut ſaxa ſudéſque l*

*a* Raptim & feſtinanter exiuit.

*b* Edic & impera vt Volſcorum cohortes ſub ſignis, ſiue manipulis militantes armentur. Dicti manipuli quod antiquiſſimi ad ordinandas acies non vexillis aut aquilis, ſed fœni manipulis vterentur.

*c* *Meſſapus & Coras*, pro *Meſſape & Cora*, more Atticorum, qui nominatiuum pro vocatiuo frequenter vſurpant.

*d* Catillo de quo lib 7. verſu 672.

*e* Iubete latis & diffuſis ordinibus aciem procedere vt numeroſior exercitus Troianis appareat.

*f* Nolite totum exercitum educere, ſed partem in vrbe relinquite ad muniendos aditus, & propugnacula ſiue turres occupandas, vt inde hoſtes arceantur.

*g* Cæteri milites qui neque Rutuli ſunt, neque Volſci, me ſequantur, & inferant arma, qua iuſſero.

*h* Concilium pacis ſtatuendæ, quod erat magni momenti.

*i* Multùm & vehementer ſe incuſat *quod non vltro ſuſceperit in affinitate neceſſarium virum*, inquit Donatus: commodúmque non tantùm ſibi, verùm etiam ciuitati. VLTRO ideò dixit, quia habere gratiam potuit ex voluntatis ratione, quod videbat futurum ex neceſſitate.

k Foſſam ducunt ante portas vrbis.

*l* Vallos & titiones.

*Subuectant: bello* a *dat ſignum rauca cruentum*
*Buccina: tunc muros variâ cinxere coronâ*
*Matronæ,* b *puerique: vocat labor vltimus omnes.*
*Nec non ad templum, ſummáque ad Palladis arces* c
*Subuehitur* d *magnâ matrum regina cateruâ,* *Amata adit templũ Mineruæ.*
*Dona ferens, iuxtáque comes Lauinia virgo:*
*Cauſſa mali tanti,* e *atque oculos deiecta decoros:*
*Succedunt matres, & templum thure vaporant,* f
*Et mœſtas alto fundunt de limine* g *voces:*
*Armipotens, belli præſes Tritonia* h *virgo,*

a Seruius. Bene addidit *bello*. Nam propter hoc buccina inſonans ſollicitudinem ad bella denuntiat. ſic. in 7.
*—— Quæ buccina ſignum Dira dedit ——*
Prælium autem tubæ indicant. (Æneid. 9.
*At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro increpuit ——*
b De matronis & matribus familias vide Cælianam paragr. 32. nota 2.
c Arces vrbium non ſolum Ioui, ſed etiam Mineruæ ſunt ſacræ, vnde & *Diua retinens in ſummis vrbibus arces* à Catullo nominatur.
d Videtur ad morẽ alludere, quo *—— ducebant ſacra per vrbẽ Pilentis matres in mollibus ——*
e Propter cuius nuptias bellum à Turno fuerat in Troianos excitatum.
f Propriè vapor eſt humidorum, exhalatio ſiccorum, frequenter tamen à poëtis etiam vapor ſiccis tribuitur Lucret. lib. 2. *Æſtifer ignis vti lumen iacuit atque vaporem.* & lib. 5. *Inuidia quoniam, ceu fulmine, ſumma vaporant.*
g De more ſolebant enim ſe ad limina templorum proſternere. Arnobius lib. 1. aduerſus gentes: *Cùm deorum ante ora proſtrati limina ipſa conuerterent oſculis.*
Tibullus lib. 1. el. 2.
*—— Procumbere templis, Et dare ſacratis oſcula liminibus.*
h Vide lib. 2. verſu 271.

*Frange manu telum Phrygij prædonis,*a *& ipſum*
Preces matronarum. *Pronum ſterne ſolo, portiſque effunde ſub altis.*
*Cingitur ipſe furens certatim* b *in prælia Turnus:*
*Iámque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis*
*Horrebat ſquamis, ſuráſque* c *incluſerat auro,*
*Tempora nudus adhuc,*d*lateriq; accinxerat enſem,*
*Fulgebátque alta decurrens aureus* e *arce:*
*Exultátque animis, & ſpe iam præcipit hoſtem:*
Comparatio. *Qualis* f *vbi abruptis fugit præſepia vinclis*
*Tandem* g *liber equus, campóque potitus aperto,*
*Aut ille in paſtus, armentáque tendit equarum:*
*Aut aſſuetus aquæ perfundi flumine noto,*h
*Emicat* i *arrectiſque fremit ceruicibus altè*
Camilla Turno occurrit. *Luxurians,*k *luduntque*l *iubæ per colla, per armos.*
*Obuia cui Volſcorum acie comitante Camilla*
*Occurrit: portiſque ab equo regina ſub ipſis* m

*a* Prædones qui iniuſtum inferunt bellum: vt Iuriſconſulti definiunt, hic autem Aeneam intelligit.
*b* Feſtinanter.
*c* Tibias ocreis aureis induerat.
*d* Nondum galeatus, habens adhuc caput detectum.
*e* Armis aureis ornatus.
*f* Comparatio ex 6. Iliados.
*g* Expetita & exſpectata diu libertate.
*h* Ob conſuetudinem lauandi.
*i* Exilit, ſe erigit & attollit.
*k* Laſciuiens, cum laſciuia quadam ſe oſtentans, & quodammodo glorians. Reddit opinor, illud Homericum Κυδιόων *glorians,* ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς, *ille verò ſplendoribus confiſus.*

Liberè volitant & vento vibrantur.

*m* Seruius Danielis. *Hoc ad Turni honorem refertur: quatuor namque erant apud Romanos quæ ad honorificentiam pertinebant: equo deſilire, caput aperire, via decedere, adſurgere.* De quibus vide

*Deſiluit: quam tota cohors* a *imitata relictis*
*Ad terram defluxit* b *equis, tum talia fatur.*
*Turne, ſui meritò* c *ſi qua eſt fiducia forti,* Offert ſe Turno & petit ſola in certamẽ deſcendere.
*Audeo, & Æneadum promitto occurrere turmæ:*
*Soláque* d *Tyrrhenos equites ire obuia contra.*
*Me ſine prima manu tentare pericula belli.*
*Tu pedes ad muros ſubſiſte, & mœnia ſerua.*
*Turnus ad hæc, oculos horrenda* e *in virgine fixus:*
*O decus Italiæ virgo, quas dicere grates,*
*Quáſve referre parem? ſed nunc (eſt omnia quando* Turni reſponſio.
*Iſte animus* f *ſupra) mecum partire laborem.*
*Æneas (vt fama fidem, miſſique reportant*
*Exploratores) equitum leuia improbus arma*

Piſonianam parag. 26. nota 2. Quod autem ait *Regina* hoc facit ad augendam Turni dignitatem, maius enim eſt ab ipſis Regibus quàm à priuatis honorari.

a Idem. *Cohors pro turma, nam equitum turmæ, peditum cohortes appellantur.*

b Idem. *Vno verbo abſoluit deſiliẽtem equis multitudinem, & vel celeritatem, vel artem & quandam moderationem ac facilitatem deſcendendi ſignificauit, quæ eſt etiam in adſcendendo apud huius rei peritos.*

c Si meritò fortis poteſt ſuæ virtutis & fortitudinis habere fiduciam, ego audeo Troianis occurrere, idque me facturam eſſe promitto.

d Cum volſcorum copiis quæ mihi parent.

e Oculos defixos habens invirgine tam venerabili, vt intuentes non ad laſciuiam incitaret, ſed potiùs ſacro quodam horrore perfunderet.

f Quando quidem tam magnanima es, vt tuus iſte animus nec gratias nec præmia deſideret ſola virtutis honeſtate contentus: Nunc non morabor diutiùs gratiis agendis, ſed te rogabo, vt non ſola Troianis & Hetruſcis occurras, ſed mecum laborem & belli periculum partiaris, méque ſinas Æneæ & Troianis inſidiari, dum tu Hetruſcis equitibus occurres.

*Præmiſit, quaterent campos: ipſe ardua a montis*
*Per deſerta iugo properans aduentat ad vrbem.*
*Furta b paro belli conuexo in tramite ſyluæ,*
*Vt biuias c armato obſidam milite fauces.*
*Tu Thyrrenum equitem collocatis excipe ſignis.*
*Tecum acer Meſſapus erit, turmæque Latinæ*
*Tyburtique d manus: ducis & tu concipe curam.*
*Sic ait & paribus Meſſapum in prælia dictis*
*Hortatur, ſocióſque duces & pergit in hoſtem.*
*Eſt curuo amfractu vallis e accommoda fraudi,*
*Armorúmque dolis: quam denſis frondibus atrum*
*Vrget vtrimque latus: tenuis quò f ſemita ducit,*
*Anguſtæque ferunt fauces, aditúſque maligni.*
*Hanc ſuper in ſpeculis, g ſummóque in vertice montis*
*Planities ignota iacet, tutique receptus,*

*Vallis deſcriptio in qua Turnus inſidias collocauit.*

a Donatus. *Ipſe per montis deſerta, ardua ſuperans* (nota *ſuperans* non, vt in vulgatis, *properans*) *tranſcenſo montis iugo, ad vrbem venire diſpoſuit.*

b Inſidias abſconditas, furtum quaſi furuum. Vide Milionianam parag. 9. nota 2.

c Vt fauces ſiue locorum anguſtias duobus montibus incluſas, quæ in duas vias diuiduntur armatis militibus obſideam.

d Copiæ Tiburtinæ quæ cum Catillo & Cora aduenerant, Tyburto fratre remanente.

e Eſt vallis quædam incurua & flexuoſa crebris amfractibus ad inſidias ponendas accommoda, cui valli denſis arboribus opacati montes ita incumbunt, vt eam vrgere ſuis radicibus & premere videantur.

f Ad hanc vallem tenui quodam itinere peruenitur propter locorum anguſtias & ingreſſus atque egreſſus malignos: id eſt, difficiles, obſcuros gradientibúſque contrarios.

g Super hanc vallem anguſtam, in ipſo montis cacumine, è quo tanquam è ſpeculis proſpectus patet in ſubiectos

*Seu dextrâ læuâque velis occurrere pugnæ,*
*Siue inſtare iugis, & grandia voluere ſaxa.*
*Huc iuuenis* a *nota fertur regione viarum,*
*Arripuitque locum, & ſyluis inſedit iniquis.*
*Velocem intereà* b *ſuperis in ſedibus Opim,*
*Vnam ex virginibus ſociis, ſacráque cateruâ,* Diana Opim alloquitur.
*Compellebat, & has triſteis Latonia voces*
*Ore dabat: Graditur bellum ad crudele* c *Camilla,*
*O virgo, & noſtris* d *nequicquam* e *cingitur armis,*
*Chara mihi ante alias:* f *neque enim nouus iſte Dianæ,*
*Vênit amor, ſubitáque animum dulcedine mouit.*

campos, planities nota quidem Turno, ſed ignota Troianis longè, latéque extenditur, ad quam tutò ſe recipere poſſunt milites è pugna fugientes, & ex eadem rurſum in hoſtes impreſſionem facere, ſiue dextra, ſiue ſiniſtra parte velis hoſtibus ad conſerendas manus occurrere, ſiue iugis inſtare & in hoſtes eminus è ſuperiore loco grandia ſaxa aduoluere.

a Turnus in eum locum ſe confert cum parte exercitus, locũ feſtinanter occupat ante aduentum Troianorum, & Æneæ ponit inſidias in ſyluis iniquis vel ob inæqualitatem nunc montibus arduam, nunc vallibus depreſſam, vel quòd iniqua loci conditione pugnaturus erat Aeneas in inferiore loco contra Turnum è montis iugo Troianis imminentem. *Inſedit* ἐνέδρευσεν, hic inſidiæ. ἐνέδρα.

b Dum Turnus Troianis inſidias collocabat, Diana Iouis & Latonæ filia Opim nympham allocuta eſt.

c Quod bellum ipſi Camillæ exitio eſt futurum.

d Vel meis & tuis, id eſt iiſdem armis quibus ego & tu delectamur, vel armis quibus illam donaui

e Fruſtra, ſi quidem arma Dianæ nihil erant Camillæ profutura, nec depulſura mortem eius ceruicibus imminentem.

f Camilla mihi præ ceteris eſt chariſſima: neque enim amor iſte mihi nouus acceſſit, & animum meum potiùs ſubita & repentina dulcedine permouit, quàm certo iudicio & ratio-

*Pulſus ob inuidiam regno, a viréſque ſuperbas,*
*Priuerno antiqua Metabus cùm excederet vrbe:*
*Infantem fugiens media inter prælia belli*
*Suſtulit exilio comitem, matriſque vocauit*
*Nomine Caſmillæ mutilata* b *parte Camillam.*
*Ipſe ſinu præ ſe portans, iuga longa petebat*
*Solorum* c *nemorum, tela vndique ſæua permebant,*
*Et circumfuſo volitabant milite Volſci.*

Pater Camillæ regno pulſus filiam ſecum extulit.

*Ecce fugæ medio ſummis Amaſenus abundans*
*Spumabat ripis, tantus ſe nubibus imber,*
*Ruperat:* d *ille innare parans infantis amore*
*Tardatur, charóque oneri timet, omnia ſecum*
*Verſanti ſubitò* e *vix hæc ſententia ſedit.*
*Telum immane manu valida quod fortè gerebat,*

Intercluditur fluuio.

ne, quæ in Camillæ amorem induxit iam inde ab ipſius infantia.

a Metabus è regno Volſcorum depulſus ob inuidiam & odium ciuium, quod ille ſuperbiâ & dominationis impotentia concitarat, cum ex vrbe Priuerno diſcederet, fugiens ſecum abſtulit filiolam adhuc infantem ad exilii ſui ſolatium.

b Alij legunt *multata* retineo *mutilatâ*, id eſt vna littera obtrita & è nomine detracta.

c Deſertorum, in quibus nulla apparebant humani cultus veſtigia.

d Tantus imber è nubibus erumpens ſe in terram effuderat, vt Amaſenus fluuius extra ſuum alueum redundans in riparum crepidine ſpumaret: at Metabus parans eum fluuium tranſnatare Camillæ infantis amore tardabatur, veritus ne illam ſubmergeret, ſi ſe cum ea fluuio crediſſet.

e Seruius. *Ideò vix quia naturale eſt, vt quoties ſimul multa cogitamus vix vnum aliquod cõprobemus.* E quibus ille ſic orationẽ interpungit, *verſanti ſubito vix*, &c. vt particula *ſubito* ad *verſanti*, *vix* ad *ſedit* referatur. Placet tamen vtramq; connectere. Nam ea ſententia *vix ſedit* quia priùs alia multa cogitarat: *ſubito ſedit* quia reiectis aliis omnibus conſiliis quæ animo verſauerat.

*Bellator, ſolidum nodis, & robore cocto,* a
*Huic* b *natam, libro & ſylueſtri ſubere clauſam*
*Implicat, atque habilem mediæ circumligat haſtæ.*
*Quam dextra ingenti librans, ita ad æthera fatur.*
*Alma tibi hanc, nemorum cultrix,* c *Latonia virgo,*
*Ipſe* d *pater famulam voueo, tua prima per auras*
*Tela tenens ſupplex hoſtem fugit, accipe, teſtor,* e
*Diua tuam, quæ nunc dubiis committitur auris,*
*Dixit, & adducto* f *contortum haſtile lacerto*
*Immittit: ſonuêre vndæ, rapidum ſuper amnem*
*Infelix* g *fugit in jaculo ſtridente Camilla.*

Filiam cortice inuolutam haſtæ circũligat.

Filiam Dianæ in famulam vouet.

Haſtam trans fluuium iacit, &c.

verſauerat, repente venit illi in mentem nouum & ſubitum conſilium, de quo priùs nõ cogitarat. Vix etiam fieri dicitur, quod ſubitò fit, ſi reluctante animo præſtetur.

*a* Ligno ſiccatis & penitus exhauſtis humoribus decocto, vel quia reuera haſtæ igne plerumque durari ſolent, vnde lib. 7. ſudes præuſtas appellat.

*b* Huic immani telo filiolam ſuam libro, id eſt, inferiori corticis parte, quæ ligno cohæret, & ſylueſtri ſubere (*du liege*) inuolutam mediæ haſtæ circum ligat habilem, id eſt arcte & commode applicatam.

*c* Antonomaſia Dianam vult intelligi.

*d* Ego igſe qui ſum pater ac proinde habens poteſtatem in liberos, & eos poſſum auctorare, & cuiuſuis, non ſolum dei ſed etiam hominis obſequi o mancipare, hanc tibi filiolam meam in perpetuum miniſterium addico conſecróque.

*e* Quæſo atque obteſtor vt eam tuo cultui, mancipatam accipias, tuáque manu ſuſtentes & foueas, ne vel in aëre ipſo proiectionis impetu vitam expiret, vel cum ad alteram ripam peruenerit, ad terram alliſa moriatur.

*f* Brachio ad aurem reuocato, vt telum validius vehementiúſque vibraret,

*g* Felicem quidem ſortita eſt euentum: infelix tamen iure dicitur, quia tanto tamque incerto periculo credita eſt.

Natam haſtæ alligatam

At metabus, magnâ propius iam vrgente a cateruâ
Dat ſeſe fluuio, atque haſtam cum virgine victor
Gramineo, donum Triuiæ, de ceſpite vellit.
Non illum tectis, vllæ non mœnibus vrbes
Accepere, neque ipſe manus b feritate dediſſet:
Paſtorum & ſolis c exegit montibus æuum.
Hic natam in dumis, intérque horrentia luſtra d
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens e vbera labris.

Filiam educat in ſolitudine.

Vtque pedum primis f infans veſtigia plantis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto:
Spiculáque ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum.
Pro crinali auro, g pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.

Educatio Camillæ.

Tela manu iam tum tenera puerilia torſit:

*a* Multitudine Volſcorum propiùs inſequente, in fluuium Amaſenum ingreſſus eſt, eumque natando tranſuectus, *victor*, perducto videlicet ad finem quod animo deſtinarat. haſtam cum Camillæ haſtæ illigata vellit è gleba herboſa graminibuſque veſtita vt eam Dianæ conſecraret. De nomine Triuiæ 6 Aeneidos.

*b* Ideo in vrbibus non habitauit, quia præ animi feritate, legibus & vrbium magiſtratibus ſe non ſubdidiſſet, ſolitus aliis imperare.

*c* In montibus deſertis vitam exegit, vbi ſoli paſtores habitabant.

*d* Ferarum latibula & cubilia.

*e* Lac ex vberibus ferarum emulgens & in filiæ labra inſtillans.

*f* Vt primum infans, fixis in terra veſtigiis ſine alterius adminiculo potuit inſiſtere, illius manus iaculo Metabus pater onerauit.

*g* Loco faſciæ ſiue teniæ aureis filis intextæ, qua puellarum nobilium crines implicantur, & in varios cincinnos tan-

*Et fundam tereti* a *circum caput egit habena,*
*Strymoniámque* b *gruem, aut album deiecit olorẽ,*
*Multæ illam fruſtra* c *Tyrrhena* d *per oppida matres*
*Optauêre nurum? ſola contenta Diana.*
*Æternum* e *telorum & virginitatis amorem*
*Intemerata* f *colit, vellem haud correpta* g *fuiſſet*
*Militia tali conata* h *laceſſere Teucros:*
*Chara mihi, comitúmque foret nunc vna mearum.*
*Verum age, quandoquidem fatis vrgetur acerbis,*
*Labere nympha polo,* i *fineſque inuiſe Latinos:*
*Triſtis vbi infauſto* k *committitur omine pugna.*

*Dianæ Opi commendat vltionem Camillæ.*

quam in gradus & turriculas digeruntur: loco pallæ corpus regentis, & ad talos defluentis pelle tigridis induebatur Camilla. Certum eſt tum temporis tigres in Italia viſas nõ fuiſſe, ſed nihil repugnat quo minus earum exuuiæ ſiues pelles iam tum aduc herentur.

*a* Fundam loro ſiue ſcuticâ tortâ circum caput rotans lapides miſit.

*b* A Strymone fluuio Thraciæ. Species pro genere.

*c* Fruſtra optaſſe dicuntur quod impetrare non potuerant.

*d* Oppida Volſcorum videntur intelligi, dicuntur tamen Tyrrhena quia tum erant in Tuſcorum poteſtate, vel reuera Tyrrhenæ matronæ Camillam nurum optauerunt propter vicinitatem.

*e* Tota vita duraturum. Horatius:

*Seruiet æternum qui paruo neſciet vti.*

Id eſt, quamdiu viuet

*f* Integra, intacta, inuiolata, incorrupta.

*g* Vellem vt talis militiæ amor Camillam quaſi aliquo turbine correptam in tranſuerſum non egiſſet.

*h* Donatus. *Quod vero ait conatæ, oſtendit in audendo difficultatem, & auſus huiuſmodi non ſecuturos effectus.* Conatus enim ſecundum Salluſtianum etiam morem, cœpta ſignificat, non tamen impleta.

*i* Deſcende cœlo Opi mihi chariſſima.

K In[illegible]icibus auſpiciis, quibus Camilla eſt peritura.

*Hæc* a *cape, & vltricem pharetra deprome ſagittam:*
*Hac* b *quicumque ſacrum violarit vulnere corpus*
*Tros, Italuſve, mihi pariter det ſanguine pœnas.*
*Poſt ego nube caua miſerandæ corpus, & arma*
*Inſpoliata feram tumulo, patriæque* c *reponam.*
*Dixit: at illa* d *leueis cæli delapſa per auras*
*Inſonuit nigro* e *circundata turbine corpus.*
*At manus interea* f *muris Troiana propinquat.*
*Hetruſcique duces, equitumque exercitus omnis,*
*Compoſiti numero in turmas* g, *fremit æquore toto*
*Inſultans ſonipes,* h *& preſſis pugnat habenis*

*a* Hunc arcum, hanc phæretram, has ſagittas.

*b* Hac vltrice ſagitta puniatur & morte plectatur quicunque Camillæ corpus mihi ab illius infantia conſecratum vulnere violarit, & puniatur ſine diſcrimine, ſiue ille Troianus fuerit, ſiue Italus: proprie autem dicuntur ſacra violari, vt ſuprà verſu 255.

*Quicumque Iliacos ferro violauimus agros.*

& verſu 276. —— *Ferro cæleſtia corpora demens*

*Appetii & Veneris violaui vulnere dextram.*

*c* Vide Milonianam. §. 104. notis, 2. & 3.

*d* Opis comes Dianæ.

*e* *Hoc ideo*, inquit Seruius, *quia ad mærorem luctúmque deſcendit*, vel, vt ait Cerdanus, ad ſignandum æſtum irarum quem iam Opis in interfectorem Camillæ conceperat: aliter placidam nubem Poëta deſcriberet.

*f* Interea dum hæc Diana loqueretur, exercitus Troianus cum Hetruſcis & Arcadibus equitibus ad muros Laurentinos accedebat.

*g* Vel ita compoſiti & ordinati, vt in ſingulas turmas legitimus equitum numerus, id eſt, equites 30. fuerint diſtributi, vel ita vt ad numeros muſicos turmatim incederent. De quo more fuſe Cerdanus noſter ad verſum 697. ſeptimi Aeneidos

*h* Totâ planitie fremunt equi inſultantes, & reluctantur

*Huc obuerſus, & huc tum latè ferreus* a *haſtis*
*Horret ager, campique armis ſublimibus ardent:* Exercitus ad manus accedit.
*Nec non Meſſapus contrà celeréſque* b *Latini,*
*Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ,*
*Aduerſi campo apparent,* d *haſtaſque reductis* e
*Protendunt longè dextris, & ſpicula vibrant:*
*Aduentúſque virûm, fremitúſque ardeſcit equorum.*
*Iamque intra iactum teli* f *progreſſus vterque*
*Subſtiterat: ſubitò erumpunt clamore furenteiſque*
*Exhortantur equos: fundunt ſimul vndique tela*

habenis quæ ab inſeſſoribus effrenatum curſum coërcere volentibus comprimuntur.

a Ager quaqua verſus haſtis ferreis ſic inhorreſcit, vt totus in ferrum conuerſus eſſe videatur, & campi collucent armorum fulgore in ſublimes aëris tractus ſe efferente.

b Commodè Seruius ad equeſtrem ordinem alluſum notat. prius enim equites Celeres, aut etiam Troſſuli vocabantur.

c *Alæ dicuntur equitum*, verba ſunt Vegetij lib. 2. cap. 1. *quòd ad ſimilitudinem alarũ ab vtraque parte protegunt acies, quæ nũc vexillationes vocantur Eſt & aliud genus equitum qui legionarii vocantur, propterea quòd connexi ſunt legioni.* E quibus videas alas propriè de auxiliarijs dici. Clare Liuius lib. 40. *Alarii equites poſtquam tam memorabile facinus equitum Romanorũ videre.* Camilla porrò auxiliares copias ſecum adduxerat. Vide Lipſium lib. 2. de milit. Roma. dialogo 7.

d Se ſubitò oſtendunt. Sed nota vim & energiam verbi, quod vix aliis verbis explicari poſſet. ita lib. 12. *Scalæ improuiſæ, ſubitúſque apparuit ignis.*

e Ad aurem reuocatis, vt libro 9.

*Ecce aliud telum ſumma librabat ab aure.*

Ouid 3. metam. —— *Dextrâ libratum fulmen ab aure Miſit in aurigam* ——

Vnde poſſit haſta emiſſa in hoſtem venire.

*Crebra niuis ritu: cœlumque obtexitur umbra.* a
*Pugnam ineunt Thyrrenus & Aconteus.*
*Continuò aduerſis Tyrrhenus* b *& Acer Aconteus*
*Connixi incurrunt haſtis, primique ruinam*
*Dant ſonitu ingenti, perfractáque quadrupedantum*
*Pectora pectoribus rumpunt: excuſſus Aconteus*
*Fulminis in morem,* c *aut tormento ponderis acti*
*Præcipitat longè, & vitam diſpergit in auras.*
*Extemplo turbatæ acies: verſique Latini*
*Rejiciunt parmas,* d *& equos ad mœnia vertunt:*
*Fugiunt Latini.*
*Troës agunt,* e *princeps turmas inducit Aſylas.*
*Iámque propinquabant portis,* f *rurſuſque Latini*

*a* Tam crebra tela mittuntur, vt cœlum ipſum obumbrent, & quadam obtexant caligine. Videtur ad illud Lacedæmonii, quem Herodotus libro 7. Deiocem appellat, dictum alludere, de quo, vt Plutarchum omittam M. Tullius 1. Tuſcalana. *Cùm Perſes hoſtis in colloquio dixiſſet glorians. Solum præ iaculorum multitudine & ſagittarum non videbitis. In vmbra igitur,* inquit, *pugnabimus.*

*b* Duo omnium audaciſſimi, è ſuis vterque partibus infeſtis armis erumpunt certamen endituri.

*c* Equi colliſis inter ſe pectoribus magnum ſonitum ediderũt & vterque cecidit cum magno fragore, ſed præcipuè Aconteus excuſſus longè præcipitatus eſt inſtar fulminis, aut certe alicuius lapidis ponderoſi, quod tormento murali extruditur.

*d* Retrò iaciunt parmas ad tutanda terga, parma ſcutum equeſtre, aut etiam velitum. Vide Lipſ. de mil. libro 3. Dial. 1.

*e* Donatus. *Agi dicuntur pecudum greges, cùm de loco trahuntur ad locum. Tantum igitur in Latinis militiæ dedecus fuit, vt non tantùm ferri, verùm etiam agi more mutorum animalium, & impelli viderentur.*

*f* Iamque Latini propiùs ad portas Laurentinæ vrbis acceſſerant, cum reſumpta audacia refectiſque animis clamorem

*Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:* Redeunt ad certamen.
*Hi* a *fugiunt, penitúſque datis referuntur habenis:*
*Qualis* b *vbi alterno procurrens gurgite pontus*
*Nun ruit ad terrã, ſcopulóſque ſuperiacit vndam*
*Spumeus, extremámque ſinu profundit arenam:* Comparatio.
*Nunc rapidus retro, atque æſtu reuoluta reſorbens*
*Saxa fugit, littuſque vado labente relinquit.*
*Bis Tuſci Rutulos* c *egêre ad mœnia verſos:*
*Bis rejecti armis reſpectant terga tegentes.*
*Tertia, ſed poſtquam* d *congreſſi in prælia, totas*
*Implicuere inter ſe acies, legítque virum vir:*

ſuſtulerunt: & equorum ſuorum reflexerunt colla mollia, id eſt, domita & freno parentia.

*a* Equites Tyrrheni qui ſequebantur Latinos fugientes viſo repente hoſtium regreſſu rati inſidias & fraudem ſubeſſe, habenis immiſſis penituſque laxatis eò referuntur vnde diſceſſerant.

*b* Talis erat altera Tuſcorum & Latinorum fuga, & alternus impetus ſiue impreſſio, qualis eſt acceſſus & receſſus maris, cùm alternãte fluxu & refluxu mare ſpumoſum ad terrã nunc fluctus euoluit, & vndam ſuper ſcopulos iacit, arenámque extremam qua fluxus terminatur, curuatione & flexu vndarum perfundit: nunc refluit, ſaxa quæ priùs ad littus euoluerat, reuoluta fluctuantibus aquis reſorbens, & littus quod vndarum redundantium gurgite operuerat, relinquit, vndis in priſtinum locum & vadum labentibus.

*c* Donatus *Tuſci, inquit, bis Rutulos egerunt ad mœnia, bis reiecti ſunt, ita tamen cauti ne inſequens hoſtis auerſos opprimeret, aut feriret, qua cauſſa reſpectabant, hoc eſt retrorſum attendebant, & ſcutis terga propria tuebantur.*

*d* Sed poſtquam tertia vice congreſſi, facta impreſſione manibus conſertis, ita totas acies inter ſe miſcuerunt implicueruntque, vt non iam cohors in cohortem, turma in turmam eminus tela torqueret, ſed vir virum legeret, animo deſtinaret, deſignaret oculis ad cædem. Ita potiùs interpretor quàm eo ſenſu, quo Tullius virum abire lectum dicit pro Milone parag. 56 Vide notam 8.

*Tum verò & gemitus morientum, & ſanguine in* a
*alto*
*Armaque, corporaque, & permiſti cæde virorum*
*Semianimes voluuntur equi: pugna aſpera ſurgit.*
*Orſilochus Remuli* b *(quando ipſum horrebat adire)*
*Haſtam intorſit equo, ferrúmque ſub aure reliquit:*
Orſilochus. *Quo ſonipes ictu furit arduus, altaque iactat*
*Vulneris impatiens arrecto pectore crura:*
*Voluitur ille excuſſus humi. Catillus Iolam*
*Ingentémque animis, ingentem corpore & armis,*
Herminii cædes. *Deiicit Herminium: nudo cui vertice fulua*
*Cæſaries, nudique humeri, nec vulnera terrent.*
*Tãtus in arma patet:* c *latos huic haſta per armos* d
*Acta tremit, duplicatque, virum transfixa, dolorem.*
*Funditur ater vbique cruor: dant funera ferro*
*Certantes, pulchramq; petunt per vulnera mortem.*

*a* In altis & profundis ſanguinis riuis ob ſtragis magnitudinem toto campo late manantibus.

*b* Orſilochus quidem Remulum legerat & animo deſtinarat: ſed non auſus eum cominus adoriri, haſtam eminus in eius equum intorſit, eúmque ſub aure ita ſauciauit, vt cuſpis in vulnere remaneret. Quo ictu equus dolore furit arduus & erectus, & ita crura anteriora iactauit, vt arrecto pectore, poſterioribus tantum pedibus inſiſteret, & Remulus equi dorſo excuſſus præceps in terram volueretur.

*c* Tantus patet, tam fortis & generoſus in prælia, vt nudo capite, nudis humeris in aciem procedat, nec vllo vulnerum metu terreatur.

*d* Notat Seruius *armos* hic dici abuſiue. *Nam propriè armi quadrupedum ſunt.* Huic igitur Herminio haſta à Catillo cõiecta & per humeros acta, corpus transfixit & tranſuerberauit, tãtumque vulnus inflixit vt & humeros & pectus vno & eodem ictu ſauciarit, & ita virum transfixa dolorem quaſi gemino vulnere duplicauit.

*At medias inter cædes exultat* a *Amazon*
*Vnum exerta latus pugnæ*, b *pharetrata Camilla,*
*Et nunc lenta* c *manu ſpargens haſtilia denſat,*
*Nunc validam dextrâ rapit indefeſſa bipennem,*
*Aureus ex humero ſonat arcus*, d *& arma Dianæ.*
*Illa etiam ſi quando in tergum pulſa receßit,*
*Spicula conuerſo fugientia* e *dirigit arcu.*
*At circùm lectæ comites, Larinaque virgo,*
*Tullaque, & æratam quatiens Tarpeia ſecurim,*
*Italides, quas ipſa decus* f *ſibi dia Camilla*
*Delegit, paciſque bonæ, bellique miniſtras.*
*Quales Threiciæ*, g *cùm flumina Thermodoontis*

Res à Camilla preclare geſta.

Comparatio.

a At Camilla tanquam Amazon, pharetram gerens & vnum latus exertum habens, id eſt vnam papillam habens nudam, exertam & è veſtibus eductam, exultat inter medias cædes geſtiens & ſecura præ animi magnitudine, quaſi ludicris & non veris dimicationibus intereſſet.
b Vel inter medias cædes pugnæ exultat, vel vnum latus exerit ad pugnam.
c Haſtilia noua facta è ligno viridi, quæ adhuc lentari, id eſt, flecti nullo negotio poſſint, denſe & ſparſim iaculatur.
d Vel qualibus vtitur Diana, vel quæ à Diana dono acceperat.
e Fugientia vocat ſpicula, quæ fugiens iaculatur. Illa, etiam inquit videlicet Camilla ſi quando tergum hoſtibus dare cogeretur, nihilo ſecius à tergo pugnabat, & arcu in hoſtes conuerſo fugiens ſpicula dirigebat.
f Eas ſibi delegerat Camilla vt eam honoris cauſſa comitarẽtur, séque pacis & belli fideles miniſtras Reginæ exhiberẽt.
g Tales erant Italicæ virgines circa Camillam, quales Amazones circa Penthesileam aut Hyppolitem reginas ſuas Seruius. *Tanais fluuius eſt qui ſeparat Aſiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitauerunt, vnde poſtea ad Thermodoonta fluuium Thraciæ ſe tranſtulerunt* Idque confirmat auctoritate Salluſtii. *Dein campi Threißi quos habuere Amazones ab Tanai flumine, incertum quam ob cauſſam digreßæ.* Hippolyte regina fuit Amazonum quam Hercules baltheo

*Pulſant: & pictis bellantur Amazones armis,*
*Seu circum Hyppoliten, ſeu cum ſe Martia curru*
*Pentheſilea refert, magnóque vlulante tumultu,*
*Fæminea exultant lunatis agmina peltis.*
Eumenium occidit. *Quem telo primum, quem poſtremum aſpera virgo*
*Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?*
*Eumenium Clytio primum* a *patre, cuius apertum*
*Aduerſi longa transuerberat abiete pectus.*
*Sanguinis ille vomens riuos cadit, atque cruentam*
Et alios multos. *Mandit humũ morienſq; ſuo ſe in vulnere* b *verſat.*
*Tum Lirin, Pagaſumque ſuper: quorum alter habenas,*
*Suffoſſo* c *reuolutus equo dum colligit, alter*
*Dum ſubit, ac dextram labenti tendit inermem,*
*Præcipites, paritérque ruunt. his addit Amaſtrum*
*Hippotaden: ſequiturque incũbens* d *eminus haſta,*

ſpoliauit. Pentheſilea Martis filia quæ auxilium ferens Troianis ab Achille fuit interempta. Vide librum primum verſu 494.

a Camilla Eumenium Clytii filium primum omnium interficit, cuius aduerſi pectus longa haſta ex abiete facta transuerberat.

b Verſat ſe & volutat in ſuo ſanguine qui è vulnere magnâ copia defluebat.

c Seruius Suffuſo, *caſuro, nam ſuffuſi equi dicuntur, quos vulgo ceſpitatores dicunt. Alii* ſuffoſo *legunt*, id eſt præcipiti & cadenti. Donatus. *Cùm liris lapſu equi deceptus, habenas colligere niteretur, amiſit tuitionẽ corporis ſui. Pagaſus cùm lapſo auxilium ferret, ſe ad ſuſtentationem ruentis inclinans, & inermem dexteram lapſo porrigens, diſcrimen imminens vterque vitare non potuit, ſic factum eſt vt pariter necarentur.* Dici poteſt equus ſuffoſſus ab ipſo ſeſſore ſtimulis & calcaribus. lib 6.

——— *Foderet calcaribus armos.*

vel foſſus & transfixus ab hoſtibus ſub ipſo ſeſſore.

d Vrgens & inſequens.

*Tereaque, Harpalycumque, & Demophoonta, Chrominque.*
*Quótque remiſſa manu contorſit ſpicula virgo,* Ornytum.
*Tot Phrygii* a *cecidere viri: procul Ornytus armis*
*Ignotis* b *& equo venator Iapyge* c *fertur:*
*Cui pellis latos humeros erepta iuuenco*
*Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus*
*Et malæ texere lupi cum dentibus albis:*
*Agreſtiſque manus armat ſparus:* d *ipſe cateruis*
*Vertitur in mediis, & toto vertice ſuprà eſt.*
*Hũc illa exceptũ* e *(neq; enim labor agmine verſo)*
*Trajicit, & ſuper hæc inimico pectore fatur:*
*Syluis te Tyrrhene feras agitare putaſti?*
*Aduenit* f *qui veſtra dies muliebribus armis*
*Verba redargueret: nomen tamen haud leue partũ*
*Manibus hoc referes, telo cecidiſſe Camillæ.*
*Protinus Orſilochum, & Butem, duo maxima Teucrûm.*

a *Aut verè Phrygii*, inquit Donatus, *aut pro Phrygibus pugnantes.*
b Nouis, inſuetis, hactenus ignotis.
c Apulo. Iapigia pars Apuliæ.
d Seruius. *Sparus eſt ruſticum telum in modum pedis recuruum. Eſt* Varro ait, *telum miſſile à piſcibus dicta ſimilitudine, qui ſpari vocantur*: alii *ſparos à ſpargendo dici putant.* Vide Milonianam parag. 65. Nota 5.
e Ornytum fugientem cum excepiſſet ſiue à tergo adorta fuiſſet Camilla, ferro tranſuerberauit. Neque enim difficile fuit eum à tergo adoriri, cum agmen in fugam verſum eſſet.
f Aduenit dies qui veſtra verba redargueret, & executeret verborum iactantiam armis meis quæ ſum fœmina. Inferis tamẽ renuntiabis te ingentem tibi in morte gloriam comparaſſe, cum occiſus fueris non à quauis muliere, ſed à Camilla virgine fortiſſima.

Corpora: ſed Buten a aduerſum cuſpide figit
Butes Loricam galeámque inter, quà colla ſedentis
Lucent, & læuo dependet parma lacerto.
Orſilochus. Orſilochum fugiens b magnúmque agitata per orbẽ
Eludit gyro interior, ſequitúrque ſequentem:
Tum validam perque arma viro perque oſſa ſecurim
Altior exurgens, oranti & multa precanti
Congeminat: c vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic d ſubitóque aſpectu territus hæſit
Apenninicolæ e bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dũ fallere fata f ſinebãt.
Iſque vbi ſe nullo iam curſu euadere pugnâ
Aunus. Poſſe, neque inſtantem reginam g auertere cernit:

a Buten ex aduerſo ſibi reſiſtentem Camilla figit & vulnerat inter extremas loricæ & galeæ oras, qua parte colla ſedentis in equo ſiue equitantis apparent, & è ſiniſtro brachio parma dependet, neque ad tuendam læuam colli partem attollitur. Hanc igitur infligendi vulneris occaſionem nacta ſolertè eum locum rimata eſt.

b Vt adoriretur Orſilochum Camilla fugam ſimulauit, ita tamen vt fugeret non recto curſu, ſed circulari & magnum orbem fugâ deſcriberet. Quam cùm ille ſequeretur & per magnum illum orbem agitaret, ipſa incœpit minorem & contractiorem circulum fugiendo deſcribere, & ita factum eſt vt interior ſiue centro circuli vicinior breuiore gyro & Orſilochum eluderet, eúmque, qui ſequi putat, ipſa ſequeretur.

c Securim ſemel & iterum impegit.

d In Camillam delapſus eſt imprudens.

e Seruius. *Quia Liguria maiore parte ſui in Apennino eſt conſtituta.*

f Idem. *Ligures autem omnes fallaces ſunt, ſicut ait Cato in ſecundo Originum libro.*

g Declinare & effugere vel *reginam auertere* dixit pro in aliam partem à ſe diuertere, facere vt aliò diuertat. *Proprio verbo vſus eſt*, inquit Seruius, *ut eſt mos equeſtris.*

*Conſilio verſare dolos ingreſſus, & aſtu,*
*Incipit hæc: Quid tam egregium,* a *ſi fœmina forti*
*Fidis equo? dimitte fugam,* b *& te cominus æquo* Suadet Camillã ex equo deſcendere.
*Mecum crede ſolo,* c *pugnæque accinge* d *pedeſtri:*
*Iam noſces ventoſa* e *ferat cui gloria laudem.*
*Dixit: at illa furens* f *acrique accenſa dolore,*
*Tradit equum comiti: paribuſque aſsiſtit in armis,* Illa deſcendit.
*Enſe pedes nudo, puraque* g *interrita parmâ.*
*At iuuenis viciſſe dolo ratus, auolat ipſe,* h Aunus fugit.
*Haud mora, conuerſiſque fugax aufertur habenis,*
*Quadrupedémque citum* i *ferrata calce fatigat.*

a Quid eſt tandem cur adeo ſuperbia tumeas & glorieris, ſi tu non in tua ipſius virtute (neque enim virtus in fœmina reperiri poteſt) ſed in equi tui velocitate ponis fiduciam.

b Equum tuum dimitte quo ſoles vti ad fugam capeſſendam vt eius velocitate periculo ſubtraharis.

c Donatus. *Quapropter ſi aliquam tui fiduciam geris, petamus campum & æqua conditione certemus. Sit iuſtum inter pares pugnæ certamen, atque appareat virtus propria magis, quam aliunde quæſita.*

d Præpara te ad pugnam pedeſtrem. Dicit, *accinge*, quia veſtes altiùs in nodum colligebant, vt expeditiores ad pugnam deſcenderent. Hinc milites in procinctu.

e Experiendo cognoſces vanam eſſe inanem & ventoſam gloriam, quæ te inflat perinde atque ſi veram tibi laudem peperiſſet. Aſſerit Seruius legendum *fraudem*, hoc ſenſu Iam noſces vtri noſtrum fraudem & damnum latura ſit inanis iſta gloria, & futilis iactantia.

f Meritò furens, quippe quæ audiebat ſibi vanam gloriam & fugam exprobrari.

g Nullo adhuc inſignita belli facinore. *Tunc enim primùm* inquit Seruius, *in bella deſcenderat.*

h Emphaſis: ipſe qui Camillam prouocauerat ad pedeſtre certamen.

i Equum iam ſua ſponte & generoſitate incitatum ad fatigationem vſque ſtimulat calcaribus.

*Vane Ligur a fruſtraque animis elate ſuperbis,*
*Nequicquam patrias b tentaſti lubricus c arteis:*
*Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.*
*Hæc fatur virgo: & pernicibus ignea plantis*
Sequitur Camilla. *Tranſit equum curſu: freniſque aduerſa prehenſis*
*Congreditur, pœnaſque inimico ex ſanguine ſumit:*
*Quam facile accipiter ſaxo ſacer d ales ab alto*
Aunum interficit. *Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam,*
*Compreſſámque tenet, pedibuſque euiſcerat vncis:*
Comparatio. *Tum cruor, & vulſæ labuntur ab æthere plumæ.*
*At non e hæc nullis hominum ſator atque deorũ*
Iupiter Tarchõtẽ ſuſcitat. *Obſeruans oculis, ſummo ſedet altus Olympo.*
*Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia ſæua*

*a* Aunus Camillæ vanitatem obiecerat: quod ea fortis videri vellet, nec tamen virtuti propriæ, ſed equi velocitati confideret. Camilla crimen retorquet eúmque vanitatis & ſuperbiæ arguit qui cùm magno faſtu verborumque iactantia ipsã prouocaſſet in pedeſtre certamen, propriæ virtuti diffiſus ad dolos confugerat: Vanus igitur qui futiles dolos & fallacias pro vera germanáque virtute venditaret.

*b* Quas vel à patria Liguria traxiſti: vel ab Auno patre didiciſti.

*c* Qui fraudibus & fallaciis hoſtes hactenus eludere ſolebas, & elabi, quemadmodum ſerpens aut anguilla læuitate corporis & mobilitate è captantium manibus elabitur.

*d* Seruius. Sacer ideo quia Marti eſt conſecratus accipiter: aut ſacer, auibus execrabilis: aut alluſum ad nomen Græcum ἱέρηξ & ἱέραξ, id eſt ſacer.

*e* Interea Iupiter qui homines & deos procreauit, ſedebat in ſummo cœli faſtigio, non conniuentibus oculis obſeruans ea quæ tum à Camilla gerebantur, & ratus ad ſuam prouidentiam pertinere, vt res Troianorum labentes fulciret ac ſuſtineret. Tarchontem ducem Hetruſcorũ in prælia ſuſcitauit.

Donatus. *Suſcitat pulchrè poſuit quaſi eum ſuis otioſè dormientem, aliis duro Marte pugnantibus. Suſcitabatur ergo ſtimulis acrioribus ad bellum vt illis fieri ſolet qui alto ſomno preſſi facilius euigilare non poſſunt.*

*Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus incitat iras.*
*Ergo inter cædes, cedentiaque a agmina Tarchon*
*Fertur equo, variſque inſtigat vocibus alas,*
*Nomine quemq; vocans, reficitque in prælia pulſos.*
*Quis metus, ô nunquam dolituri, b ô ſemper inertes*
*Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?*
*Fœmina palenteis agit c atq; hæc d agmina vertit?*
*Quo ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?*
*At non in Venerem ſegnes, nocturnáque bella,*
*Aut vbi Curua choros e indixit tibia f Bacchi,*
*Expectare dapes, & plenæ pocula menſæ,*

*Tarchon ſuos hortatur iiſque ea probat Ignominiã*

*a* Idem. Cùm cecidiſſent alij, cæteri verò inſtãtibus cederent, Tarchon diſcurrebat per vniuerſos, celeri equo vectus, equitum alas inſtigans variis vocibus, blandis aut ſeueris, argumento ab honeſtate aut vtilitate ſumpto pro cuiuſque captu ſingulos nominatim compellans, & ita pulſos ad bellum reuocabat.

*b* O adeò hebetes & ſtupidi vt nulla moueamini iniuria, nullam contumeliam aut infamiam ſentiatis.

*c* Vna fœmina vos, qui viri videri vultis, palantes & fuga diſperſos agit, vt inertia quædam animalia quæ paſtoris arbitratu de loco in locum transferuntur.

*d* Donatus. *Demonſtrat hoc dictum quantum obiurgationi pondus adiect? Quanto inquit, agmine ſitis congregati, veſtris oculis intuemini, & tamen vos vna agit fœmina & dare terga compellit.*

*e* De variis chorearum generibus, vide Piſonianam parag 18. Nota 4.

*f* Seruius tibiam Bacchi & chorum vocari ſcribit, *quia apud veteres, ludi theatrales non erant niſi in honorem Liberi Patris. hanc tibiam Græci πλαγίαυλον, vocant, Latini vaſcam tibiam, & eſt Dionyſia, cùm maximè ea Satyri vtuntur.*

*g* Tunc etiam non ſegnes eſtis, cùm ſacrificium & chorus Bacchi tibiæ ſonitu vobis indicitur, ſed hic amor, hoc ſtudium eſt vobis expectare dapes & pocula, voſque ad gnauiter epulandum acuere, donec haruſpex inſpectis victimarum extis ſacra proſpera & ſecunda denunciet, & ipſa hoſtia

*Saucius at ſerpens ſinuoſa volumina verſat,*
*Arrectiſque horret ſquamis & ſibilat ore,*
*Arduus inſurgens: illa haud minùs vrget adunco*
*Luctantem roſtro, ſimul æthera* a *verberat alis:*
*Haud aliter prædam Tyburtum ex agmine Tarchon*
*Portat ouans. Ducis exemplũ,* b *euentúmq; ſecuti*
*Mæonidæ incurrunt: tum fatis debitus* c *Aruns*
*Velocem iaculo, & multa prior arte Camillam*
*Circuit: & quæ ſit fortuna facillima* d, *tentat.* *Aruns inſidiatur Camillæ.*
*Quà ſe cunque furens* e *medio tulit agmine virgo,*
*Hac Aruns ſubit, & tacitus* f *veſtigia luſtrat.*
*Quà Victrix redit illa, pedemque ex hoſte reportat:*
*Hac iuuenis furtim* g *celeres detorquet habenas,*
*Hos aditus, iámque hos aditus omnemque pererrat*

Fert reluctantem draconem nihilominus eum vrget roſtro, eúmque ferens volat, perinde ac ſi non reluctaretur: ita Tarchon reluctantem Venulum cognomine Tyburtum, nihilo ſeciùs ferebat, vrgebat, & locum vulneris infligendi ferro rimabatur. Aliquid huiuſmodi Cæſari contigiſſe ſcribit Seruius. *Nam C. Iulius Cæſar cum dimicaret in Gallia, & ab hoſte raptus, equo eius portaretur armatus, occurrit quidem ex hoſtibus qui eum noſſet, & inſultans ait* Cæſar, Cæſar, *quod Gallorum lingua* Dimitte, *ſignificat, & ita factum eſt vt dimitteretur. Hoc autem ipſe Cæſar in Ephemeride ſua dicit, vbi propriam commemorat felicitatem.*

*a* Aëra. *b* Exemplo, ſiue ductu & auſpicio Tarchontis. Tyrrheni de integrò prælium inierunt. Dicti Mœnidæ quia ex Lydia Mœonia vicina in Italiam tranſcripti fuerant eorum maiores. 8. Æneidos. 498.

—— *Mæoniæ delecta iuuentus.*

*c* Morti deſtinatus, vt videlicet telis Dianæ, Opis manu moriatur, poſtquam ipſe Camillam occiderit.

*d* Quærit occaſionem feriendi:

*e* Non cogitans de periculo ſuis ceruicibus imminenti.

*f* Latens.

*g* Clam, & inſidioſe.

*Vndique circuitum*, a *& certam quatit improbus* b *haſtam.*

*Chloreus*

*Forte ſacer Cybelæ Chloreus, olimque* c *ſacerdos*
*Inſignis longè Phrygiis fulgebat in armis,*
*Spumantémq; agitabat equũ, quem* d *pellis ahenis*
*In plumam ſquamis auro conſerta* e *tegebat:*
*Ipſe* f *peregrina ferrugine clarus, & oſtro,*
*Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu:*
*Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea vati*

*Eius armatura.*

a Donatus. *Quacunque abibat, vel quacunque habuit tranſitum, & quoſcunque illa circuitus obibat, obſeruabat iſte opperiens caſũ quo poſſet circumuenire fortiorem. Haſtam autem manu frequentius agitabat: Hoc enim hominis ſuggerebat improbitas, hoc eſt concepta impatienter cupiditas feriendi.*

b Improbus hoc eſt propoſiti tenax, nec prius ab eo deſtiturus quàm Camillam interfecerit, quatit & vibrat haſtam certam & ineuitabilem. ſic —— *Labor omnia vincit*
*Improbus* —— id eſt pertinax.

c Dum Troia ſtabat incolumis, & Cybele mater Deorum colebatur à Phrygibus magna religione.

d Hunc equum Chlorei cataphractum contegebat pellis ferina, æreis quibuſdã ſquamis & laminis cooperta, aureis ſquamarum commiſſuris conſerta & diſcriminata opere plumario ſic vt lamina in laminam indueretur, & inſtar plumarum altera ſquama alteri incumberet, & ſic ordinatæ ſe inuicem ſuſtinerent, & ſerie quadam inter ſe necterentur. Vide Lipſium lib. 3. de milit. dial. 6.

e Lipſius ibidem Quam etiam pellem *auro conſertam* facit. an quia aurum in ſquamis mixtum? an quia ipſa ſquamæ immixtæ? id eſt catenulis aut filis ex auro.

f Ipſe Chloreus conſpicuus veſtem oſtro, id eſt, purpura, & ferrugine, id eſt, colore quodam violaceo & ferri inſtar nitente ſimul & ſubnigricante diſcriminata, gerens Cretenſes ſagittas arcu corneo & Lycio dirigebat. Gortynos vrbs Cretæ. g Chloreo ſacerdoti; iidem enim & vates & ſacerdotes vt Helenus lib. 3. Caſſida, caſſidæ vt apud Propertium lib. 3. eleg. 2.

*Caſſida: tum croceam clamydémque* a *, ſinúſque crepantes.*
*Carbaſeos, fuluo in nodum collegerat auro,*
*Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.*
*Hunc virgo* b*, ſiue vt templis præfigeret arma*
*Troia, captiuo ſiue vt ſe ferret in auro,*
*Venatrix vnum ex omni certamine pugnæ*
*Cæca ſequebatur, totúmque incauta per agmen*
*Fœmineo prædæ, & ſpoliorum ardebat amore.*
*Telum ex inſidijs cùm* c *tandem tempore capto*
*Conÿcit, & ſuperos Aruns ſic voce precatur:*
*Summe deûm* d *ſancti cuſtos Soractis Apollo,*
*Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo*

*Eum ſequitur Camilla amore ſpoliorum*

*Arunis preces.*

a Idem Chloreus chlamydem croceo colore tinctam & ſinus è carbaſo filis aureis intextos, ac proinde motu & agitatione crepitantes, aurea fibula nodatos collegerat, ne deſluerent & pugnantem impedirent, habens tunicam & bracchas (quas etiam Tacitus 16. annalium *tegmen barbarum* appellat) acu Phrygia pictas.

b Hunc Chloreum vbi conſpexit Camilla, tam impatienter (vt fœminæ ſolent) prædæ & ſpoliorum cupiditate exarſit, vt incauta, nec ſibi cauens, nec omnino ſuum ipſius periculum videns, eum vnum ex toto agmine ſequeretur. quod facere facile potuit, vt pote venatrix & ſectandis ferarum veſtigiis aſſueta. Hunc autem ita ſequebatur, vt eum ſpoliaret occiſum, & vel arma Troiana tam inſignia templorum foribus appenderet, diiſque conſecraret, vel vt aureis ſpoliis induta incederet, ſéque in iis oſtentaret.

c Cum autem Aruns telum ex inſidiis in Camillam intorquet, nactus inferendi vulneris occaſionem quam diu multumque quæſiuerat.

d Summum Deorum appellat, vel ex affectu rogantis (vt notat Seruius) cum cæteroquin Iupiter ſummus Deorum à gentilibus eſſe crederetur, vel quia omnium fere Deorum poteſtas ad Solem refertur, vt ſcribit Macrobius.

Hirpini prunas impunè calcantes.

*Paſcitur* a *& medium freti pietate per ignem*
*Cultores multá premimus veſtigia pruná:*
*Da pater hoc noſtris* b *aboleri dedecus armis,*
*O omnipotens, non exuuias* c *pulſæve trophæum*
*Virginis, aut ſpolia vlla peto: mihi cætera* d *laudem*
*Facta ferent: hæc dira meo dum vulnere* e *peſtis*
*Pulſa cadat, patriam remeabo inglorius vrbem.*
*Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partem*
*Mente dedit* f, *partem volucres diſperſit in auras,*
*Sterneret vt ſubita turbatam morte Camillam,*
*Annuit oranti, reducem vt patria alta videret,*

a Plinius c. 2 lib. 7. *Haud procul ab vrbe Roma in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ quæ vocantur Hyrpiæ, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollinis, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur, quos ideo vacationem à Senatu habuiſſe teſtatur. Varro non familiis certis id tribuit ſed medicamento quo plantas tingunt.* At noſter eos ait fretos non origine familiæ non medicamento, ſed ſola pietate, & Apollinis quem præ cæteris colunt, cui ſacrum ignẽ è pinu in ſtruem coaceruata nutriunt, fiducia per ignem ambulare & ſine fraude detrimentóque prunas ardentes premere nudis veſtigiis.

b Tu qui & cultores tuos vt pater filios diligis, & omnia potes (ex affectu *omnipotentem* vt ſuprà *ſummum deorum* appellat) concede mihi vt hoc decus, hæc infamia adſperſa nomini noſtro, quo fœmina viros virtute ſuperauit, armis meis abolita deleatur, Camilla interfecta.

c *Exuuias occiſæ, pulſæ trophæum propriè*, inquit Seruius.

d Non quidem adeo ſum vilis & abiecti animi vt reſpuã laudem fortitudinis militaris, ſed eã mihi aliis factis parere malo quem vnius virginis nece. Quòd ſi non alia ſe offeret demonſtrandæ virtutis comparandæque laudis occaſio, tãti mihi eſt in patriam inglorium redire, dummodo Camilla, exitialis peſtis, mea manu deleatur.

e Vulnere quod inflixero.

f Annuit ex animo, vt —— *Quid ſi quod voce grauaris Mente dares?* Duo petierat Aruns, alterum vt Camillam occideret, alterum vt ipſe in patriam incolumis

*Non dedit, inque Notos vocem vertêre procellæ.*
*Ergo vt miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras,*
*Conuertêre animos acreis, oculóſque tulere*
*Cuncti ad reginam Volſci: nihil ipſa, a nec auræ*
*Nec ſonitus memor, aut venientis ab æthere teli,*
*Haſta ſub exertam donec perlata papillam*
*Hæſit, virgineumque altè bibit acta cruorem.* Camillæ lethali ictu vulneratur.
*Concurrunt trepidæ comites, dominámque ruentem*
*Suſcipiunt, fugit ante omnes exterritus Aruns*
*Lætitia, miſtoque metu: nec iam ampliùs haſtæ*
*Credere,* b *nec telis occurrere virginis audet.* Aruns fugit.
*Ac velut ille* c *prius quàm tela inimica ſequantur,*
*Continuò in montes ſeſe auius abdidit altos*
*Occiſo paſtore lupus, magnóve iuuenco,*
*Conſcius audacis facti, caudámque remulcens*

remearet. Annuit Apollo quod ad Camillæ necem ſpectabat, ſed eam voti partem irritam fecit quæ ad reditum in patriam pertinebat, quaſi effuſa fuiſſet in ventos, & in auras diſperſa.

a Camilla hiante atque imminenti prædæ cupiditate ſic ferebatur vt tantum de necando Chloreo cogitaret nec auras teli iactu ſtridentes, haſtamque per aëra venientem aduerteret, donec haſta ad ſiniſtrum latus, quod exerta nudataque papilla vulneri patebat, perueniens ibi hæſit & altè profundéque adacta virginis ſanguinem hauſit.

b Supra verſu 767. ——— *Certam quatit improbus haſtam.* ſenſus eſt igitur huius loci: Aruns qui prius certã haſtã quatiens: certuſque de euentu inſidiatus fuerat Camillæ, ea vulnerata nõ iam amplius haſtæ ſuæ credere audebat dubius an ictum pertuliſſet. Itaque metu conſternatus fugiebat ne Camillæ quã nõ credebat eo vulnere moritura, telis occurreret.

c Ac velut lupus poſtquam paſtorem aut magnum iuuencum occiderit, audacis illius facti ſibi conſcius: continuò de via deflectens, ne à frequentibus opprimatur, ſe in montes altos abſcondit prius quam tela ab inimicis, paſtoris aut iuuenci

*Effuge, & hæc Turno mandata nouiſſima* a *perfer:*
*Succedat* b *pugnæ, Troianoſque arceat vrbe.*
*Iámque vale: ſimul his dictis linquebat habenas,*
*Ad terram non ſponte fluens, tum frigida toto*
*Paulatim exoluit* c *ſe corpore, lentaque colla*
*Et captum letho poſuit caput* d*, arma relinquens?*
*Vitaque* e *cū gemitu fugit indignata ſub vmbras.*
*Tum verò immenſus* f *ſurgens ferit aurea clamor*
*Sidera; deiecta crudeſcit pugna Camilla.*
*Incurrunt denſi, ſimul omnis copia* g *Teucrûm,*
*Tyrrhenique duces, Euandrique Arcadis alæ* h*.*
*At Triuiæ cuſtos* i *iam dudum in montibus Opis*
*Alta ſedet ſummis, ſpectatque interrita pugnas:*
*Vtque procul medio iuuenum in clamore furentum*
*Proſpexit triſti mulctatam morte Camillam,*

*Camilla moriens dat Turno mandata.*

*Pugna recrudeſcit.*

a Poſt quæ nihil ampliùs ei mandabo.
b In meum locum ſuccedebat.
c Corpus eſt veluti vinculum animæ, vnde & à Græcis δέμας quaſi δεσμὸς vocatur Camilla igitur, id eſt, anima quæ præcipua pars eſt Camillæ: dicitur paulatim ſe corpore exoluere; & è vinculis corporis euolare.
d Soluto iam omni vigore, collum inflexit, caput depoſuit letho iam occupatum, & reſolutis membris arma de manibus ceciderunt.
e Seruius. *Seruat hoc vbique vt iuuenum animas à corpore dicat cum dolore diſcedere, quod adhuc ſuperſtites eſſe potuerunt: quod etiam de Turno dicturus eſt.*
f Poſt Camillæ necem magnus Troianorum exultantium, Latinorum lamentantium clamor ad cœlum attollitur, Troianis inſtaurantur animi, pugna recrudeſcit.
g Exercitus copiæ, vt libro 2.
*—— Et quæ ſit me circum copia luſtro.*
h Auxiliares equitum turmæ.
i Opis nympha, Dianæ, quæ in triuijs colitur, ſtipatrix & quaſi ſatelles.

*Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:*

Opis ingemiſcit.

*Heu nimiùm virgo, nimiùm crudele luiſti*
*Supplicium, Teucros conata laceſſere bello.*
*Nec tibi* b *deſertæ in dumis coluiſſe Dianam*

Opis oratio.

*Profuit, aut noſtras humero geßiſſe pharetras:*
*Non tamen indecorem* c *tua te regina relinquet*
*Extrema iam in morte, neque hoc ſine nomine lethum*
*Per gentes erit, aut famam patieris inultæ:*
*Nam quicunque tuum violauit* d *vulnere corpus*
*Morte luet merita. Fuit ingens monte ſub altò*
*Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum* e
*Antiqui Laurentis, opacáque ilice tectum.*

*a* Non queror, ô Camilla, quòd ſupplicium aliquod expenderis, peccaueras enim fateor, pœnamque merebaris, auſa Troianos dijs acceptiſſimos bello prouocare: ſed tantum de nimia ſupplicij crudelitate queror. Potuiſti enim citra mortem pœnas exoluere.

*b* Illud præterea queror nihil tibi profuiſſe, quod pater te ab ipſa pueritia Dianæ vouit, eiúſque cultui mancipauit, quòd in ſyluis dumetiſque vitam agens, deſerta, & ab hominum conſortio, ſegregata Dianam coluiſti & eaſdem pharetras humero geſſiſti, quibus nos Dianæ comites delectamur.

*c* Illud tamen in tanta calamitate tibi debet eſſe ſolatio, quòd Diana Regina tua non te relinquet indecorem & inhonoratam, ſed mortem tuam ſic honorabit, vt omnium gentium ore celebretur, neque vnquam inulta diceris mortem oppetiiſſe, ſed ea quoque fama titulis tuis accedet, quod te Diana, ſi à morte ſeruare non potuit, tamen vlta eſt interemptam.

*d* Supra verſu 590.

*e* Deſcribit locum ad quem Opis deſcendit è montibus, vt ſagittam in Aruntem certius & magis è propinquo deſtinaret. Fuit inquit, ad radicem montis alti, ingens ſepulchrum

*Hic a dea ſe primùm rapido pulcherrima niſu*
*Siſtit, & Aruntem tumulo ſpeculatur ab alto;*
*Vt vidit fulgentem armis ac vana* b *tumentem.*
*Cur inquit, diuerſus abis* c*? huc dirige greſſum,*
*Huc periture veni, capias vt digna Camillæ*
*Præmia, tunc etiam* d *telis moriere Dianæ?*
*Dixit, & auratâ volucrem Threiſſa* e *ſagittam*
*Deprompſit pharetrâ, cornúque infenſa tetendit:*
*Et duxit longè, donec curuata coirent*
*Inter ſe capita, & manibus iam tangeret æquis,*

*Opis telum intendit.*

Decenni antiqui Laurentinorum Regis, è terra congeſta exaggeratum, & ad maiorem religionem denſis ilicibus opacatum. Seruius. *Apud maiores, nobiles aut ſub altis montibus, aut in ipſis montibus ſepeliebantur; unde factum eſt vt ſuper cadauera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ.*

a In hoc Dercenni tumulo Opis primùm conſtitit cùm eò rapide & celeriter aduolaſſet, ita tamen vt hac volatus rapiditate nihil decoris amitteret, ſed paribus alarum nomentis & niſibus hinc inde librata vel in luctu & mœrore pulcherrimam ſui ſpeciem exhiberet.

b Turgentem, inflatum & inani gloria volitantem.

c Cur, ô Aruns, in diuerſa tendis, turbæque tuorum te immiſces, vt eorum armis circumfuſus, mortem euites? huc conuerte greſſum, huc accede moriturus, vt pro tuis in Camillam inſidiis puniaris, & iuſtam necis per inſidias illatæ mercedem percepias.

d Hoc vnum in tua morte mihi dolet quod nimis honorifice moriaris, Dianæ telis interfectus, qui mortem obſcuram & ignobilem oppetere debuiſti.

e Opis Amazon, id eſt, ſimilis illis Amazonibus quæ Thermodoontem & Hebrum Thraciæ fluuios incolebant. Opis igitur celerem ſagittam deprompſit ex aurata Pharetra, & infenſa infeſtaque Arunti arcum corneum tetendit, longéque adduxit, donec arcus incuruati duæ extremitates inter ſe propemodum conuenirent, & manibus æqualiter officio ſuo fungentibus, ſiniſtra manu cuſpidem ſagittæ, dextera autem nerno & ſiue fune arcus ad pectus adducto mamillæ ſummitatem contingeret.

Arun e interfic.

Læuâ aciem ferri, dextrâ, neruóque papillam.
Extemplo teli ſtridorem, auráſque ſonanteis
Audiit vnà Aruns, a hæſitque in corpore ferrum.
Illum expirantem ſocij atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in puluere b linquunt.
Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.
Prima fugit dominâ amiſſâ leuis ala Camillæ:

Fugiunt Latini.

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas:
Diſiectique c duces, deſòlatique manipli
Tuta petunt d & equis auerſi ad mœnia tendunt.
Nec quiſquam inſtanteis e Teucros, lethúmque ferentes
Suſtentare valet telis, aut ſiſtere contrà:
Sed laxos f referunt humeris languentibus arcus.

a Seruius. Celeritas iaculantis exprimitur: ſic Statius quemdam extinctum aiens, addit.

—— *Necdum certi tacet arcus Amyntæ.*

b Iure Aruns in puluere relictus dicitur, vt & ſacrilegi pœna exprimatur, & in memoriam lectoris promiſſum Dianæ reuocetur. —— *Miſerandæ corpus & arma* ——

*Inſpoliata feram tumulo, patriæque reponam.*

c Diſperſi, palantes.

d Manipulares cohortes militibus exhauſtæ & deſolatæ in tutum ſe recipiunt. Dicti manipuli quòd initio perticis fœni ſeu ſtraminis manipulos ſuſpenſos ferrent loco ſignorum & vexillorum. Ouidius.

*Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos*
*Vnde maniplaris nomina miles habet.*

Commodè etiam Seruius hoc loco. *Deſerti*, inquit, *ſigniferi, quod nimiis diſcriminis. Namque hoc vbique dux præcipit, vt frequentes circa ſigna ſint milites.*

e Vrgentes; inſequentes, nec iam vllus Latinorum poteſt inſequentium Troianorum impetum ſuſtinere.

f Arcus laxatos & remiſſos referunt humeris, quos manibus geſtare, & intendere debebant.

*Quadrupedúmque putrem* a *curſu quatit vngula campum.*
*Voluitur ad muros caligine turbidus atra*
*Puluis,* b*& è ſpeculis percuſſæ pectora matres*
*Fœmineum clamorem ad cœli ſidera tollunt.*
*Qui curſu* c *portas primi irrupere patenteis,*
*Hos inimica ſuper miſto premit agmine turba:*
*Nec miſeram effugiunt mortem, ſed limine in ipſo,*
*Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum*
*Confixi expirant animas: pars* d *claudere portas,*
*Nec ſociis aperire viam, nec mœnibus audent*
*Accipere oranteis, oritúrque miſerrima cædes*
*Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.*
*Excluſi ante oculos* e*, lacrymantumque ora parentum*

**Clades Latinorum.**

a Vide lib. 8. verſu 595.

b Puluis excitatus vſque ad muros Laurentinos voluitur obſcura caligine cœlum obtexens.

c Nonnulli Latinorum in portas ad receptum patentes magna celeritate irruperant, ſed Troianis agmine mixto inſequentibus oppreſſi ceciderunt: &, quod mortis genus miſerrimum eſt, cum iam ſe euaſiſſe crederent, in ipſo limine, in patriæ mœnibus, in priuatis ſuis domibus, quæ cæteris tutiſſimum refugium eſſe ſolent, Troianorum telis confixi vitam exhalant.

d Nonnulli Latini veriti ne hoſtes per portas apertas in vrbẽ irrumperent, eas clauſerunt, non auſi ſociis aditum aperire, aut mœnibus accipere. Quo factum eſt vt miſerrima cædes oriretur. Nã qui iam fuerant in tutum recepti, & mœnia defendebant, dum hoſtes peterent, ſuos feriebant. Excluſi autem in protenſas ſuorum haſtas ruebant, iiſque ſe vltro induebant, non valentes curſum reprimere, aut fugæ impetum ſuſtinere.

e Eorum qui ante oculos parentum lugentium excluſi fuerant pars in foſſas vrbis profundas & in præcipitium excauatas,

*Pars in præcipiteis foſſas vrgente ruina*
*Voluitur: immiſſis pars cæca & concita frenis*
*Arietat in portas, & duros obice poſtes.*
*Ipſæ de muris* a *ſummo certamine matres*
*(Monſtrat amor verus patriæ) vt videre Camillam,*
*Tela manu trepidæ iaciunt, ac robore duro*
*Stipitibus ferrum* b, *ſudibuſque imitantur obuſtis*
*Præcipites, primæque mori pro mœnibus audent.*
*Interea* c *Turnum in ſyluis ſæuiſſimus implet*
*Nuntius, & iuueni ingentem fert Acca tumultum,*

voluebatur, cæteris qui ſequebantur prementibus & in ruinam vrgentibus. pars timore cæca & equorum impetu concitata laxatis habenis in portas duris obicibus & poſtibus obſtructas impacta tantum ſonitum edebat, vt arietis, quod muralis tormenti genus eſt, impetum videretur imitari.

a In hoc extremo rerum diſcrimine non ſolùm viri patriam defendunt, ſed etiam matronæ, vt eas ſincerus patriæ amor edocet, trepidæ feſtinantéſque de muris in Troianos tela iaculantur, quemadmodum paulò ante viderant Camillã tela vibrantem fortitérque pugnantẽ. Caue enim verba, vt *videre Camillam*, interpretere, ſtatim atque viderunt Camillæ cadauer è pugna ſuarum comitum manibus referri. Nam nec referri in vrbem potuit, in hac fuga & trepidatione, & Diana ſe illud ablaturam maiorúmque ſepulchris illaturam eſſe promiſerat.

b Deficientibus haſtis ferro præfixis, ſtipitibus quibuſdam durum robur habentibus ac ſudibus igne obduratis, ipſamque adeo ferri duritiam imitantibus vtuntur ad repellendos ex vrbe Troianos.

c Dum hæc ad vrbem gererentur, ſæuiſſimæ cladis nuntius, ad Turnum in ſyluis, quas ad circumueniendos Troianos inſederat, delatus, omnes eius & corporis & animi ſenſus compleuit atque turbauit: referebat enim Acca magno tumultu Volſcorum acies penitùs eſſe deletas, Camillam interemptam, Troianos Latinis infenſos ingruere, & in eorum perniciem incumbere, eos iam omnia proſperis belli ſucceſſibus obtinere, nihil ſupereſſe miſeris Latinis præter

*Deletas Volſcorum acies, cecidiſſe Camillam,*
*Ingruere infenſos hoſtes, & Marte ſecundo*
*Omnia corripuiſſe: metum iam ad mœnia ferri.*
*Ille furens* a *( & ſæua Iouis ſic numina poſcunt)*
*Deſerit obſeſſos* b *colles, nemora aſpera linquit.*
*Vix è conſpectu exierat,* c *campumque tenebat,*
*Cùm pater Æneas ſaltus ingreſſus apertos,*
*Exuperatque iugum, ſyluáque euadit opacâ.*
*Sic ambo ad muros* d *rapidi, totóque feruntur*
*Agmine: nec longis inter ſe paßibus abſunt.*
*Ac ſimul Æneas fumanteis puluere* e *campos*
*Proſpexit longè, Laurentiáque agmina vidit:*
*Et ſæuum* f *Ænean agnouit Turnus in armis,*
*Aduentúmque pedũ,* g *flatúſque audiuit equorum,*
*Continuoque* h *ineant pugnas, & prælia tentent,*

*Turno de morte Camillæ nuntiatur.*

*Turnus ab inſidiis recedit.*

*Æneas euadit è loci anguſtiis.*

mœnia, quibus ſalutem ſuam tueantur: iis iam hoſtes imminere, & ipſis mœnibus inferre terrorem.

*a* Seruius. *Duplici ratione inſidias eum reliquiſſe commemorat, dolore nimio*, qui Turnum cæcauerat, *& numinum voluntate*, Iouis præſertim qui ſæuus in Turnum, Æneam à paratis inſidiis exemit.

*b* Quos ipſe obſederat, vt Troianos illac tranſeuntes ex inſidiis inuaderet.

*c* Vix Turnus è conſpectu illarum faucium egreſſus erat ad planitiem, cùm Æneas ſaltus, qui iam diſceſſu Rutulorum aperti erant, ingreſſus & ſuperato euaſit iugo è ſylua.

*d* Turnus vt eos tuetur, Æneas vt obſideret, aut etiam ſolo æquaret.

*e* Puluerem inſtar fumi campos occupantem è longinquo proſpexit.

*f* Fortem: vt, *Sæuus vbi Aecidæ telo iacet Hector.*

*g* Strepitum venientium pedibus excitatum

*h* Continuò pugnas iniiſſent, niſi ſol occidiſſet, & ingruentibus tenebris eos à pugnandi impetu reuocaſſet. Totum enim diem Turnus in inſidiis conſumpſerat, & Æneas

Nox impedit certamen.

*Ni roſeus feſſos iam gurgite Phœbus Ibero* a
*Tingat equos, noctémque die labente reducat.*
*Conſidunt caſtris ante vrbem,* b *& mœnia vallant.*

compertis per exploratores inſidiis ſuum continuerat exercitum, quoad Turnus ex illis faucibus diſcederet.

a Oceanum occiduum intelligit quem Iberum vocat, id eſt, Hiſpanum, quia alluit Hiſpaniam. Dicitur autem ſol noctem reducere die occidente, non quòd reuera tenebras adferat, ſed quod ipſe à noſtro Hemiſphærio recedens noctem diei ſuccedere permittat: vnde fortaſſe aſpernanda non fuerit vetus illa lectio, quæ ante Clementis VIII. correctionem extabat in Breuiario Rom. Hymn. ad Primam.

*Vt cum dies abſceſſerit,*
*Noctemque ſol reduxerit*

b Ambo caſtra metantur ante vrbem, eámque mœnibus opere tumultuario factis, vallant & circundant.

# *FINIS.*

PVBLII

# VIR. MARONIS

## ÆNEIDOS

## LIBER XII.

MODESTINI IVRISCONSVLTI
In vndecimum Æneidos librum.

*ARGVMENTVM.*

Turnus iam factris aduerſo Marte Latinis
Semet in arma parat, pacem cupiente Latino.
Fœdus percutitur, paſſurus & omnia victus.
Hoc Turni Iuturna ſoror confundit, & ambos
In pugnam populos agit, ementita Camertem.
Æneas volucri tardatur membra ſagitta.
Anxia pro nato ſeruauit cura parentis.
Vrbs petitur- Vitam laqueo ſibi finit Amata,
Æneas Turnum campo congreſſus vtrinque
Circunfuſa acie, vita ſpoliauit, & armis.

*TVRNVS a vt infractos aduerſo Marte*
*Latinos*
*Defeciſſe videt, ſua nũc promiſſa repoſci,*

a Enumerat tres cauſſas cur Turnus ad ineundum cum Ænea ſingulare certamen exarſerit, & ita exarſerit vt placari non poſſet: vna eſt, videbat Latinos hactenus inuictos: tunc autem duarum pugnarum clade perculſos animo defeciſſe, altera: videbat ciuium inter ſe muſſitantium ſermonibus ſua promiſſa repoſci, ab ipsóque poſtulari vt cùm Ænea pugnam iniret, quod in Senatu promiſerat.

*Ibo animis contra, vel magnum præſtet Achillem.*

Tertia, videbat ſe ciuium apertè loqui non audentium

*Se ſignari oculis, vltrò implacabilis ardet,*
*Attollitque animos: Pœnorum qualis* a *in aruis*
5. Comparatio. *Saucius ille* b *graui venantum vulnere pectus,*
*Tum demum mouet arma leo: gaudetque comanteis*
*Excutiens ceruice toros,* c *fixúmque latronis* d

oculis oblique ſpectantibus deuorari. Has ob cauſſas vltrò, id eſt ſponte ſua, nullius oratione prouocatus aut laceſſitus ad pugnam exarſit.

*a* Ita Turnus ad pugnam ſeipſum incitauit, quemadmodum in Africa, leo tum demum dentes nudat & expedit immani rictu, vngues exerit, caudam agitat (quæ tria ſunt leonis arma) cum pectus habuerit grauiter vulneratum: quod ante vulnus non faciebat: tunc autem, accepto vulnere, ſpe vltionis exultat, & iubas toroſa fortique ceruice excutit, & impauidus frangit telum venatoris in ſuo pectore defixum, fremens & rugiens immaniter ſanguine in ipſas fauces redundante.

*b* Seruius Danielis, κατ' ἐξοχὴν *Ille leo*, id eſt princeps ferarum, vel certe veteri more ad magnitudinem pertinet, vt

*Ac velut ille canum morſu de montibus altis Actus aper*, &c.

Leo Turnus: Venatores Latini: pectoris vulnus, dolor in Turni pectore conceptus telum, triplex illa doloris cauſſa: fremitus, turbida oratio. *c* Ita Catullus de Atty,

*Rutilam ferox toroſa ceruice quate iubam.*

tori ceruicum, tori lacertorum, videntur eſſe quædam velut eminentiæ neruorum, tendonum, muſculorum, quæ quò magis extuberant, eo maius indicant corporis robur.

*d* Triplex eſt latronis acceptio 1. latro dicitur qui vt ſpoliet viatores, eos ex inſidijs à latere aggreditur Iuuenalis.

*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

2. Latrones dicuntur milites aut etiam ſtipatores regum mercede conducti. Plautus in milite.

*Seleucus me opere orauit maximo,*
*Vt ei conducerem latrones & conſcriberem.*

Dicti vel à λατρεύειν *mercede ſeruire*, vel quaſi Laterones, ſiue vt ait Varro, quòd circa latera regum ſint, ſiue quod habeant latus ferro accinctum.

3. Latro dicitur venator & inſidiator, ſiue à canum latratu, ſiue quòd à latere feras adoriatur, ſiue quòd lateat, & ex occulto iaculetur.

*Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.*
*Haud ſecus accenſo gliſcit* a *violentia Turno,*
*Tum ſic affatur regem,* b *atque ira turbidus* c *infit.* 10.
*Nulla mora in Turno,* d *nihil eſt quòd dicta retractent*
*Ignaui Æneadæ, nec quæ pepigêre, recuſent:*
*Congredior:* e *fer ſacra* f *pater, & concipe* g *fœdus.*
*Aut hac Dardanium* h *dextra ſub Tartara mittam*

Turnus Latino:

a Seruius Danielis. *Creſcit latenter: vnde & glires dicti ſunt quos pingues efficit ſomnus. Veteres gliſcit incremento ignis ponebant: bene ergo hoc verbo vtitur,* poſt *ardet, & accenſo.*
b Latinum.
c Habens animum perturbatum. Donatus. *Ad oſtendendum alloquium Turni ſufficeret dixiſſe*

*Tum ſic affatur regem.*

*Hoc eſt ad regem fatur, additum eſt:*

*——— Atque ita turbidus infit.*

*vt antè ſciretur qualis dictio proceſſura eſſet ardentis, & eius cuius mentem contraria vniuerſa confuderant.*
d Non afferam, quam memorant, moram paci & tranquillitati publicæ: non obſtabo bonis communibus: Nihil eſt cur Aeneas ignauus & imbellis certaminis oblati pœnitentia tactus retractet ſua dicta, & recuſet facere, quod pepigit ſe eſſe facturum; vt retulit Drances. *Illum adſpice contrà. Qui vocat:* Numerum pro numero vſurpat, *Æneadas*, pro ipſo *Ænea*, quaſi paratus ſit ſolus congredi cum Troianis vniuerſis.
e Iamiam ad ſingulare certamen deſcendo.
f Sacrorum nomine intelligit, vinum libatione ſacra diis inferendum, victimas immolandas: ipſa deorum ſimulacra quæ fœdus in ituri proferebant, vt iis præſentibus, & quaſi interuenientibus fœdus ſancirent, ex quo more infrà verſu 385.

*——— Fugit ipſe Latinus*

*Pullatos referens infecto fœdere diuos.*

g Conceptis verbis, certâ ſolennique iuſiurandi formulâ fœdus inito cùm Troianis, vt res meo vnius & Aeneæ periculo decidatur.
h Aut interficiam mea manu Aeneam Dardanium. Quanquam quid Dardanium appello? Hoc ille nomen non me-

*Deſertorem Aſiæ (ſedeant a ſpectentque Latini)*
*Et ſolus ferro* b *crimen commune refellam,*
*Aut habeat victos* c, *cedat* d *Lauinia coniux.*
*Olli* e *ſedato reſpondit corde Latinus.*
Latinus Turno. *O præſtans animi iuuenis; quantum ipſe feroci*
*Virtute* f *exuperas, tantò me impenſius æquum eſt*
Inſinuatio. *Conſulere, atq; omneis metuentẽ expendere caſus.*
*Sunt tibi regna patris Dauni* g: *ſunt oppida capta*
*Multa manu, nec non aurumq; animúſq; Latino eſt:*

retur: ſed deſertor & proditor Aſiæ dicendus eſt. Eum igitur mittam ſub tartara, locum inferni profundiſſimum, vbi impiorum animæ torquentur, vt ibi ſuæ deſertionis pœnas euoluat.

*a* Manibus, vt dicitur, compreſſis ſedeant, & quieſcant Latini, interſintque noſtræ pugnæ ſpectaculo, quandoquidem ita ſunt imbelles & ignaui, vt ſpectatores pugnæ, quàm pugnatores eſſe malint.

*b* Ego ſolus non verbis, ſed ferro rebúſque geſtis, refellam & refutabo crimen commune, diluámque labem ignauiæ quæ vniuerſo nomini Latino aſpergitur.

*c* Ominis cauſa vitauit dicere, *Aut Æneas me ſub tartara mittet*, ſed *habeat victos*. Æneas me victo Latinos omnes pariter redigat in ſuam poteſtatem &, quandoquidem ita ſunt ignaui me vno victo ſe victos eſſe fateantur.

*d* Cedat Aeneæ victori.

*e* Illi videlicet Turno.

*f* Molliens orationem, Turni violentiam virtutem appellat, ſed ferocem quanto, inquit tua virtus communem virtutem excedit ferocitate & audacia, tanto æquius eſt me tuæ ſaluti conſulere, & ſenili prudentia fortunæ varietatem expendere, quæ nonnumquam virtuti aduerſatur & fortiſſimos quoſque in periculum adducit. *Laudat Turnum*, inquit Seruius, *& tamen eum à ſingulari certamine dehortatur: dicens enim, præſtans animi, latenter oſtendit eum inferiorem eſſe virtute.*

*g* Idem Seruius. *Arguitè negat illi ſua regna, dicens ei eſſe alia*, &c. *Si propter regnum dimicare cupis, habes paternum: ſi propter gloriam, multos virtute ſuperaſti*. Si te nullum regnum delectat niſi propria manu quæſitum, multa oppida manu & virtute

*Sunt aliæ innuptæ Latio* a, *Laurentibus agris,*
*Nec genus indecores; ſine me hæc haud mollia fatu*
*Sublatis aperire dolis, ſimul hæc animo* b *hauri.*
*Me natam nulli veterum ſociare procorum*
*Fas erat: idque omnes Diuique* c *hominéſque* d
*canebant.*
*Victus amore tui, cognato ſanguine* e *victus,*
*Coniugis* f *& mæſtæ lacrymis, vincla omnia* g *rupi:*
*Promiſſam eripui genero* h, *atq; arma impia* i *ſūpſi.*
*Ex illo* k *qui me caſus, quæ Turne, ſequantur*
*Bella vides, quantos primus patiare labores,*
*Bis magnâ* l *victi pugnâ, vix vrbe tuemur*

cepiſti, & ſi plura capere deſideras, ſumptus belli tibi ſubminiſtrabo, eſt enim mihi & aurum & animus.

*a* Neceſſe non eſt vt vxorem ducas Lauiniam: Sunt enim aliæ in Latino virgines & innuptæ, quibuſcum matrimonio copuleris.

*b* Fac vt hæc altè in animum tuum deſcendant, & quaſi penitùs imbibantur.

*c* Faunus de cuius reſponſo lib. 7. verſu 90.

*d* Vates ibidem verſu 65

*e* Turnus filius Veniliæ, Venilia ſoror Amatæ. Turnus igitur propriè non fuit conſanguineus Latino, ſed tantum affinis, cognatum tamen ſanguinem ait, quia conſanguineus erat Lauiniæ, nimirum conſobrinus.

*f* Amatæ de cuius lacrymis lib. 7. verſu 358.

*g* Omnia fœdera & promiſſa violaui, quæ me tanquam vincula quædam conſtrinxerant & obligarant.

*h* Æneæ. *i* lib. 7. verſu 584.

*K* Ex illo tempore.

*l* Bis ingenti prælio ſuperati non audemus amplius in aciem procedere, ſed obſidionem ſuſtinemus, & vix ſalutem noſtrā, qua totius Italiæ ſpes continetur, murorum obiectu defendimus. de priore pugna, qua cecidit Mezentius lib. 10. de poſteriore, vbi Camilla neci data lib. 11. Æneidos.

*Spes Italas: recalent* a *noſtro Tyberina fluenta*
*Sanguine adhuc, cãpiq; ingentes* b *oſſibus albent.*
*Quo referor toties? quæ mentem inſania mutat?*
*Si Turno extincto ſocios ſum accire* c *paratus,*
*Cur non incolumi potiùs certamina tollo?*
*Quid conſanguinei Rutuli, quid cætera dicet*
*Italia, ad mortem ſi te (fors dicta refutet* d*)*
*Prodiderim natam, & connubia noſtra* e *petentem?*
*Reſpice res bello varias: miſerere parentis*
*Longæui, quem nunc mæſtum patria Ardea longè*
*Diuidit* f*. Haud quaquam dictis violentia Turni*
*Flectitur: exuperat* g *magis, ægreſcitque* h *medendo,*

a Rurſum calent clade iterata.
b Emphaſis qua magnitudo cladis oſtenditur: ſi enim campi non ſolùm parui, ſed etiam ingentes oſſibus albeſcunt, neceſſe eſt magna fuerit turba mortuorum.
c Si poſt mortem Turni paratus ſum cum Troianis fœdus ferire, & Troianos in ſocietatem accerſere.
d Quod omen fortuna, & Deus auertat.
e Affinitatem meam connubium filiæ meæ Lauiniæ.
f Conſidera varios bellorum euentus, noli in ſingulare certamen deſcendere; miſerere Dauni patris tui qui nunc longè abeſt patria, mœſtus & de tua ſalute ſollicitus qui ſi nunc adeſſet, te pro patria auctoritate forſitan poſſet adducere. Dicitur longè diuidi, non quòd Laurentum ab Ardea longo interuallo diuidatur, ſed quia cùm abeſſet non poterat filio ſubuenire, eúmque à propoſito dehortari, vt mox,

*Longè illi dea mater erit.*

Dicit autem; *miſerere parentis*, quia pater, ſi quid Turni aduerſi accideret, magnum hauriret animo dolorem *longæui*, quia ſenes miſericordia digniores
g Tacite alludit, ſi credimus Cerdano ad comparationem vndantis præ igne lebetis, quam ipſe de Turno lib. 7. vſurpat.

*Nec iam ſe capit unda.*

h Exacerbatur ipſa medicina.

*Vt primum fari potuit* a, *ſic incipit ore:*
*Quam pro me coram geris, hanc, precor, optime, pro me*
*Deponas, lethumque ſinas* b *pro laude paciſci.*
*Et nos tela* c *pater ferrumque haud debile dextra* Turni reſponſio.
*Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.*
*Longè illi Dea mater erit* d *quæ nube* e *fugacem*
*Fœminea* f *regat, & vanis ſe ſe* g *occulat vmbris.*
*At Regina* h, *noua pugnæ conterrita ſorte*
*Flebat, & ardentem generum moritura* i *tenebat.*
*Turne, per has ego te lacrymas, per ſi quis Amatæ* Amatæ deprecatio.
*Tangit honos animum (ſpes tu nunc vna ſenectæ,*
*Tu requies miſeræ, decus, imperiumque Latini*
*Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.)*
*Vnum oro, deſiſte manum committere Teucris.*
*Qui te cúmque manent iſto certamine caſus,*
*Et me Turne manent: ſimul hæc inuiſa relinquam*

*a* Statim atque relaxatus eſt dolor, qui fauces obſtruxerat, & intercluſerat vocem.
*b* Permitte vt moriar ad gloriam conſequendam, & honorem emam vel ipſius mortis pretio, vt vitam meam & mortem pro laudis acquiſitione paciſcar, & oppignerem.
*c* Non ſolùm fortes, ſignea Tela iaculamur, & ſanguis emanat è vulnere quod infligimus.
Sic lib. 2 *Et vulnere tardus Vlyſſei.*
id eſt vulnere quod Vlyſſes inflixerat.
*d* Non illi proderit Venus mater. Plinius Panegyr *Longè illi diuinitas ſua.* Florus. *Longe illi triplex murus.*
*e* Vide lib 10 verſu 81.
*f* Vel quod fœmina Venus eam nubem obtenderet, vel quòd tegeret Aeneam mollem & effœminatum.
*g* Non ſolùm filium tegat Venus, ſed etiam ſeipſam vmbris occultet *h* Amata.
Quæ iam apud ſe mori decreuerat, vt fecit poſtea.

*Lumina nec generum Æneam captiua videbo.*
*Accepit vocem lacrymis* a *Lauinia matris*
*Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem*
Lauiniæ verecundia. *Subjecit rubor* b, *& calefacta per ora cucurrit.*
*Indum* c *ſanguineo veluti violauerit* d *oſtro*
*Si quis ebur, vel miſta rubent vbi lilia multâ*
*Alba roſâ, tales virgo dabat ore colores,*
Comparatio. *Illum turbat amor, figitque in virgine vultus,*
*Ardet in arma magis, pauciſque affatur Amatam:*
*Ne, quæſo, ne me lacrymis, néve omine* e *tanto*
*Proſequere in duri certamina Martis euntem,*
*O mater, neque enim Turno mora libera mortis.*
*Nuntius hæc Idmon Phrygio* f *mea dicta tyranno*

a Aduerte vbique decorum: Turni violenta oratio: Latini, grauis & ſedata; Amatæ, gemebunda & miſerabilis; Lauinia ſolis lacrymis & pudore loquitur. Lauinia, inquit, accepit, ſiue audiuit vocem matris perfuſa lacrymis genas flagrantes, id eſt, habens genas lacrymis perfuſas, quæ verecundia flagrabant, erantque calidæ. Idque ex cauſa naturali, cùm enim pudor ſanguinem in faciem eliciat, iſque genis ſuffuſus quaſi naturale velum obtendat, neceſſe eſt vt flagrent genæ, & pudore incaleſcant.

b Seruius. *Hypallage, pro ignis animi ſubiecit ruborem.*

c Indicum. vnde *India mittit ebur.*

d Violari, maculari, corrumpi, vitiari dicitur, quicquid alteris admixtione mutatur. Statius. 1. Achill. de hac ipſa re

*——— ebur corrumpitur oſtro.*

Homerus 4. Iliados ——— ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ.

*——— Ebur mulier maculauerit oſtro.*

e Ominoſâ mortis mentione, ſiue, noli me proſequi malis ominibus, vt me à propoſito dimicandi deterreas: neque enim poſſum ab hoc propoſito deſiſtere, neque mihi liberum eſt & integrum hanc pugnam detrectare, etiam ſi certa mors impendeat.

f Æneam in contemptum adducit & Phrygium appellans, quaſi effœminatum & ſeruilem: vnde & prouerbium apud

*Haud placitura refer: cum primùm craſtina cœlo*
*Puniceis inuecta rotis aurora rubebit,*
*Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quie-*
*ſcant*
*Et Rutulum noſtro dirimatur* a *ſanguine bellum:*
*Illo quæratur coniux Lauinia campo.*
*Hæc vbi dicta dedit, rapiduſque in tecta receßit,*
*Poſcit equos, gaudétq; tuens* b *ante ora frementeis:*
*Pilumno quos ipſa decus* c *dedit Orithyia,*
*Qui candore niues anteirent, curſibus auras:*
*Circumſtant properi aurigæ, manibuſque laceſſunt*
*Pectora plauſa cauis* d, *& colla comantia pectunt.*
*Ipſe dehinc auro ſqualentem* e, *albóque orichalco* f
*Circundat loricam humeris, ſimul aptat habendo*

Ciceronem pro Murena *Phryges plagis fieri meliores*: & addẽs: *Haud placitura*: quaſi præ ignauia doliturus ſit Aeneas offerri copiam ſingularis certaminis. Quem & inuidiosè *tyrannum* vocat: quanquam in bonam partem ſumi liquet li. 7. Aeneidos.

a Bellum alterutrius morte finiatur. Metaphora ab iis ducta qui cùm pugnaturi ſunt, interueniente pacis ſequeſtro, dirìmuntur & à ſe inuicem ſeparantur.

b Seruius. *Solent enim ex equorum vel mæſtitia vel alacritate euentum futurum dimicaturi colligere.*

c Quos equos Orithyia filia Erichthonii Regis Athenarum quam Boreas adamauit & in Thraciam rapuit, miſit decoris & ornamenti cauſſa, Pilumno Deo Italorum, quod facile fieri potuit, vt dij inter ſe noti eſſent in quauis locorũ diſtãtia.

d Equiſones vola ſiue interiore manuum parte, cum plauſu & ſonitu ſuppalpant equorum pectoribus, eaque permulcent ad equos magis incitandos, & iubas per colla defluentes ordine diſponunt.

e Vide lib. 10. verſu 314.

f Seruius. Apud maiores orichalcum pretioſius fuit metallis omnibus quod probat auctoritate Plauti in Milite.

*Enſemque a clypeumque, & rubræ cornua b criſtæ:*
*Enſem, quē Dauno Ignipotens Deus ipſe c parenti*
*Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.*
*Exin d quæ in mediis ingenti adnixa columnæ*
*Ædibus adſtabat, validam vi corripit haſtam*
*Actoris Arunci e ſpolium, quaſſatque trementem*
*Vociferans: Nunc ô nunquam fruſtrata vocatus*
*Haſta meos, f nunc tēpus adeſt, te maximus Actor,*
*Te Turni nunc dextra gerit: da ſternere corpus,*
*Loricámque manu valida lacerare reuulſam*

*Ego iſtos mores orichalco contra comparem*

Plinius lib 34. c. 2. ſcribit fuiſſe aliquando, iamdiu non eſſe tellure effœta. alii poſt Ariſtotelem negant vnquam extitiſſe. vide Germanum & Cerdanum

*a* Vt bene poſſit haberi, corpori accommodat. Non armatur hoc loco: tantùm enim ſequenti die progreſſurus erat in certamen, ſed explorat vtrùm arma congrue inhæreant corpori.

*b* Criſtas plumeas rubras, & quaſi in duo cornua diuiſas.

*c* Ipſe Vulcanus ſuis, non Cyclopum ſuorum manibus hunc enſem fecerat, de quo Donatus: *conſecrationem quandā enſis oſtendere voluit factam, quia Stygia vnda fuerat tinctus, vt quaſi inuictus haberetur, & quēcumque vulneraſſet, celeriùs interiret.*

*d* Exinde, deinde.

*e* Vel quàm Actor Aruncus hoſti detraxerat, Turnóque donauerat, vel qua Turnus ipſum Actorem ſpoliarat. Quæ poſterior explicatio mihi magis arridet: ſic enim ſeipſum propriæ recordatione virtutis, & rerum à ſe geſtarum conſcientia magis inflammat.

*f* O haſta, quæ nunquam meas preces fruſtrata es, quoties te inuocaui: quæ mihi ſemper in omnibus pugnis fideliter ſeruiiſti, nunc tempus adeſt, quo tuam fidelitatem magis oſtēdas: cùm ineundum eſt ſingulare certamen, & Aeneas tua cuſpide fodiendus. Vide ſis vt dominorum tuorum virtuti reſpondeas. Te enim quondam gerebat Actor ille fortiſſimus, qui tamen fuit mea virtute ſuperatus: nunc ego te gero etiam ipſo actore fortior, qui retuli de ipſo Actore victoriam.

*Semiuiri Phrygis* a, *& fœdare in puluere crines*
*Vibratos calido ferro* b, *myrrháque madentes.*
*His agitur furiis, totóque ardentis ab ore*
*Scintillæ abſiſtunt* c, *oculis micat acribus ignis.*
*Mugitus veluti* d *cum prima in prælia taurus*
*Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat*
*Arboris obnixus trunco* e, *ventóſque laceſſit*
*Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.*

*a* Mollis & effœminati, ſic lib. 4.

*Et nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu.*

vtrobique videtur ad Gallos Matris Phrygiæ miniſtros alludi, qui ſibi virilitatem teſta Samia demetebant.

*b* Calamiſtrato ( vide Sextianam parag. 18. Nota 2. ) & vnguento delibutos.

*Madentes cincinnorum fimbrias* parag. 25. n. 5.

*c* Erat inflammatus furore, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat. *Abſiſtunt* autem, eſt exire non ceſſant: Danato interprete.

*d* Ita furit Turnus quemadmodum taurus, cum terrificos mugitus ciet & trahit ex imis præcordiis, *in prima prælia*, ſcilicet excitans ad initium certaminis, cornuáque exertans ad iram magis acuendam.

*e* Vel poſteriora trunco fulciens, eique adhærens vt trunci illius obiectu ſe contra venientes à tergo tueatur, vel vt videtur intellexiſſe Donatus obnitens obluctanſque contra trúncum arboris, eique tamquam aduerſario cornua infigens præ furore. Quod magis placet: ſi enim hac comparatione Turni furor inanis & nulli profuturus oſtenditur: quemadmodum taurus furorem acuens, truncos cornibus petit, ventos, tamquam hoſtes diuerberat, & pedibus ſpargens arenam, proludit ſiue præmeditatur ad pugnam. Tranſlata dictio videtur à ludis gladiatoriis. Proludere enim ſiue ventilare dicebantur gladiatores, cùm antequam ad arma decretoria venirent rudibus battuebant, id eſt, gladijs ligneis dimicabant. *Proludere eſt*, inquit Donatus, *ludendo imaginem quandam veritatis oſtendere.* Ouidius eleg. 9. lib. 4. de hac arenæ ſparſione.

*Circus adhuc ceſſat, ſpargit tamen acer arenam*
*Taurus, & infeſto iam pede pulſat humum.*

*Nec minus intereà maternis* a *ſæuus* b *in armis*
*Æneas acuit Martem* c, *& ſe ſuſcitat irâ,*
*Oblato gaudens* d *componi fœdere bellum.*
*Tum ſocios, mœſtique metum ſolatur Iuli*
*Fata docens* e *Regique jubet reſponſa Latino*
*Certa referre viros* f, *& pacis dicere leges* g.
*Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montes*
*Orta dies* h, *cum primum alto ſe gurgite tollunt*
*Solis equi, lucémque elatis naribus efflant.*
*Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus vrbis* i
*Dimenſi* k *Rutulique viri, Teucrique parabant,*
*In medióque focos, & Dîs communibus aras*

*a* A matre Venere acceptis.
*b* Fortis & generoſus.
*c* Seipſum ad pugnam accendit, & quaſi ad cotem acuit. *Acuere bellum*, inquit Donatus, *eſt ad eius rigorem aliquid addere, vt crudeſcat potius, quam accedente remiſſione torpeſcat.*
*d* Gaudens ſedari finiríque bellum ſingulari certamine quod Turnus offerebat, ea conditione fœderis, vt Lauinia victori concederet.
*e* Docens in fatis eſſe vt ipſe de Turno victoriam obtineret: ac proinde nihil eſſe metuendum.
*f* Legatos Latini, qui cum Idmone Turni nuntio ad Aeneam acceſſerant.
*g* Præmonere Latinum quas leges paulò poſt in ipſo fœdere dicturus ſit Aeneas, vel referre ad Latinum vt ipſe Latinus, penes quem ſumma rerũ erat, leges diceret in fœdere ineũdo.
*h* Commodè. Sol enim oriens priùs perſtringit montium cacumina quam valles. Non autem ſuperfluit aut redundat oratio, vt multi putant, ſed quia paulò poſt deſcripturus eſt pompam Regum magnifice procedentium, à pompa ſolis orientis voluit auſpicari.
*i* Laurenti.
K *Vt latitudinis ſpatia ſingulis ex æquo prouenirent*, inquit Donatus: vel, ait Seruius, *inter ſe per certa ſpatia diuidentes, quæ quiſque loca purgaret.* vide infrà verſu 77.

*Gramineas* a: *alij fontemque* b *ignémque* c *ferebant*
*Velati lino* d *& verbena* e *tempora vincti.*
*Procedit legio Auſonidûm, pilatáque* f *plenis*
*Agmina ſe fundunt portis: hinc Troius omnis,*
*Tyrrhenuſque ruit variis exercitus armis,*
*Haud ſecùs inſtructi ferro, quàm ſi aſpera Martis*
*Pugna vocet: nec non mediis in millibus ipſi*

*a* In medio campi conſtituunt aras diis communibus Marti, Bellonæ, Victoriæ, qui dij communes adhuc erant, nec ſe in alterutram partem inclinauerant: & iis aris focos imponunt ad ſacrificia, moris autem Romani fuit, vt ait Seruius, *ceſpitem aræ ſuper ponere, & ita ſacrificare. Gramineas autem ideo, quia & de bello res agitur, & Marti ſacrificatur, cui gramen eſt conſecratum.*

*b* Aquam.

*c* Superiores foci ſacrificiis fuerant deſtinati: hic ignis fœderi ineundo. Nam vt auctor eſt Seruius, *ad facienda fœdera ſempe aqua & ignis adhibentur.*

*d* Conſulendus hoc loco Seruius Danielis. Summa eſt moris quidem non fuiſſe, vt Pater Patratus & Feciales lineis veſtibus vterentur, ſed hoc piaculum admiſſum dici à Poëta quaſi rationem reddituro, cur fœdus irritum fuerit, nec felicem habuerit euentum. Addit ex Hygino & Capro lectionem eſſe corruptam. Legendúmque. *Velati limo.*

*b Limus autem eſt veſtis qua ab vmbilico vſque ad pedes popæ tegebantur.* Ita legendus Seruius Danielis, non *prope tegebantur* Pergit. *Hæc autem veſtis habet in extremo ſui purpuram limam, id eſt, flexuoſam, vnde & nomen accepit, nam limum obliquum dicimus.* Vnde & Horatius.

*Sic tamen vt limis rapias.*

id eſt raptim legas, oculis obliquis.

*e* Verbena coronati: eſt autem verbona herba ſacra (ros marinus, vt multi putant) quam ex arce Capitolina ſumebant feciales, eaque ſe coronabant fœdera facturi.

*f* Vel pilis inſtructa, quamuis paulò pòſt omnibus haſtæ tribui videantur, vel arctata, denſa, conferta. Varro cum aliis à Seruio citatus. *Quadratum quod immixtis etiam iumentis incedit, vt vbiuis poſſit conſidere. Pilatum alterum, quod ſine iumentis incedit, ſed inter ſe denſum eſt,* &c. vide.

Duces vtriuſque exercitus.

*Ductores auro volitant, oſtróque* a *decori,*
*Et genus Aſſaraci Mneſtheus* b *& fortis Aſylas,*
*Et Meſſapus equûm domitor, Neptunia proles.*
*Vtque dato ſigno ſpatia in ſua* c *quiſque receſſit,*
*Defigunt tellure haſtas,& ſcuta* d *reclinant.*
*Tum ſtudio effuſæ matres, & vulgus inermum*
*Inualidique ſenes, turres, & tecta domorum*
*Obſedere, alij portis ſublimibus adſtant.*
*At Iuno ex ſummo (qui nunc Albanus habetur,*
*Tũ* e *neque nomẽ erat,neq; honos,aut gloria mõti)*
*Proſpiciens tumulo campum aſpectabat,& ambas*
*Laurentum, Troúmque acies,vrbémque Latini.*
*Extemplo Turni ſic eſt affata ſororem* f
*DiuaDeam,*g *ſtagnis quæ,fluminibuſq;* h *ſonoris* i

*a* Purpura. Fit autem è ſanguine piſciculi oſtro ſiue teſta contecti, qui purpura nominatur.

*b* De Mneſtheo libro. 5.& 9.ſub finem: de Aſyla libro 10. verſu 175. de Meſſapo lib 7. verſu 991.

*c* Quæ ſibi paulo ante dimenſi fuerant.

*d* Clypei propriè rotundi fuerunt, ſcuta oblonga, quæ reclinabant vt pugnam ſpectantes iis niterentur. His nonnunquam mento ſuppoſitis innixi dormiebant. vide Lipſium de militia.

*e* Antequam Albâ longa ab Aſcanio conderetur.

*f* Iuturnam. *g* Seruius, cùm ij proprie ſint diui,qui ex hominibus in deos alleguntur, hypallagen agnoſcit,pro *dea Diuam*, Iuno Iuturnam: Iunonem autem commode diuam appellare notat, quia eſt *aëris dea*; aër autem diuus ſiue dius nuncupatur. Horatius *Sub diuo moreris*

*h* Iure dicitur Iuturna ſtagnis & fluminibus præſidere. Quia Iuturna fons eſt iuxta fluuium Numicium ſaluberrimus, qui ſalubritate fluuiis & ſtagnis omnibus antecellit.

*i* Commode, vt flumina ſtagnis opponat: hæc enim tranquilla ſunt & quieta: illa curſus rapiditate plerumque ſonitum edunt.

*Præſidet: hunc illi Rex ætheris altus honorem*
*Iuppiter, erepta pro virginitate ſacrauit.*
*Nympha decus fluuiorũ animo gratiſſima noſtro,* Oratio Iunonis
*Scis, vt te cunctis vnam, quæcunque Latinæ* Exordiũ à beneuolentia
*Magnanimi* a *Iouis ingratum* b *aſcendêre cubile,*
*Prætulerim, cœlique libens in parte locarim:*
*Diſce tuum* c, *ne me incuſes, Iuturna, dolorem.* Attentio.
*Quà viſa eſt fortuna pati, Parcæque ſinebant* Narratio.
*Cedere res* d *Latio, Turnum, & tua mœnia texi:*
*Nunc iuuenem imparibus video concurrere fatis* f, Hortatio.
*Parcarumque dies, & vis inimica propinquat.*
*Non pugnam aſpicere hãc oculis, non fœdera poſſũ*
*Tu pro germano ſi quid præſentius* g *audes,*
*Perge, decet* h: *forſan miſeros meliora* i *ſequentur.*

*a* Videtur dictum ironicè cum amaritudine quadam, neque enim magnanimus dicendus eſt qui ſe adulteriis contaminat & ſe tantùm in libidine fortem oſtendit.

*b* Quia vxoribus ingrata ſunt adulteria maritorum.

*c* Diſce & longè ante præuide quem dolorem perceptura ſis ex morte Turni, niſi eum celeriter adiuueris, ne me poſteà incuſes, quaſi non te mature monuerim vt illi ſuccurreres.

*d* Res proſpere & ex animi ſententia ſuccedere.

*e* Vel Ardeatina, vel etiam Laurentina.

*f* Donatus. legit *telis* non *fatis*, & ſic exponit. Noluit dicere ex aperto Æneam fuiſſe fortiorem, dixit *imparibus telis*, vt heros Troius magis armorum genere quàm propriis virtutibus, videatur obtentutus eſſe victoriam: alij legunt *fatis*, quaſi non virtus Æneæ, ſed illius fata Turnis fatis præponderent, de Parcis, lib. 1. verſu 25.

*g* Efficacius.

*h* Non ſuccenſebit tibi Iupiter ſi pro fratre tuo Turno aliquid, etiam reluctantibus fatis, molita fueris. Decet enim ſororem fratri quibuſcumque viis ſubuenire.

*i* Forſitan auxilio tuo fatorum ordo mutabitur: nec fatale eſt Turno vt pereat abſolute: ſed vt pereat, niſi tu mature ſubueneris.

*Vix ea* a*: cùm lacrymas oculis Iuturna profudit,*
*Térque, quatérque manu pectus percuſſit honeſtũ.*
*Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Iuno,*
*Accelera, & fratrem ſi quis modus, eripe morti:*
*Aut tu bella cie, conceptumque* b *excute fœdus:*
*Auctor ego audiendi* c*. Sic exhortata reliquit*
*Incertam* d*, & triſti turbatam vulnere* e *mentis.*
*Intereà Reges* f *( ingenti mole* g *Latinus*
Reges procedunt. *Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum*
*Aurati bis ſex radiy* h *fulgentia cingunt,*
Latinus *Solis aui ſpecimen, bigis it Turnus in albis,*
*Bina manu lato criſpans* i *haſtilia ferro:*
Turnus

*a* Vix ea Iuno dixerat, cùm Iuturna lacrymas vbertim profudit & planctu repetito *pectus percuſſit honeſtum*, id eſt pulchrum. vt —— *Honeſti Spadices.*

*b* *Placitum, animo prædeſtinatum*, inquit Seruius, vel diſcute & diſiice fœdus, etiam poſtquam fuerit verbis conceptis ſtabilitum.

*c* Non eſt quod verearis Iouis aut aliorum deorum numen offendere: quicquid feceris, meo periculo feceris; Tuum factum ipſa præſtabo quæ tibi ſum auctor tibique perſuadeo, vt quicquid potes, id audeas pro fratre moliri.

*d* Fluctuantem & dubiam quò res ſuccederet: quia nihil aſſeruerat Iuno de euentu, ſed dixerat *forſan*, &c.

*e* Dolore ob imminentem fratri necem.

*f* Ordo eſt. *Interea reges procedunt caſtris* media, per parentheſim inſeruntur. Sed quænam iſta caſtra? ea ſunt opinor, quæ non ſolùm Æneas, ſed etiam Turnus ante vrbẽ pro ſua quiſque parte muniuerat, vt liquet ex vltimo verſu libri ſuperioris, vel vrbem ipſam caſtra vocat, quòd caſtrorum in morem pinnis atque aggere cingeretur.

*g* Magna pompa, ingenti grauitate ac maieſtate.

*h* Latinus duodecim radiis aureis erat coronatus, quibus Solis ſpeciem exhiberet. Sol enim fuit abauus Latini, pater Circes, ex qua & Pico natus eſt Faunus pater Latini.

*i* Bina haſtilia lato ferro præfixa tam celeri vibratione quatiens, vt ipſum lignum inflecti criſparique videatur.

*Hinc pater Æneas Romanæ ſtirpis origo,*
*Sydereo flagrans* a *clypeo, & cæleſtibus armis,*
*Et juxta Aſcanius, magnæ ſpes altera* b *Romæ,* *Aeneas*
*Procedunt caſtris: puráque in veſte* c *ſacerdos*
*Setigeræ fætum ſuis* d *intonsámque* e *bidentem* f
*Attulit, admouitque pecus flagrantibus aris.*
*Illi ad ſurgentem* g *conuerſi lumina Solem,* *Apparatus ad ſacrificia.*
*Dant fruges manibus ſalſas* h, *& tempora ferro*
*Summa notant pecudum* i; *pateriſque altaria k libant.*
*Tum pius Æneas ſtricto ſic enſe precatur:*
*Eſto nunc Sol teſtis & hæc mihi terra precanti,* *Aeneæ precatio*
*Quam propter tantos potui perferre labores:*

*a* Collucens: cauſſa pro effectu, quia ex flagrantia ſiue ardore fulgor emanat. De clypeo Aeneæ ſiderum inſtar fulgente, & armis à Vulcano fabricatis lib. 8. deſinente.
*b* Per cuius ſtirpem Mars, Venus aliique dij ſperabant Romam eſſe condendam.
*c* Nullis adſperſa maculis, neque funeſta, neque fulgurita, Vide Seruium Danielis.
*d* More Romano lib. 8. *Cæſâ iungebant fœdera porcâ.* Seruius. *In rebus quas volebant finiri celerius, ſenibus & iã decreſcentibus animalibus ſacrificabãt: in rebus verò quas augeri & confirmari volebant, de minoribus & adhuc creſcentibus immolabant.*
*e* Quam pontifices altilaneam vocant.
*f* Vide lib. 5 verſu 96.
*g* Interpres Pindari. Ode 4. Iſthm. ἔθος πρὸς δυσμὰς ἐναγίζειν τοῖς ἥρωσι, κατὰ τὰς ἀνατολὰς τοῖς θεοῖς. *Mos erat heroibus ſacrificare ad occidentem, diis ad orientem* conuerſos.
*h* De more. Solebant enim frugibus ſalſis victimas & cultros adſpergere.
*i* Carpebant etiam pilos è fronte victimæ. de quo lib. 6. verſu 245. aut etiam, vt notat Seruius, cultrum obliquum ducebant à capite ad caudam hoſtiæ.
*K* Vinum è pateris libant, ſiue fundunt in altaria.

*Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno*
*Iã melior, iam Diua* a *precor: tuque inclyte Mauors*
*Cuncta tuo qui bella pater ſub numine torques* b:
Fœderis conditiones. *Fontéſque, fluuioſque voco, quæque ætheris alti*
*Relligio, & quæ cæruleo ſunt numina ponto.*
*Ceſſerit Auſonio ſi fors victoria* c *Turno,*
*Conuenit Euandri victos diſcedere ad vrbem* d
*Cedet Iulus agris, nec poſt arma vlla rebelles*
*Æneadæ referent, ferróve hæc regna* e *laceſſent.*
*Sin noſtrum* f *annuerit nobis victoria Martem,*
*Vt potiùs reor, & potiùs Dij numine firment,*
*Non ego nec* g *Teucris Italos parêre jubebo,*
*Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ*
*Inuictæ gentes æterna in fœdera* h *mittant.*
*Sacra Deoſq; dabo* i, *ſocer* k *arma Latinus habeto:*
*Imperium ſolemne ſoror, mihi mœnia Teucri*
*Conſtituent, vrbique dabit Lauinia nomen.*

*a* Talem te exhibeas, qualem conuenit deam ſe exhibere, vt ſis miſericors & non contraria, inquit Donatus.

*b* Regis & moderaris.

*c* Seruius. *Ratione non caret quòd primo de victoria Turni loquitur, poſt deſcendit ad ſuam. Scit enim in auguriis priora poſterioribus cedere.*

*d* Ad Pallantæum. *e* Laurentina.

*f* Dicit *noſtrum*, vt notat Turnebus, quia illius eſſe Mars videtur, cuius eſt victoria.

*g* Et ſi duæ negationes æquiualere ſolent affirmationi; interdum tamen magis negant, vt hoc loco more Græcorum οὐ μὴ.

*h* Et hoc de more. Dionyſ. Halicar. li. 6 de fœdere Latino. Εἰρήνη πρὸς ἀλλήλους ἔστω, μέχρις ἂν οὐρανός τε καὶ γῆ τὴν αὐτὴν στάσιν ἔχωσιν. *Mutua pax eſto, quamdiu cælum & terra eundem ſtatum ſeruauerint.*

*i* Ignem Troianum, vittas, Penates dabo, tanquam Pontifex, & cæremonias ac religiones inſtituam.

K Latenter innuit ſe ducturum eſſe vxorem Lauiniam.

*Sic prior Æneas: ſequitur ſic deinde Latinus*
*Suſpiciens cælum, tenditque ad ſidera dextram:*
*Hæc eadem* a, *Ænea, terram, mare, ſidera iuro,*
*Latonæque genus duplex* b, *Ianúmque bifrontem* c
*Vimque deûm infernam* d, *& diri ſacraria Ditis* e, Latini
*Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit* f, precatio.
*Tango aras* g, *medioſque ignes, & numina teſtor* h,
*Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet.*
*Quò res cumque cadent,* i *nec me vis vlla volentem*
*Auertet* k, *non ſi tellurem effundat in vndas*
*Diluuio miſcens, cælumve in tartara ſoluat,*

a Quæ tu iuraſti.
b Apollinem & Dianam.
c Seruius *Rite inuocat: quia ipſe faciendis fœderibus præeſt. Namque poſtquam Romulus & Titius Tatius in fœdera conuenerunt, Iano ſimulacrum duplicis frontis effectum eſt, quaſi ad imaginem duorum populorum.*
d Duritiem inexorabilem deorum inferorum.
e Vel ſanctuaria & penetralia τὰ ἀπόῤῥητα. Plutonis, vel ipſum Tartarum ſacrum & execrandum.
f Qui fulmine pœnas exigit à fœderum violatoribus. Vide Milonianam parag. 86. Nota 8. vel qui fœdera coruſcatione confirmat. *vel certe*; verba ſunt Seruij; *quia apud maiores aræ non incendebantur, ſed ignem diuinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.*
g De more. Vide orationem pro Cornelio Balbo. parag. 12.
h In medio poſitos ſuprà *In medioque focos.* hoc etiam de more. Iuſtinus lib. 22. *Hamilcar expoſitis ignibus cereis, tactiſque in obſequia Pœnorum iurat.*
i Donatus. *Oſtendit ſe medium inter duos, eique ſe ſeruaturum fidem qui poſſit alterum ſuperare.*
K Priùs aquæ ſuperfuſione mare cum terra miſcebitur. priùs cælum cadet in tartara ſolutis compagibus, quàm ego ſciens & volens, vlla vi coactus ab hoc fœdere deficiam

*Vt ſceptrum hoc* a *( dextra* b *ſceptrum nam fortè gerebat )*
*Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras*
*Cum ſemel in ſiluis imo de ſtirpe reciſum*
*Matre caret* c *, poſuitque comas, & brachia ferro,*
*Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro*
*Incluſit, Patribuſque* d *dedit geſtare Latinis.*
*Talibus inter ſe firmabant fœdera dictis*
Sacrificia. *Conſpectu in medio procerum, tum rite* e *ſacratas*
*In flammam iugulant pecudes, & viſcera viuis*
*Eripiunt,* f *cumulántque* g *oneratis lancibus aras.*
*At verò Rutulis impar ea pugna videri*

a Auctor eſt Seruius ſceptrum ad fœdera adhiberi, *quia maiores ſemper ſimulacra Iouis adhibebant, quòd cùm tædioſum eſſet, &c. vt ſceptra tenentes quaſi imaginem redderent Iouis.* Verùm cùm dicatur Latinus ſceptrum non data opera, ſed *forte* tenuiſſe, ſatis indicatur id ex ſolenni more non eſſe factum. Porro Homerus ſceptrum adhibet ad Iuramentum: Iliados Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, &c. Virgilius tantū ad comparationem, vt videtur. Vt ſceptrum hoc, poſtquam exciſum eſt & elaboratum nunquam reuireſcet in frondes & virgulta, ita nunquam mutabor, nec bellum quod præſenti fœdere reciditur, mea voluntate reuireſcet. vide de prouinciis Conſular. paragr. 34.

*b* Verba parentheſi incluſa ſunt Poëtæ, non Latini.

c Pulcherrime Cerda noſter. An terra? vt

*Non iam mater alit tellus.* ——

An arbore? vt *Parua ſub ingenti matris ſe ſubiicit vmbra.*

*d* Regibus.

e Rite exploratas triplici probatione: frugum & ſalis inſperſione, notatione ferri, vini libatione.

*f* Ac extiſpicium, vide libro 4. verſu 64.

—— *Spirantia conſulit exta.*

g Extis ſiue viſceribus hoſtiarum plenas lances aris imponūt, quod antiqui *exta reddere* ſiue *porricere* dicebant. 2. Georg. verſu 594.

*Lancibus, & pandis fumantia reddimus exta.*

*Iamdudum* a, *& vario miſceri pectora motu.*
*Tam magis, vt propiùs cernunt, non viribus æquis*
*Adiuuat inceſſu tacito progreſſus, & aram*
*Suppliciter venerans, demiſſo lumine, Turnus,*
*Tabenteſque genæ, & iuuenili in corpore pallor.*
*Quem ſimulac Iuturna ſoror crebeſcere vidit*
*Sermonem, & vulgi variare labantia* b *corda,*
*In medias acies (formam aſſimilata Camertis,*
*Cui genus à proauis ingens, clarúmque paternæ*
*Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis)*
*In medias dat ſeſe acies* c, *haud neſcia* d *rerum,*
*Rumoreſque ſerit varios, ac talia fatur.*
*Non pudet, ô Rutuli, cuncti pro talibus* e *vnam*
*Obiectare animam? numeróne, an viribus æqui* Iuturna Latinis.
*Non ſumus? en omnes & Troes & Arcades hîc ſunt.*
*Fataliſque manus, infenſa Hetruria* f *Turno,*

a Iamdudum Rutilis videbatur impar futurum eſſe certamen inter Turnum & Æneam: *vt* verò *propiùs* ventum eſt, cœperuntque præſentem Turnum præſenti Aeneæ comparare, *tum* animaduerterunt eos *non viribus æquis* eſſe congreſſuros. Adiuuat hanc vulgi perſuaſionem Turnus ipſe progrediens inceſſu tacito, & minime iactabundo, &c.

b Dubia, nutantia.

c Iuturna dat ſe & inſinuat in medias acies vt ab omnibus pariter audiatur: aſſumpta Camertis ſpecie vt maior ſit ſuadentis authoritas. Camertem enim commendat & origo maiorum & paterna virtus, & gloriæ magnitudo.

d Probè ſciens fore vt fœdus initum hac arte confunderet.

e Nonne vos pudet, ô Rutuli, vnius Turni vitam periculo mortis opponere pro cunctis, & quidem pro talibus, id eſt, pro tam fortibus & generoſis, vt ſi modo congredi velitis, nullo negotio poſſitis referre victóriam. Vel *pro talibus*, qualis eſt Turnus.

f En vniuerſæ copiæ quas ſubmittere potuit tota Hetruria,

*Vix hoſtem alterni* a *ſi congrediamur, habemus.*
*Ille quidem* b *ad ſuperos, quorum ſe deuouet aris,*
*Succedet famâ, viuûſque per ora feretur,*
*Nos patriâ amiſſâ dominis parêre ſuperbis*
*Cogemur, qui nunc lenti* c *conſedimus aruis.*
*Talibus incenſa eſt iuuenum* d *ſententia dictis,*
*Iam magis, atque magis ſerpitque per agmina murmur,*
*Ipſi Laurentes mutati, ipſique Latini,*
*Qui ſibi iam requiem pugnæ, rebúſque ſalutem*
*Sperabunt, nunc arma volunt fœduſque precantur*
*Infectum: & Turni ſortem miſerantur iniquam* e.
*His aliud maius Iaturna adjungit, & altô*
*Dat ſignum cœlo, quo non præſtantius* f *vllum*
*Turbauit mentes Italas, monſtróque fefellit.*

Animorum mutatio in caſtris Latinorum.

infenſa Turno propter receptum Mezentium, qui pulſus ab Hetruſcis ad Turnum veterem hoſpitem confugerat lib. 8. verſu 463. Has copias *fatalem manum* appellat, vel quaſi fatis obnoxiam, fatis poſcentibus morti & exitio deſtinatam, vel ἱερατικῶς ſcilicet manus, quam fingit Rutulis eſſe fatalem.

a Numerum hoſtium duplo ſuperamus, adeò vt ſi vnus è duobus noſtrum ad pugnam eligatur, & ſecundus quiſque velit congredi, vix ſinguli ſingulos hoſtes habituri.

b Turnus quidem ad deos, quorum aris ſe pro ſalute communi deuouet quaſi victimam piacularem, euehetur, & poſt mortem ita per omnium ora volitabit, vt in eorum mente adhuc viuere videatur.

c Qui nunc deſides otiamur ſpectatores alieni certaminis.

d Bene *iuuenum*, quia ſenes non admodum mouebat Iuturnæ oratio, ſed maturiores fœderis concepti ſanctitatem illius verbis præferebant.

e Imparem & inæqualem, ſi quidem congreſſurus erat Turnus cum Ænea fatis & viribus imparibus.

f Efficacius.

*Namque volans rubra fuluus* a *Iouis ales in æthra* Augurium.
*Littoreas agitibat aues, turbámque ſonantem*
*Agminis aligeri, ſubitò cum lapſus ad vndas*
*Cycnum excellentem pedibus rapit improbus vncis.*
*Arrexêre animos Itali, cunctæque volucres*
*Conuertunt clamore fugam ( mirabile viſu )*
*Ætheráque obſcurant pennis, hoſtemque per auras*
*Facta nube premunt, donec vi victus, & ipſo*
*Pondere defecit, prædámque ex vnguibus ales*
*Projecit fluuio, penitúſque in nubila fugit.*
*Tum verò augurium Rutuli clamore ſalutant* c.
*Expediuntq; manus* d, *primúſq; Tolumnius augur,*
*Hoc erat, hoc votis, inquit, quod ſæpe petiui.*
*Accipio* e, *agnoſcóque deos: me me duce ferrum*

*a* Aquila Ioui dicata ſereno, cœlo & innubi, radiiſque ſolaribus rubicundo aues in littoribus habitare ſolitas, videlicet, mergos, anates, fulicas, cycnos inſectabatur, cùm ſubito delapſus ad paludem aduncis pedibus rapuit cycnum, qui præ cæteris eminebat

*b* Ad hoc ſubitum ſpectaculum arrecti ſunt Itali & oculis omnium eò intentis, omnes volucres, quæ profugerant, cum ingenti clamore redierunt, ita confertæ vt cœlum ipſum obſcurarent, & aquilam nubis inſtar conglobatæ tam diu vrſerunt, donec equila impetu auium & cycni pondere fatigata defecit, cycnum projecit in fluuium, & fugiens in penitiſſimos nubium tractus ex oculis auolauit.

*c* Tanquam oblatum diuinitus augurium ſublato clamore venerantur.

*d* Vel exerunt manus & explicant, ſignificantes ſe velle dimicare, vt Seruius & Donatus exponunt: vel attollunt manus ad preces & vota diis nuncupanda, vt Cerdæ noſtro magis arridet.

*e* Aliud Augurium *oblatiuum* dicebatur: aliud *Impetratum* *oblatiuum* quod obuenerat non cogitanti: *Impetratum* quod precibus poſtulatum fuerat, & à diis impetratum. Tolum-

*Corripite, ô Rutuli, quos improbus aduena a bello*
Tolumnii auguris hortatio. *Territat inualidas vt aues, & littora noſtra*
*Vi populat* b, *petet ille fugam penitúſque profundo*
*Vela dabit, vos vnanimi denſate cateruas,*
*Et regem vobis pugnâ defendite raptum.*
*Dixit, & aduerſos telum contorſit in hoſtes*
Nouem fratres. *Procurrens*, c *ſonitum dat ſtridula cornus* d *& auras*
*Certa* e *ſecat: ſimul hoc, ſimul ingens clamor, & omnes*
*Turbati cunei* f, *calefactáque corda tumultu.*
*Haſta volans* g, *vt fortè nouem pulcherrima fratrũ*
*Corpora conſtiterant contrà, quos fida crearat.*
*Vna tot Arcadio coniux Tyrrhena Gilippo.*

nius igitur ad conciliandam maiorem auctoritatem augurio impetratum vult videri; mox tamen, vt etiam oblatiui vim obtineat, quaſi de oblatiuo loquitur. *Accipio agnoſcóque deos.* Si quidem, vt ait Seruius? *In oblatiuis auguriis, in poteſtate videntis eſt, verùm id ad ſe pertinere velit, an refutet, & abominetur. Ergo nunc dicit ſe augurium libenter amplecti, & cognoſcere circa ſe fauorem deorum.* ſic Paulus Aemilius apud Plutarchum δέχομαι τὸν οἰωνὸν, *accipio augurium.*

a Aeneas ſimilis eſt aquilæ, Rutuli auibus, Turnus Cycno excellenti Rapuit Cycnum aquila, Turnum occidere vult Aeneas, Aues confertæ aquilam preſſerunt, & coëgerunt prædam è pedibus dimittere, dimittet Turnum Aeneas, ſi Rutuli cateruas denſauerint, & impreſſionem fecerint in Aeneam: Aquila penitùs fugit in nubila, penitùs in mare fugiet Aeneas

b Vaſtat, populatur.

c Currens in medium.

d Haſta ex arbore corno ſecta.

e Tã certo determinatóque ictu deſtinata vt vitari nõ poſſit.

f Cuneus eſt acies cuneatim diſpoſita, ſecundum figuram cuneorum quibus ligna finduntur. Vide infrà v. 574

g Haſta manu Tolumnij coniecta vnum è nouem filiis Gilippi percuſſit, eiuſque coſtas ad medium corpus circa zo-

*Horum vnum ad medium, teritur qua ſutulis aluo*
*Balteus, & laterum iuncturas fibula mordet,*
*Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis,*
*Tranſadigit coſtas, fuluáque extendit arenâ.*
*At fratres animoſa phalanx, accenſaque luctu* a,
*Pars gladios ſtringunt manibus, pars miſſile ferrum*
*Corripiunt* b, *cæcique ruunt, quos agmina contra*
*Procurrunt Laurentum, hîc denſi rurſus inundant*
*Troës* c *Agyllinique* d *& pictis* e *Arcades armis.*
*Sic omneis amor vnus habet decernere ferro.* **Augetur tumultus.**
*Diripuêre aras* f, *it toto turbida cælo*
*Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit* g *imber.*
*Craterasque* h, *focóſque ferunt: fugit ipſe Latinus*
*Pulſatos referens* i *infecto fœdere diuos.* **Fugit Latinus**

nam tranſigit, qua parte balteus ſutulis, id eſt, artificioſe conſutus, aluo ſiue ventre teritur, & vtrumque baltei latus fibulæ morſu coniungitur.

*a* Quem de morte fratris acceperant.

*b* Tela feſtine rapiunt ſuorum periculorum improuidi.

*c* Ex alia parte torrentis omnia inundantis more Troiani, procurrunt, auxilium ferentes filiis Gilippi.

*d* Hetruſci. Agyllini proprie ſunt Cæterani principes Hetruſcorum, qui auctores fuerunt coniurationis contra Mezentium. lib 8. verſu 479.

*e* Qui ſcuta habebant depicta certis nobilitatis aut rerum bello geſtarum inſignibus.

*f* Aræ quæ fuerant ad fœdus erectæ ſpoliantur, deiiciuntur, diſſipantur.

*g* Volant tela ſtridenti, a tempeſtatis aut imbris in morem. Statius lib. 5. *Inſtamus iactis telorum, ac ferrea nimbis*
*Certat hyems* —— Ennius octauo Annali
*Haſtati ſpargunt haſtas, fit ferreus imber.*

*h* Crateras ad libationem aris impoſitos auferunt, & focos diripiunt torribus obuſtis certaturi.

*i* Donatus. *Latinus verò religioſus & grauis fugiebat ad tuta*

*Infrenant alij currus* a, *aut corpora ſaltu*
*Subijciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.*
*Meſſapus regem* b, *regiſque inſigne gerentem*
*Tyrrhenum Auleſten, auidus confundere fœdus,*
Meſſapus Auleſten interficit. *Aduerſo proterret equo: ruit ille* c *recedens,*
*Et miſer oppoſitis à tergo inuoluitur aris*
*In caput, inq; humeros: at feruidus aduolat haſtâ*
*Meſſapus, telóque orantem multa* d *trabali* e
*Deſuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatur.*
*Hoc habet* f, *hæc melior* g *magnis data victima diuis.*
Chorineus Ebuſi.
*Concurrunt Itali, ſpoliántque calentia membra:*
*Obuius ambuſtum torrem* h *Chorineus* i *ab ara*
*Corripit, & venienti Ebuſo, plagámque ferenti*

*referens deos pulſatos ne deteriora paterentur. Poteſt intelligi pulſatos cùm aræ diriperentur, poteſt intelligi pulſatos in eo, quod prolati ad confirmationem fœderis contempti ſunt.*

*a* Frenant equos curribus ſubiectos, & in eos ſalientes corpora ſurſum iaciunt. ſic 4 Georg.
*Ter flamma ad ſummum tecti ſubiecta reſulſit.*
id eſt, *ſurſum iacta.*

*b* Vnum è duodecim Lucomonibus Hetruſcorum, quorum præcipuus Tarchon.

*c* Cum retrorſum Auleſtes cederet Meſſapo proterrente, non ſe auertens ne terga hoſti nudaret, deceptus eſt ararum obiectu non viſo: & aris inuolutus in caput humeróſque collapſus eſt.

*d* Multis verbis pro ſua ſalute precantem.

*e* Magno, inſtar trabis Ennius, —— *teloque trabali.*

*f* Hoc habet vulnus, victus eſt, actum eſt de eius vita. Prudentius Pſychom. *Hoc habet exclamat victrix regina.* ——

*g* Cum prioribus hoſtiis litatum non fuerat, ſacrificabantur aliæ, quæ ſuccidaneæ dicebantur, ſiue meliores. vide lib. 5. verſu 483.

*h* Titionem.

*i* Sacerdos Troianus, de quo lib. 6. verſu 228.

*Occupat os flammis, illi ingens barba reluxit,* Barbam adurit.
*Nidorémque* a *ambuſta dedit, ſuper ipſe ſecutus*
*Cæſariem læuâ turbati corripit hoſtis* b,
*Impreſſóque genu nitens, terræ applicat ipſum,*
*Sic rigido latus enſe ferit. Podalirius Alſum*
*Paſtorem, primáque acie per tela ruentem* Et occidit.
*Enſe ſequens nudo ſupereminet. ille* c *ſecuri*
*Aduerſi frontem mediam, mentúmque reductâ*
*Diſiicit, & ſparſo latè rigat arma cruore.*
*Olli* d *dura quies oculos, & ferreus vrget*
*Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.*
*At pius* e *Æneas dextram tendebat inermem* Aen. cupit ſedare tumultum.
*Nudato capite, atque ſuos clamore vocabat.*
*Quo ruitis? quæue iſta repens* f *diſcordia ſurgit?*
*O cohibete iras, ictum* g *iam fœdus, & omnes*
*Compoſitæ leges, mihi ius concurrere ſoli* h.
*Me ſinite atque auferte metus, ego fœdera ſaxo*

*a* Nidor eſt odor qui è carnibus & pilis aſſatis exhalatur.
*b* Ebuſi barbæ combuſtione turbati.
*c* Alſus ſecuri ad aurem reducta quò libratiorem & vehementiorem ictum infligeret (è maiore enim ſpatio maior impetus) Podalirij ex aduerſo venientis & iam ad inferendam plagam imminentis, totum caput à fronte ad mentum bifariam diuiſit, atque diſiecit.
*d* Illi videlicet Podalirio dura quies & mortis ſomnus ferrea ſecuri illatus oculos premit.
*e* De ſeruando fœdere & ſuorum ſalute ſollicitus.
*f* Subita & repentina. Statius.
——— *Pauor ora repens ac viſcera torſit.*
*g* Icere fœdus, ferire fœdus, quia fœderibus ineundis porcam ſaxo ſilice feriebant.
*h* Mihi ſoli fas ex fœdere cum Turno dimicare ſingulari certamine.

*Firma a manu. Turnum iam debent hæc mihi ſacra.*
*Has inter voces, media inter talia verba* b,
*Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt,*
*Incertum* c *qua pulſa manu, quo turbine adacta,*
*Quis tantam Rutulis laudem, caſuſve, Deûſve*
Vulneratur. *Attulerit, preſſa eſt* d *inſignis gloria facti,*
*Nec ſeſe Æneæ iactauit vulnere quiſquam.*
*Turnus vt Aeneam cedentem ex agmine vidit,*
*Turbatóſque duces, ſubita* f *ſpe feruidus ardet.*
*Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltúque ſuperbus* g
Turnus multos interficit. *Emicat* h *in currũ, & manibus molitur* i *habenas;*
*Multa virûm volitans* k *dat fortia corpora letho:*
*Semineces voluit multos, aut agmina curru*
*Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.*

*a* Ego fœdera quæ illi diſcutere volunt, manu firma faciam, & ſtabiliam. Læſa ſacra neceſſe eſt Turni ſuppliciis expiari. Ex quo enim fœdus pepigimus, mihi eſt obnoxius, & obligatus ad ineundum ſingulare certamen

*b* Non ſuperuacaneum eſt quod ait inter voces, inter verba: hic enim morandum fuit, & circunſtantia ponderanda, qua rei indignitatem exaggerat. Vulneratus eſt enim non cùm pugnaret, ſed dum loqueretur, & ſuos à pugna reuocaret. Neque enim pugnans vulnerari potuiſſet.

*c* Incertum hominibus, ſed dij nouerant ipſam Iuturnam vulneris auctorem fuiſſe, idque Iuno fatetur verſu 815. quod Poëta ſcire ſe diſſimulat.

*d* Suppreſſa eſt.

*e* Donatus. *Compendioſa narratio, in qua etiam non dicta poſſunt intelligi: non enim deſcripſit Aeneam cedentem ex agmine, aut duces turbatos, ſed quaſi iã dixiſſet, ſic Turnum aſſeruit hæc vidiſſe.*

*f* Repentina victoriæ ſpe ad pugnam accenditur.

*g* Quaſi certus iam de victoria, imò iam triumphans.

*h* Exilit.

*i* Mouet, flectit, moderatur.

*k* Huc illuc impune diſcurrens multos interficit, quaſi iam de confecto Aenea ſecutus: multos ad terram proſternit ſe-

*Qualis apud gelidi cum flumina concitus a Hebri*
*Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes*
*Bella mouens immittit equos, illi æquore aperto*
*Ante Notos, Zephyrúmque volant, gemit vltima pulſu*
*Thraca b pedum, circúmque atræ Formidinis ora c*
*Iræque, Inſidiæque dei comitatus, aguntur.*
*Talis equos alacer media inter prælia Turnus*
*Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cæſis*
*Hoſtibus inſultans, ſpargit rapida vngula d rores*
*Sanguineos, mixtáque cruor calcatur arena.*
*Iamque neci Sthenelúmque dedit, Thamyrimque, Polúmque:*
*Hunc congreſſus, & hunc e, illum eminus: eminus ambo*

*Comparatio Martis & Turni.*

*Variæ cædes à Turno patratæ*

mimortuos tota agmina equorum pedibus, & rotarũ impulſu proterit, & haſtas è curru ſuo feſtinanter & raptim acceptas ingerit fugientibus Troianis.

a Talis Turnus equos concitat in medias hoſtiũ acies: qualis Mars concitatus ad ripas Hebri fluuij, & ſanguine gaudens ſtrepitum edit haſtâ in clypeum inflicta, & equos ferocientes immittit laxatis habenis: illi apertam planitiem nullis fluuiis aut ſaxis impeditam nacti tam celeriter currunt, vt volare videantur, & ventos ipſos curſus celeritate præuertere, & vngulis ita terram quatiunt, vt ſonitus ad extremas Thraciæ regiones emanet: & formido, Iræ, Inſidiæ antecedunt, quæ tria Martem ſemper & vbique comitantur.

b Thracia, imitatione Græcorum Θρῄκη quam etiam vocem notat Seruius vſurpatam à Tullio lib. de Rep.

c Periphraſis. *Formidinis ora*, pro ipſa formidine.

d Vngula equorum Turni rapide concitata ſpargit ſanguinem cæſorum rorantem, & arena calcatur cruori permixta.

e Thamyrim & Polum congreſſus & manu collata cominus interemit: Sthenelũm eminus haſtam intorquens,

*Imbraſidas, Glaucum, atque Taden, quos Imbraſus ipſe*
*Nutrierat Lycia* a, *paribuſque onerauerat* b *armis,*
*Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos.*
Eumedes Dolon. *Parte alia media Eumedes in prælia fertur,*
*Antiqui proles bello præclara* c *Dolonis,*
*Nomine auum referens, animo, manibuſque parentem,*
*Qui quondam caſtra vt Danaûm ſpeculator adiret,*
*Auſus Pelidæ* d *pretium ſibi poſcere currus.*
*Illum Tydides* e *alio pro talibus auſis*

*a* In Lycia Aſiæ regione.

*b* Legitur paſſim *onerauerat.* ſi liceret in veterem ſcripturam graſſari reſcriberem, *ornauerat*, *nam*, vt cum Cicerone loquar 2. Tuſc. quæſt. parag. 37. *ſcutum gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis eſſe dicunt*, &c. Adde quòd abſurda eſſet ſententia *onerauerant vt ventos equo præuerterent.* Quid enim magis celeritati contrarium, quàm onus? eos igitur ita pater armis ornauerat & inſtruxerat, vt poſſent vel ſtatariâ pugna cominus manum conferre, vel eminus iaculari, & miſſo iaculo magna celeritate diſcedere.

*c* Diſſidet ab Homero, vt notat Macrobius, *Nam Eumedes Dolonis proles bello præclara, animo manibuſque parentem refert, cum apud Homerum Dolon imbellis ſit.* 10. Iliados. Cerda noſter Ironice Eumedē *bello præclarū* dici putat, propter eius mortem minime glorioſam, ſed potius ignominiæ plenam. Idem nomine *antiqui Dolonis* non patrem Eumedis, ſed primum generis & nobilitatis auctorem intelligit, viderint eruditi.

*d* Eò deuenit audaciæ vt mercedis loco petierit ab Hectore ſibi dari currum Achillis, qui à patre Peleo Pelides vocatur.

*e* Diomedes Tydei filius miſſus ex aduerſa parte ſpeculator cum Vlyſſe Dolonem obuiam ſibi factum interemit.

*Affecit pretio; nec equis adſpirat* a *Achillis.*
*Hunc* b *procul vt campo Turnus conſpexit aperto;*
*Ante leui iaculo longum per inane* c *ſecutus*
*Siſtit equos biiuges, & curru deſilit, atque*
*Semianimi* d*, lapſoque ſuperuenit, & pede collo*
*Impreſſo, dextra mucronem extorquet* e*, & alto* Eumedes occiditur.
*Fulgentem tinxit iugulo, atque hæc inſuper addit.*
*En agros, & quam bello Troiane petiſti*
*Heſperiam* f *metire iacens, hæc præmia, qui me*
*Ferro auſi tentare, ferunt, ſic mœnia condunt.*
*Huic* g *comitem Buten coniecta cuſpide, mittit,* Sarcaſmos.
*Chloreáque, Sybarimque, Daretáq;, Terſilochúmq;*
*Et ſternacis* h *equi lapſum ceruice Tymœten.*
*Ac velut Edoni* i *Boreæ cum ſpiritus alto*

a Nec potuit Dolon ad equos Achillis accedere, vel ſenſus eſt hec tamen Diomedes longe fortior Dolone eiuſque interfector adeò petulans fuit; vt equos Achillis ſibi mercedis loco dari poſtularet.
b Eumedem.
c Cum iaculum eminus per longam aëris vacui diſtantiam intorquens, eum fugientem à tergò vulneraſſet.
d Semimortuo propter vulnus acceptum.
e Gladium ex ipſius Eumedis manibus extorquet, & eum propriis armis iugulatum interficit.
f Italiam corpore tuo metire.
g Eumedi.
h Calcitronis, qui facile ſternit ſedentem: vel pauidi, qui facile conſternatur pauore.
i Thracij, ab Edone Thraciæ monte. Quemadmodum, inquit, Boreæ flatus è Thracia ſpirantis magno ſonitu & ſtridore mare mediterraneum, (cuius pars eſt Aegeum) perflat, & ſequitur fluctus ad littora deuolutos, quos ante ſe propellit, & in quamcumque partem aëris ſpirat, inde nubila, detergit, ita Turnus quacunque progreditur, in fugam vertit Troianos.

*Inſonat Ægæo, ſequitúrque ad littora fluctus,*
Comparatio. *Qua venti incubuêre, fugam dant nubila cælo:*
*Sic Turno quacumque viam ſecat* a, *agmina cedũt*
*Conuerſæque* b *ruunt acies, fert impetus ipſum,*
Phegeus opponit ſe Turno. *Et criſtam* c *aduerſo curru quatit aura volantem.*
*Non tulit inſtantem* d *Phegeus, animiſque fremẽtẽ,*
*Obiecit ſeſe ad currum* e, *& ſpumantia frenis*
*Ora citatorum dextra contorſit equorum,*
*Dum trahitur, pendétque iugis, hunc lata retectum*
*Lancea* f *conſequitur, rumpitque infixa bilicem* g
*Loricam, & ſummum deguſtat* h *vulnere corpus,*
*Ille tamen clypeo obiecto* i *conuerſus in hoſtem*

*a* Vt lib. 10. —— *Volucri curru medium ſecat agmen.* quia videlicet agminibus diſiectis ferro ſibi viam faciebat: —— *Ferro rumpenda per hoſtes Eſt via* ——

*b* In fugam conuerſæ.

*c* Aura criſtam Turni aduerſo curru in hoſtium acies irrumpentis quatit & vibrat: quæ criſtræ volantis agitatione terribilior apparet. ſic 9. Æneid. *Tremunt in vertice criſtæ Sanguineæ.*

*d* Vrgentem & inſequentem Troianos, iiſque imminentem lib. 1. —— *Inſtabat curru criſtatus Achilles.*

*e* Phegeus *obiecit ſeſe ad currum* Turni, & frenis manu apprehenſis ora concitatorum equorum in aliam partem magna vi detorſit, qui ingenti ferocitate reluctantes, eum viciſſim ita traxerunt vt è ſui currus iugo ipſe penderet. Dum trahitur pendétque iugo, Lancea Turni eius tergo patenti & ad vulnus detecto infligitur.

*f* Genus eſt teli, & res & nomen Hiſpanicum.

*g* Vide lib. 5. verſu 259.

*h* Corpus vulnere perſtringit, & cute tenus delibat.

*i* Phegeus tamen, etſi iam vulneratus ictibus clypeum opponens in hoſtem Turnum ruebat, ſpémque ſalutis ponebat non in pedibus & fuga, ſed in manibus, & gladio quem eduxerat.

*Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat,*
*Quem rota præcipitem,* a *procurſu concitus axis*
*Impulit, effuditque ſolo, Turnuſque ſecutus* Occiditur.
*Imam inter galeam* b *, ſummi thoracis & oras,*
*Abſtulit enſe caput, truncumque reliquit arenâ* c.
*Atque ea dum campis victor dat funera* d *Turnus,*
*Interea Æneam Mneſtheus, & fidus Achates,*
*Aſcaniúſque comes caſtris ſtatuere cruentum* e
*Alternos longa nitentem* f *cuſpide greſſus.*
*Sæuit* g *, & infracta luctatur arundine telum* Æneas iubet extrahi telum à vulnere.
*Eripere, auxilióque viam, quæ proxima poſcit*
*Enſe ſecent lato vulnus, telique latebram*
*Reſcidant penitùs, ſeſeque in bella remittant.*
*Iámque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis*
*Iaſides* h *, acri quondam cui captus amore*

*a* Quem Phegeum rota Turni & axis procurſu concitatus præcipitem inpulit primò, deinde deiecit in terram.
*b* Collum abſcindit, rimatus locum vulneri patentem, qua parte ima pars galeæ ſummæ thoracis parti committitur.
*c* In arena.
*d* Homines interficit funere efferendos.
*e* Suo ſanguine reſperſum deduxerunt ad caſtra vt in iis conſiſteret.
*f* Aeneam qui vulneratus vnum ex alio greſſum alternatim longæ haſtæ adminiculo fulciebat: niti greſſus, eſt, niti ſecundum greſſus alternos.
*g* Sæuit Aeneas & indignatur non tam doloris impatientia, quàm quòd non poſſit ad pugnam redire, ſuiſque ſubuenire, & cum maxima difficultate conatur infracto calamo telum non paulatim ſed ſimul extrahere. Quærit itaque non lenius ſed celerius remedium: petitque à ſuis vt vulnus enſe dilatent ad telum citius extrahendum, vt eo extracto poſſit ad pugnam redire.
*h* Iaſi filius.

*Ipſe ſuas artes, ſua munera* a *lætus* b *Apollo*
*Auguriũ, citharamque dabat* c, *celeréſque ſagittas.*
*Ille vt depoſiti* d *proferret fata parentis,*
*Scire poteſtates herbarum, vſumque* e *medendi*
*Maluit, & mutas* f *agitare inglorius artes.*
Laborat extrahere telũ. *Stabat acerba* g *fremens, ingentem nixus in haſtã;*
*Æneas magno iuuenum, & mærentis Iuli*
*Concurſu, lacrymiſque* h *immobilis. Ille* i *retorto*
*Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,*
*Multa manu medicâ, Phœbique potentibus herbis*
*Nequicquam trepidat, nec quicquã ſpicula dextrâ*

a Seruius. *Cithara & ſagittæ artes ſunt: augurium vero munus, non enim ſola arte, verùm etiam indulta diuinitate colligitur.*
b Hilaris & promptus præ amore lib. 9.
*Has ego Dardanio iuueni cum claſſis egeret. Læta dedi.* ——
c Non *dedit*, ſed *dabat*, id eſt offerebat, licet ille non acceperit.
d Iapis autem, vt Iaſi patris, cuius ſalus iam erat deſperata: vitam longius produceret, mortémque differret; cæteris Apollinis artibus prætulit medicinam, licet ex ea minus gloriæ ſequeretur. *Depoſiti*, deſperati. Ouid. ele. 2. lib. 2. de Ponto *Iam prope depoſitus, certè iam frigidus æger*, &c. *Nam apud veteres* (inquit Seruius, & poſt eum Iſidorus) *conſuetudo erat vt deſperati ante ianuas ſuas collocarentur, vel vt poſſent à tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laborauerant morbo.* Cicero. *Ægram & depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe.*
e Idem. Ἐμπειρικὴν ſcientiam hoc eſt; medicinam vſu, non ratione conſtantem interpretatur.
f Alij aliter. Interpretor mutas artes quæ minus hominum ore celebrantur, comparatione cæterarum.
g Acerbè.
h Tam conſtans, vt non ſuorum lacrymis moueretur.
i Iapis veſte ad humeros reuocata more medicorum, quorum Deus eſt Pæon, multa trepidè & feſtinanter fruſtra molitur, fruſtra telum corpori infixũ loco mouere conatur (nam hoc proprie *ſollicitare*, quaſi *ſolo excitare*). & forcipe telum frequenter prehendit, ad illud extrahendum.

a Nec

*Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.*
*Nulla viam fortuna regit* a, *nihil auctor* b *Apollo* Sed fruſtra.
*Subuenit: & ſæuus campis magis ac magis horror*
*Crebreſcit, propiúſque malũ eſt* c *iam puluere cœlũ*
*Stare vident* d: *ſubeunt equites, & ſpicula caſtris*
*Denſa cadunt mediis, it triſtis ad æthera clamor*
*Bellantum iuuenum, & duro ſub Marte cadentum.*
*Hic* e *Venus indigno* f *nati concuſſa dolore*
*Dictamnum genitrix Cretæâ carpit ab Idâ,* Venus adfert dictamnum.
*Puberibus* g *caulem* h *foliis, & flore* i *comantem*
*Purpureo: non illa feris incognita capris*
*Gramina* k, *cùm tergo volucres hæsêre ſagittæ.*
*Hoc* l *Venus obſcuro faciem circundata nimbo*

*a* Nec fortuna viam dirigit qua telum extrahatur.
*b* Medicinæ inuentor.
*c* Ita creſcebat in campo clades Troianorum à Turno illata, vt iam prope ad ipſa caſtra malum accederet.
*d* Tantam pulueris nubem excitari, vt cœlum horreſcat, & quodammodo ſtare fulcirique puluere videatur.
*e* In hoc Troianorum diſcrimine Venus magnum hauriens animo dolorem ex vulnere filij Æneæ, quod ei per ſummam indignitatem ex inſidiis fuerat inflictum, dictamnum ex Ida Cretæ monte decerpſit.
*f* Quidam exponunt, *magno*, vt apud Ennium *indignas turres.*
*g* Vel adultis cum Seruio, vel lanuginoſis cum Cerda ex Dioſcoride γναφαλώδη τὰ φύλλα ἔχει καὶ ἐριώδη τινὰ ἀπόφυσιν. folia mollis tomenti modo habet, & laneã quãdam lanuginẽ.
*h* Caulis eſt medium fruticis, qui Græcis θύρσος dicitur.
*i* Plinius à Marone diſſentit lib. 25. c. 8. *Flos ei nullus, aut ſemen, aut caulis.* immo Dioſcorides lib. 3. οὔτε δ' ἄνθος, οὔτε καὶ καρπὸν φέρει *Neque florem fert, neque fructum* Paulo poſt tamen idem Dioſcor. aliud dictamni genus agnoſcit, cui ἄνθος μέλαν flos fuſcus & ferrugineus. k Herbæ.
*l* Hoc gramen, hunc dictamnum Venus obſcurâ nebulâ latens detulit ad Ænean, & eodem dictamno aquam pelui in-

*In pelvim immiſit.*

*Detulit, hoc* a *fuſum labris ſplendentibus amnem*
*Inficit, occultè medicans ſpargitque ſalubreis*
*Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam Panacæam* b.
*Fouit eâ vulnus lymphâ longæuus* c *Iapis*
*Ignorans* d, *ſubitóque omnis de corpore fugit*
*Quippe* e *dolor, omnis ſtetit imo vulnere ſanguis,*
*Iámque ſecuta manum, nullo cogente, ſagitta*
*Excidit, atque nouæ* f *rediêre in priſtina vires.*
*Arma citi properate* g *viro, quid ſtatis? (Iapis*
*Conclamat: primuſque animos accendit in hoſtes)*
*Non hæc humanis opibus, non arte magiſtrâ*
*Proueniunt, neque te Ænea, mea dextera ſeruat.*
*Major agit Deus* h, *atque opera ad maiora remittit.*
*Ille* i *auidus pugnæ ſuras incluſerat* k *auro.*

*Telum facilè extrahitur.*

*Iapis Æneæ.*

fuſam temperauit. *Infici* dicitur quod alterius admixtione mutatur etiam in melius, vt & corrumpi, & violari de quo ſuprà verſu 68

*a* Cibus eſt Deorum ambroſia (vt nectar potus) alij florem eſſe tradunt Euſtathius à Germano laudatus. Αμβροσία ἄνθος τι̇ μὲν ὕστερον, οἱ δ᾽ ἴν ἑρμηνεύουσι, *Ambroſiæ flos quidam, quem alii lilium, alii violam exponunt.*

*b* Germanus citat Lucretium lib. 4. —*Odorem*

*Expirant aurem panaces abſinthia tetra.*

Græcis πανάκεια & πάνακες, *omnia ſanans: ipſo nomine*, vt ait, Plinius *omnium morborum remedia promittens.*

*c* Supra vocauit ſeniorem, quia ſenibus maior vſus & peritia Homerus γέρων ἠρμώδιος τέκτων.

*d* Ignorans eam aquam eſſe dictam no medicatam.

*e* *Quippe aſſiduo rauens adus rbum*, vt ait Iulius Scaliger.

*f* Redintegratæ ſunt vires & in priſtinum ſtatum reuocatæ.

*g* Properanter adferte.

*h* Deus hæc agit & te ſanat, qui maior eſt humanis auxiliis & naturali medicina.

*i* Æneas.

k Tibias aureis ocreis armauerat, non ait *incluſit*, ſed, *incluſerat*, ad ſignificationem maioris feſtinationis.

*Hinc atque hinc, oditq; moras, haſtamq; coruſcat* a,
*Poſtquàm habilis* b *lateri clypeus loricáq; tergo eſt:* Aeneas
*Aſcanium fuſis circùm complectitur armis.* armatur
*Summáque per galeam delibans* c *oſcula fatur:*
*Diſce puer virtutem ex me, verumque* d *laborem,*
*Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello*
*Defenſum dabit* f, *& magna inter præmia ducet.* Aeneas
*Tu facito mox, cùm matura* g *adoleuerit ætas,* Aſcanium
*Sis memor, & te, animo repetentem exempla tuorũ*
*Et pater Æneas, & auunculus* h *excitet Hector.*
*Hæc vbi dicta dedit, portis ſeſe extulit ingens,*
*Telum immane manu quatiẽs, ſimul agmine denſo* Exue
*Antæus, Mneſtheuſque ruunt, omniſque relictis* caſtris
*Turba fluit* k *caſtris, tum cæco* l *puluere campus* Aeneas
*Miſcetur, pulsúque pedum tremit excita tellus.*

a Vibrat tam celeriter vt fulgurum coruſcationem imitetur.
b Sic accommodatus & applicatus vt apte haberi poſſet.
c Alloquitur filium ſumma illius oſcula per galeam delibans & quaſi deflorans ſiue decerpens labris primoribus impediente ſcilicet galea quo minùs plenis oſculis frueretur.
d Seruius. *Quem per me ipſe ſuſcipio, non qui ex aliorum virtute imperatoribus adſcribi conſueuit.*
e Ex quadam animi ſecuritate profecta hæc videtur oratio: O fili diſce ex me virtutem, & verum laborem, & cum hac virtute & labore tibi regnũ Italiæ peperero, ne rebus ſecundis inſoleſcas, diſce fortunam ex aliis, & maximè ex Turno, qui paulo poſt à me victus nobile dabit fragilitatis humanæ documentum.
f Defendet & ad magna præmia perducet.
g Tu vero cùm ad virilem ætatem perueneris memento meæ virtutis, rerúmque à me geſtarum.
h Frater Creuſæ matris tuæ.
i E caſtris per portas egreſſus eſt ingens & animo & corpore.
k Fluminis in morem è caſtris effunditur.
l Qui aërem ita reddebat obſcurum, vt reſpicientibus tenebras obtenderet

Latini terrentur.

*Vidit ab aduerſo* a *venientes aggere Turnus,*
*Videre Auſonij, gelidúſque per ima cucurrit*
*Oſſa tremor; prima ante omnes* b *Iuturna Latinos*
*Audijt: agnouitque ſonum & tremefacta refugit.*
*Ille volat* c *campoque atrum rapit agmen aperto.*

Comparatio.

*Qualis vbi ad terras abrupto ſidere* d *nimbus*
*It mare per medium, miſeris, heu! præſcia longe*
*Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas*
*Arboribus, ſtragémque ſatis, ruet* e *omnia latè:*
*Ante volant, ſonitúmque ferunt ad littora Venti:*
*Talis in aduerſo ductor Rhæteius* f *hoſtes*

*a* Vel ſenſus eſt Turnus in aggere viæ militaris exiſtens, aut in alio loco eminente vidit Troianos venientes: vel vidit Turnus Troianos venientes ex aggere caſtrorum, vt voles.

*b* Donatus. *Iuturna, quam ſpecialis pro ſalute fratris ſollicitudo tangebat, prima cognouit, prima contremuit & fugit.*

*c* Æneas tam celeriter accurrit vt volare non currere videatur, & agmen atro puluere coopertum & terribile raptim in aciem adducit per campum apertum, nullis interclusum riuulis, nullis ſentibus aut ſaxis impeditum. *atrum* expoſui terribile, vt ſuprà dixit atram formidinem. libro 9. atrum timorem.

*Immiſitque fugam Teucris, atrúmque timorem.*

*d* Vel tempeſtate ex improuiſo ſiue ex abrupto exorta, vt lib. 4. *Hyberno moliris ſidere claſſem.*
lib. 2. —— *Triſte Mineruæ Sidus.* Si abruptis fulgetris inſtar ſiderum coruſcantibus, Sic lib. 1.

—— *Ingeminant abrupti è nubibus ignes.*

vel abrupto cœlo, id eſt, nubibus abruptim diuiſis, vt inde nimbus erumpat. Egregia vero comparatio qua nubes abruptæ cum caſtris apertis, terra cum campo aciei, mare cũ ſpatio inter caſtra & locum pugnæ interiecto, nimbus cum Aenea & Troianis, agricolæ cum Turno & Latinis, ruinæ arborum ſtragéſque ſatorum, cum clade Turni & Latinorum comparantur. *e* Eruet, euertet.

*f* Aeneas Troianos à Rhœteo Troiæ promontorio.

*Agmen agit : denſi cuneis* a *ſe quiſque coactis*
*Agglomerant : ferit enſe grauem* b *Thymbræus Oſirim:*
*Archetium Mneſtheus: epulonē obtruncat Achates:*
*Vſentemque Gyas , cadit ipſe Tolumnius Augur,*
*Primus in aduerſos* c *telum qui torſerat hoſtes.*
*Tollitur in cælum clamor : verſique viciſſim* d
*Pulueruleпta fugâ Rutuli dant terga per agros.*
*Ipſe* e *neque aduerſos* f *dignatur ſternere morti,*
*Nec pede congreſſos* g, *nec equo , nec tela ferentes*
*Inſequitur : ſolum denſa in caligine* h *Turnum*
*Veſtigat luſtrans , ſolum in certamina poſcit.*
*Hoc concuſſa metu mentem Iuturna virago* i
*Aurigam Turni media inter lora Metiſcum*
*Excutit , & longè lapſum temone relinquit:*

*Variæ cædes Latinorum.*

*Æneas Turnum inſequitur.*

a Denſantur in cuneos coacti & congregati , ſiue conferti & in cuneorum modum compoſiti, vt in hoſtem faciliùs irrumpant.

b Fortem , vt Seruius , exponit , Salluſt. *Luſitaniæ grauem ciuitatem* fortaſſe grauem, quia partibus magnum pondus addebat.

c Vide ſuprà , verſu 166.

d Quia paulò ante Troianos in fugam conuerterant.

e Æneas, more Græcorum qui ἐκεῖνον ſiue αὐτὸν dicebāt pro Imperatore , vt notat Caſaubonus in Dronem Chryſoſtomum.

f Videtur Seruius legiſſe *auerſus*, *Id eſt* , inquit , *nec fugientes, nec contrà ſtantes dignatur occidere* , auerſos , nimirum fugientes ; congreſſos , contra ſtantes appellat.

g Seruius & Donatus videntur legiſſe,

*Nec pede congreſſus æquo.*

h In circumfuſa denſi pulueris nube quæ tenebras & caliginem campis offuderat.

i Seruius. *Virago dicitur mulier quæ implet viri officium : quæ viri animum habet , has antiqui viras dicebant.*

*Iuturna regit equos Turni. Comparatio.*

*Ipſa ſubit, manibúſq; vndanteis* a *flectit habenas,*
*Cuncta gerens, vocémq;& corpus,& arma Metiſci,*
*Nigra velut* b *magnas Domini cùm diuitis ædes*
*Peruolat, & pennis alta atria luſtrat hirundo,*
*Pabula parua legens, nidiſque loquacibus eſcas,*
*Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum*
*Stagna ſonat: ſimilis medios Iuturna per hoſtes*
*Fertur equis, rapidóque volans obit omnia curru,*
*Iámque hic germanũ, iámque hîc oſtendit ouantẽ,*
*Nec conferre manum patitur, volat auia* c *longè.*
*Haud minus Æneas tortos legit* d *obuius orbes,*
*Veſtigatq; virum, & diſiecta* e *per agmina magnâ*
*Voce vocat: quoties oculos coniecit in hoſtem,*
*Alipedumque fugam* f *curſu tentauit equorum.*

*Currum auertit ob Aenea.*

*a* Vndarum in morem fluitantes.

*b* Quemadmodum hirundo nigra, per magnas ædas volat & pennis obit ſiue circuit & luſtrat atria, pabula colligens quæ nido pleno pullis loquacibus ſiue triſſantibus inferantur, & nunc in porticibus vagatur, nunc cum quodam alarum plauſu ſtagna circumuolat: Ita Iuturna hac illac diſcurrit,& modò hic, modò illic fratrem ſuum ouantem, & varias ſtrages edentem oſtendit. Iam, vt ait Donatus. *Nigram hirundinem pro dolentis & lugentis perſona, etiam quæ ſit domeſtica, vt Iuturna de eadem domo & familia qua Turnum poſuit.*

*c* Longè auolat curſúmque deflectit ab ea parte, qua veniebat Aeneas.

*d* Orbes legere, eſt vel inhærere veſtigiis per vias obliquas & flexuoſas, & ita per circuitum fugienti occurrere, vel magnos illos anfractus colligere, breuioribus gyris contrahere, compendioſis orbibus præbere ſe obuium, & errantem præuenire.

*e* Ad dextram & ſiniſtram partem diſſipata Aeneæ aduentu, qui viam & latum limitem per agmina ſibi faciebat.

*f* Quoties Aeneas coniecit oculos in Turnum, & ipſe [illegible] curſu tentauit aſſequi equos tam celeriter fugientes [illegible] pedibus attextas gerere viderentur, toties Iuturna [illegible]

*Auerſos toties currus Iuturna retorſit.*
*Heu quid agat? vario nequicquam* a *fluctuat æſtu:*
*Diuerſæque vocant animum in contraria curæ.*
*Huic* b *Meſſapus, vti læua duo forte gerebat*
*Lenta leuis curſu præfixa haſtilia ferro,*
*Horum vnum certo contorquens dirigit ictu.*
*Subſtitit Æneas, & ſe collegit in arma*
*Poplite ſubſidens: apicem tamen incita ſummum*
*Haſta tulit, ſummáſque excuſſit vertice criſtas.*
*Tum verò aſſurgunt iræ* c *inſidiiſque ſubactus*
*Diuerſos vbi ſenſit equos, currumque referri,*
*Multa Iouem, & læſi teſtatus fœderis aras*
*Iam tandem inuadit medios, & Marte ſecundo*

*Meſſapus in Æneam iaculatur.*

*Aeneas proritatur.*

& auertit currus in aliam partem.

*a* Fruſtra ancipiti cura diſtrahitur apud ſe deliberans an præter Turnum debeat inuadere.

*b* Meſſapus egregius equorum domitor ac proinde leuis in curſu; vt forte ſiniſtra manu duo gerebat haſtilia, vnum ex iis haſtilibus in Aeneam magna vi coniiciens, certo & determinato ictu in eum recta collineat. Quod animaduertens Aeneas ſubſtitit: & obiecto ſcuto ſe ita collegit, & vndequaque texit, in poplitem ſubſidens, vt totum corpus ſcuti longitudine tegeretur, nec vlla ex parte feriri poſſet. Tamen haſta magno impetu concitata ſummum galeæ apicem abſtulit, & ſupremam criſtæ partem excuſſit.

*c* Tum verò magis & magis pectus eius eſt ira cumulatum, quam cum in ipſum Meſſapum vellet expromere, ille curru retroacto, & equis in diuerſam partem abeuntibus auolauit, & tum demum non ſponte ſua, ſed coactus Meſſapi inſidiis, multis verbis Iouem & aras fœderis violati teſtatus, ſe non ſponte, ſed hoſtium improbitate coactum ad pugnam deſcendere, iam tandem poſt longam cunctationem in confertas Latinorum acies irrumpit, & eos qui inter ipſum, ſequentem & fugientem Turnum mediis de hoſtibus erant inuadit, & belli caſibus ad nutum ſuccedentibus terribilis, e diſcretè obtruncat vniuerſos, & iræ permittit ſæuiendi liberam poteſtatem. Ennius. *Irarúmque effunde quadrigas.*

*Terribilis, ſæuam nullo diſcrimine cædem*
*Suſcitat, irarumque omnes effundit habenas.*
*Quis mihi nūc tot acerba Deus, quis carmine cædes*
*Diuerſas, obitumque ducum, quos æquore toto* a,
*Inque vicem nunc Turnus agit, nūc Troius heros* b,
*Expediat* c? *tanton*, d *placuit concurrere motu*,
*Iupiter, æterna gentes in pace futuras?*
*Æneas Rutulum Sucronem (ea prima* e *ruentes*
*Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratus* f
*Excipit in latus, & quâ fata celerrima, crudo* g
*Tranſadigit coſtas, & crates pectoris* h *enſe.*
*Turnus equo deiectum Amycum fratremque Diorē*
*Congreſſus pedes, hunc venientem cuſpide* i *longà*,
*Hunc mucrone* k *ferit, curruque abſciſſa duorū* l,
*Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.*
*Ille Talon, Tanainque neci, fortémque Cethegum*
*Treis vno congreſſu, & mæſtum mittit Onyten,*

*Aeneæ & Turni fortia facta.*

*a* Toto campo, tota planitie.
*b* Aeneas.
*c* Explicet & euoluat. Ennius —— *Oras euoluere belli.*
*d* Placuitne tibi, ô Iupiter? vt Troiani & Latini tanto motu concurrerent, quia paulo poſt, iuncto fœdere, & pace in æternum conſtituta è duabus gentibus vnam conflaturi erant ciuitatem.
*e* Ea prima pugna, qua Aeneas Sucronem occidit, Troianos fugientes fecit à fuga ſubſiſtere.
*f* Seruius legit *moratum*, & ad Sucronem refert qui non potuit diu vim Aeneæ ſuſtinere. Donatus legit morantem, eodem ſenſu.
*g* Duro, vt lib. 10. —— *Et crudum per coſtas exigit enſem.*
*h* Coſtas quæ inſtar cratium pectori obtenduntur.
*i* Haſta. K Gladio.
*l* Amyci & Dioris.
*m* Aeneas multos mittit neci, ſiue interficit.

*Nomen Echionium, a matriſque genus Peridiæ.*
*Hic* b *fratres Lycia miſſos, & Apollinis* c *agris,*
*Et iuuenem exoſum nequicquam bella Menœten,*
*Arcada,* d *piſcoſæ cui circum flumina Lernæ*
*Ars fuerat, paupérque domus, nec nota potentum*
*Limina, conductáque pater* e *tellure ſerebat.*
*Ac velut immiſſi diuerſis partibus ignes*
*Arentem in ſyluam, & virgulta ſonantia* f *lauro,* Comparatio.
*Aut vbi decurſu rapido de montibus altis*
*Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt,*

*a* Illi, videlicet Onytæ, nomen Echionium fuit, ſine gloria Thebana: quippe qui gloriari ſolebat, quòd oriundus eſſet Thebis, nobiliſſima ciuitate. Genus etiam illi fuit à Peridia matre, matrona clariſſima, Echion Rex Thebarum fuit.

*b* Turnus.

*c* Quia Lycia Apollini dicata; vbi hyberno tempore habebat oraculum; vnde & *Lyciæ ſortes*. vide lib 4.

*d* Mœnetes, vt videtur, cùm eſſet Arcas cum Euandro ad Italiam nauigarat. Euander autem iam à multis annis acceſſerat, vt ex eo liquet quòd Pallantem, vt dicitur lib. 8. verſu 510. ex matre Sabella ſuſcepit. Quare Menœtes iuuenis eſſe non potuit, cùm à Turno cōfectus eſt. Senſus eſt igitur Menœtem iam ætate prouectum mortem oppetiiſſe, qui iuuenis exoſus fuerat bella, ſed fruſtra exoſus, quia matura ætate bello periit, qui iuuenis omnia bella vitauerat, & tenui victu contentus, circa Lernæam paludem vitam piſcatione tolerarat; neque vt à potentioribus munera acciperet, eorum limina triuerat, & atriorum fores, matutinus ſalutator, obſederat. Alij legunt *munera*, alij *limina* eadem pene ſententia.

*e* Pater Menœtæ erat agricola, & terram colebat alienam & conductitiam.

*f* Seruius exponit virgulta lauri cum crepitu ardentia. Lucretius. —— *Etiam parnaſsia laurus*
*Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.*

*Firma a manu. Turnum iam debent hæc mihi ſacra.*
*Has inter voces, media inter talia verba* b,
*Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt,*
*Incertum* c *qua pulſa manu, quo turbine adacta,*
*Quis tantam Rutulis laudem, caſuſve, Deûſve*
Vulneratur. *Attulerit, preſſa eſt* d *inſignis gloria facti,*
*Nec ſeſe Æneæ iactauit vulnere quiſquam.*
*Turnus vt Aeneam cedentem ex agmine vidit,*
*Turbatóſque duces, ſubita* f *ſpe feruidus ardet.*
*Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltúque ſuperbus* g
Turnus multos interficit. *Emicat* h *in currũ, & manibus molitur* i *habenas;*
*Multa virûm volitans* k *dat fortia corpora letho:*
*Semineces voluit multos, aut agmina curru*
*Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.*

*a* Ego fœdera quæ illi diſcutere volunt, manu firma faciam, & ſtabiliam. Læſa ſacra neceſſe eſt Turni ſuppliciis expiari. Ex quo enim fœdus pepigimus, mihi eſt obnoxius, & obligatus ad ineundum ſingulare certamen

*b* Non ſuperuacaneum eſt quod ait inter voces, inter verba: hic enim morandum fuit, & circunſtantia ponderanda, quæ rei indignitatem exaggerat. Vulneratus eſt enim non cùm pugnaret, ſed dum loqueretur, & ſuos à pugna reuocaret. Neque enim pugnans vulnerari potuiſſet.

*c* Incertum hominibus, ſed dij nouerant ipſam Iuturnam vulneris auctorem fuiſſe, idque Iuno fatetur verſu 815. quod Poëta ſcire ſe diſſimulat.

*d* Suppreſſa eſt.

*e* Donatus. *Compendioſa narratio, in qua etiam non dicta poſſunt intelligi: non enim deſcripſit Aeneam cedentem ex agmine, aut duces turbatos, ſed quaſi iã dixiſſet, ſic Turnum aſſeruit hæc vidiſſe.*

*f* Repentina victoriæ ſpe ad pugnam accenditur.

*g* Quaſi certus iam de victoria, imò iam triumphans.

*h* Exilit.

*i* Mouet, flectit, moderatur.

*k* Huc illuc impune diſcurrens multos interficit, quaſi iam de confecto Aenea ſecutus: multos ad terram proſternit ſe-

*Qualis apud gelidi cum flumina concitus* a *Hebri*
*Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes*
*Bella mouens immittit equos, illi æquore aperto*
*Ante Notos, Zephyrúmque volant, gemit vltima pulſu*
*Thraca* b *pedum, circúmque atræ Formidinis ora* c
*Iræque, Inſidiæque dei comitatus, aguntur.*
*Talis equos alacer media inter prælia Turnus*
*Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cæſis*
*Hoſtibus inſultans, ſpargit rapida vngula* d *rores*
*Sanguineos, mixtáque cruor calcatur arena.*
*Iamque neci Sthenelúmque dedit, Thamyrimque, Polúmque:*
*Hunc congreſſus, & hunc* e, *illum eminus: eminus ambo*

*Comparatio Martis & Turni.*

*Variæ cædes à Turno patratæ*

mimortuos tota agmina equorum pedibus, & rotarũ impulſu proterit, & haſtas è curru ſuo feſtinanter & raptim acceptas ingerit fugientibus Troianis.

a Talis Turnus equos concitat in medias hoſtiũ acies: qualis Mars concitatus ad ripas Hebri fluuij, & ſanguine gaudens ſtrepitum edit haſtâ in clypeum inflicta, & equos ferocientes immittit laxatis habenis: illi apertam planitiem nullis fluuiis aut ſaxis impeditam nacti tam celeriter currunt, vt volare videantur, & ventos ipſos curſus celeritate præuertere, & vngulis ita terram quatiunt, vt ſonitus ad extremas Thraciæ regiones emanet: & formido, Iræ, Inſidiæ antecedunt, quæ tria Martem ſemper & vbique comitantur.

b Thracia, imitatione Græcorum θρήκη quam etiam vocem notat Seruius vſurpatam à Tullio lib. de Rep.

c Periphraſis. *Formidinis ora*, pro ipſa formidine.

d Vngula equorum Turni rapide concitata ſpargit ſanguinem cæſorum rorantem, & arena calcatur cruori permixta.

e Thamyrim & Polum congreſſus & manu collata cominus interemit: Sthenelum eminus haſtam intorquens,

*Imbraſidas, Glaucum, atque Taden, quos Imbraſus ipſe*
*Nutrierat Lycia* a, *paribuſque onerauerat* b *armis,*
*Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos.*
Eumedes Dolon. *Parte alia media Eumedes in prælia fertur,*
*Antiqui proles bello præclara* c *Dolonis,*
*Nomine auum referens, animo, manibuſque parentem,*
*Qui quondam caſtra vt Danaûm ſpeculator adiret,*
*Auſus Pelidæ* d *pretium ſibi poſcere currus.*
*Illum Tydides* e *alio pro talibus auſis*

*a* In Lycia Aſiæ regione.

*b* Legitur paſſim *onerauerat*. ſi liceret in veterem ſcripturam graſſari reſcriberem, *ornauerat*, *nam*, vt cum Cicerone loquar 2. Tuſc. quæſt. parag. 37. *ſcutum gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis eſſe dicunt*, &c. Adde quòd abſurda eſſet ſententia *onerauerant vt ventos equo præuerterent*. Quid enim magis celeritati contrarium, quàm onus? eos igitur ita pater armis ornauerat & inſtruxerat, vt poſſent vel ſtatariâ pugna cominus manum conferre, vel eminus iaculari, & miſſo iaculo magna celeritate diſcedere.

*c* Diſſidet ab Homero, vt notat Macrobius, *Nam Eumedes Dolonis proles bello præclara, animo manibuſque parentem refert, cum apud Homerum Dolon imbellis ſit*. 10. Iliados. Cerda noſter Ironice Eumedē *bello præclarū* dici putat, propter eius mortem minime glorioſam, ſed potius ignominiæ plenam. Idem nomine *antiqui Dolonis* non patrem Eumedis, ſed primum generis & nobilitatis auctorem intelligit, viderint eruditi.

*d* Eò deuenit audaciæ vt mercedis loco petierit ab Hectore ſibi dari currum Achillis, qui à patre Peleo Pelides vocatur.

*e* Diomedes Tydei filius miſſus ex aduerſa parte ſpeculator cum Vlyſſe Dolonem obuiam ſibi factum interemit.

*Affecit pretio; nec equis adſpirat* a *Achillis.*
*Hunc* b *procul vt campo Turnus conſpexit aperto;*
*Ante leui iaculo longum per inane* c *ſecutus*
*Siſtit equos bijuges, & curru deſilit, atque*
*Semianimi* d*, lapſoque ſuperuenit, & pede collo*
*Impreſſo, dextra mucronem extorquet* e*, & alto* Eumedes occiditur.
*Fulgentem tinxit iugulo, atque hæc inſuper addit.*
*En agros, & quam bello Troiane petiſti*
*Heſperiam* f *metire iacens, hæc præmia, qui me*
*Ferro auſi tentare, ferunt, ſic mœnia condunt.*
*Huic* g *comitem Buten conjecta cuſpide, mittit,* Sarcaſmos.
*Chloreáque, Sybarimque, Daretáq;, Terſilochúmq;*
*Et ſternacis* h *equi lapſum ceruice Tymœten.*
*Ac velut Edoni* i *Boreæ cum ſpiritus alto*

a Nec potuit Dolon ad equos Achillis accedere, vel ſenſus eſt hec tamen Diomedes longe fortior Dolone eiuſque interfector adeò petulans fuit; vt equos Achillis ſibi mercedis loco dari peſtularet.
b Eumedem.
c Cum iaculum eminus per longam aëris vacui diſtantiam intorquens, eum fugientem à tergo vulneraſſet.
d Semimortuo propter vulnus acceptum.
e Gladium ex ipſius Eumedis manibus extorquet, & eum propriis armis iugulatum interficit.
f Italiam corpore tuo metire.
g Eumedi.
h Calcitronis, qui facile ſternit ſedentem: vel pauidi, qui facile conſternatur pauore.
i Thracij, ab Edone Thraciæ monte. Quemadmodum, inquit, Boreæ flatus è Thracia ſpirantis magno ſonitu & ſtridore mare mediterraneum, (cuius pars eſt Aegeum) perflat, & ſequitur fluctus ad littora deuolutos, quos ante ſe propellit, & in quamcumque partem aëris ſpirat, inde nubila, detergit, ita Turnus quacunque progreditur, in fugam vertit Troianos.

*Comparatio.*

*Inſonat Aegæo, ſequitúrque ad littora fluctus,*
*Qua venti incubuêre, fugam dant nubila cælo:*
*Sic Turno quacumque viam ſecat* [a], *agmina cedũt*
*Conuerſæque* [b] *ruunt acies, fert impetus ipſum,*
*Et criſtam* [c] *aduerſo curru quatit aura volantem.*

*Phegeus opponit ſe Turno.*

*Non tulit inſtantem* [d] *Phegeus, animiſque fremẽtẽ,*
*Obiecit ſeſe ad currum* [e], *& ſpumantia frenis*
*Ora citatorum dextra contorſit equorum,*
*Dum trahitur, pendétque iugis, hunc lata retectum*
*Lancea* [f] *conſequitur, rumpitque infixa bilicem* [g]
*Loricam, & ſummum deguſtat* [h] *vulnere corpus,*
*Ille tamen clypeo obiecto* [i] *conuerſus in hoſtem*

*a* Vt lib. 10. —— *Volucri curru medium ſecat agmen.* quia videlicet agminibus diſiectis ferro ſibi viam faciebat:
—— *Ferro rumpenda per hoſtes Eſt via* ——
*b* In fugam conuerſæ.
*c* Aura criſtam Turni aduerſo curru in hoſtium acies irrumpentis quatit & vibrat: quæ criſtræ volantis agitatione terribilior apparet. ſic 9. Æneid.
*Tremunt in vertice criſtæ Sanguineæ.*
*d* Vrgentem & inſequentem Troianos, iiſque imminentem lib. 1. —— *Inſtabat curru criſtatus Achilles.*
*e* Phegeus *obiecit ſeſe ad currum* Turni, & frenis manu apprehenſis ora concitatorum equorum in aliam partem magna vi detorſit, qui ingenti ferocitate reluctantes, eum viciſſim ita traxerunt vt è ſui currus iugo ipſe penderet. Dum trahitur pendétque iugo, Lancea Turni eius tergo patenti & ad vulnus detecto infligitur.
*f* Genus eſt teli, & res & nomen Hiſpanicum.
*g* Vide lib. 5. verſu 259.
*h* Corpus vulnere perſtringit, & cute tenus delibat.
*i* Phegeus tamen, etſi iam vulneratus ictibus clypeum opponens in hoſtem Turnum ruebat, ſpémque ſalutis ponebat non in pedibus & fuga, ſed in manibus, & gladio quem eduxerat.

*Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat,*
*Quem rota præcipitem*, a *procurſu concitus axis*
*Impulit, effuditque ſolo, Turnuſque ſecutus* Occiditur.
*Imam inter galeam* b, *ſummi thoracis & oras,*
*Abſtulit enſe caput, truncumque reliquit arenâ* c.
*Atque ea dum campis victor dat funera* d *Turnus,*
*Interea Æneam Mneſtheus, & fidus Achates,*
*Aſcaniúſque comes caſtris ſtatuere cruentum* e
*Alternos longa nitentem* f *cuſpide greſſus.* Æneas iubet extrahi telum à vulnere.
*Sæuit* g, *& infracta luctatur arundine telum*
*Eripere, auxilióque viam, quæ proxima poſcit*
*Enſe ſecent lato vulnus, telique latebram*
*Reſcidant penitùs, ſeſeque in bella remittant.*
*Iámque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis*
*Iaſides* h, *acri quondam cui captus amore*

*a* Quem Phegeum rota Turni & axis procurſu concitatus præcipitem impulit primò, deinde deiecit in terram.
*b* Collum abſcindit, rimatus locum vulneri patentem, qua parte ima pars galeæ ſummæ thoracis parti committitur.
*c* In arena.
*d* Homines interficit funere efferendos.
*e* Suo ſanguine reſperſum deduxerunt ad caſtra vt in iis conſiſteret.
*f* Aeneam qui vulneratus vnum ex alio greſſum alternatim longæ haſtæ adminiculo fulciebat: niti greſſus, eſt, niti ſecundum greſſus alternos.
*g* Sæuit Aeneas & indignatur non tam doloris impatientia, quàm quòd non poſſit ad pugnam redire, ſuiſque ſubuenire, & cum maxima difficultate conatur infracto calamo telum non paulatim ſed ſimul extrahere. Quærit itaque non lenius ſed celerius remedium: petitque à ſuis vt vulnus enſe dilatent ad telum citius extrahendum, vt eo extracto poſſit ad pugnam redire.
*h* Iaſi filius.

*Ipſe ſuas artes, ſua munera* a *lætus* b *Apollo*
*Auguriũ, citharámque dabat* c, *celeréſque ſagittas;*
*Ille vt depoſiti* d *proferret fata parentis,*
*Scire poteſtates herbarum, vſumque* e *medendi*
*Maluit, & mutas* f *agitare inglorius artes.*
Laborat extrahere telũ. *Stabat acerba* g *fremens, ingentem nixus in haſtã,*
*Æneas magno iuuenum, & mærentis Iuli*
*Concurſu, lacrymiſque* h *immobilis. Ille* i *retorto*
*Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,*
*Multa manu medicâ, Phœbique potentibus herbis*
*Nequicquam trepidat, nec quicquã ſpicula dextrâ*

a Seruius. *Cithara & ſagittæ artes ſunt: augurium vero munus, non enim ſola arte, verùm etiam indulta diuinitate colligitur.*
b Hilaris & promptus præ amore lib. 9.
*Has ego Dardanio iuueni cum claſſis egeret. Læta dedi.* ——
c Non *dedit*, ſed *dabat*, id eſt offerebat, licet ille non acceperit.
d Iapis autem, vt Iaſi patris, cuius ſalus iam erat deſperata: vitam longius produceret, mortémque differret, cæteris Apollinis artibus prætulit medicinam, licet ex ea minus gloriæ ſequeretur. *Depoſiti*, deſperati. Ouid. ele. 2. lib. 2. de Ponto *Iam prope depoſitus, certè iam frigidus æger*, &c. *Nam apud veteres* (inquit Seruius, & poſt eum Iſidorus) *conſuetudo erat vt deſperati ante ianuas ſuas collocarentur, vel vt poſſent à tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laborauerant morbo.* Cicero. *Aegram & depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe.*
e Idem. Ἐμπειρικὴν ſcientiam, hoc eſt, medicinam vſu, non ratione conſtantem interpretatur.
f Alij aliter. Interpretor mutas artes quæ minùs hominum ore celebrantur, comparatione cæterarum.
g Acerbè.
h Tam conſtans, vt non ſuorum lacrymis moueretur.
i Iapis veſte ad humeros reuocata more medicorum, quorum Deus eſt Pæon, multa trepidè & feſtinanter fruſtra molitur, fruſtra telum corpori infixũ loco mouere conatur (nam hoc proprie *ſollicitare*, quaſi *ſolo excitare*). & forcipe telum frequenter prehendit, ad illud extrahendum.

a Nec

*Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.*
*Nulla viam fortuna regit* a, *nihil auctor* b *Apollo* Sed fruſtra.
*Subuenit: & ſæuus campis magis ac magis horror*
*Crebreſcit, propiúſque malũ eſt* c *iam puluere cœlũ*
*Stare vident* d: *ſubeunt equites, & ſpicula caſtris*
*Denſa cadunt mediis, it triſtis ad æthera clamor*
*Bellantum iuuenum, & duro ſub Marte cadentum.*
*Hic* e *Venus indigno* f *nati concuſſa dolore* Venus adfert dictamnum.
*Dictamnum genitrix Cretæâ carpit ab Idâ,*
*Puberibus* g *caulem* h *foliis, & flore* i *comantem*
*Purpureo: non illa feris incognita capris*
*Gramina* k, *cùm tergo volucres hæsêre ſagittæ.*
*Hoc* l *Venus obſcuro faciem circundata nimbo*

*a* Nec fortuna viam dirigit qua telum extrahatur.
*b* Medicinæ inuentor.
*c* Ita creſcebat in campo clades Troianorum à Turno illata, vt iam prope ad ipſa caſtra malum accederet.
*d* Tantam pulueris nubem excitari, vt cœlum horreſcat, & quodammodo ſtare fulcirique puluere videatur.
*e* In hoc Troianorum diſcrimine Venus magnum hauriens animo dolorem ex vulnere filij Æneæ, quod ei per ſummam indignitatem ex inſidiis fuerat inflictum, dictamnum ex Ida Cretæ monte decerpſit.
*f* Quidam exponunt, *magno*, vt apud Ennium *indignas turres.*
*g* Vel adultis cum Seruio, vel lanuginoſis cum Cerda ex Dioſcoride γναφαλώδη τὰ φύλλα ἔχει καὶ ἐριώδη τινὰ ἀπόφυσιν. folia mollis tomenti modo habet, & laneã quãdam lanuginẽ.
*h* Caulis eſt medium fruticis, qui Græcis θύρσος dicitur.
*i* Plinius à Marone diſſentit lib. 25. c. 8. *Flos ei nullus, aut ſemen, aut caulis.* immo Dioſcorides lib. 3. οὔτε δ' ἄνθος, οὔτε καὶ καρπὸν φέρει *Neque florem fert, neque fructum* Paulo poſt tamen idem Dioſcor. aliud dictamni genus agnoſcit, cui ἄνθος μέλαν flos fuſcus & ferrugineus. k Herbæ.
*l* Hoc gramen, hunc dictamnum Venus obſcurâ nebulâ latens detulit ad Ænean, & eodem dictamno aquam pelui in-

*In pelvim immiſtis.* Detulit, hoc a fuſum labris ſplendentibus amnem
Inficit, occultè medicans ſpargitque ſalubreis
Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam Panacæam b.
Fouit ea vulnus lymphâ longæuus c Iapis
Ignorans d, ſubitóque omnis de corpore fugit
*Telum facilè extrahitur.* Quippe e dolor, omnis ſtetit imo vulnere ſanguis,
Iámque ſecuta manum, nullo cogente, ſagitta
Excidit, atque nouæ f rediêre in priſtina vires.
Arma citi properate g viro, quid ſtatis? (Iapis
Conclamat: primuſque animos accendit in hoſtes)
*Iapis Æneæ.* Non hæc humanis opibus, non arte magiſtrâ
Proueniunt, neque te Ænea, mea dextera ſeruat.
Major agit Deus h, atque opera ad maiora remittit.
Ille i auidus pugnæ ſuras incluſerat k auro.

fuſam temperauit. *Infici* dicitur quod alterius admixtione mutatur etiam in melius, vt & corrumpi, & violari de quo ſuprà verſu 68

*a* Cibus eſt Deorum ambroſia (vt nectar potus) alij florem eſſe tradunt Euſtathius à Germano laudatus. Ἀμβροσία ἄνθος τὶ ὂν μὲν ὄζιτον, οἱ δ᾽ ἓν ἑρμηνεύουσι, *Ambroſiæ flos quidam, quem alii lilium, alii violam exponunt.*

*b* Germanus citat Lucretium lib. 4. —*Odorem*

*Expirant acrem panaces abſinthia tetra.*

Græcis πανάκεια & πάνακες, *omnia ſanans: ipſo nomine*, vt ait, Plinius *omnium morborum remedia promittens.*

*c* Supra vocauit ſeniorem, quia ſenibus maior vſus & peritia Homerus γέρων ἠρώων τέκτων.

*d* Ignorans eam aquam eſſe dictam no medicatam.

*e* *Quippe aſſimulantis aduerbium*, vt ait Iulius Scaliger.

*f* Redintegratæ ſunt vires & in priſtinum ſtatum reuocatæ.

*g* Properanter adferte.

*h* Deus hæc agit & te ſanat, qui maior eſt humanis auxiliis & naturali medicina.

*i* Æneas.

*k* Tibias aureis ocreis armauerat, non ait *incluſit*, ſed, *incluſerat*, ad ſignificationem maioris feſtinationis.

*Hinc atque hinc, oditq; moras, haſtamq; coruſcat* a,
*Poſtquàm habilis* b *lateri clypeus loricáq; tergo eſt:* Aeneas armatur
*Aſcanium fuſis circùm complectitur armis.*
*Summáque per galeam delibans* c *oſcula fatur:*
*Diſce puer virtutem ex me, verumque* d *laborem,*
*Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello.*
*Defenſum dabit* f, *& magna inter præmia ducet.* Aeneas Aſcani
*Tu facito mox, cùm matura* g *adoleuerit ætas,*
*Sis memor, & te, animo repetentem exempla tuorũ*
*Et pater Æneas, & auunculus* h *excitet Hector.*
*Hæc vbi dicta dedit, portis ſeſe extulit ingens,*
*Telum immane manu quatiẽs, ſimul agmine denſo* Exiit
*Antæus, Mneſtheuſque ruunt, omniſque relictis* caſtris
*Turba fluit* k *caſtris, tum cæco* l *puluere campus* Aeneas
*Miſcetur, pulsúque pedum tremit excita tellus.*

*a* Vibrat tam celeriter vt fulgurum coruſcationem imitetur.
*b* Sic accommodatus & applicatus vt apte haberi poſſet.
*c* Alloquitur filium ſumma illius oſcula per galeam delibans & quaſi deflorans ſiue decerpens labris primoribus impediente ſcilicet galea quo minus plenis oſculis frueretur.
*d* Seruius. *Quem per me ipſe ſuſcipio, non qui ex aliorum virtute imperatoribus adſcribi conſueuit.*
*e* Ex quadam animi ſecuritate profecta hæc videtur oratio; O fili diſce ex me virtutem, & verum laborem, & cum hac virtute & labore tibi regnũ Italiæ peperero, ne rebus ſecundis inſoleſcas, diſce fortunam ex aliis, & maximè ex Turno, qui paulo poſt à me victus nobile dabit fragilitatis humanæ documentum.
*f* Defendet & ad magna præmia perducet.
*g* Tu vero cùm ad virilem ætatem perueneris memento meæ virtutis, rerúmque à me geſtarum.
*h* Frater Creuſæ matris tuæ.
*i* E caſtris per portas egreſſus eſt ingens & animo & corpore.
*k* Fluminis in morem è caſtris effunditur.
*l* Qui aërem ita reddebat obſcurum, vt reſpicientibus tenebras obtenderet

Latini terrentur.

*Vidit ab aduerſo* a *venientes aggere Turnus,*
*Videre Auſonij, gelidúſque per ima cucurrit*
*Oſſa tremor; prima ante omnes* b *Iuturna Latinos*
*Audijt: agnouitque ſonum & tremefacta refugit.*
*Ille volat* c *campoque atrum rapit agmen aperto.*
*Qualis vbi ad terras abrupto ſidere* d *nimbus*
*It mare per medium, miſeris, heu! præſcia longe*
*Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas*
*Arboribus, ſtragémque ſatis, ruet* e *omnia latè:*
*Ante volant, ſonitúmque ferunt ad littora Venti:*
*Talis in aduerſo ductor Rhæteius* f *hoſtes*

Comparatio.

*a* Vel ſenſus eſt Turnus in aggere viæ militaris exiſtens, aut in alio loco eminente vidit Troianos venientes: vel vidit Turnus Troianos venientes ex aggere caſtrorum, vt voles.
*b* Donatus. *Iuturna, quam ſpecialis pro ſalute fratris ſollicitudo tangebat, prima cognouit, prima contremuit & fugit.*
*c* Æneas tam celeriter accurrit vt volare non currere videatur, & agmen atro puluere coopertum & terribile raptim in aciem adducit per campum apertum, nullis interclusum riuulis, nullis ſentibus aut ſaxis impeditum. *atrum* expoſui terribile, vt ſuprà dixit atram formidinem. libro 9. atrum timorem.

*Immiſitque fugam Teucris, atrúmque timorem.*

*d* Vel tempeſtate ex improuiſo ſiue ex abrupto exorta, vt lib. 4. *Hyberno moliris ſidere claſſem.*
lib. 2. ——— *Triſte Mineruæ Sidus.* Si abruptis fulgetris inſtar ſiderum coruſcantibus, Sic lib. 1.

——— *Ingeminant abrupti è nubibus ignes.*

vel abrupto cœlo, id eſt, nubibus abruptim diuiſis, vt inde nimbus erumpat. Egregia vero comparatio qua nubes abruptæ cum caſtris apertis, terra cum campo aciei, mare cũ ſpatio inter caſtra & locum pugnæ interiecto, nimbus cum Aenea & Troianis, agricolæ cum Turno & Latinis, ruinæ arborum ſtragéſque ſatorum, cum clade Turni & Latinorum comparantur. *e* Eruet, euertet.
*f* Aeneas Troianos à Rhœteo Troiæ promontorio.

*Agmen agit: denſi cuneis* a *ſe quiſque coactis*
*Agglomerant: ferit enſe grauem* b *Thymbræus Oſirim:*
*Archetium Mneſtheus: epulonē obtruncat Achates:*
*Vfentemque Gyas, cadit ipſe Tolumnius Augur,*
*Primus in aduerſos* c *telum qui torſerat hoſtes.*
*Tollitur in cælum clamor: verſique viciſſim* d
*Puluerulenta fugâ Rutuli dant terga per agros.*
*Ipſe* e *neque aduerſos* f *dignatur ſternere morti,*
*Nec pede congreſſos* g, *nec equo, nec tela ferentes*
*Inſequitur: ſolum denſa in caligine* h *Turnum*
*Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit.*
*Hoc concuſſa metu mentem Iuturna virago* i
*Aurigam Turni media inter lora Metiſcum*
*Excutit, & longè lapſum temone relinquit:*

*Variæ cædes Latinorum.*

*Æneas Turnum inſequitur.*

a Denſantur in cuneos coacti & congregati, ſiue conferti & in cuneorum modum compoſiti, vt in hoſtem faciliùs irrumpant.

b Fortem, vt Seruius, exponit, Salluſt. *Luſitaniæ grauem ciuitatem* fortaſſe grauem, quia partibus magnum pondus addebat.

c Vide ſuprà, verſu 266.

d Quia paulò ante Troianos in fugam conuerterant.

e Æneas, more Græcorum qui ἐκεῖνον ſiue αὐτὸν dicebāt pro Imperatore, vt notat Caſaubonus in Dronem Chryſoſtomum.

f Videtur Seruius legiſſe *auerſos*, *Id eſt*, inquit, *nec fugientes, nec contrà ſtantes dignatur occidere*, auerſos, nimirum fugientes; congreſſos, contra ſtantes appellat.

g Seruius & Donatus videntur legiſſe,
*Nec pede congreſſus æquo.*

h In circumfuſa denſi pulueris nube quæ tenebras & caliginem campis offuderat.

i Seruius. *Virago dicitur mulier quæ implet viri officium: quæ viri animum habet, has antiqui viras dicebant.*

*Iuturna regit equos Turni.*

*Ipſa ſubit, manibúſq; vndanteis* a *flectit habenas,*
*Cuncta gerens, vocéq; & corpus, & arma Metiſci,*

*Comparatio.*

*Nigra velut* b *magnas Domini cùm diuitis ædes*
*Peruolat, & pennis alta atria luſtrat hirundo,*
*Pabula parua legens, nidiſque loquacibus eſcas,*
*Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum*
*Stagna ſonat: ſimilis medios Iuturna per hoſtes*
*Fertur equis, rapidóque volans obit omnia curru,*

*Curſum auertit ab Aenea.*

*Iámque hic germanũ, iámque hîc oſtendit ouantẽ,*
*Nec conferre manum patitur, volat auia* c *longè.*
*Haud minus Æneas tortos legit* d *obuius orbes,*
*Veſtigatq; virum, & diſiecta* e *per agmina magnâ*
*Voce vocat: quoties oculos coniecit in hoſtem,*
*Alipedúmque fugam* f *curſu tentauit equorum.*

*a* Vndarum in morem fluitantes.

*b* Quemadmodum hirundo nigra, per magnas ædas volat & pennis obit ſiue circuit & luſtrat atria, pabula colligens quæ nido pleno pullis loquacibus ſiue trinſantibus inferantur, & nunc in porticibus vagatur, nunc cum quodam alarum plauſu ſtagna circumuolat: Ita Iuturna hac illac diſcurrit, & modò hic, modò illic fratrem ſuum ouantem, & varias ſtrages edentem oſtendit. Iam, vt ait Donatus. *Nigram hirundinem pro dolentis & lugentis perſona, etiam quæ ſit domeſtica, vt Iuturna de eadem domo & familia qua Turnus poſuit.*

*c* Longè auolat curſúmque deflectit ab ea parte, qua veniebat Aeneas.

*d* Orbes legere, eſt vel inhærere veſtigiis per vias obliquas & flexuoſas, & ita per circuitum fugienti occurrere, vel magnos illos anfractus colligere, breuioribus gyris contrahere, compendioſis orbibus præbere ſe obuium, & errantem præuenire.

*e* Ad dextram & ſiniſtram partem diſſipata Aeneæ aduentu, qui viam & latum limitem per agmina ſibi faciebat.

*f* Quoties Aeneas coniecit oculos in Turnum, & ipſe [illegible] curſu tentauit aſſequi equos tam celeriter fugientes; [illegible] pedibus attextas gerere viderentur; toties Iuturna [illegible]

*Auerſos toties currus Iuturna retorſit.*
*Heu quid agat? vario nequicquam* a *fluctuat æſtu:*
*Diuerſæque vocant animum in contraria curæ.*
*Huic* b *Meſſapus, vti læua duo fortè gerebat*
*Lenta leuis curſu præfixa haſtilia ferro,*
*Horum vnum certo contorquens dirigit ictu.*
*Subſtitit Æneas, & ſe collegit in arma*
*Poplite ſubſidens: apicem tamen incita ſummum*
*Haſta tulit, ſummáſque excuſsit vertice criſtas.*
*Tum verò aſſurgunt iræ* c *inſidiiſque ſubactus*
*Diuerſos vbi ſenſit equos, currumque referri,*
*Multa Iouem, & læſi teſtatus fœderis aras*
*Iam tandem inuadit medios, & Marte ſecundo*

*Meſſapus in Æneam iaculatur.*

*Aeneas proritatur.*

& auertit currus in aliam partem.

*a* Fruſtra ancipiti cura diſtrahitur apud ſe deliberans an præter Turnum debeat inuadere.

*b* Meſſapus egregius equorum domitor ac proinde leuis in curſu; vt fortè ſiniſtra manu duo gerebat haſtilia, vnum ex iis haſtilibus in Aeneam magna vi coniiciens, certo & determinato ictu in eum recta collineat. Quod animaduertens Aeneas ſubſtitit: & obiecto ſcuto ſe ita collegit, & vndequaque texit, in poplitem ſubſidens, vt totum corpus ſcuti longitudine tegeretur, nec vlla ex parte feriri poſſet. Tamen haſta magno impetu concitata ſummum galeæ apicem abſtulit, & ſupremam criſtæ partem excuſſit.

*c* Tum verò magis & magis pectus eius eſt ira cumulatum, quam cum in ipſum Meſſapum vellet expromere, ille curru retroacto, & equis in diuerſam partem abeuntibus auolauit, & tum demum non ſponte ſua, ſed coactus Meſſapi inſidiis, multis verbis Iouem & aras fœderis violati teſtatus, ſe non ſponte, ſed hoſtium improbitate coactum ad pugnam deſcendere, iam tandem poſt longam cunctationem in confertas Latinorum acies irrumpit, & eos qui inter ipſum, ſequentem & fugientem Turnum mediis de hoſtibus erant inuadit, & belli caſibus ad nutum ſuccedentibus terribilis, diſcretè obtruncat vniuerſos, & iræ permittit ſæuiendi liberam poteſtatem. Ennius. *Irarúmque effunde quadrigas.*

*Terribilis, ſæuam nullo diſcrimine cædem*
*Suſcitat, irarumque omnes effundit habenas.*
*Quis mihi nũc tot acerba Deus, quis carmine cædes*
*Diuerſas, obitumque ducum, quos æquore toto* a,
*Inque vicem nunc Turnus agit, nũc Troius heros* b,
*Expediat* c? *tanton,* d *placuit concurrere motu,*
*Iupiter, æterna gentes in pace futuras?*
*Æneas Rutulum Sucronem (ea prima* e *ruentes*
*Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratus* f
Aeneæ & Turni fortia facta. *Excipit in latus, &, quâ fata celerrima, crudo* g
*Tranſadigit coſtas, & crates pectoris* h *enſe.*
*Turnus equo deiectum Amycum fratremque Diorẽ*
*Congreſſus pedes, hunc venientem cuſpide* i *longa,*
*Hunc mucrone* k *ferit, curruque abſciſſa duorũ* l,
*Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.*
*Ille Talon, Tanainque neci, fortémque Cethegum*
*Treis vno congreſſu, & mæſtum mittit Onyten,*

a Toto campo, tota planitie.
b Aeneas.
c Explicet & euoluat. Ennius —— *Orat euoluere belli.*
d Placuitne tibi, ô Iupiter? vt Troiani & Latini tanto motu concurrerent, quia paulo poſt, iuncto fœdere, & pace in æternum conſtituta è duabus gentibus vnam conflaturi erant ciuitatem.
e Ea prima pugna, qua Aeneas Sucronem occidit, Troianos fugientes fecit à fuga ſubſiſtere.
f Seruius legit *moratum*, & ad Sucronem refert qui non potuit diu vim Aeneæ ſuſtinere. Donatus legit morantem, eodem ſenſu.
g Duro, vt lib. 10. —— *Et crudum per coſtas exigit enſem.*
h Coſtas quæ inſtar cratium pectori obtenduntur.
i Haſta. K Gladio.
l Amyci & Dioris.
m Aeneas multos mittit neci, ſiue interficit.

*Nomen Echionium*, a *matriſque genus Peridiæ.*
*Hic* b *fratres Lycia miſſos, & Apollinis* c *agris,*
*Et iuuenem exoſum nequicquam bella Menœten,*
*Arcada,* d *piſcoſæ cui circum flumina Lernæ*
*Ars fuerat, paupérque domus, nec nota potentum*
*Limina, conductáque pater* e *tellure ſerebat.*
*Ac velut immiſſi diuerſis partibus ignes*
*Arentem in ſyluam, & virgulta ſonantia* f *lauro,* Comparatio.
*Aut vbi decurſu rapido de montibus altis*
*Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt,*

*a* Illi, videlicet Onytæ, nomen Echionium fuit, ſine gloria Thebana: quippe qui gloriari ſolebat, quòd oriundus eſſet Thebis, nobiliſſima ciuitate. Genus etiam illi fuit à Peridia matre, matrona clariſſima, Echion Rex Thebarum fuit.

*b* Turnus.

*c* Quia Lycia Apollini dicata; vbi hyberno tempore habebat oraculum; vnde & *Lyciæ ſortes*. vide lib 4.

*d* Mœnetes, vt videtur, cùm eſſet Arcas cum Euandro ad Italiam nauigarat. Euander autem iam à multis annis acceſſerat, vt ex eo liquet quòd Pallantem, vt dicitur lib. 8. verſu 510. ex matre Sabella ſuſcepit. Quare Menœtes iuuenis eſſe non potuit, cùm à Turno cōfectus eſt. Senſus eſt igitur Menœtem iam ætate prouectum mortem oppetiiſſe, qui iuuenis exoſus fuerat bella, ſed fruſtra exoſus, quia matura ætate bello periit, qui iuuenis omnia bella vitauerat, & tenui victu contentus, circa Lernæam paludem vitam piſcatione tolerarat; neque vt à potentioribus munera acciperet, eorum limina triuerat, & atriorum fores, matutinus ſalutator, obſederat. Alij legunt *munera*, alij *limina* eadem pene ſententia.

*e* Pater Menœtæ erat agricola, & terram colebat alienam & conductitiam.

*f* Seruius exponit virgulta lauri cum crepitu ardentia. Lucretius. —— *Etiam parnaſia laurus*
*Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.*

*Firma a manu. Turnum iam debent hæc mihi ſacra.*
*Has inter voces, media inter talia verba* b,
*Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt,*
*Incertum* c *qua pulſa manu, quo turbine adacta,*
*Quis tantam Rutulis laudem, caſuſve, Deûſve*
Vulneratur. *Attulerit, preſſa eſt* d *inſignis gloria facti,*
*Nec ſeſe Æneæ iactauit vulnere quiſquam.*
*Turnus vt Aeneam cedentem ex agnine vidit,*
*Turbatóſque duces, ſubita* f *ſpe feruidus ardet.*
*Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltúque ſuperbus* g
Turnus multos interficit. *Emicat* h *in currũ, & manibus molitur* i *habenas;*
*Multa virûm volitans* k *dat fortia corpora letho:*
*Semineces voluit multos, aut agmina curru*
*Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.*

a Ego fœdera quæ illi diſcutere volunt, manu firma faciam, & ſtabiliam. Læſa ſacra neceſſe eſt Turni ſuppliciis expiari. Ex quo enim fœdus pepigimus, mihi eſt obnoxius, & obligatus ad ineundum ſingulare certamen

b Non ſuperuacaneum eſt quod ait inter voces, inter verba: hic enim morandum fuit, & circunſtantia ponderanda, quæ rei indignitatem exaggerat. Vulneratus eſt enim non cùm pugnaret, ſed dum loqueretur, & ſuos à pugna reuocaret. Neque enim pugnans vulnerari potuiſſet.

c Incertum hominibus, ſed dij nouerant ipſam Iuturnam vulneris auctorem fuiſſe, idque Iuno fatetur verſu 815. quod Poëta ſcire ſe diſſimulat.

d Suppreſſa eſt.

e Donatus. *Compendioſa narratio, in qua etiam non dicta poſſunt intelligi: non enim deſcribit Aeneam cedentem ex agmine, aut duces turbatos, ſed quaſi iã dixiſſet, ſic Turnum aſſeruit hæc vidiſſe.*

f Repentina victoriæ ſpe ad pugnam accenditur.

g Quaſi certus iam de victoria, imò iam triumphans.

h Exilit.

i Mouet, flectit, moderatur.

k Huc illuc impune diſcurrens multos interficit, quaſi iam de confecto Aenea ſecutus: multos ad terram proſternit ſe-

*Qualis apud gelidi cum flumina concitus* a *Hebri*
*Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes*
*Bella mouens immittit equos, illi æquore aperto*
*Ante Notos, Zephyrúmque volant, gemit vltima pulſu*
*Thraca* b *pedum, circúmque atræ Formidinis ora* c
*Iræque, Inſidiæque dei comitatus, aguntur.*
*Talis equos alacer media inter prælia Turnus*
*Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cæſis*
*Hoſtibus inſultans, ſpargit rapida vngula* d *rores*
*Sanguineos, mixtáque cruor calcatur arena.*
*Iamque neci Sthenelúmque dedit, Thamyrimque, Polúmque:*
*Hunc congreſſus, & hunc* e, *illum eminus: eminus ambo*

Comparatio Martis & Turni.

Variæ cædes à Turno patratæ

mimortuos tota agmina equorum pedibus, & rotarũ impulſu proterit, & haſtas è curru ſuo feſtinanter & raptim acceptas ingerit fugientibus Troianis.

a Talis Turnus equos concitat in medias hoſtiũ acies: qualis Mars concitatus ad ripas Hebri fluuij, & ſanguine gaudens ſtrepitum edit haſtâ in clypeum inflictâ, & equos ferocientes immittit laxatis habenis: illi apertam planitiem nullis fluuiis aut ſaxis impeditam nacti tam celeriter currunt, vt volare videantur, & ventos ipſos curſus celeritate præuertere, & vngulis ita terram quatiunt, vt ſonitus ad extremas Thraciæ regiones emanet: & formido, Iræ, Inſidiæ antecedunt, quæ tria Martem ſemper & vbique comitantur.

b Thracia, imitatione Græcorum Θρῄκη quam etiam vocem notat Seruius vſurpatam à Tullio lib. de Rep.

c Periphraſis. *Formidinis oræ*, pro ipſa formidine.

d Vngula equorum Turni rapide concitata ſpargit ſanguinem cæſorum rorantem, & arena calcatur cruori permixta.

e Thamyrim & Polum congreſſus & manu collata cominus interemit: Sthenelum eminus haſtam intorquens.

*Imbraſidas, Glaucum, atque Taden, quos Imbraſus ipſe*
*Nutrierat Lycia* a*, paribuſque onerauerat* b *armis,*
*Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos.*
Eumedes Dolon. *Parte alia media Eumedes in prælia fertur,*
*Antiqui proles bello præclara* c *Dolonis,*
*Nomine auum referens, animo, manibuſque parentem,*
*Qui quondam caſtra vt Danaûm ſpeculator adiret,*
*Auſus Pelidæ* d *pretium ſibi poſcere currus.*
*Illum Tydides* e *alio pro talibus auſis*

*a* In Lycia Aſiæ regione.

*b* Legitur paſſim *onerauerat*. ſi liceret in veterem ſcripturam graſſari reſcriberem, *ornauerat*, *nam*, vt cum Cicerone loquar 2. Tuſc. quæſt. parag. 37. *ſcutum gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis eſſe dicunt*, &c. Adde quòd abſurda eſſet ſententia *onerauerant vt ventos equo præuerterent*. Quid enim magis celeritati contrarium, quàm onus? eos igitur ita pater armis ornauerat & inſtruxerat, vt poſſent vel statariâ pugna cominus manum conferre, vel eminus iaculari, & miſſo iaculo magna celeritate diſcedere.

*c* Diſſidet ab Homero, vt notat Macrobius, *Nam Eumedes Dolonis proles bello præclara, animo manibuſque parentem refert, cum apud Homerum Dolon imbellis ſit*. 10. Iliados. Cerda noſter Ironice Eumedē *bello præclarū* dici putat, propter eius mortem minime glorioſam, ſed potius ignominiæ plenam. Idem nomine *antiqui Dolonis* non patrem Eumedis, ſed primum generis & nobilitatis auctorem intelligit, viderint eruditi.

*d* Eò deuenit audaciæ vt mercedis loco petierit ab Hectore ſibi dari currum Achillis, qui à patre Peleo Pelides vocatur.

*e* Diomedes Tydei filius miſſus ex aduerſa parte ſpeculator cum Vlyſſe Dolonem obuiam ſibi factum interemit.

*Affecit pretio; nec equis adſpirat* a *Achillis.*
*Hunc* b *procul vt campo Turnus conſpexit aperto;*
*Ante leui iaculo longum per inane* c *ſecutus*
*Siſtit equos bijuges, & curru deſilit, atque*
*Semianimi* d*, lapſoque ſuperuenit, & pede collo*
*Impreſſo, dextra mucronem extorquet* e*, & alto* *Eumedes occiditur.*
*Fulgentem tinxit iugulo, atque hæc inſuper addit.*
*En agros, & quam bello Troiane petiſti*
*Heſperiam* f *metire iacens, hæc præmia, qui me*
*Ferro auſi tentare, ferunt, ſic mœnia condunt.*
*Huic* g *comitem Buten conjecta cuſpide, mittit,* *Sarcaſmos.*
*Chloreáque, Sybarimque, Daretáq;, Terſilochúmq;*
*Et ſternacis* h *equi lapſum ceruice Tymœten.*
*Ac velut Edoni* i *Boreæ cum ſpiritus alto*

a Nec potuit Dolon ad equos Achillis accedere, vel ſenſus eſt nec tamen Diomedes longe fortior Dolone eiuſque interfector adeò petulans fuit; vt equos Achillis ſibi mercedis loco dari peſtularet.
b Eumedem.
c Cum iaculum eminus per longam aëris vacui diſtantiam intorquens, eum fugientem à tergò vulneraſſet.
d Semimortuo propter vulnus acceptum.
e Gladium ex ipſius Eumedis manibus extorquet, & eum propriis armis iugulatum interficit.
f Italiam corpore tuò metire.
g Eumedi.
h Calcitronis, qui facile ſternit ſedentem: vel pauidi, qui facile conſternatur pauore.
i Thracij, ab Edone Thraciæ monte. Quemadmodum, inquit, Boreæ flatus è Thracia ſpirantis magno ſonitu & ſtridore mare mediterraneum, (cuius pars eſt Aegeum) perflat, & ſequitur fluctus ad littora deuolutos, quos ante ſe propellit, & in quamcumque partem aëris ſpirat, inde nubila, detergit, ita Turnus quacunque progreditur, in fugam vertit Troianos.

Inſonat Aegæo, ſequitúrque ad littora fluctus,
Comparatio. Qua venti incubuêre, fugam dant nubila cælo:
Sic Turno quacumque viam ſecat a, agmina cedũt
Conuerſæque b ruunt acies, fert impetus ipſum,
Phegeus opponit ſe Turno. Et criſtam c aduerſo curru quatit aura volantem.
Non tulit inſtantem d Phegeus, animiſque fremẽtẽ,
Obiecit ſeſe ad currum e, & ſpumantia frenis
Ora citatorum dextra contorſit equorum,
Dum trahitur, pendétque iugis, hunc lata retectum
Lancea f conſequitur, rumpitque infixa bilicem g
Loricam, & ſummum deguſtat h vulnere corpus,
Ille tamen clypeo obiecto i conuerſus in hoſtem

*a* Vt lib. 10. — *Volucri curru medium ſecat agmen.* quia videlicet agminibus diſiectis ferro ſibi viam faciebat: — *Ferro rumpenda per hoſtes Eſt via* —

*b* In fugam conuerſæ.

*c* Aura criſtam Turni aduerſo curru in hoſtium acies irrumpentis quatit & vibrat: quæ criſtæ volantis agitatione terribilior apparet. ſic 9. Æneid.
*Tremunt in vertice criſtæ Sanguineæ.*

*d* Vrgentem & inſequentem Troianos, iiſque imminentem lib. 1. — *Inſtabat curru criſtatus Achilles.*

*e* Phegeus *obiecit ſeſe ad currum* Turni, & frenis manu apprehenſis ora concitatorum equorum in aliam partem magna vi detorſit, qui ingenti ferocitate reluctantes, eum viciſſim ita traxerunt vt è ſui currus iugo ipſe penderet. Dum trahitur pendétque iugo, Lancea Turni eius tergo patenti & ad vulnus detecto infligitur.

*f* Genus eſt teli, & res & nomen Hiſpanicum.

*g* Vide lib. 5. verſu 259.

*h* Corpus vulnere perſtringit, & cute tenus delibat.

*i* Phegeus tamen, etſi iam vulneratus ictibus clypeum opponens in hoſtem Turnum ruebat, ſpémque ſalutis ponebat non in pedibus & fuga, ſed in manibus, & gladio quem eduxerat.

*Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat,*
*Quem rota præcipitem, a procurſu concitus axis*
*Impulit, effuditque ſolo, Turnuſque ſecutus* Occiditur.
*Imam inter galeam* b*, ſummi thoracis & oras,*
*Abſtulit enſe caput, truncumque reliquit arenâ* c.
*Atque ea dum campis victor dat funera* d *Turnus,*
*Interea Æneam Mneſtheus, & fidus Achates,*
*Aſcaniúſque comes caſtris ſtatuere cruentum* e
*Alternos longa nitentem* f *cuſpide greſſus.* Æneas iubet extrahi telum à vulnere.
*Sæuit* g*, & infracta luctatur arundine telum*
*Eripere, auxilioque viam, qua proxima poſcit*
*Enſe ſecent lato vulnus, telique latebram*
*Reſcidant penitus, ſeſeque in bella remittant.*
*Iámque aderat Phœbo ante alios dilectus* Iapis
*Iaſides* h*, acri quondam cui captus amore*

*a* Quem Phegeum rota Turni & axis procurſu concitatus præcipitem impulit primò, deinde deiecit in terram.
*b* Collum abſcindit, rimatus locum vulneri patentem, qua parte ima pars galeæ ſummæ thoracis parti committitur.
*c* In arena.
*d* Homines interficit funere efferendos.
*e* Suo ſanguine reſperſum deduxerunt ad caſtra vt in iis conſiſteret.
*f* Aeneam qui vulneratus vnum ex alio greſſum alternatim longæ haſtæ adminiculo fulciebat: niti greſſus, eſt, niti ſecundum greſſus alternos.
*g* Sæuit Aeneas & indignatur non tam doloris impatientia, quàm quòd non poſſit ad pugnam redire, ſuiſque ſubuenire, & cum maxima difficultate conatur infracto calamo telum non paulatim ſed ſimul extrahere. Quærit itaque non lenius ſed celerius remedium: petitque à ſuis vt vulnus enſe dilatent ad telum citius extrahendum, vt eo extracto poſſit ad pugnam redire.
*h* Iaſi filius.

*Ipſe ſuas artes, ſua munera* a *lætus* b *Apollo*
*Auguriũ, citharamque dabat* c, *celeréſque ſagittas;*
*Ille vt depoſiti* d *proferret fata parentis,*
*Scire poteſtates herbarum, vſumque* e *medendi*
*Maluit, & mutas* f *agitare inglorius artes.*
Laborat extrahere telũ. *Stabat acerba* g *fremens, ingentem nixus in haſtã,*
*Æneas magno iuuenum, & mærentis Iuli*
*Concurſu, lacrymiſque* h *immobilis. Ille* i *retorto*
*Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,*
*Multa manu medicâ, Phœbique potentibus herbis*
*Nequicquam trepidat, nec quicquã ſpicula dextrâ*

a Seruius. *Cithara & ſagittæ artes ſunt: augurium vero munus, non enim ſola arte, verùm etiam indulta diuinitate colligitur.*
b Hilaris & promptus præ amore lib. 9.
*Has ego Dardanio iuueni cum claſſis egeret. Læta dedi.* ——
c Non *dedit*, ſed *dabat*, id eſt offerebat, licet ille non acceperit.
d Iapis autem, vt Iaſi patris, cuius ſalus iam erat deſperata: vitam longius produceret, mortémque differret, cæteris Apollinis artibus prætulit medicinam, licet ex ea minus gloriæ ſequeretur. *Depoſiti*, deſperati. Ouid. ele. 2. lib. 2. de Ponto *Iam prope depoſitus, certè iam frigidus æger,* &c. *Nam apud veteres* (inquit Seruius, & poſt eum Iſidorus) *conſuetudo erat vt deſperati ante ianuas ſuas collocarentur, vel vt poſſent à tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laborauerant morbo.* Cicero. *Ægram & depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe.*
e Idem. Ἐμπειρίαν, ſcientiam, hoc eſt; medicinam vſu, non ratione conſtantem interpretatur.
f Alij aliter. Interpretor mutas artes quæ minùs hominum ore celebrantur, comparatione cæterarum.
g Acerbè.
h Tam conſtans, vt non ſuorum lacrymis moueretur.
i Iapis veſte ad humeros reuocata more medicorum, quorum Deus eſt Pæon, multa trepidè & feſtinanter fruſtra molitur, fruſtra telum corpori infixũ loco mouere conatur (nam hoc proprie *ſollicitare*, quaſi *ſolo excitare*). & forcipe telum frequenter prehendit, ad illud extrahendum.

a Nec

*Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.*
*Nulla viam fortuna regit* a, *nihil auctor* b *Apollo* — Sed fruſtra.
*Subuenit: & ſæuus campis magis ac magis horror*
*Crebreſcit, propiúſque malũ eſt* c: *iam puluere cœlũ*
*Stare vident* d: *ſubeunt equites, & ſpicula caſtris*
*Denſa cadunt mediis, it triſtis ad æthera clamor*
*Bellantum iuuenum, & duro ſub Marte cadentum.*
*Hic* e *Venus indigno* f *nati concuſſa dolore* — Venus adfert dictamnum.
*Dictamnum genitrix Cretæâ carpit ab Idâ,*
*Puberibus* g *caulem* h *foliis, & flore* i *comantem*
*Purpureo: non illa feris incognita capris*
*Gramina* k, *cùm tergo volucres hæsêre ſagittæ.*
*Hoc* l *Venus obſcuro faciem circundata nimbo*

*a* Nec fortuna viam dirigit qua telum extrahatur.
*b* Medicinæ inuentor.
*c* Ita creſcebat in campo clades Troianorum à Turno illata, vt iam prope ad ipſa caſtra malum accederet.
*d* Tantam pulueris nubem excitari, vt cœlum horreſcat, & quodammodo ſtare fulcirique puluere videatur.
*e* In hoc Troianorum diſcrimine Venus magnum hauriens animo dolorem ex vulnere filij Æneæ, quod ei per ſummam indignitatem ex inſidiis fuerat inflictum, dictamnum ex Ida Cretæ monte decerpſit.
*f* Quidam exponunt, *magno*, vt apud Ennium *indignas turres.*
*g* Vel adultis cum Seruio, vel lanuginoſis cum Cerda ex Dioſcoride γναφαλώδη τὰ φύλλα ἔχει καὶ ἐριώδη τινὰ ἀπόφυσιν. folia mollis tomenti modo habet, & laneã quãdam lanuginẽ.
*h* Caulis eſt medium fruticis, qui Græcis θύρσος dicitur.
*i* Plinius à Marone diſſentit lib. 25. c. 8. *Flos ei nullus, aut ſemen, aut caulis.* immo Dioſcorides lib. 3. οὔτε δ' ἄνθος, οὔτε καὶ καρπὸν φέρει *Neque florem fert, neque fructum* Paulo poſt tamen idem Dioſcor. aliud dictamni genus agnoſcit, cui ἄνθος μέλαν flos fuſcus & ferrugineus. *k* Herbæ.
*l* Hoc gramen, hunc dictamnum Venus obſcurâ nebulâ latens detulit ad Æneam, & eodem dictamno aquam pelui in-

*In pelvim immittit.*

*Detulit, hoc a fuſum labris ſplendentibus amnem*
*Inficit, occulte medicans ſpargitque ſalubreis*
*Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam Panacæam* b.
*Fouit ea vulnus lymphâ longæuus* c *Iapis*
*Ignorans* d, *ſubitóque omnis de corpore fugit*
*Quippe* e *dolor, omnis ſtetit imo vulnere ſanguis,*
*Iámque ſecuta manum, nullo cogente, ſagitta*
*Excidit, atque nouæ* f *rediêre in priſtina vires.*

*Telum facilè extrahitur.*

*Arma citi properate* g *viro, quid ſtatis? (Iapis*
*Conclamat: primuſque animos accendit in hoſtes)*
*Non hæc humanis opibus, non arte magiſtrâ*
*Proueniunt, neque te Ænea, mea dextera ſeruat.*
*Major agit Deus* h, *atque opera ad maiora remittit.*
*Ille* i *auidus pugnæ ſuras incluſerat* k *auro.*

*Iapis Æneæ.*

fuſam temperauit. *Infici* dicitur quod alterius admixtione mutatur etiam in melius, vt & corrumpi, & violari de quo ſuprà verſu 68

*a* Cibus eſt Deorum ambroſia (vt nectar potus) alij florem eſſe tradunt Euſtathius à Germano laudatus. Αμβροσία ἄνθος τὶ μὲν ἄγνωστον, οἱ δ᾽ ἐν ἑρμηνεύουσι, *Ambroſiæ florem quidam, quem alii lilium, alii violam exponunt.*

*b* Germanus citat Lucretium lib. 4. ——*Odorem*

*Expirant aurem panaces abſinthia tetra.*

Græcis πανάκεια & πάνακες, *omnia ſanans: ipſo nomine*, vt ait, Plinius *omnium morborum remedia promittens.*

*c* Supra vocauit ſeniorem, quia ſenibus maior vſus & peritia Homerus γέρων ἡρμόσατο τέκτων.

*d* Ignorans eam aquam eſſe dictam no medicatam.

*e* *Quippe aſſeuerantis aduerbium*, vt ait Iulius Scaliger.

*f* Redintegratæ ſunt vires & in priſtinum ſtatum reuocatæ.

*g* Properanter adferte

*h* Deus hæc agit & te ſanat, qui maior eſt humanis auxiliis & naturali medicina.

*i* Æneas.

*k* Tibias aureis ocreis armauerat, non ait *incluſit*, ſed, *incluſerat*, ad ſignificationem maioris feſtinationis.

*Hinc atque hinc, oditq; moras, haſtamq; coruſcat* a,
*Poſtquàm habilis* b *lateri clypeus loricáq; tergo eſt:* *Aeneas armatur*
*Aſcanium fuſis circùm complectitur armis.*
*Summáque per galeam delibans* c *oſcula fatur:*
*Diſce puer virtutem ex me, verumque* d *laborem,*
*Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello.*
*Defenſum dabit* f, *& magna inter præmia ducet.* *Aeneas Aſcani[um]*
*Tu facito mox, cùm matura* g *adoleuerit ætas,*
*Sis memor, & te, animo repetentem exempla tuorũ*
*Et pater Æneas, & auunculus* h *excitet Hector.*
*Hæc vbi dicta dedit, portis ſeſe extulit ingens,*
*Telum immane manu quatiẽs, ſimul agmine denſo* *Exit caſtris Aeneas*
*Antæus, Mneſtheuſque ruunt, omniſque relictis*
*Turba fluit* k *caſtris, tum cæco* l *puluere campus*
*Miſcetur, pulsúque pedum tremit excita tellus.*

a Vibrat tam celeriter vt fulgurum coruſcationem imitetur.
b Sic accommodatus & applicatus vt apte haberi poſſet.
c Alloquitur filium ſumma illius oſcula per galeam delibans & quaſi deflorans ſiue decerpens labris primoribus impediente ſcilicet galea quo minùs plenis oſculis frueretur.
d Seruius. *Quem per me ipſe ſuſcipio, non qui ex aliorum virtute imperatoribus adſcribi conſueuit.*
e Ex quadam animi ſecuritate profecta hæc videtur oratio; O fili diſce ex me virtutem, & verum laborem, & cum hac virtute & labore tibi regnũ Italiæ pepererо, ne rebus ſecundis inſoleſcas, diſce fortunam ex aliis, & maximè ex Turno, qui paulo poſt à me victus nobile dabit fragilitatis humanæ documentum.
f Defendet & ad magna præmia perducet.
g Tu vero cùm ad virilem ætatem perueneris memento meæ virtutis, rerúmque à me geſtarum.
h Frater Creuſæ matris tuæ.
i E caſtris per portas egreſſus eſt ingens & animo & corpore.
k Fluminis in morem è caſtris effunditur.
l Qui aërem ita reddebat obſcurum, vt reſpicientibus tenebras obtenderet

*Vix hoſtem alterni* a *ſi congrediamur, habemus.*
*Ille quidem* b *ad ſuperos, quorum ſe deuouet aris,*
*Succedet famâ, viuúſque per ora feretur,*
*Nos patriâ amiſſâ dominis parêre ſuperbis*
*Cogemur, qui nunc lenti* c *conſedimus aruis.*
*Animorum mutatio in caſtris Latinorum.*
*Talibus incenſa eſt iuuenum* d *ſententia dictis,*
*Iam magis, atque magis ſerpitque per agmina murmur,*
*Ipſi Laurentes mutati, ipſique Latini,*
*Qui ſibi iam requiem pugnæ, rebúſque ſalutem*
*Sperabant, nunc arma volunt fœduſque precantur*
*Infectum: & Turni ſortem miſerantur iniquam* e.
*His aliud maius Iuturna adjungit, & alto*
*Dat ſignum cœlo, quo non præſtantius* f *vllum*
*Turbauit mentes Italas, monſtróque fefellit.*

infenſa Turno propter receptum Mezentium, qui pulſus ab Hetruſcis ad Turnum veterem hoſpitem confugerat lib. 8. verſu 463. Has copias *fatalem manum* appellat, vel quaſi fatis obnoxiam, fatis poſcentibus morti & exitio deſtinatam, vel εἰρωνικῶς ſcilicet manus, quam fingit Rutulis eſſe fatalem.

*a* Numerum hoſtium duplo ſuperamus, adeò vt ſi vnus è duobus noſtrum ad pugnam eligatur, & ſecundus quiſque velit congredi, vix ſinguli ſingulos hoſtes habituri.

*b* Turnus quidem ad deos, quorum aris ſe pro ſalute communi deuouet quaſi victimam piacularem, euehetur, & poſt mortem ita per omnium ora volitabit, vt in eorum mente adhuc viuere videatur.

*c* Qui nunc deſides otiamur ſpectatores alieni certaminis.

*d* Bene *iuuenum*, quia ſenes non admodum mouebat Iuturnæ oratio, ſed maturiores fœderis concepti ſanctitatem illius verbis præferebant.

*e* Imparem & inæqualem, ſi quidem congreſſurus erat Turnus cum Ænea fatis & viribus imparibus.

*f* Efficacius.

*Namque volans rubra fuluus* a *Iouis ales in æthra* Augurium.
*Littoreas agitibat aues, turbámque ſonantem*
*Agminis aligeri, ſubitò cum lapſus ad vndas*
*Cycnum excellentem pedibus rapit improbus vncis.*
*Arrexêre animos Itali, cunctæque volucres*
*Conuertunt clamore fugam ( mirabile viſu )*
*Ætheráque obſcurant pennis, hoſtemque per auras*
*Facta nube premunt, donec vi victus, & ipſo*
*Pondere defecit, prædámque ex vnguibus ales*
*Projecit fluuio, penitúſque in nubila fugit.*
*Tum verò augurium Rutuli clamore ſalutant* c.
*Expediuntq; manus* d,*primúſq; Tolumnius augur,*
*Hoc erat, hoc votis, inquit, quod ſæpe petiui.*
*Accipio* e,*agnoſcóque deos: me me duce ferrum*

*a* Aquila Ioui dicata ſereno,cœlo & innubi,radiiſque ſolaribus rubicundo aues in litroribus habitare ſolitas, videlicet, mergos, anates, fulicas,cycnos inſectabatur,cùm ſubito delapſus ad paludem aduncis pedibus rapuit cycnum, qui præ cæteris eminebat

*b* Ad hoc ſubitum ſpectaculum arrecti ſunt Itali&oculis omnium eò intentis, omnes volucres,quæ profugerant,cum ingenti clamore redierunt, ita confertæ vt cœlum ipſum obſcurarent, & aquilam nubis inſtar conglobatæ tam diu vrſerunt, donec aquila impetu auium & cycni pondere fatigata defecit, cycnum projecit in fluuium, & fugiens in penitiſſimos nubium tractus ex oculis auolauit.

*c* Tanquam oblatum diuinitus augurium ſublato clamore venerantur.

*d* Vel exerunt manus & explicant, ſignificantes ſe velle dimicare,vt Seruius & Donatus exponunt:vel attollunt manus ad preces & vota diis nuncupanda,vtCerdæ noſtro magis arridet.

*e* Aliud Augurium *oblatiuum* dicebatur : aliud *Impetratum* *oblatiuum* quod obuenerat non cogitanti : *Impetratum* quod precibus poſtulatum fuerat, & à diis impetratum. Tolum-

Corripite, ô Rutuli, quos improbus aduena à bello
Territat inualidas vt aues, & littora noſtra
Vi populat b, petet ille fugam penitúſque profundo
Vela dabit, vos vnanimi denſate cateruas,
Et regem vobis pugnâ defendite raptum.

*Tolumnii auguris hortatio.*

Dixit, & aduerſos telum contorſit in hoſtes
Procurrens, c ſonitum dat ſtridula cornus d & auras
Certa e ſecat: ſimul hoc, ſimul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei f, calefactáque corda tumultu.
Haſta volans g, vt fortè nouem pulcherrima fratrũ
Corpora conſtiterant contrà, quos fida crearat
Vna tot Arcadio coniux Tyrrhena Gilippo.

*Nouem fratres.*

nius igitur ad conciliandam maiorem auctoritatem augurio impetratum vult videri; mox tamen, vt etiam oblatiui vim obtineat, quaſi de oblatiuo loquitur. *Accipio agnoſcóque deos.* Si quidem, vt ait Seruius? *In oblatiuis auguriis, in poteſtate videntis eſt, verùm id ad ſe pertinere velit, an refutet, & abominetur. Ergo nunc dicit ſe augurium libenter amplecti, & cognoſcere circa ſe fauorem deorum.* ſic Paulus Aemilius apud Plutarchum δέχομαι τὸν οἰωνὸν; *accipio augurium.*

a Aeneas ſimilis eſt aquilæ, Rutuli auibus, Turnus Cycno excellenti. Rapuit Cycnum aquila, Turnum occidere vult Aeneas, Aues confertæ aquilam preſſerunt, & coëgerunt prædam è pedibus dimittere, dimittet Turnum Aeneas, ſi Rutuli cateruas denſauerint, & impreſſionem fecerint in Aeneam: Aquila penitùs fugit in nubila, penitùs in mare fugiet Aeneas

b Vaſtat, populatur.

c Currens in medium.

d Haſta ex arbore corno ſecta.

e Tã certo determinatóque ictu deſtinata vt vitari nõ poſſit.

f Cuneus eſt acies cuneatim diſpoſita, ſecundum figuram cuneorum quibus ligna finduntur. Vide infrà v. 574

g Haſta manu Tolumnij coniecta vnum è nouem filiis Gilippi percuſſit, eiuſque coſtas ad medium corpus circa zo-

*Horum vnum ad medium, teritur qua ſutulis aluo*
*Balteus, & laterum iuncturas fibula mordet,*
*Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis,*
*Tranſadigit coſtas, fuluáque extendit arenâ.*
*At fratres animoſa phalanx, accenſaque luctu* a,
*Pars gladios ſtringunt manibus, pars miſsile ferrum*
*Corripiunt* b, *cæcique ruunt, quos agmina contra*
*Procurrunt Laurentum, hîc denſi rurſus inundant*
*Troës* c *Agyllinique* d *& pictis* e *Arcades armis.*
*Sic omneis amor vnus habet decernere ferro.* **Augetur tumultus.**
*Diripuêre aras* f, *it toto turbida cælo*
*Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit* g *imber.*
*Crateraſque* h, *focóſque ferunt: fugit ipſe Latinus*
*Pulſatos referens* i *infecto fœdere diuos.* **Fugit Latinus**

nam tranſigit, qua parte balteus ſutulis, id eſt, artificioſe conſutus, aluo ſiue ventre teritur, & vtrumque baltei latus fibulæ morſu coniungitur.

*a* Quem de morte fratris acceperant.

*b* Tela feſtine rapiunt ſuorum periculorum improuidi.

*c* Ex alia parte torrentis omnia inundantis more Troiani procurrunt, auxilium ferentes filiis Gilippi.

*d* Hetruſci. Agyllini proprie ſunt Cæterani principes Hetruſcorum, qui auctores fuerunt coniurationis contra Mezentium. lib 8. verſu 479.

*e* Qui ſcuta habebant depicta certis nobilitatis aut rerum bello geſtarum inſignibus.

*f* Aræ quæ fuerant ad fœdus erectæ ſpoliantur, deiiciuntur, diſſipantur.

*g* Volant tela ſtridenti, atempeſtatis aut imbris in morem. Statius lib. 5. *Inſtamus iactis telorum, ac ferrea nimbis*
*Certat hyems* — Ennius octauo Annali
*Haſtati ſpargunt haſtas, fit ferreus imber.*

*h* Crateras ad libationem aris impoſitos auferunt, & focos diripiunt torribus obuſtis certaturi.

*i* Donatus. *Latinus verò religioſus & grauis fugiebat ad tuta*

*Infrenant alij currus* a, *aut corpora ſaltu*
*Subijciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.*
*Meſſapus regem* b, *regiſque inſigne gerentem*
*Tyrrhenum Auleſten, auidus confundere fœdus,*
Meſſapus Auleſten interficit. *Aduerſo proterret equo: ruit ille* c *recedens,*
*Et miſer oppoſitis à tergo inuoluitur aris*
*In caput, inq; humeros: at feruidus aduolat haſtâ*
*Meſſapus, telóque orantem multa* d *trabali* e
*Deſuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatur.*
Chorineus Ebuſi. *Hoc habet* f, *hæc melior* g *magnis data victima diuis.*
*Concurrunt Itali, ſpoliántque calentia membra:*
*Obuius ambuſtum torrem* h *Chorineus* i *ab ara*
*Corripit, & venienti Ebuſo, plagámque ferenti*

*referens deos pulſatos ne deteriora paterentur. Poteſt intelligi pulſatos cùm aræ diriperentur, poteſt intelligi pulſatos in eo, quod prolati ad confirmationem fœderis contempti ſunt.*

*a* Frenant equos curribus ſubiectos, & in eos ſalientes corpora ſurſum iaciunt. ſic 4 Georg

*Ter flamma ad ſummum tecti ſubiecta reſulſit.*

id eſt, *ſurſum iacta.*

*b* Vnum è duodecim Lucomonibus Hetruſcorum, quorum præcipuus Tarchon.

*c* Cum retrorſum Auleſtes cederet Meſſapo proterrente, non ſe auertens ne terga hoſti nudaret, deceptus eſt ararum obiectu non viſo: & aris inuolutus in caput humeróſque collapſus eſt.

*d* Multis verbis pro ſua ſalute precantem.

*e* Magno, inſtar trabis Ennius, ——— *teloque trabali.*

*f* Hoc habet vulnus, victus eſt, actum eſt de eius vita. Prudentius Pſychom. *Hoc habet exclamat victrix regina.* ———

*g* Cum prioribus hoſtiis litatum non fuerat, ſacrificabantur aliæ, quæ ſuccidaneæ dicebantur, ſiue meliores. vide lib. 5. verſu 483.

*h* Titionem.

*i* Sacerdos Troianus, de quo lib. 6. verſu 228.

*Occupat os flammis, illi ingens barba reluxit,* Barbam adurit.
*Nidorémque* a *ambuſta dedit, ſuper ipſe ſecutus*
*Cæſariem læuâ turbati corripit hoſtis* b,
*Impreſſóque genu nitens, terræ applicat ipſum,*
*Sic rigido latus enſe ferit. Podalirius Alſum*
*Paſtorem, primáque acie per tela ruentem* Et occidit.
*Enſe ſequens nudo ſupereminet. ille* c *ſecuri*
*Aduerſi frontem mediam, mentúmque reductâ*
*Diſiicit, & ſparſo latè rigat arma cruore.*
*Olli* d *dura quies oculos, & ferreus vrget*
*Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.*
*At pius* e *Æneas dextram tendebat inermem* Aen. cupit ſedare tumultũ
*Nudato capite, atque ſuos clamore vocabat.*
*Quo ruitis? quæue iſta repens* f *diſcordia ſurgit?*
*O cohibete iras, ictum* g *iam fœdus, & omnes*
*Compoſitæ leges, mihi ius concurrere ſoli* h.
*Me ſinite atque auferte metus, ego fœdera ſaxo*

*a* Nidor eſt odor qui è carnibus & pilis aſſatis exhalatur.
*b* Ebuſi barbæ combuſtione turbati.
*c* Alſus ſecuri ad aurem reducta quò libratiorem & vehementiorem ictum infligeret (è maiore enim ſpatio maior impetus) Podalirij ex aduerſo venientis & iam ad inferendam plagam imminentis, totum caput à fronte ad mentum bifariam diuiſit, atque diſiecit.
*d* Illi videlicet Podalirio dura quies & mortis ſomnus ferrea ſecuri illatus oculos premit.
*e* De ſeruando fœdere & ſuorum ſalute ſollicitus.
*f* Subita & repentina. Statius.
—— *Pauor ora repens ac viſcera torſit.*
*g* Icere fœdus, ferire fœdus, quia fœderibus ineundis porcam ſaxo ſilice feriebant.
*h* Mihi ſoli fas ex fœdere cum Turno dimicare ſingulari certamine.

*Firma a manu. Turnum iam debent hæc mihi ſacra.*
*Has inter voces, media inter talia verba* b,
*Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt,*
*Incertum* c *qua pulſa manu, quo turbine adacta,*
*Quis tantam Rutulis laudem, caſuſve, Deûſve*
Vulneratur. *Attulerit, preſſa eſt* d *inſignis gloria facti,*
*Nec ſeſe Æneæ iactauit vulnere quiſquam.*
*Turnus vt Aeneam cedentem ex agmine vidit,*
*Turbatóſque duces, ſubita* f *ſpe feruidus ardet.*
*Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltúque ſuperbus* g
Turnus multos interficit. *Emicat* h *in currũ, & manibus molitur* i *habenas;*
*Multa virûm volitans* k *dat fortia corpora letho:*
*Semineces voluit multos, aut agmina curru*
*Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.*

*a* Ego fœdera quæ illi diſcutere volunt, manu firma faciam, & ſtabiliam. Læſa ſacra neceſſe eſt Turni ſuppliciis expiari. Ex quo enim fœdus pepigimus, mihi eſt obnoxius, & obligatus ad ineundum ſingulare certamen

*b* Non ſuperuacaneum eſt quod ait inter voces, inter verba: hic enim morandum fuit, & circunſtantia ponderanda, quæ rei indignitatem exaggerat. Vulneratus eſt enim non cùm pugnaret, ſed dum loqueretur, & ſuos à pugna reuocaret. Neque enim pugnans vulnerari potuiſſet.

*c* Incertum hominibus, ſed dij nouerant ipſam Iuturnam vulneris auctorem fuiſſe, idque Iuno fatetur verſu 815. quod Poëta ſcire ſe diſſimulat.

*d* Suppreſſa eſt.

*e* Donatus. *Compendioſa narratio, in qua etiam non dicta poſſunt intelligi: non enim deſcribit Aeneam cedentem ex agmine, aut duces turbatos, ſed quaſi iã dixiſſet, ſic Turnum aſſeruit hæc vidiſſe.*

*f* Repentina victoriæ ſpe ad pugnam accenditur.

*g* Quaſi certus iam de victoria, imò iam triumphans.

*h* Exilit.

*i* Mouet, flectit, moderatur.

*k* Huc illuc impune diſcurrens multos interficit, quaſi iam de confecto Aenea ſecurus: multos ad terram proſternit ſe-

*Qualis apud gelidi cum flumina concitus [a] Hebri*
*Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes* Comparatio
*Bella mouens immittit equos, illi æquore aperto* Martis
*Ante Notos, Zephyrúmque volant, gemit vltima pulſu* & Turni.
*Thraca [b] pedum, circúmque atræ Formidinis ora [c]*
*Iræque, Inſidiæque dei comitatus, aguntur.*
*Talis equos alacer media inter prælia Turnus*
*Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cæſis*
*Hoſtibus inſultans, ſpargit rapida vngula [d] rores*
*Sanguineos, mixtáque cruor calcatur arena.*
*Iamque neci Sthenelúmque dedit, Thamyrimque, Polúmque:* Variæ
*Hunc congreſſus, & hunc [e], illum eminus: eminus ambo* cædes à Turno patratæ

mimortuos tota agmina equorum pedibus, & rotarũ impulſu proterit, & haſtas è curru ſuo feſtinanter & raptim acceptas ingerit fugientibus Troianis.

[a] Talis Turnus equos concitat in medias hoſtiũ acies: qualis Mars concitatus ad ripas Hebri fluuij, & ſanguine gaudens ſtrepitum edit haſtâ in clypeum inflicta, & equos ferocientes immittit laxatis habenis: illi apertam planitiem nullis fluuiis aut ſaxis impeditam nacti tam celeriter currunt, vt volare videantur, & ventos ipſos curſus celeritate præuertere, & vngulis ita terram quatiunt, vt ſonitus ad extremas Thraciæ regiones emanet: & formido, Iræ, Inſidiæ antecedunt, quæ tria Martem ſemper & vbique comitantur.

[b] Thracia, imitatione Græcorum Θρήκη quam etiam vocem notat Seruius vſurpatam à Tullio lib. de Rep.

[c] Periphraſis. *Formidinis ora*, pro ipſa formidine.

[d] Vngula equorum Turni rapide concitata ſpargit ſanguinem cæſorum rorantem, & arena calcatur cruori permixta.

[e] Thamyrim & Polum congreſſus & manu collata cominus interemit: Sthenelũ eminus haſtam intorquens.

*Imbraſidas, Glaucum, atque Taden, quos Imbraſus ipſe*
*Nutrierat Lycia* a, *paribuſque onerauerat* b *armis,*
*Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos.*
*Parte alia media Eumedes in prælia fertur,*
*Antiqui proles bello præclara* c *Dolonis,*
*Nomine auum referens, animo, manibuſque parentem,*
*Qui quondam caſtra vt Danaûm ſpeculator adiret,*
*Auſus Pelidæ* d *pretium ſibi poſcere currus.*
*Illum Tydides* e *alio pro talibus auſis*

*Eumedes Dolon.*

*a* In Lycia Aſiæ regione.

*b* Legitur paſſim *onerauerat.* ſi liceret in veterem ſcripturam graſſari reſcriberem, *ornauerat*, *nam*, vt cum Cicerone loquar 2. Tuſc. quæſt. parag. 37. *ſcutum gladeum, galeam in onere noſtri milites non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis eſſe dicunt*, &c. Adde quòd abſurda eſſet ſententia *onerauerant vt ventos equo præuerterent.* Quid enim magis celeritati contrarium, quàm onus? eos igitur ita pater armis ornauerat & inſtruxerat, vt poſſent vel ſtatariâ pugna cominus manum conferre, vel eminus iaculari, & miſſo iaculo magna celeritate diſcedere.

*c* Diſſidet ab Homero, vt notat Macrobius, *Nam Eumedes Dolonis proles bello præclara, animo manibuſque parentem refert, cum apud Homerum Dolon imbellis ſit.* 10. Iliados. Cerda noſter Ironice Eumedẽ *bello præclarũ* dici putat, propter eius mortem minime glorioſam, ſed potius ignominiæ plenam. Idem nomine *antiqui Dolonis* non patrem Eumedis, ſed primum generis & nobilitatis auctorem intelligit, viderint eruditi.

*d* Eò deuenit audaciæ vt mercedis loco petierit ab Hectore ſibi dari currum Achillis, qui à patre Peleo Pelides vocatur.

*e* Diomedes Tydei filius miſſus ex aduerſa parte ſpeculator cum Vlyſſe Dolonem obuiam ſibi factum interemit.

*Affecit pretio; nec equis adſpirat a Achillis.*
*Hunc* b *procul vt campo Turnus conſpexit aperto;*
*Ante leui iaculo longum per inane* c *ſecutus*
*Siſtit equos bijuges, & curru deſilit, atque*
*Semianimi* d, *lapſoque ſuperuenit, & pede collo*
*Impreſſo, dextra mucronem extorquet* e, *& alto* Eumedes occiditur.
*Fulgentem tinxit iugulo, atque hæc inſuper addit.*
*En agros, & quam bello Troiane petiſti*
*Heſperiam* f *metire iacens, hæc præmia, qui me*
*Ferro auſi tentare, ferunt, ſic mœnia condunt.*
*Huic* g *comitem Buten conjecta cuſpide, mittit,* Sarcaſmos.
*Chloreáque, Sybarimque, Daretáq;, Terſilochúmq;*
*Et ſternacis* h *equi lapſum ceruice Tymæten.*
*Ac velut Edoni* i *Boreæ cum ſpiritus alto*

*a* Nec potuit Dolon ad equos Achillis accedere, vel ſenſus eſt hec tamen Diomedes longe fortior Dolone eiuſque interfector adeò petulans fuit; vt equos Achillis ſibi mercedis loco dari peſtularet.

*b* Eumedem.

*c* Cum iaculum eminus per longam aëris vacui diſtantiam intorquens, eum fugientem à tergò vulneraſſet.

*d* Semimortuo propter vulnus acceptum.

*e* Gladium ex ipſius Eumedis manibus extorquet, & eum propriis armis iugulatum interficit.

*f* Italiam corpore tuo metire.

*g* Eumedi.

*h* Calcitronis, qui facile ſternit ſedentem: vel pauidi, qui facile conſternatur pauore.

*i* Thracij, ab Edone Thraciæ monte. Quemadmodum, inquit, Boreæ flatus è Thracia ſpirantis magno ſonitu & ſtridore mare mediterraneum, (cuius pars eſt Aegeum) perflat, & ſequitur fluctus ad littora deuolutos, quos ante ſe propellit, & in quamcumque partem aëris ſpirat, inde nubila, detergit, ita Turnus quacunque progreditur, in fugam vertit Troianos.

Comparatio.

*Inſonat Aegæo, ſequitúrque ad littora fluctus,*
*Qua venti incubuêre, fugam dant nubila cælo:*
*Sic Turno quacumque viam ſecat* a, *agmina cedũt*
*Conuerſæque* b *ruunt acies, fert impetus ipſum,*
*Et criſtam* c *aduerſo curru quatit aura volantem.*
*Non tulit inſtantem* d *Phegeus, animiſque fremẽtẽ,*
*Obiecit ſeſe ad currum* e, *& ſpumantia frenis*
*Ora citatorum dextra contorſit equorum,*
*Dum trahitur, pendétque iugis, hunc lata retectum*
*Lancea* f *conſequitur, rumpitque infixa bilicem* g
*Loricam, & ſummum deguſtat* h *vulnere corpus,*
*Ille tamen clypeo obiecto* i *conuerſus in hoſtem*

Phegeus opponit ſe Turno.

*a* Vt lib. 10. —— *Volucri curru medium ſecat agmen.* quia videlicet agminibus diſiectis ferro ſibi viam faciebat: —— *Ferro rumpenda per hoſtes Eſt via* ——

*b* In fugam conuerſæ.

*c* Aura criſtam Turni aduerſo curru in hoſtium acies irrumpentis quatit & vibrat: quæ criſtræ volantis agitatione terribilior apparet. ſic 9. Æneid.

*Tremunt in vertice criſtæ Sanguineæ.*

*d* Vrgentem & inſequentem Troianos, iiſque imminentem lib. 1. —— *Inſtabat curru criſtatus Achilles.*

*e* Phegeus *obiecit ſeſe ad currum* Turni, & frenis manu apprehenſis ora concitatorum equorum in aliam partem magna vi detorſit, qui ingenti ferocitate reluctantes, eum viciſſim ita traxerunt vt è ſui currus iugo ipſe penderet. Dum trahitur pendétque iugo, Lancea Turni eius tergo patenti & ad vulnus detecto infligitur.

*f* Genus eſt teli, & res & nomen Hiſpanicum.

*g* Vide lib. 5. verſu 259.

*h* Corpus vulnere perſtringit, & cute tenus delibat.

*i* Phegeus tamen, etſi iam vulneratus ictibus clypeum opponens in hoſtem Turnum ruebat, ſpémque ſalutis ponebat non in pedibus & fuga, ſed in manibus, & gladio quem eduxerat.

*Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat,*
*Quem rota præcipitem, a procurſu concitus axis*
*Impulit, effuditque ſolo, Turnuſque ſecutus* Occiditur.
*Imam inter galeam* b*, ſummi thoracis & oras,*
*Abſtulit enſe caput, truncumque reliquit arenâ* c.
*Atque ea dum campis victor dat funera* d *Turnus,*
*Interea Æneam Mneſtheus, & fidus Achates,*
*Aſcaniúſque comes caſtris ſtatuere cruentum* e
*Alternos longa nitentem* f *cuſpide greſſus.*
*Sæuit* g*, & infracta luctatur arundine telum* Æneas iubet extrahi telum à vulnere.
*Eripere, auxilióque viam, quæ proxima poſcit*
*Enſe ſecent lato vulnus, telique latebram*
*Reſcidant penitùs, ſeſeque in bella remittant.*
*Iámque aderat Phœbo ante alios dilectus* Iapis
*Iaſides* h*, acri quondam cui captus amore*

a Quem Phegeum rota Turni & axis procurſu concitatus præcipitem impulit primò, deinde deiecit in terram.
b Collum abſcindit, rimatus locum vulneri patentem, qua parte ima pars galeæ ſummæ thoracis parti committitur.
c In arena.
d Homines interficit funere efferendos.
e Suo ſanguine reſperſum deduxerunt ad caſtra vt in iis conſiſteret.
f Aeneam qui vulneratus vnum ex alio greſſum alternatim longæ haſtæ adminiculo fulciebat: niti greſſus, eſt, niti ſecundum greſſus alternos.
g Sæuit Aeneas & indignatur non tam doloris impatientia, quàm quòd non poſſit ad pugnam redire, ſuiſque ſubuenire, & cum maxima difficultate conatur infracto calamo telum non paulatim ſed ſimul extrahere. Quærit itaque non lenius ſed celerius remedium: petitque à ſuis vt vulnus enſe dilatent ad telum citius extrahendum, vt eo extracto poſſit ad pugnam redire.
h Iaſi filius.

*Ipſe ſuas artes, ſua munera* a *lætus* b *Apollo*
*Auguriũ, citharamque dabat* c, *celeréſque ſagittas;*
*Ille vt depoſiti* d *proferret fata parentis,*
*Scire poteſtates herbarum, vſumque* e *medendi*
*Maluit, & mutas* f *agitare inglorius artes.*
Laborat extrahere telū. *Stabat acerba* g *fremens, ingentem nixus in haſtã,*
*Æneas magno iuuenum, & mærentis Iuli*
*Concurſu, lacrymiſque* h *immobilis. Ille* i *retorto*
*Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,*
*Multa manu medicâ, Phæbique potentibus herbis*
*Nequicquam trepidat, nec quiquã ſpicula dextrâ*

a Seruius. *Cithara & ſagittæ artes ſunt: augurium vero munus, non enim ſola arte, verùm etiam indulta diuinitate colligitur.*
b Hilaris & promptus præ amore lib. 9.
*Has ego Dardanio iuueni cum claſſis egeret. Læta dedi.* ——
c Non *dedit*, ſed *dabat*, id eſt offerebat, licet ille non acceperit.
d Iapis autem, vt Iaſi patris, cuius ſalus iam erat deſperata: vitam longius produceret, mortémque differret, cæteris Apollinis artibus prætulit medicinam, licet ex ea minus gloriæ ſequeretur. *Depoſiti*, deſperati. Ouid. ele. 2. lib. 2. de Ponto *Iam prope depoſitus, certè iam frigidus æger*, &c. *Nam apud veteres* (inquit Seruius, & poſt eum Iſidorus) *conſuetudo erat vt deſperati ante ianuas ſuas collocarentur, vel vt poſſent à tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laborauerant morbo.* Cicero. *Aegram & depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe.*
e Idem. Ἐμπειρικὴν, ſcientiam: hoc eſt; medicinam vſu, non ratione conſtantem interpretatur.
f Alij aliter. Interpretor mutas artes quæ minùs hominum ore celebrantur, comparatione cæterarum.
g Acerbè.
h Tam conſtans, vt non ſuorum lacrymis moueretur.
i Iapis veſte ad humeros reuocata more medicorum, quorum Deus eſt Pæon, multa trepidè & feſtinanter fruſtra molitur, fruſtra telum corpori infixũ loco mouere conatur (nam hoc proprie *ſollicitare*, quaſi *ſolo excitare*). & forcipe telum frequenter prehendit, ad illud extrahendum.

a Nec

*Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.*
*Nulla viam fortuna regit* a, *nihil auctor* b *Apollo* Sed fruſtra.
*Subuenit: & ſæuus campis magis ac magis horror*
*Crebreſcit, propiúſque malũ eſt* c: *iam puluere cœlũ*
*Stare vident* d: *ſubeunt equites, & ſpicula caſtris*
*Denſa cadunt mediis, it triſtis ad æthera clamor*
*Bellantum iuuenum, & duro ſub Marte cadentum.*
*Hic* e *Venus indigno* f *nati concuſſa dolore* Venus adfert dictamnum.
*Dictamnum genitrix Cretæâ carpit ab Idâ,*
*Puberibus* g *caulem* h *foliis, & flore* i *comantem*
*Purpureo: non illa feris incognita capris*
*Gramina* k, *cùm tergo volucres hæsêre ſagittæ.*
*Hoc* l *Venus obſcuro faciem circundata nimbo*

---

*a* Nec fortuna viam dirigit qua telum extrahatur.
*b* Medicinæ inuentor.
*c* Ita creſcebat in campo clades Troianorum à Turno illata, vt iam prope ad ipſa caſtra malum accederet.
*d* Tantam pulueris nubem excitari, vt cœlum horreſcat, & quodammodo ſtare fulcirique puluere videatur.
*e* In hoc Troianorum diſcrimine Venus magnum hauriens animo dolorem ex vulnere filij Æneæ, quod ei per ſummam indignitatem ex inſidiis fuerat inflictum, dictamnum ex Ida Cretæ monte decerpſit.
*f* Quidam exponunt, *magno*, vt apud Ennium *indignas turres.*
*g* Vel adultis cum Seruio, vel lanuginoſis cum Cerda ex Dioſcoride γναφαλώδη τὰ φύλλα ἔχει καὶ ἐριώδη τινὰ ἀπόφυσιν. folia mollis tomenti modo habet, & laneã quãdam lanuginẽ.
*h* Caulis eſt medium fruticis, qui Græcis θύρσος dicitur.
*i* Plinius à Marone diſſentit lib. 25. c. 8. *Flos ei nullus, aut ſemen, aut caulis.* immo Dioſcorides lib. 3. οὔτε δ' ἄνθος, οὔτε καὶ καρπὸν φέρει *Neque florem fert, neque fructum* Paulo poſt tamen idem Dioſcor. aliud dictamni genus agnoſcit, cui ἄνθος μέλαν flos fuſcus & ferrugineus. k Herbæ.
*l* Hoc gramen, hunc dictamnum Venus obſcurâ nebulâ latens detulit ad Ænean, & eodem dictamno aquam pelui in-

*Hinc atque hinc, oditq; moras, haſtamq; coruſcat* a,
*Poſtquàm habilis* b *lateri clypeus loricáq; tergo eſt:* Aeneas armatur
*Aſcanium fuſis circùm complectitur armis.*
*Summáque per galeam delibans* c *oſcula fatur:*
*Diſce puer virtutem ex me, verumque* d *laborem,* e
*Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello.*
*Defenſum dabit* f*, & magna inter præmia ducet.* Aeneas Aſcanio
*Tu facito mox, cùm matura* g *adoleuerit ætas,*
*Sis memor, & te, animo repetentem exempla tuorũ*
*Et pater Æneas, & auunculus* h *excitet Hector.*
*Hæc vbi dicta dedit, portis ſeſe extulit ingens,* i
*Telum immane manu quatiẽs, ſimul agmine denſo* Exit caſtris Aeneas
*Antæus, Mneſtheuſque ruunt, omniſque relictis*
*Turba fluit* k *caſtris, tum cæco* l *puluere campus*
*Miſcetur, pulsúque pedum tremit excita tellus.*

a Vibrat tam celeriter vt fulgurum coruſcationem imitetur.
b Sic accommodatus & applicatus vt apte haberi poſſet.
c Alloquitur filium ſumma illius oſcula per galeam delibans & quaſi deflorans ſiue decerpens labris primoribus impediente ſcilicet galea quo minus plenis oſculis frueretur.
d Seruius. *Quem per me ipſe ſuſcipio, non qui ex aliorum virtute imperatoribus adſcribi conſueuit.*
e Ex quadam animi ſecuritate profecta hæc videtur oratio: O fili diſce ex me virtutem, & verum laborem, & cum hac virtute & labore tibi regnũ Italiæ peperero, ne rebus ſecundis inſoleſcas, diſce fortunam ex aliis, & maximè ex Turno, qui paulo poſt à me victus nobile dabit fragilitatis humanæ documentum.
f Defendet & ad magna præmia perducet.
g Tu vero cùm ad virilem ætatem perueneris memento meæ virtutis, rerúmque à me geſtarum.
h Frater Creuſæ matris tuæ.
i E caſtris per portas egreſſus eſt ingens & animo & corpore.
k Fluminis in morem è caſtris effunditur.
l Qui aërem ita reddebat obſcurum, vt reſpicientibus tenebras obtenderet.

Latini terrentur.

*Vidit ab aduerſo* [a] *venientes aggere Turnus,*
*Videre Auſonij, gelidúſque per ima cucurrit*
*Oſſa tremor; prima ante omnes* [b] *Iuturna Latinos*
*Audijt: agnouitque ſonum & tremefacta refugit.*
*Ille volat* [c] *campoque atrum rapit agmen aperto.*

Comparatio.

*Qualis vbi ad terras abrupto ſidere* [d] *nimbus*
*It mare per medium, miſeris, heu! præſcia longe*
*Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas*
*Arboribus, ſtragémque ſatis, ruet* [e] *omnia latè:*
*Ante volant, ſonitúmque ferunt ad littora Venti:*
*Talis in aduerſo ductor Rhœteius* [f] *hoſtes*

*a* Vel ſenſus eſt Turnus in aggere viæ militaris exiſtens, aut in alio loco eminente vidit Troianos venientes: vel vidit Turnus Troianos venientes ex aggere caſtrorum, vt voles.

*b* Donatus. *Iuturna, quam ſpecialis pro ſalute fratris ſollicitudo tangebat, prima cognouit, prima contremuit & fugit.*

*c* Æneas tam celeriter accurrit vt volare non currere videatur, & agmen atro puluere coopertum & terribile raptim in aciem adducit per campum apertum, nullis interclusum riuulis, nullis ſentibus aut ſaxis impeditum. *atrum* expoſui terribile, vt ſuprà dixit atram formidinem. libro 9. atrum timorem.

*Immiſitque fugam Teucris, atrúmque timorem.*

*d* Vel tempeſtate ex improuiſo ſiue ex abrupto exorta, vt lib. 4. *Hyberno moliris ſidere claſſem.*
lib. 2. —— *Triſte Mineruæ Sidus.* Si abruptis fulgetris inſtar ſiderum coruſcantibus, Sic lib. 1.

—— *Ingeminant abrupti è nubibus ignes.*

vel abrupto cœlo, id eſt, nubibus abruptim diuiſis, vt inde nimbus erumpat. Egregia vero comparatio qua nubes abruptæ cum caſtris apertis, terra cum campo aciei, mare cũ ſpatio inter caſtra & locum pugnæ interiecto, nimbus cum Aenea & Troianis, agricolæ cum Turno & Latinis, ruinæ arborum ſtragéſque ſatorum, cum clade Turni & Latinorum comparantur. *e* Eruet, euertet.

*f* Aeneas Troianos à Rhœteo Troiæ promontorio.

*Agmen agit : denſi cuneis* a *ſe quiſque coactis*
*Agglomerant : ferit enſe grauem* b *Thymbræus Oſirim:* *Variæ cædes Latinorum.*
*Archetium Mneſtheus: epulonẽ obtruncat Achates:*
*Vſentemque Gyas , cadit ipſe Tolumnius Augur,*
*Primus in aduerſos* c *telum qui torſerat hoſtes.*
*Tollitur in cœlum clamor : verſique viciſſim* d
*Puluerulenta fugâ Rutuli dant terga per ægros.* *Aneas Turnum inſequitur.*
*Ipſe* e *neque aduerſos* f *dignatur ſternere morti,*
*Nec pede congreſſos* g*, nec equo , nec tela ferentes*
*Inſequitur : ſolum denſa in caligine* h *Turnum*
*Veſtigat luſtrans , ſolum in certamina poſcit.*
*Hoc concuſſa metu mentem Iuturna virago* i
*Aurigam Turni media inter lora Metiſcum*
*Excutit , & longè lapſum temone relinquit:*

a Denſantur in cuneos coacti & congregati , ſiue conferti & in cuneorum modum compoſiti, vt in hoſtem faciliùs irrumpant.
b Fortem , vt Seruius , exponit , Salluſt. *Luſitaniæ grauem ciuitatem* fortaſſe grauem, quia partibus magnum pondus addebat.
c Vide ſuprà , verſu 266.
d Quia paulò ante Troianos in fugam conuerterant.
e Æneas, more Græcorum qui ἐκεῖνον ſiue αὐτὸν dicebãt pro Imperatore , vt notat Caſaubonus in Dronem Chryſoſtomum.
f Videtur Seruius legiſſe *auerſos*, *Id eſt* , inquit , *nec fugientes, nec contrà ſtantes dignatur occidere* , auerſos , nimirum fugientes ; congreſſos , contra ſtantes appellat.
g Seruius & Donatus videntur legiſſe,
*Nec pede congreſſus æquo.*
h In circumfuſa denſi pulueris nube quæ tenebras & caliginem campis offuderat.
i Seruius. *Virago dicitur mulier quæ implet viri officium : quæ viri animum habet , has antiqui viras dicebant.*

*Ipſa ſubit, manibúſq; vndanteis* a *flectit hebenas,*
*Cuncta gerens, vocēq; & corpus, & arma Metiſci,*
*Nigra velut* b *magnas Domini cùm diuitis ædes*
*Peruolat, & pennis alta atria luſtrat hirundo,*
*Pabula parua legens, nidiſque loquacibus eſcas,*
*Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum*
*Stagna ſonat: ſimilis medios Iuturna per hoſtes*
*Fertur equis, rapidóque volans obit omnia curru,*
*Iámque hic germanū, iámque hîc oſtendit ouantē,*
*Nec conferre manum patitur, volat auia* c *longè,*
*Haud minus Æneas tortos legit* d *obuius orbes,*
*Veſtigatq; virum, & diſiecta* e *per agmina magnâ*
*Voce vocat: quoties oculos coniecit in hoſtem,*
*Alipedúmque fugam* f *curſu tentauit equorum.*

*Iuturna regit equos Turni. Comparatio.*

*Currum auertit ab Aenea.*

*a* Vndarum in morem fluitantes.

*b* Quemadmodum hirundo nigra, per magnas ædas volat & pennis obit ſiue circuit & luſtrat atria, pabula colligens quæ nido pleno pullis loquacibus ſiue triſantibus inferantur, & nunc in porticibus vagatur, nunc cum quodam alarum plauſu ſtagna circumuolat: Ita Iuturna hac illac diſcurrit, & modò hic, modò illic fratrem ſuum ouantem, & varias ſtrages edentem oſtendit. Iam, vt ait Donatus. *Nigram hirundinem pro dolentis & lugentis perſona, etiam quæ ſit domeſtica, vt Iuturna de eadem domo & familia qua Turnus poſuit.*

*c* Longè auolat curſúmque deflectit ab ea parte, qua veniebat Aeneas.

*d* Orbes legere, eſt vel inhærere veſtigiis per vias obliquas & flexuoſas, & ita per circuitum fugienti occurrere, vel magnos illos anfractus colligere, breuioribus gyris contrahere, compendioſis orbibus præbere ſe obuium, & errantem præuenire.

*e* Ad dextram & ſiniſtram partem diſſipata Aeneæ aduentu, qui viam & latum limitem per agmina ſibi faciebat.

*f* Quoties Aeneas coniecit oculos in Turnum, & ipſe [illegible] curſu tentauit aſſequi equos tam celeriter fugientes, [illegible] pedibus attextas gerere viderentur, toties Iuturna [illegible]

*Auerſos toties currus Iuturna retorſit.*
*Heu quid agat? vario nequicquam* a *fluctuat æſtu:* *Meſſapus in Æneam iaculatur.*
*Diuerſæque vocant animum in contraria curæ.*
*Huic* b *Meſſapus, vti læua duo forte gerebat*
*Lenta leuis curſu præfixa haſtilia ferro,*
*Horum vnum certo contorquens dirigit ictu.*
*Subſtitit Æneas, & ſe collegit in arma*
*Poplite ſubſidens: apicem tamen incita ſummum* *Aeneas proritatur.*
*Haſta tulit, ſummáſque excuſſit vertice criſtas.*
*Tum verò aſſurgunt iræ* c *inſidiiſque ſubactus*
*Diuerſos vbi ſenſit equos, currumque referri,*
*Multa Iouem, & læſi teſtatus fœderis aras*
*Iam tandem inuadit medios, & Marte ſecundo*

& auertit currus in aliam partem.

*a* Fruſtra ancipiti cura diſtrahitur apud ſe deliberans an præter Turnum debeat inuadere.

*b* Meſſapus egregius equorum domitor ac proinde leuis in curſu; vt fortè ſiniſtra manu duo gerebat haſtilia, vnum ex iis haſtilibus in Aeneam magna vi cõniiciens, certo & determinato ictu in eum recta collineat. Quod animaduertens Aeneas ſubſtitit: & obiecto ſcuto ſe ita collegit, & vndequaque texit, in poplitem ſubſidens, vt totum corpus ſcuti longitudine tegeretur, nec vlla ex parte feriri poſſet. Tamen haſta magno impetu concitata ſummum galeæ apicem abſtulit, & ſupremam criſtæ partem excuſſit.

*c* Tum verò magis & magis pectus eius eſt ira cumulatum, quam cum in ipſum Meſſapum vellet expromere, ille curru retroacto, & equis in diuerſam partem abeuntibus auolauit, & tum demum non ſponte ſua, ſed coactus Meſſapi inſidiis, multis verbis Iouem & aras fœderis violati teſtatus, ſe non ſponte, ſed hoſtium improbitate coactum ad pugnam deſcendere, iam tandem poſt longam cunctationem in confertas Latinorum acies irrumpit, & eos qui inter ipſum, ſequentem & fugientem Turnum mediis de hoſtibus erant inuadit, & belli caſibus ad nutum ſuccedentibus terribilis, diſcretè obtruncat vniuerſos, & iræ permittit ſæuiendi liberam poteſtatem. Ennius. *Irarúmque effunde quadrigas.*

*Terribilis, ſæuam nullo diſcrimine cædem*
*Suſcitat, irarumque omnes effundit habenas.*
*Quis mihi nũc tot acerba Deus, quis carmine cædes*
*Diuerſas, obitumque ducum, quos æquore toto* a,
*Inque vicem nunc Turnus agit, nũc Troius heros* b,
*Expediat* c? *tanton*, d *placuit concurrere motu,*
*Iupiter, æterna gentes in pace futuras?*
*Æneas Rutulum Sucronem (ea prima* e *ruentes*
*Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratus* f
*Excipit in latus, & , quâ fata celerrima, crudo* g
*Tranſadigit coſtas, & crates pectoris* h *enſe.*
*Turnus equo deiectum Amycum fratremque Diorẽ*
*Congreſſus pedes, hunc venientem cuſpide* i *longa,*
*Hunc mucrone* k *ferit, curruque abſciſſa duorũ* l,
*Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.*
*Ille Talon, Tanainque neci, fortémque Cethegum*
*Treis vno congreſſu, & mæſtum mittit Onyten,*

Aeneæ & Turni fortia facta.

*a* Toto campo, tota planitie.
*b* Aeneas.
*c* Explicet & euoluat. Ennius —— *Orat euoluere belli.*
*d* Placuitne tibi, ô Iupiter? vt Troiani & Latini tanto motu concurrerent, quia paulo poſt, iuncto fœdere, & pace in æternum conſtituta è duabus gentibus vnam conflaturi erant ciuitatem.
*e* Ea prima pugna, qua Aeneas Sucronem occidit, Troianos fugientes fecit à fuga ſubſiſtere.
*f* Seruius legit *moratum*, & ad Sucronem refert qui non potuit diu vim Aeneæ ſuſtinere. Donatus legit morantem, eodem ſenſu.
*g* Duro, vt lib. 10. —— *Et crudum per coſtas exigit enſem.*
*h* Coſtas quæ inſtar cratium pectori obtenduntur.
*i* Haſta. K Gladio.
*l* Amyci & Dioris.
*m* Aeneas multos mittit neci, ſiue interficit.

*Nomen Echionium*, a *matriſque genus Peridiæ.*
*Hic* b *fratres Lycia miſſos, & Apollinis* c *agris,*
*Et iuuenem exoſum nequicquam bella Menœten,*
*Arcada,* d *piſcoſæ cui circum flumina Lernæ*
*Ars fuerat, paupérque domus, nec nota potentum*
*Limina, conductáque pater* e *tellure ſerebat.*
*Ac velut immiſſi diuerſis partibus ignes*
*Arentem in ſyluam, & virgulta ſonantia* f *lauro,* Comparatio.
*Aut vbi decurſu rapido de montibus altis*
*Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt,*

*a* Illi, videlicet Onytæ, nomen Echionium fuit, ſine gloria Thebana: quippe qui gloriari ſolebat, quòd oriundus eſſet Thebis, nobiliſſima ciuitate. Genus etiam illi fuit à Peridia matre, matrona clariſſima. Echion Rex Thebarum fuit.
*b* Turnus.
*c* Quia Lycia Apollini dicata; vbi hyberno tempore habebat oraculum; vnde & *Lyciæ ſortes*, vide lib 4.
*d* Mœnetes, vt videtur, cùm eſſet Arcas cum Euandro ad Italiam nauigarat. Euander autem iam à multis annis acceſſerat, vt ex eo liquet quòd Pallantem, vt dicitur lib. 8. verſu 510. ex matre Sabella ſuſcepit. Quare Menœtes iuuenis eſſe non potuit, cùm à Turno cōfectus eſt. Senſus eſt igitur Menœtem iam ætate prouectum mortem oppetiiſſe, qui iuuenis exoſus fuerat bella, ſed fruſtra exoſus, quia matura ætate bello periit, qui iuuenis omnia bella vitauerat, & tenui victu contentus, circa Lernæam paludem vitam piſcatione tolerarat; neque vt à potentioribus munera acciperet, eorum limina triuerat, & atriorum fores, matutinus ſalutator, obſederat. Alij legunt *munera*, alij *limina* eadem pene ſententia.
*e* Pater Menœtæ erat agricola, & terram colebat alienam & conductitiam.
*f* Seruius exponit virgulta lauri cum crepitu ardentia. Lucretius. —— *Etiam parnaſsia laurus*
*Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.*

*Quiſq;* a *ſuum populatus iter: non ſegnius* b *ambo*
*Æneas, Turnúſque ruunt per prælia: nunc nunc*
*Fluctuat ira intus: rumpuntur neſcia vinci*
*Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.*
*Murranum hic* c *atauos, & auorũ antiqua ſonantẽ*
*Nomina, per Regéſque actum genus omne Latinos,*
*Præcipitem ſcopulo, atque ingentis turbine ſaxi*
*Excutit, effunditq; ſolo: hunc lora, & iuga ſubter*
Murranus. *Prouoluêre rotæ, crebro ſuper vngula pulſu*
*Incita, nec Domini memorum proculcat equorum.*
*Ille ruenti Hilo* d, *animiſque immane frementi*
*Occurrit, telúmque aurata ad tempora torquet.*
*Olli per galeam fixo ſtetit haſta cerebro.*
*Dextera nec tua te, Graiûm* e *fortiſſime Creteu,*

*a* Et ad ignes & ad fluuios refertur, quiſque ignis, quiſque fluuius.

*b* Placet Cerdæ noſtri verba exſcribere. Notetur Vtraque particula. Prima, *ſegniùs*, reſpicit comparationem ignis, *ſignis* enim quaſi *ſine igne* dicitur. Ergo eunt igne non ſegniùs, altera, *fluctuat*, comparationem amnis. Pergit Poëta inſiſtens eidem rei: *rumpuntur neſcia vinci Pectora*, vt neſcit vinci ignis omnia domans.

*Nunc totis in vulnera viribus itur.*

vt eunt amnes præcipites per loca patentia

*c* Æneas Murranum de ſua nobilitate gloriantem, & prædicantem genus ſuum à Regibns Latinis per Reges deductum, ingenti ſaxo excutit modo turbinis fulmine commixti, & in terram effundit more fluuij: Murranum autem rotæ prouolluerunt ſubter iugum & lora currus ſui, & inſuper equi domini ſui immemores eum frequenti vngularum pulſu proculcauerunt.

*d* Turnus Hilo contra ſe irruenti, & ingenti ſpiritu immaniter frementi obuius occurrit, & telum ad tempora, quæ inauratâ galea tegebantur, intorquet. Illi, videlicet Hilo, per galeam transfixo cerebro, inhæſit haſta.

*e* Arcadum, vt lib. 6. — *Graia pandetur ab vrbe.*

*Eripuit Turno: nec Dij texêre Cupentum*
*Ænea veniente ſui* a *: dedit obuia ferro*
*Pectora, nec miſero clypei mora* b *profuit ærei.*
*Te quoque Laurentes viderunt* c *Æole campi* — *Aeoli cædes.*
*Oppetere, & late* d *terram conſternere tergo:*
*Occidis, Argiuæ quem non potuêre phalanges*
*Sternere, nec Priami regnorum euerſor Achilles:*
*Hîc tibi mortis erant metæ* f*: domus alta ſub Idâ,*
*Lyrneſſi domus alta* g*: ſolo Laurente ſepulchrum.* — *Epitaphium.*
*Totæ adeò conuerſæ* h *acies, omnéſque Latini,*
*Omnes Dardanidæ, Mneſtheus, acérque Sereſtus,*
*Et Meſſapus equum domitor, & fortis Aſylas,* — *Pugna aſperrima.*

*a* Fauentes vt lib. 5. ——— *Ferunt ſua flamina claſſem.* Seruius. *Ita Aeneam comparat Turno, vt eum ſuperiorem eſſe ſignificet. Nam quem Turnus interemit, ſua virtus liberare non potuit. Ei verò quem occidit Aeneas, ne ſua quidem numina profuerunt.* Addit Cupentum Sabinorum lingua ſacerdotem vocari.

*b* Nec ad remorandum ictum profuit illi clypeus ex æie confectus, vel nec profuit illi ad tuendam vitam clypeus, quamuis ictum paulisper fuerit remoratus.

*c* Quaſi cum admiratione ſpectauerunt, cum adeo magnus eſſes & fortis vt nunquam in bello videreris eſſe moriturus.

*d* Emphaſis qua Aeoli magnitudinem oſtendit: ſi enim poſtratus corpore terram latè tegebat, valde magnus fuit.

*e* Moreris & interficeris à Turno, quem Græci, ne Achilles quidem bello Troiano potuerunt occidere.

*f* In agris Laurentibus mors erat tibi deſtinata, quæ eſt meta ſiue terminus & vltima linea rerum humanarum.

*g* Domus tua nobilis erat in Lyrneſſo Phrygiæ ciuitate ad radices montis Idæ conſtituta. Lyrneſſus opponitur Laurento, domus ſepulchro; altitudo plano & æquabili ſolo.

*h* In bellum coactæ, vel in ſe inuicem conuerſæ.

*Tuſcorúmque phalanx,* a *Euandriq; Arcadis alæ.* b
*Pro ſe quiſque* c *viri ſummâ nituntur opum vi.*
*Nec mora, nec requies, vaſto certamina tendunt* d.
Æneas ſtatuit vrbem ipſam inuadere. *Hic mentem Æneæ genitrix pulcherrima* e *miſit,*
*Iret vt ad muros, vrbique aduerteret agmen*
*Ocyus, & ſubita turbaret clade Latinos.*
*Ille* f *vt veſtigans aduerſa per agmina Turnum*
*Hùc, atque huc acies* g *circuntulit, aſpicit vrbem*
*Immunem* h *tanti belli, atque impunè quietam.*
*Continuò pugnæ accendit* i *maioris imago:*
*Mneſthea, Sergeſtúmque vocat, fortémque Sereſtũ*
*Ductores, tumulumque capit, quò cætera Teucrûm*
Suos alloquitur. *Concurrit legio: nec ſcuta,* k *aut ſpicula denſi*
*Deponunt, celſo medius ſtans aggere fatur:*

a Phalanx propriè Macedonum fuit, de qua Curtius. *Macedones phalangem vocant peditum ſtabile agmen, vbi vir viro, armis arma conſerta ſunt.* vocatur etiam phalanx clypeorum connexio, ſiue teſtudo militaris, vt ex Cæſare notat Philippus Beroaldus.

b Alæ dicuntur auxiliarij equites, quòd alarum inſtar cingant legionem. vide lib. 11. verſu 604.

c *Pro qualitate virium ſuarum.* inquit Seruius. vel, in hoc pugnæ feruore ſibi quiſque miles eſt, Imperator: neque enim imperatorum iuſſa iam audire poſſunt præ tumultu.

d Contendunt.

e Vel otioſum eſt epitheton, vel eſt enallage. In hoc rerum ſtatu Venus mater dedit Aeneæ conſilium optimum & pulcherrimum.

f Æneas. g Oculos, aciem oculorum.

h Sine officio dimicandi: Nam immunis eſt qui nihil præſtat quaſi ſine muniis: ſicut contra munifices, qui munus faciũt.

i Obiecta eſt animo Æneæ ſpecies & imago maioris pugnæ, videlicet oppugnationis Laurenti, quæ illum ſubito compleuit ardore militari.

k Donatus. *Ita vt armati erant, manſerunt: opertuit quippe*

*Ne qua meis eſto dictis mora* a *: Iuppiter hac ſtat :* Exordium
*Neu quis ob incœptum ſubitum* b *mihi ſegnior ito.*
*Vrbem* c *hodie cauſſam belli, regna ipſa Latini,* Expoſitio conſilij & quaſi narratio.
*Ni frenum accipere, & victi parêre* d *fatentur,*
*Eruam, & æqua ſolo* e *fumantia culmina ponam.*
*Scilicet expectem,* f *libeat dum prælia Turno*
*Noſtra pati? rurſúſque velit concurrere victus?* g
*Hoc caput* h *ô ciues, hæc belli ſumma nefandi.* i Confirmatio.
*Ferte faces properè, fœdúſque repoſcite* k *flammis.* Peroratio.

*planam eſſe cautelam, vbi tantus feruor certaminum vertebatur.* Seruius, *Ex eo quod non eſt factum, quid fieri ſoleat indicauit, vt ſuprà Defigunt telluri haſtas & ſcuta reclinant.*

*a* Dicta mea celeriter executione mandentur: Iupiter enim ſtat à partibus noſtris: ſtat pro religione, quam fœdifragi violarunt; hic eſt vnus modus imponendi finem fatis noſtris quæ Iupiter ſortitus eſt.

*b* Ne quemquam hoc conſilium turbet, quia ſubitum eſt & repentinum quaſi in tanta conſilij feſtinatione momenta rationum in vtramque partem non ſatis examinarim & expenderim? *c* Laurentum

*d* Eſt ἐπεξήγησις ſiue prioris explicatio, nihil enim eſt aliud *frenum accipere*, quàm fateri ſe victum, parendum eſſe, ſubiugari translatio ab equis qui freno domantur.

*e* Aequabo ſolo tectorum faſtigia.

*f* Quaſi verò diutiùs tolerare debeam Turni tergiuerſationes. & expectare quoad illi libeat mecum pugnare ſingulari certamine, non ait *prælia inferre*, ſed *prælia noſtra pati* & ſuſtinere, vt indicet ſe Turno eſſe longè fortiorem, & maiorem oſtendat animi fiduciam.

*g* Rurſúſque velit concurrere fuſo ſuorum exercitu, quemadmodum priùs bis magna victus pugnâ voluit mecum ſingulari certamine dimicare.

*h* Hæc vrbs, ô Troiani, fons eſt & caput, vnde bellum emanauit: In ea etiam totius belli ſumma conſiſtit, nam eâ ſemel exciſa totum bellum erit confectum.

*i* Sacrilegi, contra fas & fœderis religionem ſuſcepti.

*K* Flammis & incendio repetite ab eis fidem fœderis violati. vel, vt Seruius exponit, flammas fœderis, vrbis innouemus

Scalæ vrbi admouentur.

*Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes*
*Dant cuneum* a *denſáque ad muros mole feruntur,*
*Scalæ improuiſò,* b *ſubitúſque apparuit ignis.*
*Diſcurrunt alij ad portas primoſque trucidant:*
*Ferrum alij torquent, & obumbrant æthera* c *telis.*
*Ipſe inter primos dextram ſub mœnia tendit*
*Æneas, magnáque incuſat voce Latinum,*
*Teſtatúrque Deos, iterum ſe ad prælia cogi:*
*Bis iam Italos hoſtes, hæc altera fœdera* d *rumpi.*
*Exoritur trepidos inter diſcordia ciues:*
*Vrbem alij reſerare jubent, & pandere portas*
*Dardanidis, ipſúmque trahunt in mœnia Regem,* e
*Arma ferunt alij, & pergunt defendere muros:*
*Incluſas vt cùm latebroſo in pumice* f *paſtor*
*Veſtigauit apes, fumóque impleuit amaro:*
*Illæ intus trepidæ rerum per cerea caſtra*
*Diſcurrunt, magniſque acuunt ſtridoribus iras.*

In vrbe diſcordia & trepidatio. Comparatio.

incendio. nam *repoſcite* eſt reuocate, renouate.

*a* Troiani condenſantur inter ſe de celeritate certantes, & coëunt in cuneum militarem, de qua aciei forma ſupra verſu 457.

*b* Latini ex improuiſo viderunt ſcalas muris admoueri & ignes (quos vulgo Græcos appellant) ſiue malleolos ad vrbis incendium comparatos.

*c* Tam frequentia tela coniiciunt, vt quaſi nube telorum cœlum obſcurent.

*d* Prius fœdus non quidem initum fuerat, ſed à Latino duntaxat expetitum, de quo lib. 7 verſu 263. de poſteriore ſuprà à verſu 160.

*e* Latinum.

*f* Commoda comparatio Latini obſeſſi cum apibus in pumice cauo & eroſo incluſis, vrbs cum pumice, Aeneas cum paſtore, faces ab Aenea reliquiſque Troianis admotæ cum fumo amaro ſiue lacrymas eliciente, Latinorum tumultuantium vociferationes cum apum ſtridore, comparan-

*Voluitur ater odor tectis* a *: tum murmure cæco*
*Intus ſaxa ſonant, vacuas it fumus ad auras.*
*Accidit hæc feßis etiam fortuna Latinis:*
*Quæ totam luctu concußit funditus* b *vrbem.*
*Regina* c *vt tectis venientem proſpicit hoſtem,*
*Incendi muros, ignéſque ad tecta volare.*
*Nuſquam acies cõtra Rutulas, nulla agmina Turni,*
*Infelix pugnæ iuuenem* d *in certamine credit* *Amata ſe ſuſpendit.*
*Extinctum, & ſubito mentem turbata dolore*
*Se cauſſam clamat, criménq;* e *caputq;* f *malorum:*
*Multáque per mœſtum demens effata furorem*
*Purpureos moritura manu diſcindit amictus,*
*Et nodum informis lethi* g *trabe nectit ab alta.*
*Quam cladem miſeræ poſtquàm accepêre Latinæ,*

tur, vocat aluear & fauos *cerea caſtra*, propterea quòd ad rem militarem comparatio traducitur, *trepidæ rerum*, id eſt de rebus ſuis trepidantes.

*a* Fumus ater per aluear glomeratur, ex atra pice graue modorem expirans. *ater* dicitur *odor* voce ab oculis ad nares tranſlata : vt murmur cæcum, pro ſurdo & occulto, ſiue ex intimis alucaribus prodeunte.

*b* Ita quatefecit, vt quaſi à fundamento conuelli videretur.

*c* Amata.

*d* Quia non putabat, inquit Seruius, Turnum ciuitatem oppugnari paſſurum fuiſſe ſi viueret

*e* Quid eſt hoc? clamat ſe fuiſſe crimen malorum. Perinde, vt reor, ac ſi diceret, clamat in ſe redundare crimen & culpam belli concitati.

*f* Auctorem ſiue fontem & initium, vnde clades illa profluxit.

*g* Mortem ſuſpendio ſibi conſciuit, quod lethi genus ignominioſum eſt & informe. Carebant enim honore ſepulturæ. Varro laudatus à Seruio Danielis ait, *Suſpendioſis quibus iuſta fieri ius non ſit, ſuſpenſis oſcillis veluti per imitationem mortis parentari.* τούτους γὰρ μόνους inquit Artemidorus lib. 1 cap. 5. ἐν νεκρῶν δείπνοις οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες. *Hos enim ſolos in mortuorum cœnis cognati non nominant.*

Lamentatio ob mortem Amatæ.

*Filia prima manu flauos* [a] *Lauinia crines,*
*Et roſeas laniata genas: tum cætera circùm*
*Turba furit, reſonant latè plangoribus ædes.*
*Hinc* [b] *totam infelix vulgatur fama per vrbem,*
*Demittunt mentes:* [c] *it ſciſſa veſte* [d] *Latinus,*
*Coniugis attonitus fatis* [e] *vrbiſque ruinâ?*
*Canitiem immundo perfuſam puluere turpans,*
*Multáque* [f] *ſe incuſat, qui non acceperit ante*
*Dardanium Æneã, generúmque adſciuerit vltro.* [g]
*Interea extremo ballator in æquore* [h] *Turnus*
*Palantes* [i] *ſequitur paucos iam ſegnior, atque*
*Iam minùs, atque minùs ſucceſſu lætus equorum.*
*Attulit hunc illi cæcis terroribus aura*
*Commiſtum clamorẽ* [k], *arrectáſque* [l] *impulit aures*

*a* Seruius cum Probo *floros* non *flauos*, legendum eſſe contendit, id eſt, florulentos & pulchros, quod Ennij, Accij, Pacuuij auctoritate confirmat.
*b* Ex ædibus regiis fama illius exitus infelicis per totam vrbem diuulgatur, diſſipatur.
*c* Laurentini tam infauſto rumore perculſi animos abiiciunt, rebuſque ſuis deſperant
*d* De more, ſolebant enim veſtes in luctu lacerare. Liuius lib. 1. de Sabinis. *Crinibus paſſis, ſciſſáque veſte.*
*e* Repentino mortis Amatæ nuntio quaſi tonitru perculſus.
*f* Multùm, multis verbis.
*g* Sponte, & voluntate ſua, priuſquam bello id facere cogeretur.
*h* In extrema campi planitie.
*i* Hac illac fugâ diſperſos.
K Aura attulit Turno clamorem commiſtum cæcis terroribus, naturale eſt enim, inquit Seruius, vt à qua parte fuerit ventus, inde maxime clamor audiatur. *Cæcos terrores*, vocat reſpectu Turni, qui eorum cauſſam neſciebat.
*l* Attentas & ad audiendum ſollicitas.

*a* Triſte

*Confuſæ ſonus vrbis, & illætabile* a *murmur.*
*Hei mihi, quid tanto turbantur mœnia luctu?*
*Quiſve ruit tantus diuerſa* b *clamor ab vrbe?*
*Sic ait: adductiſque amens* c *ſubſiſtit habenis:*
*Atque huic (in faciem ſoror* d *vt conuerſa Metiſci* Turnus.
*Aurigæ, currúmque, & equos, & lora regebat)*
*Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, ſequamur*
*Trojugenas, quà prima viam victoria* e *pandit.*
*Sunt alij, qui tecta manu defendere poſſunt.*
*Ingruit Æneas Italis & prælia miſcet:* Iuturna Turno.
*Et nos ſæua manu mittamus funera* f *Teucris:*
*Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.*
*Turnus ad hæc.*
*O ſoror, & dudum agnoui, cùm prima per artem*
*Fœdera turbaſti, téque hæc in bella dediſti:* Turnus Iuturnæ.
*Et nunc nequicquam fallis Dea.* g *ſed quis Olympo*
*Demiſſam tantos voluit te ferre labores?*

*a* Triſte, lamentabile.
*b* Longe remota. vt lib. 10.
*Atque ea diuerſa penitùs dum parte geruntur.*
*c* Inops conſilij repreſſit habenas, eáſque fortiùs trahens fecit equos ſubſiſtere.
*d* Iuturna.
*e* Hypallage pro quà primum via panditur & aperitur ad victoriam.
*f* Nos etiam occidamus Troianos, quemadmodum Æneas Latinos interficit. Nec pauciores perimes, nec minorem ex hac pugna campeſtri, quàm Æneas ex vrbis obſidione gloriam conſequeris.
*g* Et nunc fruſtra diſſimulas te eſſe Deam, eodem opinor ſenſu quo Horatius.
*Fulgentem imperio fertilis Africæ Fallit ſorte beatior.*
vel *nequicquam* ſimpliciter pro *non* vſurpat Non me fallis, non me decipis, iam pridem agnoui te eſſe Deam.

*An fratris miſeri* a *lethum vt crudele videres?*
*Nam quid ago* b*? aut quæ iam ſpondet fortuna ſalutem?*
*Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem*
*Murranum, quo non ſuperat* c *mihi charior alter,*
*Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.*
*Occidit infelix* d*, ne noſtrum dedecus* e *Vſens,*
*Adſpiceret, Teucri potiuntur corpore, & armis.*
*Exſcindine domos* f *( id rebus defuit vnum)*
*Perpetiar? dextrà nec Drancis dicta refellam,*
*Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?*
*Vſque adeône mori miſerũ eſt* g*? vos ô mihi manes*
*Eſte boni* h*, quoniam ſuperis auerſa voluntas.*
*Sancta ad vos anima, atque iſtius inſcia culpæ* i

a Placent verba Seruij : licet quibuſdam minus arrideant. Humile eſt, ſi ex perſona Turni accipias. Ergo *miſeri* ad animum ſororis referendum eſt.
b Nam quare non moriar? quid ago vlteriùs in terra?
c Supereſt, ſuperſtes eſt lib. 2.
—— *Captæ ſuperauimus vrbi.*
d Qui hactenus felicibus armis pugnauerat. vide l. 7. v. 745.
e Noſtram fugam ignominioſam.
f Quòd ſi Murranus & Vſens alijque præclari duces in acie ceciderunt, dùm ego tergiuerſor & detrecto ſingulare certamen: debeóne permittere, vt Æneas domos vrbis exſcindat, funditúſque conuellat, hoc videlicet vnum deerat ad ſũmam mei nominis infamiam. An nõ fortiter faciendo dicta Drãcis refellam, qui me non virtuti, ſed fugæ fidentem bellum Troianis inferre nuper aiebat? vide lib. 1. verſu 350.
g Adeóne mors eſt miſera vt eius declinandæ cauſſa tantam ignauiæ labem exiſtimationi meæ patiar aſpergi?
h Propitij. vt lib. 1. —— *Et bona iuno.*
i Seruius. *Vel fugæ, quia fuga grande crimen apud virum fortem*

*Deſcendã, magnorũ haudvnquã indignus auorum.*
*Vix ea fatus erat: medios volat ecce per hoſtes*
*Vectus equo ſpumante Sages, aduerſa* a *ſagittâ*
*Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:*
*Turne, in te ſuprema ſalus, miſerere tuorum,*
*Fulminat Æneas armis, ſummáſque minatur*
*Dejecturum arces Italûm, excidióque daturum.* Sages Turno.
*Iámque faces ad tecta volant: in te ora Latini,*
*In te oculos referunt: muſſat* b *Rex ipſe Latinus*
*Quos generos vocet, aut quæ ſeſe ad fœdera flectat.*
*Præterea Regina tui fidiſſima* c, *dextrâ*
*Occidit ipſa ſuâ, lucémque exterrita fugit.*
*Soli pro portis* d *Meſſapus, & Acer Atinas*
*Suſtentant aciem: circum hos vtrinq;* e *phalanges*
*Stant denſæ, ſtrictiſque ſeges mucronibus horret*

*vel rupti fœderis & læſæ religionis à qua dicit ſe eſſe alienum.*
*a* Habens os aduerſo vulnere grauiter ſauciatum, Porro, vt notat Seruius, *ex multis rebus indicat perturbationem, quòd feſtinans venit, quòd per hoſtes, quòd vulneratus, quòd Turnum nomine appellat.*
*b* Potuiſſet dicere *Multáque ſe incuſat*, &c. vt ſupra 612. maluit dicere dubitat Latinus tene, an Aenean generum vocet, & hanc dubitationem muſſando, &, vt vernaculè dicimus, inter dentes, loquendo ſignificat; hoc inquam maluit, ne Turnum penitus à ſubueniendo deterreret.
*c* Tibi fidiſſima, tui amantiſſima.
*d* Ante portas vrbis ſoli duces Meſſapus & Atinas ſuſtentant & retinent aciem Latinorum, eámque faciũt loco conſiſtere.
*e* Phalanges, opinor, tum Latinorum, tum etiam Troianorum intelligit, vbi aduerte præclaram antitheſim. Denſas phalanges ſolitudini, ſegetem ferream ſtrictis & euaginatis gladiis horreſcentem molli gramini; Meſſapum & Atinam qui Turni cauſſa pugnabant, Ipſi Turno cuius res agebatur opponit, ſegetem ferream appellat gladios denſos & confertim ſubrectos inſtar ariſtarum.

*Ferrea: tu* [a] *currum deſerto in gramine verſas.*
*Obſtupuit* [b] *variâ confuſus imagine rerum*
*Turnus, & obtutu tacito* [c] *ſtetit: æſtuat ingens*
*Imo in corde pudor, miſtóque inſania luctu,* — *Turnus perturbatur.*
*Et furijs agitatus amor & conſcia virtus.*
*Vt primum diſcuſſæ vmbræ* [d], *& lux reddita menti eſt,*
*Ardenteis oculorum orbes* [e] *ad mœnia torſit*
*Turbibus, éque rotis magnam reſpexit ad vrbem* [f].

a Donatus. *Tu, cuius cauſſa es: tu, pro cuius commodo omnis Italia contendit & dimicat: tu, qui primus in acie, primus pro patria aſſiſtere debuiſti: tu qui tantùm eris periculis propior, quantùm ſuperata fuerint cetera, putas te aliquid agere quia in gramine deſerto, vbi nullus hoſtis, lento rotarum motu currum ſegniùs trahis.*

b Obſtupuit Turnus rerum quæ nuntiabantur, & imaginationi ſimul occurrebant, varietate perculſus, minis Æneæ, vrbis ppugnatione, Amatæ ſuſpendio, oculis Latinorum in ipſum conuerſis, Latini muſſatione.

c Tacens & oculos vno obtutu in terram defixos habens hæſit aliquandiu, æſtuabat pudore tum quia Sages ei ſegnitiem obiecerat, tum quia Latini in ipſum ora & oculos referebant. Is tamen pudor imo corde continebatur, necdum vllis ſignis eruperat. Æſtuabat inſania fremens in hoſtes, dolénſque ſe non poſſe præſentibus malis occurrere: mixtus erat huic inſaniæ luctus & mœror, quem ex Amatæ morte perceperat, accedebat ad hos animi motus, amor furioſus quo Lauiniam efflictum & perditè deperibat, videbátq; iam Latinum dubitare quem generum eligeret. His adde propriæ virtutis cõſcientiam, cuius iacturam faciebat, niſi ſingulari certamine de ſumma rerum cum Ænea decideret.

d Statim atque offuſa menti caligo diſcuſſa eſt.

e Aduerte, ſingulorum verborum proprietatem & energiam. *Oculorum orbes*, quia diductis per iram palpebris oculi circulares erant. *ardentes*, quia ex oculis acribus ignis emicabat. *torſit*, cum impetu coniecit oculos tortim conuolutos, *turbidus* plenus perturbationis.

f Laurentum, ſuprà *Magnæ ſub mœnibus vrbis.*]

*Ecce autem ſlammis* a *inter tabulata volutus*
*Ad cælum vndabat vortex, turrimque tenebat:*
*Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipſe*
*Subdiderátque rotas, pontéſque inſtrauerat altos.*
*Iam iam* b *fata ſoror ſuperant, abſiſte morari:*
*Quò Deus, & quò dura vocat fortuna, ſequamur:*
*Stat conferre manum Æneæ: ſtat quidquid acerbum eſt*
*Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis*
*Ampliùs: hunc oro ſine me furere ante furorem.*
*Dixit: & è curru ſaltum dedit ocyùs aruis* c,

*Turnus constituit ad ſingulare certamen deſcendere.*

*a* Nouum ſpectaculum ardentem animum Turni magis etiam accendit: vidit enim flammas inter tabulata, ſiue compagines aſſerum, volutas & glomeratas, quæ ſuos illos vortices vndatim per aërem efferebant, & turrim penitùs occupabant. Turrim, inquam, quam ipſe Turnus trabibus inter ſe contextis & implexis compactam in magnam altitudinem eduxerat rotaſque ſubiecerat vt earum lapſu traheretur ad ea loca, quibus hoſtis inſtabat, pontéſque altos ſubſtrauerat, ad faciliorem adſcenſum & deſcenſum.

*b* O ſoror, deſine me remorari & à congreſſu auocare. Iam fata ſuperant, eis obſequamur: deo & fortunæ, quantumuis duræ, volentes pareamus, ne nos ad ſe pertrahant inuitos, fixum eſt & ratum cum Ænea ſingulari certamine dimicare, & potiùs mortem vel acerbiſſimam pati, quàm viuere indecorem & infamia notatum propter ignauiam. Quam infamiã priuſquam ſubeo, oro ſiue me hunc furorem furere, hanc inſaniam inſanire & ad mortem voluntariam accedere. Vel ſenſus eſt. Eſto ſanè: ſit furor vitam ſuam in apertum periculum voluntariè promouere: tamen maior eſſet furor vitam ſeruare velle, honoris & exiſtimationis ſuæ diſpendio. Quare te rogo vt me ſinas furere & ad mortem voluntariam properare, ante hunc furorem & impotens vitæ conſeruandæ deſideriũ, quod mihi ſummam infamiæ labem adſpergeret.

*c* In arua deſilijt.

*Pérque hoſtes, per tela ruit, mæſtámque* a *ſororem*
*Deſerit, ac rapido curſu media agmina rumpit.*
*Ac veluti* b *montis ſaxum de vertice præceps*
A curru deſilit. *Cùm ruit auulſum vento, ſeu turbidus imber*
*Proluit, aut annis ſoluit ſublapſa vetuſtas,*
*Fertur in abruptum* c *magno mons improbus actu,*
*Exultatque ſolo, ſyluas, armenta, viróſque*
Comparatio. *Inuoluens ſecum: diſiecta,* d *per agmina Turnus*
*Sic vrbis ruit ad muros: vbi plurima* e *fuſo*
*Sanguine terra madet, ſtridentque haſtilibus auræ:*
*Significatque manu, & magno* f *ſimul incipit ore:*
*Parcite iam Rutuli* g, *& vos tela inhibete Latini:*
*Quæcumque eſt fortuna, mea eſt: me verius vnum*
*Pro vobis fœdus luere* h, *& decernere ferro.*

*a* Iuturnam dolentem, quia videbat Turnum ad certum exitium properare.

*b* Commoda comparatio. Turnus cum ſaxo, currus Turni cum montis cacumine, Turni ſaltus cum ſaxi volutione, cauſæ quæ Turnum ad pugnam impulerunt cum vento, imbre, vetuſtate quæ ſubrepſit & ſaxo ſublapſa eſt, ſtrages à Turno diſiecta per agmina editæ, cum ſaxi ſtragibus cõparãtur.

*c* Saxum tamen ingens vt mons appellari poſſit, improbum multáſque clades inferens, vel improbum & pertinax, nec priùs quieturum quàm ad ſubiectam vallem peruenerit, per montis abrupta & præcipitia magno actu, magno impulſu deuoluitur. agere eſt impellere, vnde actus pro impulſu. Improbus, pertinax & obſtinatus, vt —— *Labor omnia vincit*
*Improbus.* ——

*d* Diſſipata & palantia.

*e* Duplex enallage, vbi terra plurimo ſanguine perfuſa madet, & ſtrident haſtilia per auras, ſiue per aërem.

*f* Magna & elata voce, vel forti & generoſa.

*g* Parcite ferro ô Rutuli, & vos Latini tela cohibete, debeo ſolus belli fortunam experiri.

*h* Iuſtius eſt me vnum pro omnibus rupti fœderis pœnas

*Diſceſſere omnes medij* a, *ſpatiúmque dedêre.*
*At pater Æneas audito nomine Turni,*
*Deſerit & muros* b, *& ſummas deſerit arces,*
*Præcipitatque moras omnes: opera omnia rumpit*
*Lætitiâ exultans, horrendúmque intonat* c *armis:*
*Quantus Athos* d, *aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis*
*Cùm fremit ilicibus quantus, gaudétque niuali*
*Vertice ſe attollens pater Appenninus ad auras.* Comparatio.
*Iam verò & Rutuli certatim, & Troës, & omnes*
*Conuertêre oculos Itali, quique alta tenebant*
*Mœnia* e, *quique imos pulſabant ariete muros:*
*Armaque depoſuêre humeris.* f *ſtupet ipſe Latinus*

exoluere. *Verum.* iuſtum. Horatius.

*Metiri ſe quemque ſuo modulo, & pede verum eſt.*

vide alia exempla apud Cerdam & Valentem.

*a* Inter Turnum & Æneam conſtituti diſceſſerunt, viamque Turno dederunt, qua ad Æneam accederet.

*b* Muros Laurenti quibus ignem admouebat, & arces quas iam propè victor obtinebat.

*c* Horrendo armorum conflictu ita ſtrepit, vt tonitruî fragorem imitetur.

*d* Athos mons Thraciæ, Erix Siciliæ, Appenninus Italiæ. Paulo ante Turnus cum ſaxo de vertice montis auulſo, hic Æneas Turno longe præſtantior cum tribus maximis montibus comparatur. coruſcas ilices vocat vel crebrâ fulgurum coruſatione fulgentes, vel vibratis ramis inter ſe mutua coruſcatione colliſis. hæc autem comparatio ad corporis proceritatem ſpectat, quod omnia maiora timentibus appareant vide lib. 10. verſu 763.

*e* Latini, qui alta mœnia defendebant & occupabant, Troiani, qui imos muros oppugnabant. vbi notanda mœnium & murorum diuerſitas Aries tormentum murale. lib. 2.

*Labat ariete crebro Ianua.*

*f* Vel prælio defeſſi, vel iuſſi à ducibus, ne quis iterum fœdus confunderet.

*Ingentes genitos diuerſis partibus orbis* a
*Inter ſe coÿſſe viros, & cernere ferro.*
*Atque illi* b *vt vacuo patuerunt æquore campi,*
Certamen Turni & Æneæ.
*Procurſu rapido coniectis eminus haſtis,*
*Inuadunt Martem clypeis, atque ære ſonoro.*
*Dat gemitum tellus: tum crebros enſibus ictus*
*Congeminant fors:* c *& virtus miſcentur in vnum.*
Comparatio.
*Ac velut ingenti Syla* d*, ſummóue Taburno*
*Cùm duo conuerſis inimica in prælia tauri*
*Frontibus incurrunt: pauidi ceſſère magiſtri* e*,*
*Stat pecus omne metu mutum, muſſántq;* f *iuuencæ*
*Quis pecori imperitet quem tota armẽta ſequãtur.*
*Illi* g *inter ſeſe multa vi vulnera miſcent,*
*Cornuáque obnixi* h *infigunt, & ſanguine largo*
*Colla, armoſq; lauant, gemitu nemus omne remugit:*

*a* Aeneam in Phrygia Aſiæ, Turnum in Italia Europæ parte genitos, & bellica virtute præſtantes ferro pugnare, ſiue decernere; ſic Ennius à Cicerone laudatus.

—— *Ferro cernamus vtrimque.*

Item à Seruio. *Olli cernebant magnis de rebus agentes.*

*b* Æneas & Turnus ſtatim atque camporum planities, ijs è medio digreſſis qui priùs eam compleuerant patuit ad certamen, in ſe mutuò procurrentes telaque eminus iacientes, magno impetu pugnam aggrediuntur clypeis ſonantibus ex ære confectis.

*c* Seruius: *Fors, id eſt, caſus in Turno, virtus in Ænea.* Non eſt neceſſe ſic exponere. Nam & fors virtutem adiuuat, vt in Pompeio, qui, vt ait Orator, *cum virtute fortunam æquabat.* Pyrrhus apud Ennium —— *Quidue ferat fors*

*Virtute experiamur* ——

*d* Seruius, Syla mons eſt Lucaniæ, Taburnus Campaniæ.

*e* Paſtores.

*f* Dubitant, & inter ſpem & metum fluctuantes expectant euentum certaminis. *g* Duo tauri.

*h* Contra ſe inuicem obnitentes.

*Haud aliter Tros Æneas, & Daunius* a *heros*
*Concurrunt clypeis, ingens fragor æthera complet.*
*Iuppiter ipſe duas* b *æquato examine lances*
*Suſtinet, & fata imponit diuerſa duorum:* c
*Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethũ.*
*Emicat hîc* d *(impune putans) & corpore toto*
*Altè ſublatum conſurgit Turnus in enſem,*
*Et ferit: exclamant Troës, trepidique Latini:*
*Arrectæque* e *amborum acies: at perfidus* f *enſis*
*Frangitur, in medióque ardentem deſerit ictu,*
*Ni fuga ſubſidio ſubeat: fugit ocyor Euro,*
*Vt capulum ignotũ, dextrámq; adſpexit inermem.*
*Fama eſt præcipitem, cùm prima in prælia iunctos*

*Enſis Turni frangitur.*

*a* Turnus Dauni filius.

*b* Iupiter duas trutinæ lances æqualibus in vtramque partem momentis ſuſtinens & examinans (*examen propriè eſt filum quo trutina regitur*, inquit Seruius, vel vt ait Cornutus in Perſiũ, eſt lingua vel lignum quod mediam haſtam ad pondera adæquanda tenet (vernaculè *la languette de la balance*) diuerſa Turni & Aeneæ fata lancibus imponit, vt ea ponderet, & ex trutinatione videat vtrum labor damnet, id eſt, interprete Scaligero, ab vtro fruſtra labor ſuſcipiatur, vel vter labore ſuo conſecuturus ſit victoriam & ob eam adeptam voti damnandus, quod ante pugnam conceptum & nuncupatum victor debeat exoluere.

*c* Expendit etiam Iuppiter & examinat quo pondere lethum vtriuſque vergat: illi enim mortem inſtare putabant antiqui cuius fatum trutinâ expenſum præponderaret, & magis ad ima deſcenderet, vide Iliadem 22.

*d* In hoc rerum ſtatu, Ioue fata vtriuſq; ita ponderante. Turnus exilit & ſeipſum arrigit vt vehementiorẽ ictum incutiat.

*e* Euentus expectatione ſuſpenſæ.

*f* Perfidus quia Turnum deſeruit, & prodidit in medio periculo, quod ille ſubijſſet niſi ſubſidium à fuga petijſſet, ſicut contrà lib. 6.

—— *Fidum capiti ſubduxerat enſem.*

Conſcendebat equos, patrio mucrone a relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuiſſe Metiſci:
Idque diu, dum terga dabant palantia b Teucri,
Suffecit, poſtquã arma Dei ad Vulcania c vẽtũ eſt,
Fugit Mortalis mucro d, glacies ceu futilis, ictu
Turnus Diſſiluit, fuluâ reſplendent fragmina arenâ.
Ergo amens e diuerſa fugâ petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc, incertos implicat, orbes.
Vndique enim denſâ Teucri incluſère coronâ:
Sequi- Atq; hinc vaſta palus, hinc ardua mœnia cingũt.
tur Æ- Nec minùs Æneas (quanquam tardante ſagittâ
neas. Interdum genua impediunt, curſúmque recuſant)
Inſequitur, f trepidiq; pedem pede feruidus vrget.
Incluſum g veluti ſi quando flumine nactus

a Enſe, de quo conſulendus verſus huius libri 90.

b Dum Troiani palantes diſperſique fugiebant.

c A Deo Vulcano fabricata.

d Enſis ab homine mortali fabricatus, tanquam glacies fragilis ita fractus eſt & in varias partes diſſipatus, vt aliud eius fragmentum in aliam arenæ partem, aliud in aliam diſſiliret.

e Quod cùm videret Turnus, in diuerſas planitiei partes diffugit inops conſilij, & varios circulos fuga deſcripſit multis inter ſe ambagibus implicitos, & incertos, quippe qui certum terminum non haberet Cur autem incertos orbes ita fugiens implicaret, ea cauſſa ſuberat, quod Troiani denſa corona arenæ locum incluſerant, obſtabántque ſuorum corporum obiectu, quominùs Turnus fugam recto curſu ad vrbem, & in tuta contenderet.

f Nihilominùs tamen Æneas Turnum varios orbes fuga implicantem inſequebatur, & tam vicinus inſtabat vt trepidantis pedem pede vrgeret, licet propter vulnus quod emiſſa ſagittà paulo antè acceperat genua debilitata curſum impedirent, & recuſarent g Egregia comparatio, qua Turnus ceruo, Æneas cani venatico, Troiani formidini, palus flumini, mœnia altæ ripæ reſpondent.

*Ceruum, aut puniceæ ſeptum formidine* [a] *pennæ,*
*Venator curſu canis, & latratibus inſtat:*
*Ille autem inſidijs, & ripâ territus altâ,* Comparatio.
*Mille fugit refugitque* [b] *vias: at viuidus Vmber* [c]
*Hæret hians,* [d] *iam iamq; tenet, ſimiliſque tenenti*
*Increpuit malis, morsúque eluſus inani eſt.*
*Tum verò exoritur clamor, ripæque, lacúſque*
*Reſponſant* [e] *circà, & cœlum tonat omne tumultu.*
*Ille* [f] *ſimul fugiens, Rutulos ſimul increpat omneis,*
*Nomine quemque vocans,* [g] *notúmque efflagitat* [h] *enſem.*
*Æneas mortem contrà, præſenſque minatur*
*Exitium, ſi quiſquam adeat, terrétque trementes*

*a* Formido contextus plumarum ad feras terrendas. Seneca lib. 2. de ira *Cùm maximos ferarum greges linea pennis diſtincta contorreat, & ad inſidias agat ab ipſo effectu dicta formido.* Vide 3. Georg. verſu 372. Non autem ſolùm colore illo puniceo, ſed etiam tetro quodam odore terrebantur. Lucanus lib. 4.

*—— Sic dum pauidos formidine ceruos*
*Claudit odoratæ metuentes aëra pennæ.*

*b* Fugiens redit per ſua veſtigia.

*c* Canis venaticus ab Vmbria regione Italiæ, vbi naſcuntur canes generoſi.

*d* Inſtat è propinquo, ingenti rictu fauces aperiens, vt proximo quoque temporis momẽto morſum impacturus, imò iam mordicùs prædam tenere procul intuentibus videatur & dentes dentibus allidẽs inani morſu eluditur, dum ſe putãs dentem ceruo impingere, nihil præter aërem vacuum mordet.

*e* Vocem replicant & remittunt.

*f* Turnus Nota repetitionem *ſimul, ſimul*, vt lib. 1. verſu 220. lib. 5. verſu 675.

*g* Vt ſe à Turno ſinguli notari ſciant, niſi fuerint dicto audientes.

*h* Enſem, cui erat aſſuetus poſtulat cum conuicio, flagitiumque admiſſuros eſſe dicens niſi attulerint,

*Excisurum vrbem minitans, & ſaucius inſtat.* a
*Quinq; orbes explent curſu totidémq; retexunt,* b
*Huc, illuc: nec enim leuia, aut ludicra petuntur*
*Præmia, ſed Turni de vita & ſanguine certant.*
Oleaſter ſacer Fauni. *Fortè ſacer Fauno folijs oleaſter amaris*
*Hîc* c *ſteterat, olim nautis venerabile lignum:*
*Seruati ex vndis vbi figere dona ſolebant*
*Laurenti Diuo, & votas ſuſpendere veſtes.* d
*Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine* e *ſacram*
*Suſtulerant: puro vt poſſent concurrere campo.*
*Hîc haſta Æneæ ſtabat: huc impetus illam*
*Detulerat, fixam* f *& lenta in radice tenebat.*
*Incubuit, voluitque manu conuellere ferrum*
*Dardanides,* g *telóque ſequi, quem prendere curſu*

*a* Inſtat & inſiſtit Turno, quamuis paulò antè vulneratus & vulnere tardior, vel ira ſauciatus.

*b* Donatus. *Retexere eſt iter repetere vt qua itum eſt, ipſa parte redeatur.*

*c* Fortè in hoc certaminis campo ſteterat oleaſter habẽs amara folia, Fauno conſecratus, qui quamdiu ſterit magna religione colebatur: ad quem nautæ è naufragio liberati, & ad portum feliciter appulſi ſolebant votiuas tabellas, & veſtimenta Fauno Laurentinorum deo ſuſpendere. De more, vt poſt Turnebum lib. 8. aduerſariorum cap. 16. notant paſſim interpretes Ariſtophanes in Pluto.

—ὥσπερ κοιτίνῳ προσπατταλεύσω τουτωΐ.

*Tanquam oleaſtro affigam iſti.*

*d* Horatius 1. Carm.

—— *Me tabulâ ſacer* *Votiuâ paries indicat vuida*
*Suſpendiſſe patenti* *Veſtimenta maris Deo.*

*e* Sed Troiani ſacram hanc arborem, nulla religionis habita ratione, ſuſtulerant, vt loco puro & patenti poſſent concurrere & dimicare.

*f* Impetus ab Ænea conijciente impreſſus, ad hunc locum, vbi priùs ſteterat oleaſter, haſtam detulerat, & ita fixerat vt in lenta flexilique radice teneretur.

*g* Æneas à Dardano oriundus, pronus in terram & totis

*Non peterat. Tum verò amens formidine* a *Turnus:*
*Faune, precor miſerere, inquit, túque optima ferrum*
*Terra tene, colui veſtros ſi ſemper honores,* b
*Quos contrà Æneadæ bello fecêre profanos.*
*Dixit, opémque Dei non caſſa* c *in vota vocauit.*
*Namque diu luctans,* d *lentoque in ſtirpe moratus*
*Viribus haud vllis valuit diſcludere morſus*
*Roboris Æneas, dum nititur acer, & inſtat,*
*Rurſus in aurigæ faciem mutata Metiſci*
*Procurrit, fratrique enſem Dea Daunia* e *reddit.*
*Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere*
*Acceſſit, telúmque alta* f *ab radice reuellit.*
*Olli ſublimes armis, animiſque* g *refecti,*
*Hic* h *gladio fidens, hic* i *acer, & arduus haſtâ.*

*Turnus Fauno.*

*Æneas nequit haſtam euellere. Iuturna reddit enſem.*

*Venus haſtam euellit.*

viribus incumbens haſtam defixam euellere conatus eſt, vt eam in Turnum coniiceret, quem aſſequi non poterat curſu, ob vulnus paulò ante acceptum.

*a* Inops conſilij præ formidine.

*b* Si arborē veſtro numini, veſtris honoribus ſacram ſemper religiosè colui; quā Troiani bello profanauerunt. *Profanum propriè dicitur quod ex religioſa re in hominum vſum conuertitur.*

*c* Inania & effectu carentia.

*d* Æneas diu luctatus, & in oleaſtri ſtirpe, quæ propter naturalem lentitiem ferrum arctiùs retinebat, diu moratus totis viribus enitens haſtam euellere nullis viribus illam ferri & ligni connexionem relaxare potuit, aut ſeparare, hanc porro coniunctionem morſum eleganter appellat, voce ab animantibus ducta, quæ firmiter & tenaciter inhærent ijs quibus morſum impegerint.

*e* Iuturna Dauni filia, quæ cùm Turni currum relinquens ad propriam formam rediiſſet, rurſus in Metiſci faciem mutata eſt. *f* Profunda.

*g* Seruius. *Sicut armis, ita & animis — namque armorū inopia*

*h* Turnus. *i* Æneas.

*Inſiſtunt contrà certamine Martis anheli* a.
*Iunonem intereà Rex omnipotentis* b *Olympi*
*Alloquitur fulua pugnas de nube tuentem:*
*Quæ iam finis erit coniux? quid denique reſtat?*
*Indigetem* c *Æneam ſcis ipſa, & ſcire fateris,*
*Deberi cælo, fatiſque ad ſidera tolli.*
*Quid ſtruis? aut qua ſpe gelidis in nubibus hæres?*
*Iupiter Iunoni.* *Mortalin'* d *decuit violari vulnere Diuûm?*
*Aut enſem (quid enim ſine tu Iuturna valeret,*
*Ereptum reddi Turno? & vim creſcere victis?*
*Deſine iam tandem,* e *precibúſq; inflectere noſtris:*
*Nec te tantus edat tacitam dolor* f*, & mihi curæ*
*Sæpe tuo dulci triſtes ex ore recurſent.*

a Enallage, pro ipſi anhelantes contra ſe inuicem inſiſtunt Martis certamine.

b Et hic enallage, pro *Rex omnipotens Olympi* vide v. 1. lib. 10.

c Indiges dicitur qui ex hominibus in deos refertur: peculiariter tamen Aeneas. Liuius lib. 1. *Situs eſt, quencumque eum dici ius fáſque eſt, ſuper Numicum fluuiũ: Iouem Indigetem appellãt.*

d Quidam legunt. *Mortalem decuit violari vulnere diuûm?* Hoc ſenſu: an decuit Aeneam, qui adhuc mortalis eſt, violari vulnere Deorum? videlicet Iuturnæ quæ ſagittam in eum coniecerat. vulgo *mortalin'* &c. *diuum*? id eſt, Decuitne Ænean diuum paulo poſt futurum, violari vulnere mortali? Non quòd reuera mortem attulerit, ſed quòd huiuſmodi vulnera conueniant mortalibus.

e Ænean perſequi, Turnum adiuuare.

f Nec te tacitam tantus exedat dolor, noli tanto dolore tabeſcere, quem modò pectore clauſum celas, modò per querelas expromis, quæ ex ore tuo frequenter auditæ, recurſant animo meo, mihique dolorem pariunt, quoties te, quæ es mihi coniux dulciſſima, video dolore conſumi; quo ſenſu, & erit explicandum per *nec*, vel ſenſus eſt, ne tacita doleas, ſed dolorem tuum verbis exprome, & fac me tuarum curarum participem.

*Ventum ad ſupremũ eſt: terris agitare, vel vndis*
*Troianos potuiſti, infandum accendere bellum,* a
*Deformare domũ,* b *& luctu miſcere Hymenæos* c:
*Vlteriùs tentare veto, ſic Iuppiter orſus.*
*Sic Dea ſubmiſſo contrà Saturnia vultu:*
*Iſta quidem quia nota mihi tua magne* d*voluntas*
*Iuppiter, & Turnum, & terras inuita reliqui,*
*Nec tu me aëria ſolam nunc ſede* e *videres* *Iuno*
*Digna, indigna* f *pati: ſed flammis cincta ſub ipſa* *Ioui.*
*Starem acie, traheremq; inimica in prælia Teucros:*
*Iuturnam miſero, fateor, ſuccurrere fratri*
*Suaſi: & pro vita maiora audere probaui.*
*Non vt tela tamen,* g *non vt contenderet arcum,*

*a* Furia Alecto ex inferis euocatâ lib. 7.

*b* Mortis Amatæ, cuius tu cauſſa extitiſti, eam adigens ad inſaniam. *c* Nuptias Aeneæ & Lauiniæ, nondum quidem re ipſa confectas, ſed iam deſtinatas.

*d* Vel abſoluta & præciſa, vel difficilis & ineluctabilis. Vide orationem pro Deiotaro. § 10. Nota 5. Vel hortenda, metuenda. 19. Odyſſ. verſu 91.

πάντως θαρσαλέη, κύον ἀδδεὲς, οὔτι μελήσεις
Ἔρδουσα μέγα ἔργον. ——

*Audax & petulans canis, haud me impune latebit.*
*Horrendum melita nefas.*

& Cratinus τὸ δ' αὐχεῖν μόνοις ἐπ' αἰζήοισι καυχᾶσθαι, μέγα.

*e* Nube.

*f Id eſt omnia, &* prouerbi aliter *dictum eſt*, inquit Seruius.

*g* Clare opinor, ſignificat Aenean ab ipſa Iuturna fuiſſe vulneratum: aliter tamen exponunt plerique omnes interpretes, quia ſuperiùs.

*Incertum qua pulſa manu, quo turbine adacta.*

Verùm cum incertum ait vulneris auctorem, in propria perſona loquitur? hic autem Iunonem rei conſciam loquentem inducit, egregia planè poëſi, quaſi poëtico furore inſtinctus quod Iunonem loqui facit, ipſe non intelligit.

*Adiuro Stygij caput implacabile a fontis:*
*Vna ſuperſtitio* b *ſuperis quæ reddita* c *Diuis.*
*Et nunc cedo equidem: pugnaſque exoſa relinquo,*

a Dijs peierantibus implacabile, priuſquam debitas periurij pœnas exoluerint, de quibus Heſiodus in Theogonia.

Ὅς κεν τὴν ἐπίορκον ἐπιλείψας ἐπομόσσῃ
Ἀθανάτων οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος ὀλύμπου.
Κεῖται νήυτμος τελεσμένον εἰς ἐνιαυτόν,
οὐδ᾽ ἔπιτ᾽ ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἔρχεται ἆσσον
βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος
στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι. κακὸν δ᾽ ἐπὶ κῶμα καλύπτει.
Αὐτὰρ ἐπεὶ νοῦσον τελέσῃ μέγαν εἰς ἐνιαυτόν.
Ἄλλος δ᾽ ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτερος ἆθλος
Εἰνάετες δὲ θεῶν ἀπαμείρεται αἰὲν ἐόντων,
οὐδέ ποτ᾽ ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται οὐδ᾽ ἐπὶ δαῖτας
ἐννέα πάντ᾽ ἔτεα, δεκάτῳ δ᾽ ἐπιμίσγεται αὖτις.

*Qui ſtygias diuum falsò iurauerit undas,*
*Mæſtus ad exactum iacet infeliciter annum.*
*Nec dulci ambroſia fruitur, neque nectaris eſca*
*Accedens propiis: nec reſpirare poteſtas*
*Nec quamquam affari verbis, ſtratóque cubili,*
*Sub vili centone iacet (miſerabile viſu).*
*At poſtquam ſolido morbum produxerit anno,*
*Hunc grauior labor ex alio, ſine fine, fatigat.*
*Atque nouem à cæli regionibus exulat annos*
*Nec ſe conſiliis, nec ſe cæleſtibus infert*
*Vſquam epulis, donec nonum compleuerit annum.*
*At decimo tandem repetit conuiuia Diuûm.*

b Religio grauis & timorem incutiens lib 6. verſu 324.

—— *Stygiámque paludem*
*Dii cuius iurare timent & fallere numen*

Hic autem per antitheſin, *ſuperſtitio ſuperis*, videtur ad etymon nalludere, eſt enim ſuperſtitio ſuperſtantium rerum timor. Lucret. lib. 1. —— *Graui ſub relligione*

*Quæ caput è cæli regionibus oſtendebat,*
*Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans.*

c Vel compoſitum pro ſimplici, *reddita* pro *data*, *adiuro* pro *iuro*, *adorat* pro *orat*, *abuti* pro *uti*. Vel eſt enallage, qua ſtyx dicitur *ſuperſtitio reddita*, quia mercedis loco redditum eſt ei vt fieret ſuperſtitio, ſiue vt per eam Dij magna religione iurarent, ſiue quòd inſidias cæterorum Deorum & coniurationem

*Illud te, nullâ fati quod lege tenetur,*
*Prò Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum* a,
*Cùm iam connubijs pacem felicibus (eſto* b*)*
*Component, cùm iam leges, & fœdera jungent,*
*Ne vetus indigenas* c *nomen mutare Latinos,*
*Neu Troas fieri jubeas, Teucróſque vocari:*
*Aut vocem mutare viros, aut vertere* d *veſtes.*
*Sit Latium, ſint Albani per ſæcula Reges,*
*Sit Romana potens Italâ virtute propago:*
*Occidit, occideritque ſinas cùm nomine Troia.*
*Olli ſubridens hominum, rerúmque repertor* e*:*
*Et germana Iouis* f*, Saturnique altera proles*

rationem Ioui detexerat, ſiue quòd liberos ſuos Zelum & Victoriam ei in auxilium adduxerat. Vide Heſiodum loco citato. Vel denique, vt Paſſeratius, Germanus & Cerdanus exponunt, quia ſuperi dijs Inferis dominantur, vice verſa & quaſi per retaliationem, vt vocant; factum vt Styx diis ſuperis ſuperſtitio redderetur, ſiue redditum eſt vt dij viciſſim per ſtygem iurarent, eiúſque numen metuerent offendere.

a Seruius *Reſpexit ad Saturnum, &c. nam & Latinus inde originem ducit*. Saturnus fuit abauus Latini, auus Fauni, pater Pici, ac proinde Iupiter maior patruus Latini. b Cōſentit, ſed inuita. c αὐτόχθονας non aliunde tranſcriptos in Latium, ſed inde ducentes originem. videtur ad antiquum nomen Aborigenū alludere. d Mutare loco togæ Latinorum Aſiaticam veſtem mollem & delicatam aſſumere.

e Qui auream Saturni ætatem mutans cauſa fuit vt homines varias artes inuenirent, &

*Vt varias vſus meditando extunderet artes*

vt dicitur 1. Georg. vel *repertor* eſt *creator*.

f Iupiter imperiosè dixerat *Vlteriùs tentare veto.* ——
Quam voluntatem Iouis nimis præciſam eſſe & iracundam Iuno non obſcurê ſignificarat, aiens

—— *Tua magna voluntas.* ——

Quam accuſationem Iupiter ſubridens ita retorquet. Verè tu es ſoror Iouis & Saturni: Tam enim vè hementer iraſce-

*Irarum* a *tantos voluis, ſub pectore fluctus?*
Iouis ſponſio. *Verùm age, & inceptũ fruſtra* b *ſubmitte furorẽ:*
*Do quod vis, & me victúſque* c *volénſq; remitto,*
*Sermonem Auſonij patrium moréſque tenebunt,*
*Vtque eſt nomen, erit: commiſti corpore tantùm*
*Subſident* d *Teucri: morem, ritúſque ſacrorum*
*Adijciam, faciámque omnes vno ore Latinos.*
*Hinc* e *genus, Auſonio miſtũ quod ſanguine ſurget*
*Supra homines, ſupra ire Deos pietate videbis:*
*Nec gens vlla tuos æquè celebrabit honores.*
*Annuit his Iuno, & mentem lætata* f *retorſit.*
*Intereà excedit cælo* g*, nubémque reliquit:*
*His actis, aliud genitor, ſécum ipſe volutat,*
*Iuturnámque parat fratris dimittere ab armis.*
*Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ* h*,*

tis, vt hac iracundiâ vtrumque imiteris, & te alterius ſororem, alterius filiam eſſe demonſtres.

a Bene *fluctus irarum*, quia ira eſt feruor ſiue ebullitio ſanguinis qui circa cor volluitur & conglobatur. Lucretius.
*Conſtitues magnos irarum voluere fluctus.*
Item *Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.*

b Remitte tuam iracundiam, cùm præſertim fruſtra perſequi Troianos incœperis, nec poſſis, quod optas, ad exitum perducere.

c *Victus* tuis precibus, *volens*, ſtudio tibi obſequendi, me ipſum meámque voluntatem remitto, qua Troianos victores facere, iiſque omne victoriæ ius dare decreueram.

d Domicilium in Latio collocabunt. ita Tranquillus in Vitellio cap. 1. *Quoſdam ex Vitelliis ſubſediſſe Nuceræ.*

e A Troianis & Latinis ſimul in vnum populum coalitis Romanum genus orietur, quod & homines & Deos pietate ſuperabit.

f Gaudens quia ſuos honores à Romanis maximè celebratum iri audiuerat. g Ne videat Turnum interfici.

h Duæ in cœlo, Furiæ apud Inferos, in medio Harpyiæ,

*Quas, & Tartaream Nox intempeſta* a *Megæram*
*Vno, eodémque tulit partu, paribuſque reuinxit* Dira.
*Serpentum ſpiris* b, *ventoſáſque addidit alas.*
*Hæ Iouis ad ſolium, ſæuique in limine Regis*
*Apparent* c, *acuuntque metum mortalibus ægris,*
*Si quando lethum horrificum, morbóſq; Deum Rex*
*Molitur, meritas aut bello territat vrbes.*
*Harum vnam celerem demittit ab æthere ſummo*
*Iuppiter: inque omen* d *Iuturnæ occurere iuſsit.*
*Illa volat, celerique ad terram turbine* e *fertur*
*Non ſecùs ac neruo* f *per nubem impulſa ſagitta,*
*Armatam* g *ſæui Parthus quam felle* h *veneni,* Comparatio.
*Parthus ſiue Cydon* i, *telum immedicabile, torſit,*
*Stridens, & celereis incognita tranſilit vmbras* k:
*Talis ſe ſata Nocte* l *tulit, terráſque petiuit.*

a Vide librum 3. verſu 578.
b Nox Diras eâ corporis forma procreauit, vt haberent alligatas corpori ſerpentum alas in ſpiram conuolutas, quibus ſcindunt ventos, vel aëris agitatione, pinnatum motu ventos imitantur.
c Seruius. *Præſto ſunt ad obſequium vnde etiam apparitores conſtat eſſe nominatos.* Vide 2. Philipp. parag. 68. Nota 1.
d Iupiter vnam è Diris iuſſit Iuturnæ occurrere, vt illi fraternæ necis omen eſſet.
e Non recto & tranquillo volatu, ſed inſtar turbinis, vt Diram decebat.
f Fune arcus è neruis equinis contexto.
g Libro 9. — *Ferrúmque armare veneno.*
Id eſt inficere, imbuere.
h Veneno vt lib. 4. *Nigri cùm felle veneni.*
i Cretenſis, à Cydone ciuitate. Parthi Aſiæ populi ſagittandi peritiſſimi qui maximas populo Romano clades intulerunt.
K Caliginem illius turbinis quo erat inuoluta.
l Dira filia Noctis & Oceani, vt Heſiodus fabulatur.

*Poſtquàm acies videt Iliacas, atq; agmina Turni,*
*Alitis in paruæ ſubitò collecta a figuram,*
*Quæ quondam in buſtis, aut culminibus deſertis*
*Nocte ſedens ſerùm canit importuna per vmbras.*
*Hanc verſa in faciem Turni ſe peſtis ad ora*
*Fértq; refertq; ſonans, clypeúmque euerberat alis.*
Dira ad Turnum accedit. *Illi b membra nouus ſoluit formidine torpor,*
*Arrectæq; horrore comæ & vox faucibus hæſit.*
*At procul vt Diræ ſtridorem agnouit c, & alas,*
*Infelix crines ſcindit Iuturna ſolutos,*
*Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis.*
Querela Iuturnæ. *Quid nunc te tua, Turne, poteſt germana iuuare?*
*Aut quid iam miſeræ ſuperat mihi? qua tibi lucem*
*Arte moror d: talin' poſſum me opponere monſtro:*
*Iam iam linquo acies: ne me terrete e timentem*
*Obſcœnæ f volucres, alarum verbera noſco,*
*Lethalémque ſonum: nec fallunt juſſa ſuperba*

a Subitò corporis ſui magnitudinem contrahens & colligens in paruæ auis ſpeciem, Seruius. *Noctuam dicit non bubonem, &c. bubo autem maior eſt.*

b Recepto gladio refectus animo fuerat Turnus, ſed diræ volitátis & clypeum euerberantis intuitu, ita de nouo torpuit, vt præ formidine laxatis neruorum nexibus membra ſoluerentur, inhorreſcerent comæ, vox intercluſa faucibus hæreret

c Statim atque Iuturna procul agnouit Dirám alas magno ſtridore quatientem, &c.

d Qua artè poſſum te in vita remorari? mortémque tuam differre?

e Suprà, —— *terrétque trementes.* id eſt, ne me magis terrete, cum iam aliunde ſatis ſim exterrita.

f lib. 3. *Obſcœnis pelagi ferro fœdare volucres.* Volucres autem hic inuidiosè numero multitudinis vſurpat, cum vna fuerit.

*Magnanimi Iouis* a *hæc pro virginitate reponit?*
*Quo* b *vitam dedit æternam? cur mortis adēpta eſt*
*Conditio? poſſem tantos finire dolores* c
*Nunc certè, & miſero fratri comes ire per vmbras.*
*Immortalis ego* d? *aut quicquam mihi dulce meorū*
*Te ſine frater, erit? ô quæ ſatis ima dehiſcat*
*Terra mihi? manéſque Deam demittat ad imos?*
*Tantum effata: caput glauco* e *contexit amictu,*
*Multa gemens, & ſe fluuio Dea condidit alto.*
*Æneas inſtat contrà, telúmque coruſcat* f
*Ingens, arboreum, & ſæuo ſic pectore fatur:* *Iuturna à Turno recedit.*
*Quæ nunc deinde mora eſt? aut quid iam Turne retractas?*
*Non curſu, ſæuis certandum eſt cominus armis.*
*Verte omneis tete in facies, & contrahe* g *quicquid*
*Siue animis, ſiue arte vales? opta ardua pennis* *Æneas Turno.*

a Nec me fallit hoc fieri iuſſu Iouis, qui ſe magnanimum eſſe putat, cum me ſuperbè & faſtuoſe à Turno dimiſerit, hoc videlicet eſt pretium, hæc illa merces quam mihi pro erepta virginitate retribuit. b Cur?

c Moriendo doloribus meis poſſem finem imponere.

d Hic locus variè concipitur. alij legunt.

*Iam mortalis ego. haud. &c.*

Quæ lectio mihi minus arridet. Alij

*Immortalis ego? haud, &c.*

Alij demum, & fortaſſe omnium pulcherrime.

*Immortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum*
*Te ſine, frater, erit?*

e Cæſio, qui color eſt inter viridem & cœruleum: qui fluuijs tribuitur. lib. 8.

—— *Eum tenuis glauco velabat amictu Carbaſus.* ——

f Tam celeriter vibrat, vt fulguris coruſcationem imitetur.

g Collige & vndequaque corrade, vt totum ſimul effundas, ſiue quod vales animis & virtute, ſiue quod vales arte & peritia rei militaris.

*Aſtra ſequi, clauſumque cauâ te condere terra.*
Turnus Æneæ. *Ille caput quaſſans: Non me tua feruida terrent*
*Dicta ferox: Dij me terrent, & Iuppiter hoſtis.*
*Nec plura effatus, ſaxum circumſpicit ingens,*
*Saxum antiquum, ingens campo qui fortè iacebat,*
Saxum à Turno conijcitur. *Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret* a *aruis,*
*Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubire nt,*
*Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*
*Ille* b *manu raptum trepida torquebat in hoſtẽ* c
*Altior inſurgens, & curſu concitus Heros:*
*Sed neque currentem* d *ſe, nec cognoſcit euntem,*
*Tollentémque manu, ſaxúmq; immane mouentẽ,*
*Genua labant, gelidus concreuit frigore* e *ſanguis.*
*Tum lapis ipſe viri* f *vacuum per inane volutus*
*Nec ſpatium euaſit totum, nec pertulit ictum.*
Comparatio. *Ac velut* g *in ſomnis oculos vbi languida preſſit*
*Nocte quies; nequicquam auidos extendere curſus*

*a* Vt agros diſcerneret & diuideret à ſe inuicem, omnéſque lites tolleret, quæ ex poſſeſſionum confuſione poterãt exoriri. Porro, vt notat Scaliger, *campus* planiciem dicit, *ager* tractum terræ, *aruum* agri partem. *b* Turnus *c* Ænean.
*d* Ita perturbatus eſt & amens præ formidine, vt ſe, non dicam currere, ſed ne ambulare quidem intelligat.
*e* Sanguis præ timore circa cor confluit, ibique concreſcit & congelatur.
*f* Commode Cerda. Inanis fuit hic iactus, talis videlicet qualis vir ipſe qui fecerat. Nam tametſi lapis volutus eſt per aërem qui vacuus & inanis apparet, tamen nec ſpatium euaſit ſiue tranſmiſit totum vſque ad Ænean, nec pertulit ictum, quem Turnus oculis & animos deſtinarat.
*g* Quemadmodum in ſomnis ſopitis ſenſibus, fruſtra magna auiditate videmur velle curſus in longum campi ſpatium extendere, & magnam percipientes animo ægritudinem ſiue moleſtiam deficimus in medio conatu, nec lingua valet

*Velle videmur, & in mediis conatibus ægri*
*Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ*
*Sufficiunt vires, nec vox aut verba ſequuntur:*
*Sic Turno (quacumque viam virtute petiuit)*
*Succeſſum dea Dira negat: tum pectore ſenſus*
*Vertuntur varij,* a *Rutulos adſpectat,* b *& vrbẽ,*
*Cunctatúrque* c *metu, telúmque inſtare tremiſcit:*
*Nec quò ſe eripiat,* d *nec quâ vi tendat in hoſtem,* Turni pauor.
*Nec currus vſquam videt, aurigámque ſororem.*
*Cunctanti telum Æneas fatale* e *coruſcat* f Aeneas telum intentat
*Sortitus fortunam oculis* g *& corpore toto*
*Eminùs intorquet: murali concita nunquam*
*Tormento* h *ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti* Comparatio.

vllam vocem exprimere, nec iam vires corpore ſufficiunt quas priùs vigilando fuimus experti.

*a* Varias apud ſe verſat ſalutis expediendæ rationes.

*b* Oculis modò ad ſuos Rutulos, modò ad vrbem Laurentum conuerſis reſpicit an alicunde ſpes ſalutis affulgeat.

*c* Tanto timore percellitur, vt quaſi fulmine quodam obtuſis habetatiſque ſenſibus, ne fugæ quidem neminerit, ſed cunctabundus hæreat in eodem veſtigio, nec poſſit greſſum promouere.

*d* Donatus. *Proſus quid faceret neſciebat: faciendi quippe occaſio deerat, audendi in hoſtem fiducia negabatur.*

*e* Vel ipſi Turno mortiferum, vel fatale Aeneæ, cui Turni morte Lauiniam, & regnum fatis debitum afferebat.

*f* Vide ſupra, verſu 887.

*g* Seruius. *Hunc locum feriendum oculis elegit Æneas, quem fortuna deſtinauerat vulneri.* ſiue oculis deſignans eum locum quem fortuna vulneri patefecit, nimirum in extremis oris loricæ, *au deffaut de la cuiraſſe.*

*h* Catapulta, baliſta, ariete cæteriſque tormentis, quibus mœnia quatiuntur.

*Diſſultant crepitus:* a *volat atri turbinis* b *inſtar*
*Exitium dirum haſta ferens, oráſque recludit* c
*Loricæ, & clypei extremos ſeptemplicis orbes,*
*Per medium ſtridens tranſit femur, incidit ictus*
Turnus vulneratur. *Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.*
*Conſurgunt gemitu Rutuli, totuſque remugit*
*Mons circum & vocẽ latè nemora alta remittũt.* d
*Ille humilis* e *ſupplexq; oculos dextrãque precãtẽ* f
*Protendens; Equidem merui,* g *nec deprecor, inquit,*
Turnus ſupplicat. *Vtere ſorte tua: miſeri te ſi qua parentis*
*Tangere cura poteſt, oro (fuit & tibi talis*
*Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ:*
*Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine* h *mauis,*

*a* Nec diſſultantibus fulminibus tanti tonitruorum fragores audiuntur.

*b* De hac amplificandi ratione vide 2. Philipp. parag. 57. Nota tertia vbi dicitur ater turbo non vnum fulmen, ſed fulmina plura ſibi colluctantia, ſéque collidentia continere.

*c* Aperit, reſoluit.

*d* Replicant clamorem vocis imagine duplicata.

*e* Turnus humi proſtratus & iam factus animo demiſſior.

*f* Hypallage, pro ipſe precans dextramque protendens.

*g* Ego quidem occidi mereor, neque vllam iuris aut iuſtitiæ rationem allego ad mortem à me deprecandam: ſi vis me interfice, id enim facies ſine cuiuſquam iniuria. Quare ad tuam clementiam confugio, non mea ipſius cauſſa, qui mortem non reformido: ſed patris mei Dauni, quia ex mea morte maximũ hauriet animo dolorem. Illius ergo miſerere in memoriam patris tui Anchiſæ, reputans apud te quantus ei fuiſſet dolor ſi quid tibi humanitus accidiſſet. Certè eo miſericordia dignior eſt, quia iam eſt extrema ſenectute confectus, de quibus captandæ miſericordiæ modis vide Cœlianam in peroratione parag. 79.

*h* Vita vide Milon. parag. 7. Nota 1.

*Redde meis:* a *viciſti,* b *& victũ tendere palmas,* c
*Auſonij vidêre: tua eſt Lauinia* d *conjux,*
*Vlteriùs ne tende odiis.* e *Stetit acer in armis*
*Æneas, voluens oculos, dextrámque repreſſit.*
*Et iam, iamque magis cunctantẽ* f *flectere ſermo*
*Cœperat, infelix humero cùm apparuit alto*
*Balteus,* g *& notis* h *fulſerunt cingula bullis*
*Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus*

Æneas agnoſcit cingulũ Pallantis.

*a* Quod ſi me interficere mauis, ſaltem corpus meum redde meis neceſſariis vt maiorum meorum ſepulchris inferatur.
*b* Seruius. *Ad gloriam Æneæ pertinet, quod ſe Turnum cunctis præſentibus victum fatetur.* Ennius.
*Qui vicit non eſt victor, niſi victus fatetur.*
*c* De more lib. 11. verſu 414.
*—— Dextras tendamus inermes.*
Hieronymus in dialogo Luciferiani & Orthodoxi. *En tollo manum, cedo, viciſti.* Neque ſolùm manum tendebant, ſed etiã herbam ẽ campo decerptam extenta manu porrigebant.
*d* Quæ fuit cauſſa certaminis.
*e* Noli vltrà mortem tuum odium extendere: noli in meum cadauer crudelitatem expromere, redde corpus ſepulchro, vel ſufficiat tibi quòd habes Lauiniam, ne me interfice.
*f* Æneam, qui cunctabatur Turnum occidere.
*g* Qui Turno mortis & infelicitatis cauſſam attulit: vel qui nulli domino fuit felix: non Pallanti cui ereptus eſt: non Turno cui mortem intulit. Balteus eſt cingulum militare ex humero corpus ambiens, à quo gladius dependet. lib. 11.
*—— Atque enſem collo ſuſpendit eburnum.*
*h* Quas bullas viderat Æneas, geſtante Pallante, eáſque gerente Turno recognouit. Bullæ ſunt ornamenta quibus balteus inoculatur & veluti ſtellis relucet. vnde & Trebellius in Salonino, *auratos conſtellatóſque balteos* appellat. Auſonius in Cupidine.
*—— Aurata fulgentia cingula bullâ.*
Calphurnius in Bucol.
*Alternant vitreas lateralia cingula bullas.*

*Turnus occiditur.*

*Stauerat,* a *atque humeris inimicum inſigne* b *gerebat.*
*Ille oculis poſtquam ſæui monimenta* c *doloris,*
*Exuuiáſque hauſit: furiis accenſus, & irâ*
*Terribilis: túne hinc ſpolijs indute meorum*
*Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas*
*Immolat,* d *& pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.*
*Hoc dicens,* e *ferrum* f *aduerſò ſub pectore condit*
*Feruidus, aſt illi ſoluuntur frigore* g *membra.*

*a* Vide librum decimum à verſu 479.

*b* Hoc inſigne fuit hiſtoria Danaidum balteo impreſſa: vide lib. 10. à verſu 496.

*b* Statim atque Æneas vidit illas Pallantis exuuias, quæ illũ percepti ob illius mortem doloris admonebant luctúque recrudeſcere faciebant, &c. *Haurire* autem *oculis*, non eſt videre ſimpliciter, ſed cum aliqua perturbatione videre. vt lib. 4.

*Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.*

lib. 6. ——— *Strepitúmque exterritus hauſit.*

*d* Vtitur verbo ſacrorum. immolare eſt victimã molâ ſalsâ inſpergere. Pallas itaque mea manu te immolat, tanquam inferias ſibi debitas ad manes expiandos. Non ego te interficio, tanquam hoſtem, qui mihi bellum intuliſti: non vt riualem, qui Lauiniam mihi deſponſam interuertere voluiſti. Me quidem pietas ad vitam tibi concedendam excitabat: ſed maioris eſt pietatis neceſſarij mei manes placare, & Euandro adferre ſolatium, qui mihi mandauit, vt Pallantis filij necem vlciſcerer: vide lib. 11. à verſu 177.

*e* Antequam, quod dicebat, abſolueret.

*f* Vel gladium, vel haſtæ cuſpidem.

*g* Morte, quæ vitalem calorem extinguens frigus inducit.

Horatius ——— *Vide ſis, maiorum ne quis amicus*
*Frigus te feriat.* ———

Lucretius *Serpere per corpus gelidi veſtigia lethi.*

Morte ſoluuntur membra, quia nerui laxantur. Eſt autem antitheſis. Æneas feruidus quia ——— *Furiis accenſus & ira.* Turnus letho frigidus, ſpiritibus vitalibus exhauſtis.

*Vitáque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.*

a Seruius. *Vel quia poſt preces veniam non meruerat, vel quia Lauiniam fore ſciebat Aeneæ, vel quia diſcedebat à Iuuene.* Quæ poſtrema ratio ab Homero profertur 22. Iliade.

ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἀϊδόσδε βεβήκει
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην.

*E membris tum vita volans deſcendit ad Orcum*
*Fata gemens, florem ætatis roburque relinquens.*

Quaſi miſerum ſit ante ſenectutem è vita diſcedere. Quanto meliùs ſcriptura diuinitus inſpirata beatos eſſe prædicat, vbi conſummati in breui tempora multa virtutibus & meritis explecuerint.

*FINIS.*

A01 146544.9

Cııs.

Digitized by Google